
Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/summasummaesthom0003rpat

SUMMA SUMMAE
S. THOMAE
SIVE
COMPENDIUM THEOLOGIAE

R. PATRIS CAROLI RENATI BILLUART

ORDINIS FRATRUM PRAEDICATORUM,
S. THEOLOGIAE DOCTORIS, ET PROVINCIALIS

JUXTA MENTEM, ET IN QUANTUM LICUIT JUXTA ORDINEM
S. THOMAE IN SUA SUMMA AB EODEM AUCTORE EDITUM
CUM ADDITIONIBUS, ET NOTIS

TOMUS III.

CONTINENS TRACTATUS

DE FIDE, DE SPE, DE CARITATE, DE PRUDENTIA, DE JUSTITIA, DE CONTRACTIBUS, DE RELIGIONE, DE STATU RELIGIOSO, DE FORTITUDINE, DE TEMPERANTIA.

SECUNDA SECUNDAE PARTIS.

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
208.9
LIBRARY
B497
ALMA, California

ROMAE MDCCCXXXIV.
EDEBAT CRISPINUS PUCCINELLI.

EX · BIBLIOTHECA
FF · PRAED · CONV · S · M · MAGD
APVD · S · MAXIMINVM

29086

Property of
CUPA
Please return to
Cleveland Theological
Union Library

SECUNDA SECUNDAE PARTIS

[Cum ex S. Thoma (hic in Prologo) omnis materia moralis ad considerationem virtutum reducatur, et omnes virtutes sint ulterius reducendae ad septem, eas dividit in tres theologicas, et quatuor cardinales, de quibus ordinate tractationem instituit. Incipiendo itaque a primis, illae dicuntur virtutes theologicae, quae immediate respiciunt Deum, prout humanam, et naturalem superant cognitionem; et propterea non nostris actibus acquiruntur, sed a Deo solo infunduntur. Tres autem communiter numerantur Fides, Spes, Charitas, quas investigandas suscipimus cum eodem S. Th. hic a q. 1. ad q. 44, de praecipuis quaestionibus, quae circa eas agitari solent, sermonem instituentes. Prius agitur de fide, quae ordine saltem generationis praeit.]

TRACTATUS

DE FIDE

D. Thom. 2. 2. a. Quaest. 1. ad 16.

DISSERTATIO I.

DE OBJECTO FIDEI

D. Thom. Q. 1.

Articulus I.

Quodnam sit objectum Fidei?

Fides varie sumitur 1. Pro fidelitate in promissis servandis Rom. 3. 2. 2. Pro conscientia Rom. 14. 23. *Quod non est ex fide peccatum est* 3. Pro fiducia Jacob. 16. *Postulet autem in fide nihil haesitans* [Fide hoc sensu sumpta abutuntur Lutherani, et Calvinistae dicentes Nos justificari per fidem, idest fiduciam, qua confidimus Nobis remitti peccata per Christum. Quae acceptio fidei licet hoc sensu sit rejicienda, absolute tamen est admittenda, tamquam effectus fidei, imo et spei, ex eo enim quod Deo credimus, et in ipso speramus, nascitur fiducia in ipsum] 4. Pro veracitate, seu inclinatione dicendi verum. 5. Pro ipsa

doctrina, et objecto Fidei. 6. pro virtute supernaturali, qua credimus veritatibus a Deo revelatis, et definitur ad Apostolo Heb. 11. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Sed quia quilibet habitus a suo objecto specificatur, et inde ejus natura cognoscitur, Auctor hunc Tractatum ab objecto fidei incipit, de ipso fidei habitu infra q. 4. acturus: cui methodo inhaerens.

Dico 1. Objectum formale *Quod*, seu, ut alii vocant, objectum attributionis fidei, est prima veritas in essendo, seu Deus ipse ut Deus, excedens rationem naturalem; quod addo, quia Deus, ut auctor naturalis, potest lumine naturali cognosci independenter a fide. Ante responsionem nota triplicem a Deo distingui veritatem, scilicet 1. in essendo, quae dicitur transcendentalis, et est ipsa Dei essentia, qua verus Deus est, et a falsis Diis distinctus, veritas enim transcendentalis nihil addit ad essentiam, sed est ipsa essentia cum habitudine ad intellectum 2. in cognoscendo, quae est ipsa Dei sapientia, qua cognoscit omnia, prout sunt 3. in dicendo, et est summa Dei veracitas, qua fit ut neminem fallere velit, aut possit, sicut ratione sapientiae infinitae falli non potest. Probatur itaque conclusio.

Illud est objectum formale quod alicujus habitus, quod principaliter ab eo attingitur, et ratione cujus caetera attinguntur, sic sanitas est objectum formale quod medicinae, quia principaliter a medicina attingitur, et ejus ratione caetera, pulsus, urina, medicamina, etc. attinguntur: atqui prima veritas in essendo, seu Deus, ut verus Deus, est id, quod principaliter a fide attingitur; caetera autem, ut quae pertinent ad humanitatem Christi, ad Sacramenta, et quaecumque alia in sacris Scripturis contenta, attinguntur in ordine ad Deum tamquam ad id quod praestantissimum est inter omnia, et ut magis ac magis cognoscatur: ergo.

Dico 2. Objectum formale *Quo*, seu sub quo fidei, est prima veritas in dicendo, seu divina veracitas revelans, connotans primam veritatem in cognoscendo, seu infinitam Dei sapientiam. Prob. prima pars. Objectum formale quo fidei in communi est veracitas dicentis; in hoc enim distinguitur assensus fidei ab assensu scientifico, quod motivum assensus fidei sit auctoritas dicentis, motivum autem assensus scientifici sit veritas principii, ex quo elicitur conclusio: ergo objectum sub quo fidei divinae est veracitas Dei dicentis et revelantis. Prob. secunda pars. Fides est certa et infallibilis; Ergo debet niti motivo infallibili. Subsumo: atqui veracitas divina revelans non habet, quod sit infallibilis, nisi connotet infinitam Dei sapientiam: ergo. Prob. min. Ut veracitas divina revelans sit infallibilis, non sufficit, quod fallere non possit ex malitia, sed requiritur quod etiam fallere non possit ex ignorantia, adeoque quod Deus ipse falli non possit cognoscendo: atqui quod Deus falli non possit cognoscendo, provenit ex ejus infinita sapientia, qua cognoscit omnia, prout sunt, sine ulla falsitatis admixtione: ergo.

Dico 3. Objectum materiale adaequatum fidei est omne revelatum a Deo, primario Deus ipse caetera secundario. Prob. Objectum materiale adaequatum alicujus potentiae vel habitus est id omne, quod potest attingere, ut subest suo objecto, seu rationi formali sub qua: sic omne corpus coloratum est objectum materiale adaequatum potentiae visivae, quia potest illud attingere, ut subest luci, quae est ejus ratio formalis sub qua: atqui fides attingit omne revelatum, ut subest veritati Dei revelantis, quae est ejus objectum formale, sub quo, ut dictum est; Deum tamen primario, caetera secundario, ut etiam dictum est conclusione prima: ergo.

Objicies contra primam partem secundae conclusionis. Objectum formale quo fidei, seu quod idem est, motivum assensus fidei est id, in quod ultimo resolvitur assensus fidei: Atqui id, in quod ultimo resolvitur assensus fidei non est

prima veritas in dicendo, sed prima veritas in essendo seu Deitas: ergo. Prob. min. Quaerenti cur credas mysteriis fidei v. g. Deum esse trinum? recte respondes, quia Deus revelavit: et ulterius quaerenti cur credas Deo revelanti? recte iterum respondes, quia est prima veritas in dicendo; sed tandem quaerenti, cur Deus sit prima veritas in dicendo? nihil aliud restat respondendum, nisi quia Deus est, seu est prima veritas in essendo. Ergo. N. min. Ad prob. D. ultimam partem ant. Nihil aliud restat respondendum, nisi quia Deus est assignando causam rei, C. assignando causam assensus, N. Equidem ideo Deus est verax seu prima veritas in dicendo, quia Deus est; at non ideo credo mysteriis fidei, v. g. Deum esse trinum, quia Deus est, seu est prima veritas in essendo, sed quia verax est; assensus enim fidei (quod diligenter est observandum) non est discursivus sed simplex, et in solo testimonio dicentis sistit, alioquin non est amplius assensus fidei. Sic dicenti mihi Romam existere, assentior, quia verax est, et sistit fides; si autem ascendas, et ulterius quaeras, unde verax est? jam excurris extra fidem. Similiter ergo quaerenti cur credam Deo revelanti recte respondeo quia verax est, et ibi sistit fides seu assensus fidei, nec nisi fatue posset quaeri, cur credam veritati seu veracitati? si autem ulterius quaeras, cur Deus sit verax? jam respondebo non ut fidelis, sed ut Theologus, quia Deus est.

Articulus II.

In quod fit ultima resolutio fidei nostrae?

Quaestio sic communiter proponitur: sed perinde est, ac si quaeras, quodnam sit motivum fidei? quod potest intelligi dupliciter, vel de motivo assentiendi revelatis, vel de motivo seu regula discernendi, quae sint revelata. Primum controvertitur inter Catholicos; quorum quidam existimant propositionem Ecclesiae ingredi saltem partialiter motivum credendi revelatis. Secundum inter Catholicos, et Haereticos, qui volunt, motivum, et regulam discernendi revelata, esse Scripturam, vel spiritum cujusque privatum.

Dico 1. Motivum credendi et assentiendi revelatis est auctoritas et veracitas Dei revelantis, non Ecclesiae testimonium seu propositio. Prob. prima pars ex secunda conclusione articuli praecedentis. Motivum credendi revelatis est objectum formale quo fidei; dicitur enim objectum formale quo habitus, quod est medium et motivum attingendi objectum formale quod, ut patet ex dictis: atqui veracitas Dei revelantis est objectum formale quo fidei, ut dictum est: unde quaerenti, cur credam Deum esse trinum? recte respondeo: quia Deus, qui revelavit, est verax. Prob. secunda pars. Propositio seu testimonium Ecclesiae nullo modo pertinet ad objectum formale quo fidei: ergo. Prob. ant. 1. Quia est aliquid creatum: nihil autem creatum ingredi potest objectum formale fidei, sicut nec spei et charitatis alioquin non forent virtutes pure divinae et theologicae. 2. Sic se habet propositio revelatorum per Ecclesiam respectu fidei, sicut se habet propositio bonitatis respectu amoris; sicut enim voluntas non potest amare objectum nisi propositum et cognitum, ita intellectus non potest credere, nisi sibi proponantur revelata: atqui propositio bonitatis respectu voluntatis et amoris, non est ejus objectum formale, sed tantum applicatio objecti et conditio sine qua non: ergo similiter propositio revelatorum per ecclesiam respectu intellectus et fidei.

Dico 2. Regula discernendi revelata non est Scriptura, neque spiritus privatus, sed sola Ecclesia. Prob. prima pars. Regula discernendi revelata a non revelatis, debet esse incorruptibilis; alias exponeret errori: atqui Scriptura non est incorruptibilis: corrumpi enim potest, et quotidie corrumpitur, sive ex in-

curia typographorum, sive ex malitia hominum, unde ex illa nihil certi erui potest, quamdiu ab Ecclesia non proponitur ut authentica et ut continens revelata: ergo. Idem dicendum est de Symbolo, quod cum sit Scriptura, etiam est obnoxium corruptioni, et aliunde non continet omnia revelata, sicut nec Scriptura. Confir. Scriptura in multis est obscura: ergo debet assignari alia regula sensum ejus verum et legitimum eruendi.

Prob. secunda pars. 1. Regula discernendi revelata a non revelatis debet esse certa et non dubia: atqui Spiritus Dei unicuique afflatus non est certus, sed dubius: Calvinistae enim negant esse in Lutheranis, Lutherani in Calvinistis, utrique in Catholicis. 2. Regula sufficiens discernendi revelata a non revelatis debet posse dirimere controversias in hac materia; atqui privatus spiritus cujusque non solum non potest controversias circa revelata et non revelata dirimere, sed e contra ex eo nata sunt sequi continuo schismata et dissensiones, non secus ac si in civilibus unusquisque constitueretur judex in propria causa; dicat enim Calvinista ex suo privato spiritu hunc articulum esse revelatum, negabit Lutheranus, negabit et Catholicus ex suo pariter privato spiritu. Quis dirimet controversiam? quis poterit alterum instruere et convincere? Et hinc tot sectae sibi contrariae inter ipsos Haereticos. 3. Hic non agitur de revelatione privata, quam Deus extraordinarie potest alicui privato facere, sicut fecit olim primis Parentibus, Patriarchis, Prophetis, et Apostolis, in quo casu lumen interius datum, vel ipsa immediata revelatio foret regula discernendi credendum; sed agitur de revelatione communi toti societati fidelium, ideoque propositio debet esse communis et non privata. De hac utraque parte plura vide Tract. de locis theolog. Diss. 3. art. 5.

Tertia pars sequitur ex dictis, et probatur tum ex notis Ecclesiae et motivis credibilitatis, de quibus infra, tum ex Scripturis, ex quibus habemus Ecclesiam esse a Spiritu sancto directam et infallibilem. Matth. 16. *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* 1. Timoth. 3. dicitur *Columna et firmamentum veritatis.* Matth. 28. *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

Unum habent, quod opponant Haeretici, nempe nos committere circulum in fidei nostrae resolutione; nam, inquiunt, credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiae, et credimus auctoritatem Ecclesiae propter revelationem. R. 1. nos credere auctoritatem Ecclesiae, non solum propter revelationem, sed etiam et primario propter notas ipsius Ecclesiae et motiva credibilitatis: unde ex hac parte nullus est circulus. 2. Etsi credamus auctoritatem Ecclesiae propter revelationem, non sub eadem ratione, sub qua credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiae, sed sub diversa. Credimus revelationem propter auctoritatem Ecclesiae, ut applicantis ipsam revelationem: credimus autem auctoritatem Ecclesiae propter revelationem seu veracitatem divinam, tamquam propter motivum formale assensus, et sic in diverso genere causae; ordinarium autem est, quod causae sint sibi invicem causae in diverso genere: sic ignis pendet ab applicatione tamquam a conditione, ut comburat, et applicatio a virtute combustiva ignis tamquam a causa efficiente: ex quo patet circulum nostrum ex hac parte esse materialem tantum et non formalem nec vitiosum de cujus ratione est, quod sit ab uno ad aliud vicissim, sub eadem ratione.

Haec duplex responsio familiari et vulgari exemplo nuntii deferentis litteras Regis solet explicari. Quando non est certa nuntii veracitas, inquiruntur ejus indicia: ubi de illa constat, acceptantur litterae Regis propter veracitatem nuntii: at contentis in litteris Regis creditur, non propter veracitatem nuntii, sed propter veracitatem Regis, et si in litteris Regis asseratur veracitas nuntii, ea firmatur, atque magis creditur propter veracitatem Regis. Applica casui. Eccle-

sia proponit hoc et istud esse a Deo revelatum : de veracitate, et infallibilitate Ecclesiae nobis constat ex ejus notis atque motivis credibilitatis, ob quam acceptatur, et creditur haec esse in Scripturis vel traditione revelata; ipsis autem revelatis in scriptura vel traditione contentis credimus propter auctoritatem et veracitatem Dei revelantis. Hinc vides notitiam veracitatis Ecclesiae, licet per scripturam firmetur, ab ea tamen non pendere necessario : nascente enim Ecclesia non erat Scriptura, et tamen nota et certa erat veracitas Ecclesiae; sed primitus habetur ex ejus notis et motivis credibilitatis, licet per Scripturam confirmari non diffiteamur, sicque ex una parte nullum esse circulum, et ex alia non esse circulum formalem et vitiosum, in quo reditur ad idem sub eadem ratione, sicut e contra contingit in ipso spiritu privato Haereticorum; dicunt enim se scire hanc Scripturam esse veram, quia id ipsis dictat spiritus privatus, et dicunt se scire se habere spiritum privatum, quia id dicit Scriptura.

Inst. Juxta hanc solutionem sequitur, quod certitudo fidei nostrae non sit summa et divina. Probatur illatio; pendet tamquam ab antecedente a veracitate Ecclesiae, quae primitus habetur tantum ex notis et motivis credibilitatis : atqui certitudo consequentis mensuratur, et sumitur ex certitudine antecedentis: ergo. R. N. illationem. Ad probat. D. min. Certitudo consequentis mensuratur, et sumitur ex certitudine antecedentis in notitia discursiva, C. Sic certitudo conclusionis desumitur, et mensuratur ex certitudine antecedentis, ex quo cruitur. In notitia simplici, qualis est notitia fidei, N. Patet in ipsa notitia principiorum, quae est simplex; principia enim non probantur : quamvis magister plura praemittat praeambula, exempla, paritates, suppositiones et alia, ut ea discipulis exponat; iis semel expositis et notis, intellectus certo assentitur, quamvis praeambula non fuerint certa, sed tantum quandoque probabilia, quandoque falsa, neque enim propter illa assentitur principiis, sed propter spectatam eorum veritatem. Similiter in casu : praecedit propositio Ecclesiae tamquam praeambulum explicans, quid sit revelatum; hoc semel explicato et supposito, intellectus assentitur revelato, non propter Ecclesiam proponentem, id enim est quid extrinsecum assensui fidei, sed propter veracitatem Dei revelantis, sicut dicebamus superius assensum praeberi contentis in litteris Regis, non propter veracitatem nuntii sed Regis.

Urgebis. Cum Ecclesia omnibus proponat revelata, quare ergo unus credit, et non alter? R. 1. quia non obstante revelationis propositione per Ecclesiam, res revelatae remanent obscurae, unde requiritur pia motio voluntatis, applicans intellectum assensui 2. quia plures non satis attendunt ad notas Ecclesiae proponentis, et motiva credibilitatis. In dijudicandis enim certo notis Ecclesiae, et motivis credibilitatis ultra lumen naturale requiritur aliud supernaturale, cui plures claudunt mentis oculos.

Ex dictis exurgit difficultas practica, quomodo salvetur fides in Pueris, et rudibus, qui plerumque credunt ob dictum Pastoris, aut Parentum, vel quia alii credunt, parati aliud credere, si ab aliis crederetur. Resp. quod si ita sit, eorum fides non sit divina, ad idque sedulo debent attendere Parochi, et Confessarii, ne formulas fidei, spei, et charitatis recitent more Psittacorum, significationem terminorum non apprehendentes. Non statim tamen sunt damnandi, tamquam vera fide carentes, qui interrogati de motivis fidei, ex ingenii tarditate non respondeant explicite se credere propter auctoritatem Dei revelantis, et Ecclesiae propositionem, si enim respondeant aliquid ista virtualiter continens puta se credere, ut salvi fiant, quia ista est vera fides, quia Deus jubet ita credi, et hoc se scire, quia Pastores ita docent, et reliqui fidelium tenent, aut quid simile, praesertim si christiane vivant, fideique ita inhaereant, ut pro illa mori non dubitarent, videntur habere fidem divinam. Adde quod Deus possit sup-

plere per lumen interius quaedam, quae desunt ex parte Ecclesiae proponentis, ut contingit apud infideles, qui credunt Missionariis praedicantibus, quamvis non videant motiva credibilitatis sicut nos. Caeterum meminerint Pastores non solum exigere a Pueris formulas fidei, sed insistere, et saepius interrogare cur credant. Idem de spe, Charitate, Contritione etc.

Petes utrum revelationes privatae pertineant ad Fidem? R. Revelationes privatae de rebus, quae ordinantur ad Deum, ut Auctorem supernaturalem pertinent ad fidem, ut est virtus theologica, non ut est catholica. 1. pars patet: ad rationem enim fidei, ut est virtus theologica, requiritur tantum, quod habeat Deum pro objecto *formali quod*, et veracitatem Dei revelantis pro objecto *formali quo*, quod hic reperitur; propositio autem Ecclesiae est extrinseca, et accidentalis fidei, ut est virtus theologica, ut patet in Angelis in via, primis Parentibus, Patriarchis, Prophetis, et Apostolis. 2. partis ratio est quia fides catholica versatur tantum circa veritates communes toti Ecclesiae et per Ecclesiam proponendas. Unde si Deus alicui revelaret aliquid spectans religionem, iste privatus teneretur credere, non alii, etsi juraret, id sibi esse revelatum, quia non proponeretur ab Ecclesia, quae est Catholicis regula discernendi revelata.

[Quamvis objectiones, quae ab haereticis afferuntur pro defensione Spiritus privati ut plurimum dilutae sint in Diss. de Ecclesia, ad majorem tamen hujus tantae controversiae dilucidationem nonnullas alias adjiciendas hic arbitramur

Obj. itaque Doederlein. Non diffitemur sensum scripturae rudi cuilibet, et indocto homini non esse apertum, verum quae illorum negligentiam superant, haec assequi possunt alios doctiores consulendo. Sic quippe Spiritus S. se habet, ut supremus Legislator, scriptura ut lex publica; Ecclesia vero interpretans, ut subordinati Judices. Resp. Si per Ecclesiam intelligatur, quae sola vera est, sola docendi auctoritate, et infallibilitatis dono insignita, omnes catholici huic sententiae subscribunt; Sed qua ratione in hac sententia potest dici controversiarum Judex Scriptura, aut etiam docti, ad quos indocti remittuntur? si autem per Ecclesiam intelligatur (prout revera intelligitur) auctoritas Theologorum, et Ministrorum Protestantium, unde Populus Christianus habebit quod possit eum reddere securum in re gravissimi momenti, cum et ipsi Ministri, an, et quid credere debeant ignorent? In aperto est Protestantium Doctores libertatem populo praedicasse, ut in locum legitimae auctoritatis suam usurpatam sufficerent. Quid igitur veri habebitur ex doctrina recentiorum Protestantium, quos novimus Naturalismo, quam Deismo propiores? Illudunt certe isti infelici populo, qui eos sequitur, illudunt Religioni, illudunt Scripturae sacrae, quam non amplius ut divinam venerantur, sed qua pro effrenata luxuriantis ingenii libidine abutuntur.

Obj. 2. Si Ecclesia est judex fidei; Ergo est supra fidem; Et si illius est sensum Scripturae interpretari; Ergo et supra Scripturam erit; Judex enim est supra illos quos judicat. Sed hoc dicere impium est. Ergo. R. N. maj. Ecclesia nec fidem judicat, nec Scripturam, sed de Hominum circa fidem, et Scripturam sententiis. Sic Judex, qui dirimit litem, legem non judicat, sed secundum eam inter litigantes sententiam dicit.

Obj. 3. Si Ecclesiae judicium requiritur, ut quae fide divina credenda sunt innotescat, ejus sententia erit expectanda, ut certum fiat dogma aliquod ad fidem pertinere, unde fideles nequidem Divinitatem Christi fide divina credere potuissent ante Concil. Nicaenum. Quis autem Christianus haec ferat? R. Confundit hoc argumentum definitionem datam ab Ecclesia in articulis fidei controversis cum generali, et publico Ecclesiae consensu. Ad fidem divinam pertinet quidquid certa, et infallibili ratione scitur in verbo Dei esse contentum. Illud autem innotescit tum ex constanti sensu, et doctrina Ecclesiae; tum ubi

haec videtur (obortis novis erroribus) obnubilata, per decretorium Ecclesiae judicium. Ex his, quae in locis theologicis dicta sunt, sequitur ad fidem catholicam pertinere, quidquid est revelatum in Verbo Dei, et propositum omnibus ab Ecclesia, fide divina credendum. *Neque refert* (addit Veronius) *an illa propositio emanet ex Concilio aliquo universali, ex ejus decreto, et definitione, aut ex sensu fidelium.* An dogma divinitatis Christi non fuerat ante Concilium Nicaenum omnibus ab Ecclesia propositum fide divina credendum, cum contra illud impugnantes totus orbis catholicus insurrexerit?

Obj. 4. Falso contendunt Catholici, viam, quam ipsi ingrediuntur, faciliorem esse, et tutiorem. Ergo. Pr. Ant. Ut Catholicus securus esse possit in sua fide, scire debet 1. an Ecclesia sit infallibilis 2. an Ecclesia Romano-catholica sit vera Christi Ecclesia. 3. quodnam sit infallibilitatis subjectum 4. quid doceat haec infallibilis Ecclesia, an ejus decisiones omnes conditiones habeant, ad legitimum judicium requisitas, quis sit genuinus hujus judicii sensus, et alia pene multa. Atqui haec discutere multo difficilius est, quam via examinis veritatem dogmatum investigare. Ergo. R. N. Ant. Ad prob. resp. 1. N. Min. Etiamsi haec omnia examinanda forent catholico, maximum adhuc discrimen esset inter ejusmodi discussionem, et examen singulorum dogmatum, ut patet. R. 2. N. Maj. Si Catholico semel persuasum sit, se esse in vera Christi Ecclesia, statim intelliget, se, illam ducem sequendo, a veritate aberrare non posse. Argumenta autem quae Ecclesiae divinam originem, et infallibilitatem probant, obvia sunt, et ad convincendos etiam indoctorum animos accommodata. Sed (inquiunt Protestantes) nondum constitutum est inter Catholicos, quod sit subjectum infallibilitatis, multum enim disputant Theologi circa Romani Pontificis in fidei quaestionibus auctoritatem; sed facile respondetur neminem esse inter Catholicos, qui nesciat, supremam potestatem judicandi in rebus fidei, in Ecclesia docente, seu in corpore Pastorum residere. Sufficit illi haec certa, et ab omni erroris periculo tuta regula, quin ea, quae non sunt inter omnes finita, anxie quaerat. Neque necesse est, ut ipse Ecclesiae decreta examinet, eorumque sensum scrutetur; omnibus enim difficultatibus expeditur hoc ipso, quod sciat, se Pastorum suorum vocem audiendo, doctrinam sequi totius Ecclesiae, quod facillimum est judicare; scire enim facile potest, an Episcopus, quem Pastorem sequitur, cum aliis orbis Episcopis, et imprimis cum supremo Ecclesiae Capite communione jungatur; porro notum est etiam Idiotis inter Catholicos, hanc communionem sine fidei unitate non posse consistere.]

Articulus III.

Utrum fidei possit subesse falsum?

Quaestionis sensus est duplex. Primus, an Deus possit revelare falsum, seu mentiri? Quamvis enim mentiri, et dicere falsum distinguantur in Deo, tamen, quia omnia scit, unum necessario sequitur ex alio. Secundus: an quis possit ex fide divina elicere assensum falsum, seu credere aliquid esse verum, et a Deo revelatum, quod non est verum, nec a Deo revelatum?

Dico. Deus non potest absolute mentiri, seu dicere falsum, juxta illud Apostoli Hebrae. 6. *Impossibile est mentiri Deum.* Prob. Est absolute impossibile primam et essentialem veritatem mentiri: atqui Deus est prima et essentialis veritas: ergo. Prob. maj. Mentiri est deficere a veritate: atqui implicat primam et essentialem veritatem a veritate deficere, alias deficeret a seipsa, sicque non esset prima essentialis, et indeficiens veritas. Confir. 1. Si Deus posset absolute mentiri, tota fides nostra nutaret; unde enim sciremus non mentitum fuisse? ex

revelatione? sed de hac revelatione foret eadem difficultas, idem dubium, an non mentiatur? Confir. 2. Mendacium est intrinsece malum et peccatum: ergo non potest esse absolute a Deo. Ex his sequitur Deum nec per alium posse mentiri, quia pariter mendacium in ipsum refunderetur, et pariter fides nostra nutaret, quae in Nobis est a Deo per Ministerium Prophetarum, Apostolorum, et Evangelistarum. Insuper vel Minister, per quem Deus mentiretur referret, quod Deus immediate ipsi dixisset, et tunc Deus per se mentiretur, vel aliud, et tunc mentiretur Minister, non Deus per illum.

Dico 2. Fidei non potest subesse falsum ex parte credentis, id est fides non potest inclinare ad assensum falsum, nec illum elicere. Prob. 1. Nihil subest alicui potentiae vel habitui, aut etiam actui, nisi mediante ratione formali sui objecti; sicut color non potest videri nisi per lucem, neque conclusio fieri potest, nisi per medium demostrationis: atqui ratio formalis fidei est prima veritas in dicendo, quae, ut modo dicebamus non potest revelare falsum: ergo. 2. Virtus intellectualis non potest esse principium assensus falsi, sicut virtus appetitus rationalis non potest esse principium actus vitiosi: atqui fides est virtus intellectualis: ergo. Prob. maj. Omnis virtus est bona dispositio ac perfectio in ordine ad suum objectum: atqui objectum intellectus est verum: ergo.

Contra primam conclusionem opponi possent quaedam apparentia mendacia, quae referuntur in Scripturis. Verum ea abunde soluta habes in majori nostro opere, Tract. de Relig. dissert. 9. a. 2. ubi de restrictionibus mentalibus.

Obj. itaque cont. 2. conclus. Ex majori de fide, et minori falsa sequitur conclusio falsa. Atqui assensus conclusionis procedit ex ambabus praemissis. Ergo praemissa de fide influit in assensum falsum. R. quod falsa conclusio in hujusmodi syllogismo non causetur a propositione Fidei, sed a propositione naturali falsa et a mala applicatione Syllogizantis, qui detorquet propositionem fide certam ad malam conclusionem: Verum enim non potest esse principium nisi veri, quod si ex eo deducatur falsum, hoc est contra ipsius naturam, et provenit ex mala applicatione discurrentis.

Articulus IV.

De obscuritate in objecto fidei et evidentia in attestante.

Petes 1. Utrum objectum fidei sit necessario obscurum et inevidens? R. affirmative. Prob. 1. ex Apostolo Hebr. 11. dicente quod fides sit *Argumentum non apparentium*, et ex Aug. tract. 40. in Joan. *Fides est credere, quod non vides.* Probat. 2. ratione. Illa dicuntur videri, quae per seipsa movent intellectum vel sensum ad sui cognitionem, ut sunt prima principia et conclusiones ex ipsis evidenter deductae, vel sensibilia sensibus debite proposita: atqui objectum fidei non potest per se movere intellectum aut sensum ad sui cognitionem cum non sit ad instar primorum principiorum, quae ex ipsis terminis innotescunt; neque ad instar conclusionis, quae ex principiis per evidentem consequentiam deducitur; neque aliquid sensibile, quod sensibus percipiatur: ergo.

Petes 2. Quomodo obscuritas se habeat ad objectum fidei? R. Obscuritas in objecto fidei non pertinet ad rationem formalem sub qua fidei, sed est tantum conditio sine qua non. Prob. Ratio formalis sub qua fidei est motivum et ratio assentiendi rebus, quae creduntur: atqui motivum et ratio, cur assentiamur rebus fidei, est prima veritas in dicendo, ut diximus superius, non obscuritas; non enim credo Deum esse trinum, quia non video, sed quia Deus, qui verax est, revelavit; sicut non credo Romam existere, quia non video, sed quia fide dignus mihi dixit: ergo. Restat itaque, quod obscuritas seu inevidentia re-

quiratur ad objectum fidei, sicut approximatio ignis ad comburendum, existentia causae ad causandum, apprehensio finis ad movendum voluntatem.

Petes 3. Utrum saltem evidentia in attestante sit compossibilis cum fide? Per evidentiam in attestante intelligimus evidentiam, non Dei revelantis, neque rei revelatae, sed ipsius revelationis, ita quod mihi clare constat, quod sit a Deo, licet neque Deus, neque res revelata mihi sit evidens. Haec autem evidentia potest considerari dupliciter. 1. Solitarie sine aliquo adjuncto. 2. Conjuncta cum hac duplici cognitione pariter evidente, quod Deus non possit absolute dicere falsum, et quod loquatur in sensu naturali, non metaphorico. Suppono evidentiam in attestante solitarie sumptam stare posse cum fide, quia quantumvis sit mihi evidens Deum aliquid revelare, si tamen non sit evidens, quod non possit dicere falsum, aut quod non loquatur in sensu litterali, non erit mihi evidens ita esse, sicut Deus dicit, sicque remanebit locus fidei. Unde quaestio est de evidentia in attestante cum duplici cognitione dicta.

R. Evidentia in attestante cum suis adjunctis est compossibilis cum fide. Prob. Illud fide credimus, cui in seipso ignoto assentimur propter solam auctoritatem Dei attestantis; in hoc enim distinguitur fides a scientia et visione: atqui evidentia in attestante cum suis adjunctis relinquit rem revelatam in se ignotam; non enim demonstrat connexionem praedicati cum subjecto, sed tantum esse evidenter revelatam, et ut talem esse certam: ergo.

Articulus V.

Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia?

Dico. Mysteria fidei nostrae sunt evidenter credibilia, juxta illud Psalm. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Prob. 1. Illud est evidenter credibile, evidentia scilicet non metaphysica, sed morali excludente rationabile dubium, quod idoneis testibus, signis, et aliis argumentis extrinsecis probatur: atqui sunt hujusmodi mysteria fidei nostrae: ergo. Min. patebit ex motivis credibilitatis infra exponendis. Maj. etiam constat; credibilitas enim non sumitur sicut veritas ab intrinseco ex connexione praedicati cum subjecto, seu ab eo quod res est, sed ab argumentis extrinsecis, scilicet testimoniis, signis, etc. Sic ex hoc, quod in judicio testes idonei aliquid affirment, habetur evidentia, non quod ita sit, possunt enim mentiri, sed quod sit ita credibile, et judicabile absque rationabili alterius partis formidine. 2. Nihil est scibile sine evidentia scibilitatis, nec probabile sine evidentia probabilitatis: ergo nec credibile sine evidentia credibilitatis. 3. Assensus fidei debet esse prudens; est enim actus virtutis, et prudentia dictat non esse credendum, nisi quod est credibile: *Qui cnim cito*, id est temere, *credit levis est corde.* Eccli. 19. Atqui jubemur credere firmissime mysteria fidei: ergo supponuntur evidenter credibilia, seu fide digna.

Obj. 1. Quod est evidenter credibile, est evidenter verum, atqui Mysteria fidei non sunt evidenter vera. Ergo. R. N. Maj. Veritas enim petitur ab intrinseco, seu ab eo, quod res est, credibilitas autem a testimoniis, et motivis extrinsecis.

Inst. Quod est evidenter credibile, est evidenter possibile. Sed in divinis idem est esse possibile, et verum. Ergo. R. N. Maj., quia possibilitas sicut veritas petitur ab intrinseco, unde aliquando contingit, quod falsa sint credibiliora, et probabiliora veris.

Inst. quod est evidenter impossibile est evidenter incredibile. Ergo quod est evidenter credibile, est evidenter possibile. Valet consequentia ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis. R. N. Conseq., et ejus probationem. Hoc enim argumentum

non est ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: 1. Quia tam consequens quam id, quod effertur ut ejus oppositum, est affirmativum: oppositarum autem enunciationum una debet esse affirmativa, altera negativa. 2. Propter hanc particulam evidenter, ratione cujus utrumque de eadem re negari potest, scilicet quod sit evidenter possibilis, et evidenter impossibilis, evidenter credibilis, et evidenter incredibilis. Sic itaque deberet formari argumentum: *Quod est evidenter impossibile: est evidenter incredibile. Ergo quod non est evidenter incredibile, non est evidenter impossibile.* Quod admittimus.

Obj 2. Si mysteria Fidei essent evidenter credibilia, omnes, quibus aequaliter proponerentur, crederent. Falsum consequens. Ergo. R. N. sequelam, tum quia non omnes ad illa debite attendunt, sed vel ex pravitate affectus, vel ex incuria salutis, vel propter difficultatem credendorum in particulari, ab eorum examine intellectum amovent, tum quia ponunt obicem interiori illustrationi, ut jam alibi diximus.

[Obj 3. Mysteria fidei sunt rationi opposita. Ergo. Pr. Ant. 1. Non possunt per rationem intelligi. 2. nullam habent cum ratione convenientiam; 3. Possunt oppugnari argumentis, quae ratione dissolvi nequeunt. Ergo. R. Dist. Ant. Mysteria fidei sunt rationi opposita apparenter C. vere, ac realiter N. Vera, et realis oppositio dari non potest nisi inter res ejusdem ordinis, quarum una directe excludit alteram; Ratio autem nostra concluditur intra res naturae, et objecta fidei sunt supra naturam; non potest ergo inter eas esse oppositio vera, qua se invicem excludant, sed tantum in hoc, quod inter ideas rationis nulla veritates fidei vel clare repraesentet, vel etiam evidenter excludat, quae oppositio est mere apparens. Qua de re notandum est, aliud esse, quod aliquid sit supra rationem, hoc est quod per ideas rationis nec intelligatur, nec intelligi possit, sive quod excedat, et superet captum nostrae rationis; aliud quod sit contra rationem, scilicet quod per ideas rationis evidenter excludatur, quae exclusio omnimode requireretur ad veram, et realem oppositionem. Generatim vero aliter se res habet inter mysteria fidei, et rationem. Haec ea non capit, unde licet sint supra, non sunt tamen contra rationem, nec pro falsis a ratione haberi possunt.

Ad primam prob. Dist. Mysteria non possunt per rationem intelligi *quid sint, et quomodo sint* C., *quod sint, et reale objectum habeant* N. In rebus enim quoque naturalibus plurima sunt, quorum intrinsecum subsistendi modum minime cognoscimus, et tamen certi sumus, quod revera existant. Deus autem ens infinitum tam in sua essentia, quam in singulis suis attributis, infinita comprehendit de seipso, quorum rationem intrinsecam tam essendi, quam existendi mens humana finita percipere non potest, indeque infinitae pariter sunt veritates de quibus, licet ignoremus quid sint, et quomodo sint, certissimi sumus, quod sint, et existant. Hujusmodi autem veritati, (ait S. Th. l. 1. cont. Gent. c. 6.) *cui ratio humana experimentum non praebet, fidem adhibentes non leviter credunt . . . . Haec enim divinae sapientiae secreta, ipsa divina sapientia, quae omnia plenissime novit, dignata est hominibus revelare, quae sui praesentiam, et doctrinae, et inspirationis veritatem, convenientibus argumentis ostendit, dum ad confirmandum ea, quae naturalem cognitionem excedunt, opera visibiliter ostendit, quae totius naturae superant facultatem.*

Ad secundam prob. dist. Mysteria nullam habent cum ratione convenientiam *immediatam* C. *mediatam* N. Non negatur in omni nostra cognitione necessariam esse aliquam convenientiam cum ratione, cum ratio sit medium universale omnium cognitionum, et nihil in nostra mente esse possit, quod non sit aliquo modo ratione perceptum; Potest tamen haec convenientia esse mediata, vel immediata. In illis scilicet rebus, quae in sinu naturae continentur reperitur con-

venientia immediata : In illis vero rebus , quae supra naturam sunt posita, frustra reccurritur ad lumen rationis , et ad convenientiam immediatam , quae nulla est, sed recurredum est ad lumen revelationis, et ad convenientiam mediatam , quae in eo consistit, quod propter infallibilem auctoritatem Dei revelantis cognoscimus multa, quae in ideis rationis proxime non continentur, ipsa tamen ratione certissima esse intelliguntur , cum nihil magis rationi consonum sit , quam ut Deo loquenti omnimoda fides adhiberi debeat.

Ad tertiam probat. dist. Veritates revelatae oppugnari possunt argumentis , quae ratione dissolvi nequent *apparenter* C. *vere*, *et realiter* N. Incredulorum conatibus se opposuere innumeri pene scriptores non solum Catholici, sed etiam Haeretici, eorumque sophismata tam particularia, quam generalia contriverunt. Pro universali responsione sufficiat, quod cum probatum sit, oppositionem inter veritates supernaturales , et ideas rationis non esse nisi apparentem , igitur etiam argumenta , quae ex principiis rationis contra mysteria revelata afferuntur , non sunt vere, et realiter indissolubilia, sed tantum apparenter. Hinc ait S. Th. l. 1. contr. Gent. c. 7. *Quamvis autem praedicta veritas fidei christianae , humanae rationis capacitatem excedat: haec tamen , quae ratio naturalis indita habet, huic veritati contraria esse non possunt.*

Inst. Repugnat Deum , qui est Auctor rationis revelare id , quod ratione non percipitur ; ratio enim est prior quam revelatio. Atqui Mysteria fidei sunt veritates, quae ratione non possunt percipi. Ergo repugnat mysteria fidei a Deo revelari. Ergo nullo pacto sunt credibilia. R. Dist. Maj. Repugnat Deum revelare quod ratione non percipitur, et est rationi contrarium. C. secus N. Deus est auctor rationis et revelationis, et nostro intelligendi modo prior est ratio , quam revelatio : hinc nec recta ratio potest opponi revelationi , nec revelatio evidenti rationi: nec Deus potest revelare , quod est evidenti rationi contrarium, sic enim ipse sibi contradiceret. Potest tamen revelare, quod est supra rationem; sic enim nec sibi contradicit , nec evertit rationem , quam homini indidit , sed eam auget , et perficit , quatenus mediante lumine revelationis eamdem ita elevat, ut etiam multa ex illis , quae sunt supra naturam et extra sphoeram suae naturalis capacitatis percipiat , et cognoscat.]

Petes 1. Quo lumine habeatur cognitio credibilitatis , an supernaturali , an naturali ? R. probabilius haberi lumine naturali adjuto aliquo lumine supernaturali , scilicet illustrationibus actualibus , quibus Deus illuminat intellectum eorum ad percipienda et judicanda ea , quae Dei sunt, et fit, quod intendant iis, quae dicuntur, et praedicantur, sicut Act. 16. *Dominus aperuit cor Lydiae , intendere his, quae dicebantur a Paulo* : quodque in eis observent, et judicent esse divinam credibilitatem, ad quae tamdem sequitur fides.

Petes 2. Utrum , ut aliquis credat, debeat necessario esse ipsi evidens mysteria fidei esse credibilia ? R. affirmative. Patet ex dictis, alioquin enim imprudenter crederet. Attamen non aequalis omnibus est necessaria evidentia : quandoque enim sufficit sola vox praedicantis cum lumine interiori suadente dictorum credibilitatem , ut patet in pueris et rudioribus credentibus dictis a Pastoribus , quos sciunt loqui nomine Ecclesiae , in Indis credentibus Missionariis praedicantibus sine miraculis , in Apostolis sequentibus Christum ad solam ejus vocationem , antequam ejus miracula vidissent.

DISSERTATIO II.

De Motivis credibilitatis Religionis Christianae adversus Incredulos, vulgo Deistas.

Increduli seu Deistae dicuntur, qui Ens supremum seu verum Deum agnoscunt, sed negant eum quidquam revelasse hominibus, ideoque religionem christianam cum suis mysteriis figmentum humanum reputant. Volunt autem in his, quae sive Deum, sive seipsos, sive alios spectant, sola ratione duci, eamque unam in omnibus et veritatis, et vitae regulam ac judicem agnoscunt. Hinc in varias abeunt adinventiones. Quidam censent animam rationalem esse materialem, ideoque negant ejus immortalitatem, et hi dicuntur *Materialistae*; alii animam rationalem spiritualem et immortalem agnoscunt. Quidam negant providentiam divinam circa res humanas, Deumque mala punire, aut bona praemiare: et alii contra sentiunt. Quidam justitiam et injustitiam non nisi verba reputant, summamque regulam in propria utilitate reponunt: alii creaturam rationalem certis officiis erga Deum et aequales secundum dictamen rationis subjiciunt. Nec mirum si sic inter se scindantur, cum enim, ut dixi, unam rationem pro duce et regula habeant, quisque pro nutu suae rationis systema sibi cudit.

Adversus hunc pestilentissimum errorem totius religionis eversivum et his temporibus invalescentem, plurima atque eruditissima prodierunt scripta, quibus varia ejus systemata efficaciter impugnantur, et error penitus profligatur. Verum ego compendio intendens in gratiam studiosae juventutis, rem puto me sufficienter confecisse, si invicte probavero religionem christianam esse divinam, a Deo revelatam atque institutam: hoc enim posito, palam sequitur, omnia quae proponit credenda, ut sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, providentia divina circa res humanas, immortalitas animae, leges morum, peccatum originale, aeternitas poenarum, resurrectio mortuorum, Sacramenta, etc. esse vera, eisque certam et indubitatam fidem esse adhibendam, non obstante eorum incomprehensibilitate; Deus enim nec falli, nec fallere potest, ut concedunt ipsi Deistae, sicque evanescunt omnia istorum figmenta et sophismata. Et cum hi solam rationem audiunt, etiam sola ratione eos impugnabo, exponendo praecipua motiva credibilitatis religionis christianae, quibus nemo, nisi humanae rationis lumen in se extinguat, resistere potest.

Sic ergo argumentor. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc religionem esse veram, a Deo revelatam et institutam, quam 1. Prophetae longe antea praenuntiarunt; 2. quam ejus Auctor et illius cooperatores pariter prophetiis adimpletis et patentissimis miraculis confirmarunt; 3. denique, quae sola virtute divina contra omnes humanae prudentiae leges est nata, adulta, et per orbem universum propagata; atqui haec est religio christiana: ergo. Majorem negare non possunt Deistae, tria enim assignata sunt evidentissima divinitatis argumenta: sola ergo minor est probanda. Unde in ejus probationem sit

Articulus I.

Vaticinia Prophetarum de Religione Christiana et ejus Auctore.

Vaticinia religionis christianae continentur in libris Moysis et aliorum Prophetarum. 1. Deus locutus est Moysi, eique religionem judaicam revelavit, ut

patet Exod. 19. Porro si religio judaica sit vera et revelata: ergo Christus est Messias: ergo religio christiana, quam instituit et cujus religio judaica erat fundamentum, est vera et revelata. 2. In libris Moysis et Prophetarum praenuntiatur Messias, ejus nativitas, locus, tempus nativitatis, vita, doctrina, opera, miracula, passio, mors, resurrectio et alia huc spectantia, vocatio gentium, rejectio Judaeorum, abolitio templi et sacrificii, etc. Atqui haec omnia ad amussim verificata sunt de Jesu Nazareno Auctore legis christianae: ergo ipse est Messias, ergo vera et divina ejus religio.

Prob. min. 1. Noster Christus natus est adempto sceptro a Juda juxta vaticinium Jacob, Genes. 49. Tempore statuto in septuaginta hebdomadibus Danielis, Daniel. c. 9. Ante destructionem secundi templi, ut praedixerant Aggaeus c. 2. et Malachias cap. 3. 2. Natus est in Bethlehem, ut praenuntiatum erat Mich. 5., ex Tribu Juda et familia David. Isa. 11, ex Virgine, Isa. 7. 3. Adventum ejus praecessit, qui pararet vias ejus, Malach. 3. 4. Fecit miracula, ut praedixerat Isa. c. 61. 5. Venditus est 30. argenteis, quibus emptus est ager figuli, ut praedixit Zachar. c. 11. 6. Conspuitur, et caeditur in faciem, Isa. 50. 7. Flagellatus fuit, Psal. 34. et 138. 8. Manus et pedes ejus fuerunt perforati, Psal. 21. 9. Fuit crucifixus inter latrones, Psal. 53. Divisa sunt ejus vestimenta, missa sorte in togam, Psal. 21. Pendens in cruce fuit felle potatus, Psal 68. Eo moriente sol deliquium passus est, Amos c. 8. Resurrexit, Psal. 3. Ascendit in Coelum, Psal. 67. Misit Spiritum sanctum, Joel. 2. 10. Vocavit per Apostolos gentes ad suam religionem, et idololatriam destruxit, ut praedictum erat Genes. 20. 22. et 40. Isa. 2. 19. et 49. Zachar. 13. et alibi. 11. Novum Sacerdotium substituit Levitico, novam legem legi Mosaicae, ac tandem Judaeos rejecit, ut praenuntiatum est passim in Prophetis, Isa. Jerem. Ose, Amos, Mich. Haec omnia latius exposita require in priori nostro opere Tract. de Incarnat. Dissert. 2. a. 3.

Quid ad haec Deista? Dicetne Moysen esse fabulatorem et impostorem, qui falsa et ficta pro veris fraudulenter venditavit Israelitis? Sed contra 1. Moyses eorum, quae narrat, ipsos Israelitas testes oculatos appellat. Narrat plagas Ægypti, Israelitis videntibus innoxias: narrat ipsos transisse incolumes per mare rubrum, Ægyptiis in eo submersis: narrat manna coelitus ipsis datum per 40. annos, per id tempus eorum vestes non fuisse detritas: narrat legem ipsis divinitus datam in monte Sinai inter fulgura et tonitrua: narrat se in eorum sublevamen elicuisse fontem de rupe: Dathan et Abiron, ipsis spectantibus, vivos a terra fuisse absorptos, ut praedixerat; legi durissimae ipsos subjicit, etiam sub poena mortis in certis capitibus: narrat se jussisse occidi per Levitas 25000. hominum propter idololatriam, et plura alia. Si ergo haec omnia falsa sunt, et Moyses pro veris fraudulenter venditavit Israelitis, necesse est Moysen fuisse stultum, qui speraret se posse persuadere Israelitis eos vidisse, quae non viderant, et inde eos legi durissimae subjicere; Israelitas pariter fuisse stultos, qui crederent se vidisse, quae non viderant, et inde se subjicerent legi durissimae 2. In memoriam factorum et prodigiorum, quae narrat Moyses, instituta fuerunt tunc festa et sacrificia, quae etiam nunc scrupulose servantur a Judaeis. Quis autem credat gentem integram instituisse festa et sacrificia pro eventibus sibi non certo notis aut fabulosis, et ea per tot saecula tam religiose observare? 3. Moyses non solum facta et prodigia narrat, sed multa praenuntiat futura, quae ex sola Dei voluntate pendent, et quae fuerunt adimpleta; similiter alii Prophetae: non est autem impostoris nec cujusvis alterius hominis praedicere futura, quae ex sola Dei voluntate pendent.

Repones forte neque Moysen, neque Prophetas umquam extitisse: aut si extiterint, libros, qui ipsis tribuuntur, non esse ipsis proprios, sed post natum

Christianismum ab aliquo impostore fuisse fabricatos. Sed contra 1. Tam certum est extitisse Moysen et Prophetas, et scripsisse ea, quae ipsis tribuuntur, quam certum est extitisse Cyrum, Alexandrum, Caesarem, Ciceronem, Virgilium, et scripta, quae eis tribuuntur, esse ipsis propria. De his autem nullus dubitat propter constantem traditionem, cui nihil opponi potest; ergo nec de illis dubitare licet. Item tam certum est Moysen et Prophetas extitisse, et opera, quae eorum nominibus inscribuntur, esse ab illis scripta, quam certum est extitisse et nunc existere Gentem Judaicam, quae illos ut Prophetas et Sanctos semper coluit, et colit, et eorum scripta ut divina summa diligentia semper custodivit, et custodit. Existere autem et extitisse Gentem Judaicam ante ortum Christianismum universo orbi notum est. 2. Aristaeus, unus ex legatis Ptolemei ad Eleazarum Summum Judaeorum Pontificem, cujus liber extat in Bibliotheca Patrum tom. 7. Joseph et Philo uterque Judaeus referunt vetus Testamentum ex Hebraeo in Graecum fuisse translatum a 70 Interpretibus sub Ptolemeo Rege Ægypti 200. annis ante Christum natum. Item Historici profani, Cicero, Phlegon, Tacitus, Suetonius, Sallustius, Quintus Curtius, mentionem faciunt de lege, templo, et bellis Judaeorum. 3. Qua arte iste impostor potuisset persuadere Judaeis hanc esse historiam et legem suae gentis divinitus traditam, de qua nihil umquam audivissent, quaeque multa illis probrosa continet, et durissima praecipit, atque ab eis obtinere tam scrupulosam hujus legis durissimae observantiam, qualem nunc etiam profitentur? Quisquis sane id tentasset, dubio procul ceu fanaticus a Judaeis habitus fuisset. 4. Si vetus Testamentum sit opus recentis impostoris, idem dicendum erit de novo, cum istud non sit nisi explicatio et adimpletio veteris, Christusque saepe provocat Judaeos ad Moysen et Prophetas veteris Testamenti.

5. Dicant Deistae, quis fuerit iste impostor, cujus conditionis, generis, et religionis? an Judaeus, an Samaritanus, an Christianus? Si Judaeus, nihil obtinuisset a Samaritanis Judaeorum hostibus infensissimis. Similiter si Samaritanus respectu Judaeorum. Insuper neuter inseruisset in his libris, quae nationi Judaicae et Samaritanae adeo sunt ignominiosa, eorum scilicet crimina, ingratitudines, idololatriam, et punitiones. Si Christianus, quomodo a Judaeis et Samaritanis hostibus pariter Christianorum infensissimis acceptus fuisset? Item dicant, quo tempore, quo anno, in qua parte mundi apparuit iste impostor, quos primo decepit, quomodo Judaei, Samaritani, Christiani toto orbe dispersi, statim et simul fuerunt instructi exemplaribus omnium istorum librorum, in omni lingua, Hebraica, Syriaca, Chaldaica, Graeca, prout erant nascente Christianismo. Ad haec obmutescunt Deistae. Agnoscant ergo sua figmenta, et se ipsos prodere impostores, dum ficti impostoris causam agunt.

Maneat itaque inconcussum libros Moysis et Prophetarum esse genuina ipsorum opera; vaticinia, quae continent de religione christiana et ejus auctore, esse divina et revelata; consequenter religionem christianam esse veram, divinam, et revelatam; nullum quippe est efficacius argumentum veritatis alicujus doctrinae, quam vaticinia de illius auctore et veritate, siquidem nullus nisi Deus, aut divino Spiritu afflatus possit diu ante futura contingentia, quae ex sola Dei voluntate pendent, cum omnibus suis circumstantiis praedicere, juxta illud Isa. 41. *Annuntiate, quae ventura sunt, et sciemus, quia Dii estis.*

Si opponas Paganismum etiam habuisse sua oracula. R. 1. Nulla umquam oracula sive a Sacerdotibus Idolorum, sive a Pythonibus, sive a Daemonibus per idola prodiisse de eventu futuro, qui ex sola Dei voluntate penderet, sicut oracula Christianismi; sed fuisse vel de eventibus recentibus alibi jam peractis, aut quae ipsi facturi erant, vel de futuris naturalibus, quae ex circumstantiis conjecturaliter praenuntiabant, et ideo de illis ipse Cicero l. 2. de Divinit. di-

cit, quod erant *partim falsa*, *partim casu vera*. 2. Oracula, quae futurum spectabant, erant ambigua, ita ut, quidquid evenisset, verificarentur. Tale fuit oraculum Apollinis Delphici datum Croeso Regi Lydiae, quod *si transiret flumen Halys, magna regna perdet* : an sua, an aliena, hoc restabat divinandum. Item istud ejusdem Apollinis datum Pyrrho consulenti de eventu belli contra Romanos : *Aio te Æacida Romanos vincere posse*, quod aeque significat Graecos posse vinci a Romanis, ac Romanos posse vinci a Graecis. 3. Haec Paganismi oracula cessarunt nascente Christo et proficiente Christianismo. Suidas verbo Augustus, Suetonius in Octavio, Nicephorus *l.* 1. *c.* 17. referunt Apollinem Delphicum, postquam diu mutus mansisset, tandem Caesari Augusto ipsum consulenti coactum fuisse respondere sic :

Me puer Hebraeus, divos Deus ipse gubernans
Cedere sede jubet, tristemque redire sub orcum :
Aris ergo dehinc tacitus decedito nostris.

Notum est Apollinem Daphniticum in suburbio Antiochiae diu pariter obmutuisse non obstantibus sacrificiis iteratis Juliani Apostatae, ac tamdem illi respondisse causam sui silentii esse quosdam mortuos in vicino loco sepultos : hi autem erant SS. Martyres, inter quos S. Babylas. Tertullianus in Apolog. affirmat quemlibet Christianum primo occurrentem posse reddere Daemones mutos, et eos e corporibus ejicere, provocatque Romanos, ut experimentum faciant, et consentit hunc Christianum morti addici, si deficiat. Pariter Lactant. l. de vera Sap. refert omnem Christianum signo crucis Daemones mutos efficere, et e corporibus expellere.

[Inst. Celeberrima semper fuerunt non solum apud Gentiles, sed etiam apud antiquos Ecclesiae Patres sybillina carmina, quibus multa futura praedicuntur. Habebant insuper Pagani sua oracula. Ergo erant etiam apud ipsos vera vaticinia. R. Quod oracula sybillina jamdiu viluerunt eruditis. Etiamsi tamen admittatur carminum illorum authenticitas, et Sybillarum virginitatem prophetiae dono a Deo muneratam fuisse, ut ait S. Hieronymus contra Jovinian., nihil in illis praesidii reperit incredulitas, cum in illis multa contineantur antiquae traditionis monumenta, multa de Christo, ejusque religione vaticinia ; ut videri potest in Opere majori Digr. 2. ad calcem Diss. 2. in Tract. de Incarn. Ideo cum laude Sybillarum carmina citarunt SS. Patres, quod in iis magis confirmari viderent religionem, quam infirmari. Quoad caetera vero vaticinia et oracula Paganorum, quamvis non desint, qui omnia fraudibus Sacerdotum attribuant, quorum plurimas decipiendi artes ipse Herodotus refert (*l.* 5. 6. 7. 8.) Theologi tamen communiter censent, illa non omnia humanis artibus esse adscribenda, sed plura etiam a Daemonibus edita fuisse. Unde S. Cyprianus l. de Idol. vanit. sic habet. *Hi ergo Spiritus sub statuis, atque imaginibus delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirant, oracula efficiunt.* Quamvis enim verae prophetiae soli Deo sint propriae, spectata tamen Daemonum intelligentia, et natura, multa scire possunt, et vaticinari, quae hominum admirationem valent excitare. Sic possunt praedicere mala quorum ipsi futuri sunt Auctores, eodem quasi momento manifestare, quae in remota regione fiunt, ex praesentibus quaedam proxime futura conjicere, ut jam est dictum. Quia tamen eventus etiam proxime futuri non raro a libera hominum determinatione, aliarumque rerum concursu dependent, quae ex causis naturalibus certo praevideri non possunt, hinc Daemonum oracula de his eventibus, partim falsa erant partim casu vera, communiter ambigua, et flexiloqua, ut in sensus etiam contrarios trahi possent. Oraculorum falsitatem testatus fuit apud Theodoretum ipse Por-

phyrius inquiens *Multis de rebus interrogati mendaces saepenumero inveniuntur*. Non possunt itaque nisi per summam fatuitatem, et audaciam Ethnicorum oracula nostris prophetiis comparari, quod fecit Celsus, quem Spinosa aliique increduli sequuti sunt. Ostendant ipsi falsitatem aliquam vel minimam in prophetiis nostris, quod nullo modo poterunt perficere; omnia enim Oracula in Christo, et in Ecclesia fuisse completa evidenter demonstratur. Hinc augures, et fatidici apud omnes nationes quidem extiterunt, Prophetae vero nullibi, nisi in Populo Dei.

Obj. 2. Cum Rousseau. Ut prophetia certum veritatis argumentum esse possit, requireretur 1. ut idem qui audivit prophetiam testis quoque esset eventus. 2. ut certum esset non casu evenisse, quod praedictum est; Atqui haec in eadem prophetia non concurrunt. Ergo. R. ad 1. hac philosophandi ratione nihil credi posse ab aliis factum, nihil dictum, nisi quod propris auribus audiatur. Nulla ergo erit amplius fides historica, nulla certitudo. Insuper quamvis quae Rousseau exigit non reperiantur conjuncta in omni prophetia, in multis tamen casibus evenit. Sic resurrectio Christi praedicta fuerat Apostolis, qui eum postea vivum propriis oculis viderunt. Ad 2. resp. non hic agi de uno aut altero facto per verba ambigua praedicto, vel de uno aut altero vaticinio per conjecturas, causasve naturales praenunciato, sed de Prophetis, quorum alii aliis per plura saecula successere, qui quamvis inter se aetate, regionibus, et moribus dissiti, mirifice convenerunt in praenunciandis eventibus non modo liberis et contingentibus, sed a Deo unice pendentibus, quorum praedixere loca, tempora, singularesque etiam minimas circumstantias, ut superius jam vidimus. Quis autem adeo insipiens omnia dixerit fortuito respondisse oraculis adeo manifestis?

Obj. 3. Vaticinia non sunt solius Dei opus, si detur naturalis vaticinandi facultas. Atqui dari hanc facultatem insignes Philosophi docuerunt, ut Aristoteles, Plutarchus etc. Ergo. R. N. Min. Illa gentilium testimonia nihil aliud probant, quam communem omnium persuasionem, divinationem existere, cujus cum veram originem non cognoscerent, ad incertas ejusmodi suppositiones confugerunt. Neque enim potest, aut ex ratione, aut ab experientia aliquod afferri argumentum, quo haec opinio probetur. Loquimur de prophetiis proprie dictis, non de praesentionibus quibusdam, ex causis naturalibus ortis, quarum rationes sufficientes in praesentibus, aut praeteritis jam continentur.

Obj. 4. Ex eventu non potest dijudicari prophetia 1. Si eventu compleri potest quin sit vera ut Deut. 13 dicitur: *Si surrexerit in medio tui Propheta et praedixerit signum, atque portentum, et evenerit quod locutus est, et dixerit tibi: Eamus, et sequamur Deos alienos . . . . non audies verba Prophetae hujus.* 2. Si eventus non semper sequatur prophetiam, Dei nomine factam: Ut Isaias praedixit Ezechiae mortem in crastinum futuram, Jonas Ninivae subversionem. 3. Eventus, nonnisi post longum tempus praenunciatum, non potest esse veritatis argumentum; quod in innumeris prophetiis contigit. Ergo. R. ad 1. Cum prophetia, quae certae veritati repugnat, necessario sit falsa, sequitur, illam, de qua agitur in Deuteronomio, non posse haberi veram, et propriam prophetiam. Alii interpretes putant, ea verba hypothesin impossibilem continere ad rem fortius exprimendam, quae hypotheses in vulgari sermone non raro adhibentur. Ut Apost ad Gal. 1. *Licet Angelus de Coelo evangelizet Vobis, anathema sit.* Demum nihil impedit verba illa intelligere de Propheta, qui cum veras edidisset prophetias, postmodum in idololatriam lapsus, auctoritate sua abuteretur ad fidem populi corrumpendam

Resp. ad 2. Illae praedictiones non erant vaticinia in confirmationem alicujus doctrinae edita, sed comminationes factae, quae ut plurimum erant conditionatae. Ad 3. Prophetia, longo post tempore complenda, non poterat esse

veritatis argumentum his, qui tempore Prophetae vivebant, sed iis, qui eventum viderunt. Sic prophetiae de Messia nihil probabant Judaeis viventibus tempore Isajae, et Jeremiae, sed iis, qui tempore Messiae ex prophetiis convincendi erant. Insuper Prophetae semper res etiam proxime futuras praedicebant, ut priorum prophetiarum eventibus fidem conciliarent posterioribus.

Obj. 5. Vaticinia, quae extremam Judaeorum cladem praenunciant, multa continent, quae in Urbis Jerosolymitanae excidio impleta non sunt. Ergo nihil probant. Reps. Sermonem esse in objectione de vaticinio quod Matt. 24, Marc. 13, et Luc. 21 legitur, in quo juxta communem Interpretum sententiam Christus simul de Mundi consummatione loquutus est, cujus praeludium exhibent extremae Gentis judaicae calamitates. Difficile tamen non est inter utramque distinguere, praesertim in serie narrationis, quae a S. Marco refertur 1. De urbis Jerosolymae destructione agitur a v. 1. usque ad 24. 2. De totius Orbis subversione a v. 24. ad 27. Utroque eventu praenuntiato Christus respondet ad hanc Discipulorum interrogationem: *Dic nobis quando ista fient.* Et quidem v. 28. ad primum eventum rediens, tamquam proximum annuntiat v. 30. *Non transibit generatio haec, donec omnia fiant.* Quod autem tempus attinet extremae Mundi consummationis ait v. 32. illud ad occulta Dei judicia pertinere. *De die autem illo, vel hora nemo scit.*]

Articulus II.

Miracula Christi et Apostolorum, item promissiones Christi adimpletae in confirmationem Religionis Christianae.

§. I. *Quaedam quaestiones circa miracula breviter resolvuntur.*

Petes 1. Quid sit miraculum? R. Miraculum est effectus omnipotentiae divinae contra leges communes et supra omnes vires totius naturae, seu ut dicit S. Th. praeter ordinem totius naturae; Unde neque Angeli, neque Daemones, neque ulla quaevis creatura potest propria virtute facere verum miraculum, sed solus Deus, qui cum condendo naturam illi libere leges constituit, sic solus illis potest ad nutum derogare. Neque inde sequitur, quod Deus mutetur, ut stupide fingit Spinosa: non enim mutat voluntatem faciendo miraculum, sed facit in tempore, quod ab aeterno decrevit facere. Quando ergo Angeli vel Sancti dicuntur facere miracula, non est sensus, quod habeant in se virtutem habitualiter permanentem faciendi miracula: cum enim principium operandi miracula se extendat ad omnia quae supernaturaliter fieri possunt, nihil est aliud, quam omnipotentia divina, quae nulli creaturae communicari potest: et aliunde sequeretur, quod possent facere miracula, quando vellent, quod est falsum. Patet ex interrogatione Apostolorum Matth. 17. *Quare nos non potuimus ejicere illum?* scilicet Daemonem. Item Elisaeus non potuit suscitare filium viduae per sui baculi applicationem. Item Paulus petiit a se removeri stimulum carnis, nec obtinuit. Sensus est ergo, quod ad eorum sive postulationem, sive vocem, sive contactum alicujus ad se pertinentis, Deus operetur miraculum, utens iis rebus tamquam instrumentis.

Petes 2. Utrum omnia, quae videntur, aut dicuntur miracula, sint vera et proprie dicta miracula? R. negative. Quaedam enim non sunt vera facta, sed phantastica, quibus ludificatur homo, ut videatur ei aliquid, quod non est. Quaedam sunt quidem vera facta, seu verae res, sed non habent rationem veri miraculi, quatenus fiunt virtute aliquarum causarum naturalium nobis ignota, et ideo non dicuntur miracula simpliciter, sed quoad nos tantum. Haec duo face-

re possunt Daemones et Magi ope Daemonum. Hujusmodi fuerunt miracula Magorum in Aegypto, et erunt miracula Anti-Christi, de quibus Apostolus dicit 2. Thessal. 2., quod ejus adventus erit *secundum operationem Satanae in omni virtute et signis et prodigiis mendacibus*, Solus autem Deus, ut dixi, facit vera miracula, quae omnem totius naturae virtutem superant.

Petes 3. Quomodo dignosci potest aliquod miraculum esse factum virtute divina, et non virtute naturae nobis ignota, ideoque esse verum miraculum? R. triplicem esse regulam. Pro prima suppono esse quosdam effectus, qui communi, et constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis, reputantur superare omnes totius naturae vires et vere miraculosi, qualis est v. g. resurrectio mortui: quovis e loco, quovis tempore resurgat homo vere mortuus, ut erat v. g. Lazarus, nemo est, qui non reputet verum et proprie dictum miraculum: unde illud Caeci nati Joan. 9. *A saeculo non est auditum, quia aperuit quis oculos caeci nati; nisi esset hic a Deo, non poterat facere quidquam.* Hoc supposito, dico; quando est talis effectus, qui communi et constanti sensu omnium hominum cujusvis temporis et nationis censetur miraculosus, certe tenendum est esse verum miraculum; quia hic sensus tam constans et tam universalis omnium hominum cujusvis temporis et nationis, attenta infinita Dei bonitate, sapientia, et veracitate, non potest esse falsus; alioquin Deus, qui est auctor sensus communis et rationis, aut nos deciperet, aut permitteret nos decipi, absque eo quod ullo medio possemus dignoscere errorem, et ab eo liberari, quod repugnat infinitae ejus bonitati, sapientiae, et veracitati, maxime si sit error circa aliquod dogma.

Pro secunda regula suppono vera miracula esse testimonia divina alicujus veritatis inducendae aut confirmandae. Hoc supposito dico: Miraculum factum in nomine Dei creatoris in assertionem alicujus dogmatis, numquam potest esse falsum, nec inducere in errorem. Quia infinitae Dei bonitati, sapientiae, et veracitati repugnat; 1. quod permittat suum nomen interponi ad substituendum falsum miraculum pro vero; 2. quod patiatur suum nomen adduci in testem mendacii, ex quo homines necessario et invincibiliter inducerentur in errorem contra id, quod debent Deo, et est necessarium suae saluti: nihil enim habent homines, quod opponant miraculo facto in nomine Dei creatoris in attestationem alicujus dogmatis.

Tertia regula. Dignoscuntur vera miracula ex doctrina et moribus eorum, qui illa operantur, et ex effectibus singularibus et permanentibus, qui ex his miraculis sequuntur: si nempe qui operantur miracula, tradant doctrinam Deo honorificam, rectae rationi conformem, bonos mores inducentem, et vitae sociali adfaventem: si iidem vitam et mores ad hujus doctrinae normam accurate componant: denique si ex his miraculis sequantur permanenter cultus supremi numinis, eversio cultus Daemonum, reformatio morum conformiter ad rectam rationem, concordia civium et vita socialis; impossibile est enim, quod hujusmodi miracula fiant auctore Daemone in sui perniciem. Haec regula desumpta est ex Origene lib. 2. contra Celsum.

Petes 4. Unde dignosci possit factum miraculosum, quod narratur, non esse suppositum et fabulosum? R. tunc censeri verum et non suppositum. 1. Quando est factum exterius, oculis vel auribus pervium. 2. Quando est factum coram multis videntibus seu audientibus attentis, et omnes facti circumstantias mature perpendentibus. 3. Quando in memoriam hujus facti tunc erecta sunt monumenta publica et onera imposita, quae perdurant; ex his inquam conditionibus simul positis certo eruitur veritas facti.

§. II. *Facta sunt vera miracula in confirmationem Religionis Christianae.*

Jam dixi de miraculis Moysis in confirmationem legis a Deo ipsi traditae, quae erat fundamentum legis evangelicae. Miracula facta a Christo et Apostolis in confirmationem religionis christianae continentur in libris novi Testamenti, scilicet 4. Evangeliis SS. Matth., Marci, Lucae, et Joannis, epistolis SS. Petri, Pauli, Judae, Jacobi, et Joannis, et in Actis Apostolor. a S. Luca scriptis, Tria nobis hic praestanda sunt adversus incredulos. Primum, hos libros esse genuinos Apostolorum, quorum nomina referunt. Secundum, facta, quae narrant, esse vera. Tertium, esse vera miracula.

PRIMUM.

Libri novi Testamenti non sunt supposiii.

Hos libros non esse suppositos sed proprios eorum, quorum nominibus inscribuntur, constat 1. ex fide publica et constanti traditione, quae semper suis auctoribus illos adjudicavit, nemine umquam, sive ex Judaeis, sive ex Paganis, sive ex Haereticis reclamante, quamvis maxime illorum interesset id denegare: hujusmodi autem fidei publicae et constanti traditioni certa fides adhibetur, nisi contrarium evincat peremptoria ratio, quae deest incredulis.

2. Dicant Deistae, si hi libri non sint Apostolorum, quis illos fabricavit, et quo tempore; an viventibus Apostolis, an post illorum mortem? Non ipsis viventibus, alioquin certo contra fraudem reclamassent. Non post mortem: nam extant opera SS. Ignatii, Clementis, Polycarpi, qui cum Apostolis vixerunt, item opera SS. Justini, et Irenaei qui fuerunt discipuli priorum discipulorum Apostolorum, et hi omnes libros novi Testamenti adscribunt Apostolis, et sic omnes deinceps usque ad nos. Item dicant, qua arte iste fabricator potuit persuadere Romanis, Corinthiis, Galatis, Ephesiis, Thessalonicensibus, et Philippensibus epistolas quae nomine S. Pauli inscribuntur, fuisse ab eo scriptas, et ad se directas, de quibus nihil umquam audivissent?

3. Hi libri continent religionem, qua nulla est sublimior, nulla purior, nulla sanctior, nulla austerior, ergo non sunt opus alicujus impostoris. Item continent veritates et mysteria, quae superant captum rationis humanae, et quae proinde ab ipsa attingi et excogitari non potuerunt absque revelatione, ut sunt mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, peccatum originale, resurrectio mortuorum, etc.

SECUNDUM.

Facta, quae narrant, sunt vera.

Constat 1. quia alioquin facile et aperte mendacii argui potuissent. Ea enim narrant in medio Jerosolymae, ubi plurima fuerunt peracta, et paucis post annis ab eorum eventu, ita ut tot testes mendacii habuissent, quot adhuc erant tunc homines a morte Christi superstites. Matthaeus enim scripsit Evangelium novem circiter annis post Christi mortem, deinde caeteri. 2. Quia pro asserenda veritate eorum, quae narrant, mortem oppetiere. Nemo autem est adeo stultus, ut mortem oppetat pro asserendo facto, quod scit esse falsum, nisi aliquid melius post mortem speret; quid autem melius post mortem sperare poterant impostores?

3. Plurima ex his factis agnoverunt vera ipsi christianae religionis hostes, Judaei et Pagani. In primis quotquot ex Judaeis et Paganis amplexi sunt religionem christianam, ea omnia indubie ut vera agnoverunt: hi autem sunt, et fuerunt innumeri ex omni gente et conditione. Suetonius de Imperatore Claudio cap. 44. narrat edicto hujus Imperatoris pulsos fuisse Roma Judaeos; qui sequebantur religionem Christi, quod factum legitur in Actis Apost. c. 18. Tacitus Annal. 15. c. 44. refert Christum subiisse mortem sub Pontio Pilato Judaeae gubernatore, imperante Tiberio, prout refertur in Evangelio. Celsus, quo nullus fuit infensior religionis christianae adversarius, agnoscit Christum sanasse claudos et caecos. En ejus verba apud Orig. qui illum impugnavit, l. 2. cont. Cels. *Credidistis ipsum esse Dei Filium, eo quod claudos et caecos sanavit.* Similiter Julianus Apostata apud Cyrill. l. 6. fatetur Christum sanasse claudos et caecos, et liberasse energumenos. Phlegon, qui florebat in aula Adriani Imperatoris circa medium secundi saeculi, in Hist. Olympiad. l. 13. refert eclipsim solis et terrae motum, qui contigerunt moriente Christo, ut legimus Matth. c. 27. Thallus alter Paganus antiquior Plegone lib. 3. histor. Syriac. narrat hanc eclipsim contigisse anno 18. Imperii Tiberii, quo passus est Christus. Haec duo testimonia Phlegonis et Thalli simul juncta maxime urgebant Origenes, Tertullianus, Minutius Felix, S. Justinus et alii contra Celsum, Porphyrium, et Julianum, qui ad haec obmutescebant.

4. Constat de veritate istorum factorum ex regula §. praecedenti posita. Haec enim facta sunt exteriora oculis et auribus pervia; facta sunt coram multis videntibus vel audientibus, attente et mature omnes circumstantias perpendentibus. Denique in eorum memoriam instituta sunt monumenta publica, scilicet festa solemnia, quae ab exordio usque nunc permanent, et impositae obligationes, scilicet legis evangelicae. Haec autem veritatem factorum asserunt, ut dictum est.

Tertium.

Ista facta sunt vera miracula.

Prob. ex triplici regula §. 1. posita et aliis momentis. 1. Inter illa facta plura sunt, quae juxta constantem et universalem omnium hominum sensum superant vires totius naturae, et habentur pro veris miraculis, ut sunt suscitatio Lazari, et filiae Jair, ipsa Christi resurrectio, multiplicatio 5. panum, quibus satiantur 5. millia hominum, missio Spiritus sancti, subita transmutatio discipulorum in alios viros, donum linguarum et miraculorum eis concessum, etc. Haec, inquam, et similia juxta communem omnium hominum sensum habentur pro veris miraculis, ergo talia sunt: sensus enim communis omnium hominum non potest esse falsus, ut dictum est. 2. Omnia ista miracula facta sunt a Christo et Apostolis in nomine Dei in attestationem dogmatum religionis christianae, ergo non possunt esse falsa, nec inducere in errorem, ut fert secunda, regula.

3. Christus et Apostoli eorumque successores, qui haec miracula patrarunt, tradebant doctrinam Deo dignam, rectae rationi conformem, bonos mores inducentem, et vitae sociali faventem: vitam suam et mores ad hujus doctrinae normam adamussim componebant, et ex eorum miraculis innumeri homines omnium nationum facti sunt, et permanent eorum doctrinae sectatores, eorum vitae imitatores, supremi numinis religiosi cultores, charitate inter se concordes, Daemonum hostes, et victores: impossibile est autem, ut dictum est in

tertia regula, haec miracula facta fuisse auctore Daemone in suae dominationis destructionem.

4. Quotquot ex Judaeis et Paganis religioni christianae nomen dederunt, haec facta ut vera miracula agnoverunt : inter illos autem erant viri maximae eruditionis et perspicacissimi ingenii, ut S. Justinus Martyr, Lactantius, Arnobius, Minutius Felix, Quadratus, Aristides, Melito, Athenagoras, etc. Hi inquam et alii, nonnisi explorata veritate miraculorum per accuratum examen, ut momentum rei exigebat, antiquam religionem sensibus faventem exuerunt, ut novam sensibus plane repugnantem induerent, et pro ea plurimi mortem subirent. Quis porro sanae mentis hujusmodi testibus fidem non adhibeat potius quam hesternis quibusdam incredulis, qui nonnisi ex pravitate cordis, et nulla fulti ratione, miracula nostra impugnant? Adde quod ipsimet Imperatores Pagani veritatem miraculorum Christi agnoverint et venerati sint. His motus Tiberius Christum detulit Senatui, ut numero Deorum adscriberetur, quod abnuit Senatus eo quod non esset Auctor hujus Concilii. Ita refert Tertull. in Apologetico ipsi Senatui Romano oblato. Lampridius Auctor Paganus in vita Alexandri Severi narrat Imperatorem Adrianum plura templa absque idolis erexisse eo animo, ut illa templa Christo consecraret, sed a proposito fuisse deterritum, ne si id faceret, omnia alia templa desererentur, et omnes Christi religionem amplecterentur, prout responderant oracula. Refert iterum idem Lampridius ibid. Alexandrum Severum habuisse in suo Palatio oratorium, in quo Christum adorabat, et illi sacrificia offerebat.

5. Non solum Apostoli miracula Christi ut vera narrant, et se pro eorum veritate asserenda morti et suppliciis offerunt, sed insuper testantur se ab eo accepisse virtutem faciendi vera miracula. Vel ergo fecerunt vera miracula vel non. Si fecerint, nobis sufficit ; si non fecerint, ergo sponte se pro impostoribus palam exhibebant. Quis credat? Nisi supponas illos fuisse omnino mente captos. Omitto innumera alia miracula, quae successores Apostolorum et sancti viri, invocato Dei vel Christi nomine, quovis tempore et ubique fecerunt in confirmationem religionis Christianae. Plurima referunt SS. Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Annales ecclesiastici, et alii probati Auctores. Item nullus declaratur Sanctus, nisi invictissime probetur edidisse vera miracula. Quae omnia si neges nulla stabit vera historia, et omnia inter fabulas erunt recensenda.

6. Denique si quis proterve neget vera miracula in confirmationem religionis christianae, agnoscat omnium miraculorum maximum, quod haec religio, quam art. seq. describemus, absque miraculis totum mundum pervaserit. Ita post Aug. argumentatur Auctor 1. cont. Gent. cap. 6. *Cum constet*, inquit, *Romanum Imperium universumque orbem tot potentibus viris, Philosophis, Oratoribus, refertum, Christi doctrinae ante repugnantem, ad eam postmodum fuisse conversum : quaero an virtute signorum et prodigiorum, ab antiquis ritibus, diuque observata religione, in hanc novam et inauditam sit haec facta mutatio? Si fateberis mundum ad hanc persuasionem tractum fuisse vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit a Deo Auctore miraculorum, et qui facit mirabilia magna solus, religionem hanc processisse : sin autem neges ullis miraculis mundum ad hanc recipiendam fidem fuisse provocatum, negando miracula, ingens miraculum ingeris : quid enim potest dici mirabilius, quam Romanum Imperium, totamque Gentilitatem, religionem, quam tam acriter impugnabant, subvertereque moliebantur, desertis paternis ritibus, nullis visis signis, mirandisque operibus, sponte suscepisse, et in ea retinenda tam constantes fuisse?*

Opponunt Deistae plura miracula facta a Gentilibus, et inde inferunt, non posse probari veritatem religionis christianae ex miraculis. Sic, inquiunt, Ma-

gi in Aegypto virgas suas in serpentes converterunt, et ranas produxerunt : sic Vespasianus sanavit caecum et claudum ; sic Apollonius Tyanaeus, inter plura miracula, resuscitavit puellam mortuam. R. 1. Nego ullum verum miraculum umquam factum fuisse a gentibus : tum quia nullum factum est in nomine Dei creatoris, quod est tessera veri miraculi ; tum quia quae referuntur, non superant vires naturae, aut sunt falsa et supposita. Quantum ad prodigia Magorum Aegypti, plures volunt fuisse tantum ludificationes sensuum. Alii et communius cum S. Th. existimant fuisse quidem veras ranas et veros serpentes, non quos Magi supra omnes virtutes totius naturae produxerint, sed quos ex seminibus in elementis dispersis, applicando virtute naturali activa passivis effecerunt, ut fieri potest in his quae ex putrefactione nascuntur, ut docet S. Th. post Aug. vel aliunde asportatos exhibuerunt, quod videtur probabilius. Sed et qua fronte Deistae audent opponere miranda a Magis in Aegypto peracta veris Moysis miraculis, cum ex eadem Scriptura constet Moysen vicisse Magos, ita ut illius serpens horum serpentes devoraverit, et cum perventum est ad quartum prodigium, steterit iners ars Magorum et coacti fuerint dicere de miraculis Moysis : *Digitus Dei hic est.*

Quae de Vespasiano referuntur, nullo teste sed fama incerta nituntur. Insuper claudus et caecus quos dicitur sanasse, non erant, medicorum judicio, naturaliter insanabiles, ut refert ipse Tacitus Hist. L. 4. n. 81. Quantum ad Apollonium, unus Philostrates centum et amplius annis post Apollonii mortem ejus historiam fabulis refertam scripsit, istamque cujusdam puellae suscitationem ex rumoribus incertis absque ullo testimonio refert, nec constat ex ejus narratione vere mortuam fuisse puellam. Deinde Apollonium habitum fuisse impostorem inde evincitur, quod nullum sectatorem habuerit, nec sectam fecerit.

R. 2. Dato quod Deus, propter causas sibi notas, faceret aliquod miraculum in Paganismo numquam illud faceret in confirmationem idololatriae, id enim repugnat ejus bonitati, sapientiae, et veracitati, ut supra diximus. Miracula vero Christi, Apostolorum, et Successorum facta sunt invocato nomine Dei in confirmationem divinitatis Christi, ejus missionis, et religionis ab ipso institutae.

[Obj. 1. Non possumus esse certi de existentia miraculorum. Ergo miracula frustra afferuntur in confirmationem Christianae Religionis. Prob. Ant. Miracula probanda essent hominum testimonio. Atqui impossibile est, effectus supernaturales hominum testimonio probari. Ergo. R. Dist. min. In quantum supernaturales sunt C., in quantum facta sunt N. Factum ex regulis, quas tradit sana Philosophia de probatione factorum, dijudicandum est, unde testimoniis debet probari. Quod autem hujusmodi effectus sit supernaturalis, ipse sensus communis, et recta ratio ex cognitis naturae legibus deducit.

Inst. Quo factum ex natura sua est minus probabile, eo majus requiritur pondus auctoritatis ad illud probandum : Atqui miraculum, utpote contra ordinem naturae, nullum habet probabilitatis gradum ; Ergo nulla auctoritate potest fieri credibile. Resp. Hoc sophisma varia certitudinis genera confundere. Itaque Dist. Min. Nullum habet certitudinis gradum ex legibus naturae, et experientia. C., ex hominum testimonio. N. Fatemur experientiam, et ordinem naturae miraculo potius obesse. Cum autem non sit impossibile, ordinem naturae a Deo suspendi, tota probatio ex testimonio sumenda est. Neque diffitemur, rem, quo magis est insolita, esse accuratius inquirendam, et non sufficere meras probabilitates, sed proprie dictam certitudinem, quae omne prudens dubium excludat.

Obj. 2. Miracula ab Evangelistis narrata fuerunt eventus mere naturales. Christus enim in Aegypto didicit arcana, et artes magicas, quibus instructus

reversus in Palaestinam, operatus est sanationes mirabiles, quae ab Apostolis tamquam vera miracula per Orbem diffusa sunt. Ergo. R. Neg. Ant., Et non parum ad veritatis commendationem valet, quod increduli, cum Christi miracula impugnant, ad ejusmodi impias ineptias confugere cogantur. Christus fuit in Aegypto usque ad obitum Herodis, qui non diu post caedem Infantium mortuus est, et anno aetatis suae duodecimo cum Parentibus Jerosolymam ascendit ex Civitate Nazareth (Luc. 2. 39). Dicant Deistae, quo aetatis Anno Aegyptiorum arcana didicit Christus? Quae jam dicta sunt, omnem fraudem suspicionis procul amovent; sed et ipsa Christi miracula, si propius examinentur, tales habent caracteres, ut arcanae artes, et consilia decipiendi, supponi in eis non possint. 1. Non unum fecit Christus miraculum, quod forte impostura notari potuisset, sed innumera. 2. Non unius tantum, aut alterius generis effectus stupendos produxit. 3. Non solum miracula edidit, sed Discipulis etiam facultatem ea faciendi concessit, imo et ipsi Judae Iscariotae (Matt. 10.) qui certe fraudem Judaeis revelasset. 4. Fecit miracula publice coram hostibus infensissimis, qui tamen talem calumniam ei inferre non sunt ausi, fatentibus ipsis Pharisaeis (Jo. 11. 47) *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? Si dimittimus eum sic, omnes credent in eum.* Require tract. de Mysteriis Christi diss. 7. a. 1. de Miraculis Christi]

§. III. *Prophetiae et promissiones Christi adimpletae.*

1. Christus promisit se tertia die resurrecturum, Joan. 2. Matth. 20. et alibi, 2. Promisit se post mortem conversurum ad se Gentes, et Judaeos rejecturum, Joan. 12. Matth. 8. et 22. et Luc. 13. 3. Promisit Apostolis se facturum illos Piscatores hominum. Matth. 4. Marc. 1. Luc. 5. Se missurum illis Spiritum sanctum, Joan. 15. Se collaturum illis donum sapientiae, fortitudinis, et linguarum, Luc. 21. Joan. 15. et 16. et Matth. 6. Tamdem promisit se illis adfuturum usque ad consummationem saeculi. Haec omnia praestare non potest nisi solus Deus. Praestitit Christus; resurrexit die tertia, convertit ad se Gentes, et rejecit Judaeos: haec ad oculum patent; fecit Apostolos Piscatores hominum, misit illis Spiritum sanctum, concessit illis donum linguarum, sapientiae, et fortitudinis. Denique adfuit, adest, aderit illis, id est suae Ecclesiae indefectibili usque ad consummationem saeculi: ergo Christus est Deus; ergo vera et divina ejus religio.

[Plura, quae objiciuntur contra veritatem Resurrectionis Christi, habentur soluta in tract. de Myster. Christi diss. 11. Pauca tamen addentur. Obj. 1. Apostoli post resurrectionem non viderunt corpus Christi, sed merum phantasma. Ergo praedictio resurrectionis non fuit verificata. Prob. Ant. Luc. 24. v. 16. dicitur Christus cognitus non fuisse a Discipulis; atque iterum v. 31. ex oculis eorum evanuisse. Jo: 20. 19. *Intravit ad Discipulos cum fores essent clausae* Ibid. v. 15. sub specie hortulani apparuit Mariae, et v. 17. eam prohibuit, ne eum tangeret, timens, ne Mulier errorem detegeret, cognoscendo nihil esse in ejus corpore solidi. Ergo. R. N. Ant. Idem erat post Resurrectionem Christi corpus, quod cruci affixum, et in sepulcro conditum fuerat. Ad probationem vero 1. Discipuli euntes in Emmaus Christum non agnoverunt, quia *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent*; nec ut merum phantasma, per aera dilapsum evanuit ab oculis eorum, sed quia desiit ab ipsis videri. 2. Christus proprium suum, et naturale corpus retinens potuit ingredi ad Discipulos januis clausis, quod divinam non superat potestatem. 3. Formam hortulani assumere potuit, quin corpus suum exueret, nec mirum, quod Maria sub hac forma non statim eum agnoverit. 4. Si veritus fuisset, ne Maria, dum pedes

ejus tangeret, cognosceret eum verum corpus non habere, cur in eodem loco dicitur, sanctas Mulieres pedes ejus tenuisse? Cur Apostolis, qui putabant se spiritum videre ait (Luc. 24. 39) *Palpate et videte?*

Obj. 2. Pauci fuerunt testes resurrectionis comparati ad plures, qui ad custodiam sepulcri aderant, et contrarium testati sunt. Atqui majus est testimonium multorum, quam paucorum. Ergo. Resp. 1. dist. min. Majus est testimonium multorum, quam paucorum caeteris paribus C. in quocumque casu N. Pauci testes oculati, omnibusque veritatis caracteribus insigniti, plus certe probant, quam plures, qui aliam rei fidem facere non possunt, nisi dicendo se non vidisse. *Dormientes testes adhibes*, ait S. August. in Ps. 63. v. 7. *vere tu obdormisti, qui scrutando talia defecisti.* R. 2. Testes resurrectionis non fuisse solum Apostolos, sed et reliquos Discipulos, imo plusquam quingentos Fratres (1. Cor. 15. 30)]

Articulus III.

Modus mirabilis et plane divinus, quo Christiana Religio fuit fundata et propagata.

Ut tota vis hujus argumenti bene percipiatur, plura sunt observanda. 1. Haec religio celerrime diffusa est: Paulus enim ad Coloss. 1. vers. 6. ait tempore suo Christi fidem in universo mundo crescere et fructificare: Justinus Martyr, qui florebat initio secundi saeculi, in dialogo cum Tryphone dicit nullum esse genus hominum, apud quos non colatur: similiter Irenaeus L. 1. c. 3. Tertull. L. cont. Judaeos c. 7. et Plinius junior, qui etiam florebat ineunte secundo saeculo, L. 10. Epist. 97. ad Trajanum: *Non civitates tantum*, inquit *sed vicos atque agros superstitionis istius* (Christianae) *contagio pervagata est.*

2. Introducta, et propagata est per paucos piscatores, homines plebejos, rudes, ignaros, pauperes, et contemptibiles; non ut aliae religiones, armorum potentia, magnatum favore, opum, voluptatum, honorum illecebris, aut vi eloquentiae humanae; sed sola Christi virtute et sapientia; juxta illud Apost. 1. Cor. 1. *Quae stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat fortia, et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt* (id est, quae pro nihilo reputantur,) *ut ea quae sunt* (id est, quae pro maximo habentur) *destruat.*

3. Haec fidei doctrina talis est, ut potius hominibus videretur stultitia quam sapientia, nimirum quod homo inter opprobria in crucem actus et mortuus sit verus Deus colendus, quod resurrexerit, quod non sit aliud nomen, in quo oporteat nos salvos fieri, quam in nomine hujus hominis crucifixi: unde Apost. 1. Cor. 1. *Nos praedicamus Christum crucifixum, Judaeis quidem scandalum, Gentibus stultitiam; ipsis autem vocatis Judaeis atque Graecis Christum Dei virtutem et Dei sapientiam.* Talis est, inquam, haec religio et doctrina, quae nihil conducit ad terrenam felicitatem, quae passiones refraenandas, honores, divitias, voluptates contemnendas docet, quae nihil nisi lacrymas, poenitentiam, mortificationem inculcat, nihil in hoc mundo promittit nisi pericula, afflictiones, persecutiones, humiliationes, tormenta, cruces.

4. Sub hujus religionis apparenter stultae tam durae et asperae jugo hi pauci piscatores contemptibiles subjecerunt non indoctos solum et simplices, sed viros doctissimos Dionysium, Clementem, Irenaeum, Justinum, Arnobium, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, etc. Neque solum plebejos, sed ipsos Principes, Reges, Imperatores. 5. Denique haec religio atque doctrina propagata est et crevit in mediis persecutionibus, impugnantibus principibus et

Magistratibus, contradicentibus Philosophis, saeviente Diabolo, atque omni suppliciorum genere contranitente, et quanto magis impugnabatur, tanto magis crevit ac praevaluit, ita ut sanguis Martyrum factus sit semen Christianorum.

Quis sanae mentis, si ad haec attendat, non cognoscat religionem, qualem descripsimus, hoc modo natam, adultam, et propagatam, non esse ingenii humani inventum, sed opus Dei omnipotentis? Neque enim fieri potuit, ut doctrina a sapientia humana tam aliena, tam sensibus repugnans, tam aspera et dura, orbem universum tam celeriter pervaderet, et inter persecutiones, tormenta, et contradictiones hominum et daemonum reciperetur a Principibus et eruditis, idque per paucos piscatores, pauperes, et rudes, nisi Deus efficacissime operatus fuisset tam in eis qui illam praedicarunt, quam in eis qui illam receperunt.

His positis resumo argumentum initio Dissertationis factum. Ratio suadet, imo cogit, nisi sit prorsus inversa et turbata, agnoscere hanc religionem esse veram, a Deo revelatam et institutam, 1. quam Prophetae longe antea praenuntiarunt; 2. quam ejus Auctor et illius cooperatores pariter prophetiis adimpletis et miraculis patentissimis confirmarunt; 3. denique, quae sola virtute divina contra omnes humanae prudentiae leges est nata, adulta, et per orbem universum propagata; atqui haec est religio christiana; ergo ratio suadet, imo cogit, nisi sit inversa et turbata, agnoscere religionem christianam esse veram, a Deo revelatam, et institutam. Majorem nemo sanae mentis negare potest, minorem invicte probavimus. Stat itaque inconcussa conclusio, proindeque necessum est, ut vel Deista nuntium remittat rationi, vel agnoscat religionem christianam esse veram et divinam.

Obj. 1. Gibbonus assignat alias causas naturales a quibus propagatio christianae Religionis repeti debet 1. Intollerans Christianorum zelus, qui omnem spem salutis adimit aliter sentientibus. 2. Firma alterius vitae expectatio. 3. Allegata a Christianis miracula 4. Severior morum disciplina 5. Ipsa christianae Reipublicae constitutio, et singularis animorum conjunctio, atque ad omnia charitatis officia paratus animus. His addit studium Philosophiae, quae maxime excolebatur, novitatis amorem, et exemplum, et potentiam Imperatoris Constantini, cum ante ipsum paucos admodum asserat fuisse Christianos, eosque plebejos, et ignaros. Nullum ergo argumentum eruitur pro christiana Religione, ex mirabili ejus propagatione. R. Nimis protraheretur sermo singula haec expendendo, nec ad Religionis defensionem id necessarium videtur; quaedam tantum adnotasse sufficiat. Quis sibi persuadeat severitatem disciplinae, ardentem, et intollerantem zelum, spem alterius vitae, quae non videtur, conjunctam contemptui rerum praesentium, potuisse accendere christiani nominis amorem in hominibus in vitiis enutritis, praesentibus tantum bonis inhiantibus? Quod attinet ad miracula, vel illa revera patrata sunt, et ita celer Religionis propagatio causis naturalibus adscribi non debet. Vel non sunt vere patrata, et intelligi non potest, quomodo Orbis fidem adhibuerit hominibus obscuris, et idiotis, et novam, et gravissimam religionem ab eis sibi imponi passus sit. Philosophia tam vetus, quam nova raro homines ad sincerum veritatis desiderium inflammavit; sed ut plurimum vanos effecit suos Sectatores, opinionum suarum amatores, non discendi cupidos, sed doctrinam buccis crepantibus venditantes. Tales autem homines necessario infensos habet Evangelium. Novitatis amor tam parum potuit hominum multitudinem excitare, ut potius nihil magis, ac pertinacius ipsa retineat, quam cultus a Patribus acceptos, et longo usu consecratos. In probatione tamdem ostensum est numerum Christianorum ante Constantinum jam prope auctum in infinitum, atque inter eos floruisse viros doctissimos, et dignitate conspicuos.

Obj. contra integram conclusionem. Inter diversas Religiones, quae se mutuo destruunt, una tantum vera esse potest. Ergo ut de ea certi esse possimus, aliae omnes expendi debent, quidque una Religio alteri opponat, ne incognita causa judicium proferatur. Atqui non possumus scire, quae contra Christianam Religionem opponuntur, nisi prius legantur omnes libri, licet in diversis linguis conscripti, imo nisi investigentur mores omnium omnino Populorum, orbem incolentium, quae sunt ad exequendum impossibilia. Ergo nullimode datur evidentia credibilitatis divinae Revelationis. R. Dist. 1. Cons. Expendi debent aliae Religiones, si credibilitas divinae revelationis non sit demonstrata. C. si sit omnimode demonstrata N. Credibilitas Mysteriorum innititur moralibus argumentis, quae omnes veritatis caracteres exprimunt, nec minus ac physica evidentiam habent et a tot egregiis Doctoribus ad talem perspicuitatem perducta sunt, ut rejici nullimode possint ab homine, qui sincere instrui, et veritatem simplici corde requirat. Numquid ad cognoscendam certe, et invincibiliter existentiam Dei, necesse erit legere Spinosae Ethicam, vel sophismata Dualistarum, vel opera Hobbesii? Perquisitiones contra nostram demonstrationem possent perturbare mentes debiles hisque concertationibus non assuetas, numquam tamen infringere argumenta allata, quae validissimis innixa monumentis, ab illis nullimode dependent. Sed huc nimirum tendunt omnes impiorum conatus, ut dubia ubique disseminantes, omnem omnino religionem e medio tollant, dum enim examina requisita fierent, deberent omnes interim permanere suspensi donec aliquam Religionem securi amplecti possent, quod in Deistarum sententia numquam eveniret.

Articulus IV.

De Articulis, et Symbolis Fidei.

Articulus graece *Arthros* significat coaptationem aliquarum partium distinctarum; Unde credibilia fidei nostrae dicuntur distingui per articulos, in quantum dividuntur in partes habentes aliquam coaptationem ad invicem. Non omnia, licet fide tenenda, distinguuntur in Articulos fidei, sed ea sola, quae habent sequentes conditiones. Prima quod principaliter pertineant ad Fidem, ut sunt ea, quorum visione beamur in Patria, et per quae ad illam beatitudinem perducimur. Secunda quod habeant aliquam specialem difficultatem ad credendum. Sic quod Deus sit mortuus, et quod resurrexit, habent distinctam difficultatem, et sunt duo articuli: Quod sit passus, mortuus, et sepultus, unam habent difficultatem, et ad eumdem articulum pertinent. Definitur itaque Articulus fidei: *Propositio catholica primario ad fidem pertinens, et specialem habens difficultatem ad credendum.* Convenienter autem credibilia distinguuntur per Articulos, sicut Apostoli, et Concilia fecerunt 1. Ut esset facilior instructio Fidelium. 2. Ut in omnibus credentibus esset uniformitas. 3. Ut in promptu esset fidei professio adversus haereticos. Duodenarius numerus Articulorum fidei est communior in usu Fidelium, eumque statuit Catechismus romanus.

Petes. 1. Utrum Articuli fidei secundum successionem temporum creverint. R. non crevisse quoad substantiam, sed quoad explicationem. Prob. 1. pars ex eo quod omnes articuli fidei continentur implicite in aliquibus primis credibilibus, scilicet ut credatur lumine supernaturali fidei Deus, et quod habeat providentiam circa hominum salutem. Sic in esse divino continentur ex natura rei omnia, quae existunt in Deo, et spectant nostram beatitudinem; in fide providentiae continentur ex ordinatione divina omnia, quae ad salutem generis humani fiunt

a Deo. Unde August. in Ps. 50. *Tempora* (inquit) *variata sunt, non Fides*; et S. Leo Serm. 3. de Nativ. c. 4. *Quod praedicaverunt Apostoli, hoc annuntiaverunt Prophetae, nec sero est impletum, quod semper est creditum.* 2: pars constat, quia plura sunt in posterioribus explicite cognita, quae a prioribus nonnisi implicite cognoscebantur. Et quamvis Apostolis, et forte antiquis Patriarchis, et insignioribus Prophetis, omnia necessario credenda fuerint explicite revelata juxta Jo. 16. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem* non tamen omnibus explicite fuerunt proposita, quod tunc non esset necessaria explicita eorum cognitio, vel etiam si aliquando explicite fuerant proposita, a memoria exciderant in posterioribus. Unde definitionibus Pontificum, et Conciliorum non conduntur novi articuli fidei, sed declaratur explicite credendum, quod antea credebatur tantum implicite, quia nondum constabat in Scriptura, vel Traditione contineri. Dicendum itaque quod Apostoli, et Evangelistae explicatiorem habuerint rerum fidei notitiam, quam post innumeras definitiones, et explicationes, ex Apostolorum scriptis, et Traditionibus depromptas, habet nunc totum corpus Ecclesiae. Hinc sequitur quam male errent Haeretici, dum dicunt Ecclesiam senescere: hoc ipso enim, quo accepit consummationem gratiae per Christum, et plenitudinem Spiritus S. post ejus ascensionem, eam semper conservat, atque in ea quasi in juventute perseverans, doctrinam sibi traditam custodit.

Symbolum est *summa articulorum fidei, qui omnibus credendi proponuntur.* Est vox graeca duo significans 1. Collationem plurium rerum in communi 2. Signum, quo milites ab aliis distinguuntur. Utrumque convenit Symbolo Fidei: nam Apostoli, et Patres illud ediderunt, conferendo in unum, quod quisque sentiebat; et est signum, quo Fideles ab infidelibus distinguuntur. Articuli in Symbolum redacti facilius omnibus proponuntur, et memoria tenentur, et per illud Fideles dignoscuntur, per unius Fidei professionem.

Petes 2. Quot sint Fidei symbola in Ecclesia. R. esse tria celebriora 1. Apostolorum 2. Nicaenum, editum in primo Concilio Oecumenico contra Arium negantem Divinitatem Verbi, deinde auctum in Concilio generali Constantinopolitano contra Eunomium, negantem processionem Spiritus S., et contra Macedonium negantem ejus Divinitatem. 3. quod dicitur S. Athanasii, ab Ecclesia receptum. In quibus, quamvis eadem veritas contineatur occurrentibus tamen haeresibus quaedam oportuit distinctius explicari. Observat S. Thomas quod quia Symbolum Nicaenum fuit conditum fide jam manifestata, et Ecclesia pacem habente, ideo publice cantatur in Missa. Symbolum vero Apostolorum editum tempore persecutionis fide nondum publicata occulte dici in Prima, et Completorio, quasi contra tenebras errorum praeteritorum, et futurorum.

Petes 3. An Symbolum Apostolorum sit ab Apostolis editum? Resp. fuisse ab Apostolis traditum non scripto, sed ore, cordibus, et memoriae Fidelium commendatum. Prima pars patet ex Patribus S. Iren. l. 1. adv. Haeres., S. Ambros. Epist. 81. ad Siricium *Credatur* (inquit) *Symbolo Apostolorum, quod Ecclesia Romana integrum semper custodit, et servat.* Et omissis aliis, prob. ex Regula S. August. l. 4. de baptis. contra Donat. c. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Secunda pars etiam asseritur a S. Hieronymo Ep. 61. ad Pammach. *Symbolum Fidei, et spei nostrae, quod ab Apostolis traditum, non scribitur in charta aut atramento sed in tabulis cordis carnalibus.* et S. Petr. Chrysol. Serm. 62. *Symbolum fidei* (ait) *sola fide firmatur, non litterae, sed spiritui creditur, et mandatur cordi, non chartae.* Atque inde sequitur non haberi ut partem Scripturae canonicae, nec de illo ab Apostolis in suis scriptis fieri mentionem.

Petes 4. Utrum Symbolum, quod dicitur S. Athanasii, sit genuinum ejus opus? R. Ita tenuisse graves Scriptores, quibus tamen contradicunt recentiores Critici, qui illud tribuunt Vigilio Tapsensi in Africa, qui solebat opera sua contra Haereticos emittere sub nomine antiquorum Patrum, ut majorem vim haberent.

DISSERTATIO III.

De Actu interno et externo Fidei.

D. Th. QQ. 2. et 3.

Articulus I.

Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem et quid?

Dico 1. Fuit omni tempore necessarium necessitate medii ad salutem credere fide supernaturali determinate et explicite haec duo: scilicet Deum esse auctorem gratiae et remuneratorem gloriae. Prob. ex Apostolo Heb. 11. dicente: *Sine fide impossibile est placere Deo, credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* Apostolum loqui de Deo et remuneratore in ordine supernaturali, scilicet quod sit auctor gratiae et remunerator gloriae, constat 1. Quia cum dicit, credere oportet, loquitur de fide supernaturali, quam antea definierat, *Rerum sperandarum substantia, argumentum non apparentium.* Res enim sperandae humani ingenii captum superant, et res non apparentes humana ratione investigari non possunt. 2. Quia postea in eodem capite dicit de Abraham, quod cum aliis SS. Patribus *meliorem patriam, id est coelestem* appeteret, et de Moyse, quod thesauro Aegyptiorum contempto, aspiciebat in remuneratorem, utique coelestem.

Suadetur ratione. Secundum providentiam ordinariam necessarium est necessitate medii ad salutem, quod homo, qui ratione regitur, cognoscat finem ultimum, in quem tendit, et media quibus ad illum pervenitur; finis ultimus, in quem homo tendit, est consortium gloriae Dei: media, quibus ad illum pervenitur, sunt gratia et actus virtutum supernaturalium fidei, spei, et amoris, per gratiam eliciti: atqui hunc finem et haec media homo cognoscere non potest per rationem naturalem, sed per solam revelationem: sunt enim supernaturalia, nec ratio naturalis dictat Deum velle admittere hominem ad consortium suae gloriae, neque explicat media, quibus ad illud pervenitur: ergo. Hinc colliges non sufficere ad salutem credere in communi quidquid credit Ecclesia, si nihil in particulari de Deo credat; Nec sufficere ad salutem fidem in voto, sicut sufficit baptismus, cum enim fides ex Tridentino sit initium salutis, fundamentum, et radix justificationis, nihil supernaturale supponit, in quo ejus votum includatur.

Dico 2. Post Evangelium sufficienter promulgatum fides explicita Incarnationis et Trinitatis est omnibus necessaria necessitate medii ad salutem. Est probabilior et communior. Intellige tamen de necessitate non ex natura rei, alioquin eadem fuisset omni tempore, sed de necessitate ex institutione et voluntate Dei pro hoc statu legis gratiae. Dixi post Evangelium sufficienter promulgatum, quia suppono ante dictam promulgationem fidem implicitam horum Mysteriorum fuisse communiter sufficientem. Apost. ad Gal. 3. *Prius autem quam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eamdem fidem, quae revelanda erat.*

Dixi *communiter*, idest minoribus, et communi populo, videtur enim, quod Majores, offerentes sacrificia praefigurativa Christi, et explicantes prophetias de Christo venturo, tenerentur saltem necessitate praecepti ad cognoscendum aliquo modo utrorumque significatum.

Prob. prima pars 1. ex Scriptura. Christus Joan. 3. dicit: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam*: atqui aspectus serpentis erat medium necessarium ad sanitatem corporalem: ergo et fides in Christum ad sanitatem spiritualem. Ipsum autem loqui de fide explicita patet ex his, quae ibidem subdit: *Qui*, inquit, *credit in eum, non judicatur; qui autem non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine Unigeniti Filii Dei Tò nomine*, designat personam: *Tò unigeniti Filii Dei*, distinguit a caeteris personis: ergo loquitur de fide explicita, et quidem absolute necessaria, quia qui non credit, jam judicatus est. Joan. 14. Christus dicit: *Creditis in Deum, et in me credite.* Ubi parem exigit fidem de se ipso ac de Deo: atqui fides explicita de Deo est necessaria necessitate medii; ergo et de Christo. Plura alia similia leguntur in Evangelio et in epistolis Pauli.

Prob. 2. ex Patribus et Concil. Trid. S. Aug. I. de corrept. et grat. cap. 7. *Ab hac damnatione*, inquit, *non se liberabunt, qui poterunt dicere se non audivisse Evangelium.* Ubi loquitur de fide explicita, quia loquitur de fide Evangelii, et necessitatem adstruit absolutam atque inexcusabilem, etiam ex ignorantia invincibili, quod importat necessitatem medii. S. Th. hic a 7. o. ubi initio loquitur de eo, quod est necessarium necessitate medii, in fine sic concludit: *Post tempus gratiae revelatae, tam majores quam minores tenentur habere fidem explicitam de mysteriis Christi*: et adhuc expressius in 3. d. 25. q. 2. a 2. q. 2. *Post adventum Christi*, inquit, *omnes tam majores quam minores tenentur ad credendum explicite, et si aliquis instructionem non haberet, Deus ei revelaret, nisi ex culpa sua remaneret*: ergo aperte sentit fidem explicitam esse necessariam necessitate medii, et non tantum praecepti; alias si instructione careat, excusaretur ab ejus praecepto, quod non admittit S. Doctor, sed recurrit ad medium extraordinarium revelationis, quod tunc esset debitum. Trid. sess. 6. cap. 5. agens de dispositione ad justificationem, et de iis quae ad illam sunt credenda, dicit: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia et adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse quae divinitus revelata et promissa sunt; atque illud in primis a Deo justificari impium per gratiam ejus per redemptionem quae est in Christo Jesu.* Porro si sit necessarium *in primis* hoc credere de redemptione per Christum: ergo nihil magis necessarium: ergo haec fides explicita de Christi redemptione est inter prima credibilia reponenda, et prae caeteris necessaria, consequenter necessitate medii.

Prob. 3. ratione. Perfectior fides Incarnationis requiritur in nova lege, in qua istud mysterium est peractum et revelatum, quam in veteri lege, in qua erat velatum: atqui in veteri lege fides implicita Incarnationis erat necessaria necessitate medii: ergo in nova lege est necessaria fides explicita. Prob. min. 1. ex Apost. Galat. 2. dicente: *Non justificatur homo ex operibus legis nisi per fidem Jesu Christi* 2. Sicut necessaria est redemptio Christi, ita et fides illius; per fidem enim applicatur redemptio juxta illud Rom. 3. *Justitiam Dei per fidem Jesu Christi in omnes et super omnes*: atqui redemptio Christi est, et fuit omnibus pro quovis tempore necessaria necessitate medii ad salutem, ut docet Apost. Rom. 5. *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitae*: ergo.

Secunda pars sequitur ex prima. Quia non potest haberi fides explicita In

carnationis, nempe quod Filius Dei sit incarnatus et conceptus de Spiritu Sancto, absque fide explicita Trinitatis. Adde quod Incarnatio sit tantum objectum secundarium fidei nostrae, Trinitas autem primarium: ergo si in nova lege requiratur fides explicita objecti secundarii, a fortiori objecti primarii. Utraque pars confirmatur ex Symbolo Sancti Athanasii ab Ecclesia recepto, ubi cum S. Doctor explicuit mysteria Trinitatis et Incarnationis, concludit: *Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Dixi: *post Evangelium sufficienter promulgatum*: quia ab adventu Christi usque ad sufficientem Evangelii promulgationem idem censendum est ac de tempore praecedente Incarnationem, scilicet satis fuisse fidem implicitam de Christo; quia non debet reputari medium ad salutem necessarium, quod non est sufficienter promulgatum: id namque repugnat Dei bonitati et suavi ejus providentiae, ut arguit Bernardus epist. 77. ii tamen, quibus erat in particulari promulgatum Evangelium, tenebantur ex praecepto ad fidem explicitam.

Dico 3. fides explicita utriusque mysterii est necessaria necessitate medii non solum ad secundam salutem, scilicet glorificationem, sed etiam ad primam, scilicet justificationem. Est contra Canum, et Bannes; Patet ex textibus citatis, et probatur ratione theologica. Justus est Filius adoptivus, et haeres gloriae. Ergo si fides implicita sufficit ad justificationem, sufficit etiam ad gloriam, quod non admittunt adversarii.

Plures casus objiciuntur, in quibus videtur sufficere ad salutem fides implicita Incarnationis, et Trinitatis. 1. Puer enutritus in sylvis, aut inter barbaras nationes, si sequatur ductum rationis in fuga mali, et prosecutione boni, secundum D. Thomam justificabitur: 2. Puer perveniens ad instans rationis, in quo instanti non potest instrui de praefatis mysteriis, si convertatur ad Deum justificatur. 3. Sunt adeo rudes, et stupidi, ut non possint conceptu apprehendere haec mysteria. Idem dic de mutis et surdis a nativitate; Non tamen dici potest salutem illis esse impossibilem. Resp. ad singula. Ad primam *Certissime tenendum est* (inquit S. Th. qu. 14. de Verit. a. 11. ad 1.) *quod ei*, de quo in casu, *Deus*) *per internam inspirationem revelaret ea, quae sunt ad credendum necessaria, vel aliquem Fidei Praedicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium*, et Philippum ad Eunuchum Reginae Candacis. Ad 2. Instans rationis est morale, habens aliquam durationem, in qua sive a Deo, sive ab Angelo, sive ab Homine potest puer instrui. Quae extraordinariae instructiones non debent dici miraculosae, quia consequuntur naturaliter ad voluntatem Dei salvandi hominem. Ad 3. Non requiritur ad fidem intelligentia, sed assensus, nec ullus est adeo stupidus, qui auxilio gratiae adjutus non possit mysteria Incarnationis, et Trinitatis saltem in confuso, et quoad substantiam apprehendere: Quod si neges, ii sunt annumerandi infantibus, et amentibus, qui sine fide actuali per solam fidem habitualem in baptismo suscetam salvantur.

Ex dictis colliges eos, qui praefata mysteria Incarnationis et Trinitatis quoad substantiam ignorant, etiamsi invincibiliter, esse absolutionis incapaces, et omnes confessiones in hac ignorantia factas esse nullas et iterandas, neque sufficere ea aliquando credidisse, si de facto nunc ignorentur. Vide propositiones 64., et 65. damnatas ab Innoc. XI. 2. Mart. 1679.

Articulus II.

Caeterae difficultates circa actum fidei internum expenduntur.

Petes 1. Quae sint credenda necessitate praecepti? R. Omnes fideles in hoc statu legis evangelicae tenentur ex praecepto obligante sub peccato mortali credere explicite, saltem quoad substantiam et praecipuas circumstantias, 1. omnes articulos contentos in symbolo Apostolorum, 2. omnia praecepta Decalogi et Ecclesiae, 3. Orationem Dominicam, 4. Sacramenta necessario suscipienda, quae sunt tria, baptismus, eucharistia, et poenitentia. Ratio primae partis est, quia Apostoli ex praecepto Christi tenebantur illos articulos docere explicite, juxta illud Marci ultimo: *Praedicate Evangelium omni creaturae*; et ideo hoc symbolum composuerunt, antequam inciperent praedicare: ergo inest fidelibus obligatio illos credendi. Inutile namque foret praeceptum instruendi, si non sit obligatio credendi. Et ita praecipitur cap. *Baptizandos* de consec. d. 4. Unde Catechismus Rom. p. 1. c. 1. n. 2. *Quae primum*, inquit, *Christiani homines tenere debent, illa sunt, quae . . . . . Sancti Apostoli divino Spiritu afflati duodecim symboli articulis distinxerunt.*

Ratio secundae partis est, quia quilibet fidelis tenetur praecepta Decalogi et Ecclesiae servare: ergo et illa scire, seu credere. Ratio tertiae partis petitur ex necessitate cognoscendi ea, quae a Deo petere debemus: haec autem continentur in Oratione Dominica. Ratio quartae partis est, quia haec Sacramenta rite suscipere non potest, qui ea et dispositiones ad illa requisitas ignorat. Dixi: *saltem quoad substantiam, et praecipuas circumstantias*, quia, ut ait Auctor, subtiles considerationes circa haec mysteria tenentur aliqui magis, vel minus explicite credere, secundum quod statui et officio uniuscujusque competit; magis Pastores, Doctores, Praedicatores, Confessarii, qui aliis instruendis sunt deputati, quam fideles de populo.

Petes 2. Quandonam obliget praeceptum fidei? Duplex est praeceptum fidei, unum affirmativum assentiendi veritatibus revelatis; aliud negativum non negandi fidem susceptam seu agnitam. Hoc secundum obligat pro semper, non primum, sed determinato tempore, sicut alia praecepta affirmativa. Quo autem tempore? R. 1. Praeceptum fidei affirmativum obligat per se adultum rationis compotem statim moraliter ac credenda et credendi motiva ipsi sufficienter proponuntur: quia fides est medium necessarium ad salutem, ut diximus: tenetur autem adultus statim moraliter adhibere medium suae saluti necessarium, praesertim cum, si non credat, periculum sit, ne agnitae veritati positive dissentiat, sicque peccet contra praeceptum negativum. Adde, quod cum hoc praeceptum per se aliquando obliget, non possit assignari tempus convenientius, quam primum instans vitae moralis, aut sufficientis illuminationis. Dixi: *statim moraliter*: quia quoad pueros non est nimis scrupulose cum ipsis agendum; saepe enim accidit, quod etiam adepto usu rationis mysteria fidei non sufficienter ipsis proponantur, aut quod non apprehendant obligationem gravem credendi; unde raro peccant contra hoc praeceptum non eliciendo statim actum fidei.

2. Praeceptum fidei affirmativum obligat per se in periculo mortis, in quo obligant praecepta spei et charitatis, et homo attingit suum terminum. 3. Praeter hos casus praeceptum fidei affirmativum obligat per se pluries in vita. Patet 1. ex sequentibus propositionibus damnatis ab Innoc. X. Prima: *Satis est actum fidei semel in vita elicere.* Est 17 inter damnatas. Altera: *Sufficit illa mysteria* (scilicet Trinitatis et Incarnationis) *semel credidisse.* 2. Quia juxta Scripturam justus ex fide vivit; quomodo autem viveret ex fide, si unum illius

actum tantum in tota vita eliceret? 3. Quia praecepta aliarum virtutum, spei, charitatis, etc. pluries obligant in vita, quidni et fidei? At quoties obligat in vita? Certo determinari non potest. Mire hac in re variant Auctores: quidam enim dicunt singulis diebus dominicis et festis: alii singulis mensibus: alii semel in anno: alii in majoribus solemnitatibus.

R. 2. Praeceptum fidei affirmativum obligat per accidens, quando urget gravis tentatio sive contra fidem, sive contra aliam virtutem, quae nonnisi expresso fidei actu superari potest. 2. Quoties urget aliquod aliud praeceptum, quod sine fide impleri non potest, ut dum quis tenetur poenitere, aliquod Sacramentum suscipere, Missam celebrare, aut audire, etc. quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media. In his tamen non videtur necesse, quod interveniat actus fidei expressus et in actu signato, quo quis dicat: credo Deum esse, quem nunc oro: credo Sacramentum, quod nunc suscipio; sed sufficit, quod implicite et in actu exercito credat, quatenus ex notitia fidei sciens Deum esse, Redemptorem esse, hoc esse Sacramentum, etc. intendit Deum orare, diligere, sacrum celebrare, Sacramentum suscipere, etc.

Petes 3. Utrum ad assensum fidei requiratur motio voluntatis? R. affirmative. Prob. 1. Intellectus non determinatur nisi vel ab objecto evidenti, vel a voluntate: atqui ad assensum fidei non determinatur ab objecto, quod est necessario obscurum et inevidens: ergo a voluntate. 2. Actus fidei est liber tam quoad exercitium, quam quoad specificationem, scilicet in ratione assensus potius quam dissensus: ergo indiget motione voluntatis, qua determinetur intellectus ad assensum potius quam ad dissensum. Ista autem pia motio est complacentia quaedam seu affectus ex auxilio gratiae erga summam Dei veracitatem, vi cujus determinat intellectum ad assentiendum ea firmitate, quae superat omnem firmitatem ortam ex quovis actu scientifico vel experimentali.

Articulus III.

De actu fidei externo.

Duplex est praeceptum de actu fidei externo, sicut diximus de interno: unum negativum non negandi fidem exterius, alterum affirmativum confitendi fidem exterius.

Dico 1. In nullo umquam casu, etiam vitandae mortis, licet fidem corde retentam ore vel facto negare, falsamve exterius profiteri seu simulare. Constat 1. ex verbis Christi Matth. 10. et Luc. 12. ubi dicit: *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram patre meo.* Et Apost. 2. Timoth. 2. *Si negaverimus, et ille negabit nos.* Est ergo praeceptum divinum negativum non negandi fidem: ea est autem natura praecepti negativi, quod semper et pro semper obliget. 2. Negare fidem est dicere Deum revelasse falsum, vel fidei dogma non revelasse: atqui utrumque est mendacium Deo injuriosum: ergo numquam licitum. Dixi 1. *Ore vel facto*, quia utrumque est mendacium cum hac sola differentia, quod mendacium *facto* dicatur simulatio. Dixi 2. *Vel falsam simulare, seu exterius profiteri*; quia falsam fidem seu religionem simulare et exterius profiteri, perinde est ac veram negare; qui enim se verbo dicit aut facto exhibet Calvinistam, se negat Catholicum. Et ita semper intellexit Ecclesia, quae Libellaticos tamquam reos negatae Fidei habuit.

Si petas, quandonam in praxi quis censeatur facto simulare aut profiteri exterius falsam religionem? R. et sit regula generalis. Usurpare signa, ritus, caerimonias, vestes, actiones quae sunt primario distinctiva sectae a secta, seu quae sive ex se, sive ex institutione, sive ex circumstantiis sunt primario si-

gnificativa professionis falsae fidei, est istam falsam fidem exterius profiteri; et ideo numquam licitum. Quae vero distinguunt primario non sectam a secta, sed gentem a gente, seu quae per accidens tantum indirecte et secundario sunt significativa professionis falsae fidei, quamvis sint vitanda, ne demus aliquibus occasionem credendi nos negasse fidem, subsistente tamen justa necessitatis causa huic deceptioni praeponderante, possunt licite usurpari, quia hoc non est absolute falsam fidem profiteri. Ex hac regula rite intellecta et applicata multos casus resolves : quosdam referam.

Hinc igitur inferes 1. flectere genua coram idolo, ei thus adolere, etiamsi intentio dirigatur ad occultum Crucifixum, gestare imaginem Mahumeti in collo appensam, sumere Coenam Calvinistarum, Psalmos in eorum templis cantare, pulsare organa, contrahere matrimonium coram ministro benedicente nuptias secundum ritum suae sectae, numquam esse licitum; quia haec sunt primario distinctiva sectae a secta, et primo per se falsae religionis significativa.

Inferes 2. e contra licitum esse ex justa causa gestare vestem longam turcicam aut etiam quam *Turbantem* vocant, ad occultandam fidem : quamvis enim numquam licitum sit fidem negare, licet tamen eam quandoque celare et dissimulare, nec illa vestis est primario ad distinctionem religionis, sed gentis, nec eam assumit Catholicus, ut credatur profiteri religionem Turcicam, sed ut auferatur occasio attendendi et inquirendi de religione. Idem dic de vestibus aliarum nationum Idololatrarum, quae non sunt destinatae praecise usibus suae religionis. Idem de earum vexillis in bello, ut sic decipiantur et vincantur.

Item licitum est interesse sepulturae haereticorum, exhibendo eis honorem civilem; Item in terris haereticorum ad evitandum grave malum, non audire Sacrum diebus Dominicis, et Festis, et etiam saltem probabilius edere carnes diebus prohibitis, quia id posse Catholicos variis de causis, non ignorant haeretici. Excipe nisi in contemptum Religionis ad id adigerentur, aut in professionem falsae sectae incitarentur. Item audire conciones haereticorum, ut eorum errores refutentur, seclusa prohibitione, aut scandalo, non est illicitum, ex curiositate secluso periculo subversionis est peccatum veniale. Non enim Catholicus audiens conciones haereticorum censendus est haereticus, sicut Haereticus audiens conciones Catholicorum, non ideo censetur catholicus. Item non est reus negatae fidei, qui negat se esse Sacerdotem, aut Religiosum, potest enim esse Catholicus, et non Sacerdos, vel Religiosus. Secus negans se catholicum, aut Papistam, ubi nomine Papistae intelligitur catholicus.

Inferes 3. contra Tertullianum non esse per se illicitum fugere in persecutione, quia non est ibi negatio fidei, sed potius quaedam professio. Idem dic de solutione mulctae impositae Catholicis a Rege haeretico. Dixi *per se*, quia per accidens posset esse illicitum fugere, ut si Pastor esset necessarius ovibus, fugere non posset, etiamsi mors immineret. Et e converso posset esse per accidens obligatio fugiendi, si vita fugientis sit necessaria bono communi.

Dico 2. Ex praecepto Christi tenetur fidelis aliquando fidem suam exterius confiteri. Prob. Christus Matth. 10. dicit : *Qui me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo.* Luc. 9. *Qui me erubuerit et sermones meos, hunc filius hominis erubescet.* Et Apost. Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem* : ergo est aliquando necessaria confessio ad salutem.

Auctor hic duos casus assignat, in quibus hoc praeceptum affirmativnm fidei confitendae obligat, scilicet : *Quando per omissionem hujus confessionis subtraheretur honor debitus Deo, et etiam utilitas proximis impendenda : puta si aliquis interrogatus de fide, taceret, et ex hoc crederetur, vel quod non haberet fidem, vel*

quod fides non esset, vel alii per ejus taciturnitatem laverterentur a fide. S. Doctorem sequuntur omnes Theologi, et merito; supposito enim praecepto fidei confitendae aliquando obligante, non possunt assignari causae, in quibus urgeat magis ejus observatio, quam hi duo, quos assignat S. Thomas.

Observat Sylvius verbum *subtractionis* apud S. Thomam non accipi mere negative; alioquin confessio fidei semper esset in praecepto, Deus enim semper honoratur dum exercetur, qui honor ei subtrahitur dum omittitur; sed accipi *contrarie*, aut *privative*, ita quod ex defectu confessionis vel Deus magna injuria afficiatur, vel magnus aliquis honor, qui ad eum inde pervenire poterat, negligitur.

Hinc inferes 1. Interrogatum de fide ab auctoritate publica, sive privatim, sive publice, teneri etiam cum periculo vitae confiteri fidem, quamvis Tyrannus verum jus interrogandi non habeat. Et ita semper intellexit Ecclesia in Martyribus. Ut in proposit. 18. damnata ab Innoc. XI. Secus si sit interrogatus ab aliquo privato, potest enim tunc uti tergiversatione, aut dicere quid ad te. Quis te constituit judicem?

Inferes 2. Videntem conculcari Eucharistiam, Crucifixum, Imagines, aut Reliquias Sanctorum, Deum, aut fidem contemni, haereticis colloquiis adstantium fidem periclitari, teneri contradicere, et fidem confiteri, si ista possit impedire. Inferes 3. Christianos non teneri obedire Magistratui praecipienti, ut omnes Catholici se prodant, certum signum ferendo, esset enim praeceptum nimis vagum, nec quis nisi personaliter interrogatus tenetur confiteri.

Hucusque de praecepto divino confitendi fidem. Ex praecepto autem ecclesiastico in Trident. sess. 24. c. 22. de reform., et in Bulla S. Pii V. *Sacrosancta* tenentur professionem fidei edere omnes promovendi ad beneficia curam Animarum habentia, et ad Canonicatus, et dignitates Cathedrales. Item Doctores, et Professores in Academiis.

[Quoad Praelatos regulares, quamvis aliqui contrarium doceant, alii tamen plures sustinent eos ad hanc Professionem teneri innixi Bullae Pii IV. *Injunctum*, quae sententia videtur vera, sunt enim ipsi in dignitate ecclesiastica, habente curam animarum, constituti; nec apparet, unde eximi possint, nisi probetur consuetudo contraria legitime prescripta. In locis vero quos complectitur Conc. Romanum celebratum a Bened. XIII. anno 1725. ad eam tenentur sequentes. 1. Episcopi, aliique de Clero, recens de beneficiis ecclesiasticis provisi, aut sacris Ordinibus initiati in Dioecesana Synodo primo celebranda (Hodie professio fidei, et juramentum obedientiae solet ab Episcopis praestari coram Papa, vel ejus Delegatos) 2. Dignitates, et Canonicatus obtinentes post adeptam possessionem tum in manibus Episcopi, vel ejus Vicarii Generalis, tum in Capitulo infra bimestre 3. Beneficia cum animarum cura habentes post ipsorum possessionem infra idem tempus in manibus tantummodo Episcopi, vel Vicarii Generalis, prout et in alterutrius manibus 4. Quicumque alia beneficia simplicia obtinentes 5. Item novus Vicarius Generalis, Vicarii Foranei, Procuratores, et Promotores Fisci Episcopalis, Cancellarii, caeterique Ministri ejusdem Curiae. 6. Novi Concionatores etiam Regulares. 7. Novi Confessarii etiam Monialium. 8. Docentes publice, vel privatim Theologiam, philosophiam, jus canonicum, aut civile, vel inferiores quasdam disciplinas etiam grammaticam. 9. Ac tandem medicinam, et Chirurgiam exercentes *Girald. in notis ad Mascat. l. 1. tit. 1. de summa Trinit.* Notandum insuper hanc professionem fidei faciendam esse personaliter, et non per Procuratorem.]

DISSERTATIO IV.

De Habitu et Subjecto Fidei.

D. Thom. QQ. 4. et 5.

Articulus I.

De Habitu Fidei.

Petes 1. Utrum fides recte definiatur ab Apostolo Heb. 11. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*? R. hanc definitionem, quamvis verba non ordinentur sub forma definitionis, esse legitimam, quia continet omnia, quae pertinent ad fidei definitionem, ut patebit ex sequenti explicatione. Dicitur *Substantia*, graece *hypostasis* seu subsistentia; partim quia fides est inchoatio, basis, fundamentum spei nostrae; substantia enim est substratum omnibus qualitatibus: partim quia facit res sperandas subsistere in nostro intellectu, ac eis tam certo assentiri, ac si essent praesentes. Dicitur *argumentum non apparentium*: sumpto argumento pro ejus effectu, seu ut habet alia littera *convictio*; sicut enim argumentum inducit intellectum ad inhaerendum alicui vero, ita per fidem intellectus firmiter adhaeret veritatibus non apparentibus propter auctoritatem Dei revelantis. Dicitur, *non apparentium*; tum quia objectum fidei est non visum, tum ut significetur plura ad fidem pertinere, quae non sperantur, ut sunt bona praeterita et mala peccatoribus obventura, v. g. Infernus. Per hanc definitionem fides distinguitur ab omnibus aliis habitibus intellectualibus. Per hoc, quod dicitur *Substantia rerum sperandarum*, distinguitur a fide humana, quae non ordinatur ad beatitudinem speratam. Per τὸ *argumentum*, distinguitur ab opinione, suspicione, et dubitatione. Per τὸ *non apparentium*, distinguitur a scientia et intellectu primorum principiorum.

Si quis ergo haec verba in formam definitionis reducere velit, potest dicere, quod fides sit *Habitus mentis, quo inchoatur vita aeterna in nobis faciens intellectum firmiter assentiri non apparentibus propter auctoritatem Dei revelantis.* Et haec definitio coincidit cum hac altera, quae communiter circumfertur: *Virtus divinitus infusa, per quam intellectus firmiter assentitur iis, quae a Deo revelata sunt, propter ipsius revelantis auctoritatem.*

Cum autem fides sit in intellectu secundum quod movetur a voluntate, ut actus ejus sit absolute perfectus, et meritorius, debet esse etiam habitus in voluntate, scilicet charitas, per quam, sicut omnes aliae virtutes, fides ordinatur ad ultimum finem supernaturalem; unde Charitas est ejus forma, non quidem intrinseca, et essentialis, sed extrinseca, et accidentalis. Atque ut S. Thomas ostendat, unde fides habeat quod sit viva, docet id habere specialiter ex charitate. Et hinc fluxit apud Theologos communis distinctio fidei in vivam, seu formatam, et informem; quae tamen non ita inter se distinguuntur, quasi fides informis non sit vera virtus, quamvis sit imperfecta, vel quasi constituat habitum diversum a fide formata, cum utraque idem objectum respiciat. Unde inferes fidem manentem essentialiter eamdem de formata fieri informem, ut dum justus peccat mortaliter, et e contra informem posse fieri formatam, ut dum peccator justificatur.

Petes 2. Utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus? R. Fides est certior quoad se omnibus cognitionibus naturalibus, non quoad nos. Prob. prima pars. Fides habet certitudinem ex divina veritate, quae falli non potest, et quae veritatibus revelatis certo applicatur per Ecclesiam infallibilem: cogni-

tio vero naturalis habet certitudinem ex naturali lumine rationis, quod (quamvis objectum, circa quod versatur, quandoque sit certum) est tamen per peccatum tenebris involutum, et errori obnoxium, nec certum an recte rebus apprehensis applicetur: ergo.

Prob. secunda pars. Illud dicitur magis certum quoad nos, quod intellectus plenius consequitur, quod est illi magis connaturale et proportionatum, quodque ipsum magis satiat et quietat, licet aliunde minus certo assentiatur; atqui cognitiones naturales, et proportionatae intellectui humano, magis ab ipso penetrantur, magis ipsum satiant et quietant propter rerum evidentiam, in qua ultimo quiescit intellectus humanus, quam fides, quae est de obscuris et inevidentibus: unde fit, quod quamvis ex parte motivi sit certissima, patiatur tamen ex parte subjecti quosdam motus indeliberatos dubitationis propter debilitatem ingenii nondum videntis veritatem: ergo.

Petes 3. Utrum fides sit discursiva? R. negative: quia sicut eadem visione videmus colorem et lucem, sic eodem actu assentimur rei revelatae et revelationi; objectum enim fidei est res revelata, non materialiter, sed formaliter ut revelata: in discursu autem assensus principiorum realiter distinguitur ab assensu conclusionis.

Articulus II.

De habentibus fidem.

Dico 1. Fides remanet in peccatore, qui non committit peccatum infidelitatis. Prob. 1. ex Apost. 1. Cor. 13. ubi dicit: *Si habuero omnem fidem . . . , charitatem autem non habuero nihil sum.* Quibus verbis aperte supponit charitatem posse separari a fide remanente, sicque fidem posse esse in peccatore. 2. Ex Trid. sess. 6. can. 8. sic definiente: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul et fidem semper amitti, aut fidem quae remanet non esse veram fidem . . . . anathema sit.* Unde haec conclusio est de fide. Huc facit haec propositio ab Alexandro VIII. damnata: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, et etiamsi videantur credere, non est fides divina.* Item haec 52. Quesnelli; *Fides non est absque amore et fiducia.* 3. Ratione. Non omne peccatum est contrarium fidei, nec destruit rationem formalem objecti ipsius; sic qui furatur, non ideo desinit credere Deum esse primam et infallibilem veritatem in dicendo: ergo. Quando autem SS. Patres dicunt non esse fidem aut ullam virtutem sine charitate, loquuntur de fide viva et virtutibus in esse perfecto, ut jam monuimus.

Dico 2. In daemonibus et damnatis non remanet fides infusa et supernaturalis. Prob. Daemones et damnati sunt spoliati omnibus donis gratuitis, praesertim iis, quae ordinantur ad beatitudinem, quam nec sperant, nec sperare possunt, atqui fides est donum gratuitum ex sua natura ordinatum ad beatitudinem; est enim secundum Apostolum *sperandarum substantia rerum*, et secundum Tridentinum initium salutis, radix et fundamentum justificationis, ergo. Confir. Ad fidem supernaturalem requiritur pia motio voluntatis, seu bonus affectus credulitatis erga primam veritatem revelantem: atqui nulla est in Daemonibus et damnatis pia motio voluntatis, nulla bona voluntas, quippe quae est firmata in malo, et quamvis id, quod agunt, sit quandoque ex objecto proximo bonum, illud tamen semper agunt ex prava intentione finis, sicque est semper malum.

Dices 1. Jacobi 2. dicitur: *Daemones credunt et contremiscunt*: ergo. 2. Daemones et Christiani damnati cognoscunt in inferno veritates supernaturales,

quas cognoverunt in via : atqui has veritates supernaturales cognoscere non possunt nisi per fidem , quae sola est supernaturalis inter virtutes intellectuales : ergo. R. ad primum. Daemones credunt fide infusa ex pia motione voluntatis , N. fide naturali et quodammodo coacta , tum ex evidentia signorum , quae perspicaci mentis acumine penetrant , tum miserabili experientia , qua Deum vindicem sentiunt , C. Neque refert , quod S. Jacobus comparet eorum fidem cum fide peccatorum , quae est vera fides infusa ; tenet enim comparatio , non quoad utriusque fidei naturam , sed quoad utriusque sterilitatem , quia neutra sufficit ad salutem , cum utraque sit sine operibus. Solutio patet ex textu. Ad secundum , N. min. Fides enim , qua Daemones et damnati credunt et cognoscunt veritates supernaturales , licet dici possit supernaturalis ex parte objecti , est tamen naturalis ex parte motivi seu principii : est enim acquisita vel ex statu viae , vel ex rerum eventu , vel ex prophetiis impletis , vel ex poenis quas sentiunt ; sicut si quis ex motivo mere naturali , puta ex relatione parentum , aut alicujus viri docti , crederet mysteria nostra , licet hujus fidei objectum foret supernaturale , ipsa tamen in se , et ex parte principii foret naturalis.

Dico 3. Fides non remanet in beatis ; bene tamen in animabus Purgatorii. Prob. prima pars. 1. ex Apost. 1. Cor. 13. dicente : *Ex parte cognoscimus , et ex parte prophetamus : cum autem venerit , quod perfectum est , evacuabitur , quod ex parte est.* Id est : cum venerit visio , evacuabitur fides ; unde Aug. l. 14. de Trinit. c. 2. *Neque enim* , inquit , *jam fides erit* (in patria) *qua credantur , quae non videntur , sed species qua videantur , quae credebantur.* Prob. 2. Destructo objecto formali fidei , non subsistit fides : atqui in beatis destruitur objectum formale fidei , est enim objectum formale fidei prima veritas non visa , quae intuitive videtur a beatis : ergo.

Hinc manet probata secunda pars ; animae enim in Purgatorio (idem dicendum de Patribus , qui erant in Limbo) nondum fruuntur visione beata , sicque remanet in ipsis objectum formale fidei scilicet prima veritas non visa. Adde , quod sperent beatitudinem , fundamentum autem spei est fides , cum nemo speret beatitudinem , nisi credat se posse illam adipisci.

Dico 4. Fides sive habitualis sive actualis non remanet in Haeretico , qui vel unum tantum fidei articulum pertinaciter discredit. Est communis cum Auctore contra paucos. Prob. 1. Apost. Galat. 5. v. 5. iis , qui sustinebant observantiam legalium esse necessariam ad salutem , dicit : *Evacuati estis a Christo* , idest a spiritu fidei , ut explicat versu sequenti. Tridentinum sess. 6. cap. 15. *Asserendum est* inquit , *non modo infidelitate , per quam et ipsa fides amittitur* , etc. quaelibet autem haeresis etiam circa unum tantum articulum est infidelitas. Prob. 2. ratione. Cessante objecto formali , a quo habitus et actus specificantur , cessant et destruuntur habitus et actus : atqui in Haeretico , qui pertinaciter negat vel unum articulum fidei , cessat objectum formale fidei tam habitualis quam actualis : ergo. Prob. min. Objectum formale fidei sive habitualis sive actualis , est prima veritas in dicendo ut manifestata per Ecclesiam : atqui qui negat pertinaciter unum articulum fidei , non credit alios quos tenet propter primam veritatem ut manifestatam per Ecclesiam , alioquin et hunc , quem negat , crederet , cum sit etiam , sicut alii , revelatus a prima veritate , et propositus ut talis ab Ecclesia ; sed hunc rejicit , et illos tenet ex proprio judicio et propria electione : unde Aug. l. 17. cont. Faust. c. 3. alloquens Manichaeos , *Qui* inquit , *in Evangelio , quod vultis , creditis , quod vultis , non creditis , vobis potius quam Evangelio creditis.*

Advertendum itaque , quod licet fides ex parte objecti sit totum integrale constans partibus , quatenus respicit plura a Deo revelata , in ratione tamen habitus , et qualitatis , est una , et simplex in unoquoque credentium , cum

inclinet ad assentiendum pluribus sub uno indivisibili motive, scilicet propter drimam veritatem in dicendo, unde totus, et integer perit in Haeretico. Quod si contingat Haereticum post haeresim eadem facilitate, et firmitate credere articulos, quos adhuc tenet, ac ante; id contingit quia haeretici eadem firmitate, et facilitate credunt non solum articulos Fidei, sed etiam suos errores, ita ut aliquando pro iis asserendis moriantur. Firmitas ergo provenit ex sola pertinacia voluntatis; Facilitas autem ex habitu Fidei acquisito, sive, juxta aliquos, per actus praecedentis Fidei, non qua supernaturales, sed qua vitales; sive, juxta alios, per actus fidei naturales ex parte principii, licet supernaturales ex parte objecti (saepe enim fidelis, vel ex instructione Parentum, vel ex Doctrina Cathechistarum, vel ex consuetudine, non attendendo ad primam veritatem revelantem, elicit actus qui, cum sint naturales ex parte principii, generant habitum pariter naturalem, qui remanet in haeresi). Habitus autem Fidei supernaturalis destruitur ad destructionem sui objecti formalis. Cum ergo Haereticus, negans unum fidei articulum neget primam veritatem, et per hunc actum physice destruat in suo intellectu objectum Fidei, eodem modo destruit mediate habitum fidei

Petes quot sint effectus Fidei? Resp. Duplicem esse effectum Fidei; Timorem scilicet tum servilem cum filialem, et purificationem cordis. Ex apprehensione mali poenae per Fidem causatur timor servilis: ex apprehensione mali culpae causatur timor filialis. Per fidem secundum se removetur impuritas erroris; per fidem autem formatam removetur impuritas affectus.

Articulus III.

De intollerantia verae Religionis.

[Latitudinarii sub specioso praetextu mutuae concordiae inter omnes Christianos ineundae, contra Catholicos acriter insurgunt, quod sua intollerantia dissensiones foveant, et impie contendunt, cum omnibus illis communionem esse habendam, qui quocumque modo divinam revelationem receperint, quamvis aliqua tantum eorum, quae in ea continentur receperint; quos fide licet dimidiata, non secus ac Catholicos salutem consequi posse asserunt. Atque hinc orta absurda distinctio articulorum fidei in fundamentales, et non fundamentales, in quibus tamen assignandis, ne ipsis quidem adhuc inter se convenerunt. Ex his autem, quae dicta sunt, patet quam impie haec proponantur: sine fide enim impossibile est placere Deo, et vitam aeternam consequi; Fides autem dimidiata nullimode fides divina dici potest. *Quae conventio Christi ad Belial? Aut quae pars fideli cum infideli?* Itaque

Dico Vera Religio nullam aliam Religionem a se diversam tollerare potest, atque intollerantia verae Religionis proprius caracter esse debet. Ante probationem suppono veram Religionem unam tantum esse posse, in quo tum Latitudinarii, tum alii Sectarii consentire debent, cum ipsis fatentibus ea est vera Religio, quae divinam sequitur revelationem, quae innititur veracitati Dei revelantis, qui nec fallere, nec falli potest. Illa igitur tantum est vera Religio, quae divinam revelationem ea, qua par est ratione, sequitur. Itaque si aliqua Religio in admittendis revelatis excedat, vel deficiat, aut admittit, quae vera non sunt, aut non admittit quae vera sunt. Sicut ergo si verum falso misceatur, verum esse desinit, et simpliciter verum amplius dici non potest: ita si dogmatibus verae Religionis falsa misceantur, vera Religio esse desinit, et simpliciter vera amplius dici non potest.

Prob. itaque conclusio. Tollerantia quamdam consociationem secum affert.

Atqui vera religio nullam consociationem habere potest cum dogmatibus alterius Religionis a se diversae, ut patet ex allata suppositione. Ergo vera Religio nullam Religionem, a se diversam tollerare potest. Imo sicut veritatis propria nota est nullam cum errore consociationem admittere, ita etiam proprius caracter verae Religionis esse debet intollerantia cujusvis alterius Religionis.

Non inde tamen sequitur, sicut Latitudinarii effutiunt, quod hominum animi inter se dividantur, unusque alteri inimicus evadat. Catholici enim praeceptum Christi, ut eos quoque diligant, a quibus mala acceperunt, suae menti propositum habent, eadem ergo ratione se gerere debent, erga illos, aquibus, quamvis alia, ac ipsi, dogmata sequantur, nullum detrimentum accipiunt. Istorum quidem errores odio habentur ab iis, qui veram christianam Religionem profitentur, eosque, si possent in viam salutis, atque veritatis revocare vellent; at in hoc tantum abest, ut animi alieni vestigia aliqua occurrant, quin potius evidentissime apparet, nihil magis eis corde esse, quam veram solidamque utilitatem illorum. Quis ignoret jam inde usque ab Ecclesiae initiis verae Religionis Professores, quantopere, quantisque cum suis periculis barbaros, atque infideles ad Dei cognitionem, et ad salutem adducere curaverint, et curent? Quod cum faciunt, hominum a se de Religione dissidentum saluti etiam cum impendio suae vitae inserviunt.

Dico 2. Falsae Religionis ea conditio est, ut quoad dogmata consociationem cum aliis religionibus a se diversis inire possit. Pr. Licet veritas cuique falsitati opponatur, non item falsitas, et nihil obstat, quin duo aeque falsa inter se consocientur. Et revera, si semel statuatur, divinam Revelationem esse divinae auctoritatis, et tamen posse ab aliquibus Christianis rejici aliqua revelata, quomodo damnari poterunt, qui alia divinitus tradita, et revelata contempserint, atque rejecerint? Quo enim jure quis utitur et aliis etiam eodem uti permittat, necesse est. Atque hinc non solum Ethnici aliarum religionum superstitiones in suam introduxerunt, sed etiam Christiani, qui a Fidei veritate declinaverunt, vel omnes omnino sectas, vel saltem aliquas tollerandas esse statuerunt; et sola vera Religio Christiana quoad dogmata nullam cum aliis sectis consociationem iniri posse censuit.

Objicit Lokius sufficere ad salutem aeternam, ut credamus Christum esse Messiam, et Dei Filium, idque probat pluribus sacrae Scripturae testimoniis, in quibus hoc Christus ab omnibus exegit. Atqui omnes pene haereticorum sectae admittunt hoc fidei dogma. Ergo. Resp. cum dist. Christus hoc primo ab omnibus exegit ut se verum Dei Filium esse crederent, et SS. Apostoli maxime solliciti fuerunt, ut id omnibus primo persuaderent. C. Christus exegit hujus tantummodo dogmatis fidem. N. Christus uti Dei Filius novam legem promulgaturus advenerat, ut igitur firmaret suam auctoritatem, qua erat Dei Filius, id primo curare debuit, ut omnes se Filium Dei esse crederent, idemque etiam Apostoli contenderunt. Est itaque Christi divinitas velut basis, et fundamentum evangelicae revelationis, nonne tamen ipse Christus voluit, ut caeterorum quoque omnium, quae tradidit, cuncti fidem haberent? Praecepit Apostolis, ut quae ab ipso audierant, omnes docerent, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. Marci 1. 15. *Quoniam impletum est tempus* (inquit Christus), *et appropinquavit regnum Dei, poenitemini, et credite Evangelio.* Post resurrectionem praecepit Apostolis Marc. 16. 15. *Euntes in Mundum universum, praedicate Evangelium omni Creaturae. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.* Et Apostoli praeceptis obtemperantes *profecti praedicaverunt ubique Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis.*

Objiciunt Latitudinarii cum Baelio, Rousseau, et Voltairio. Dicendum non est

unum prae altero magis revereri Deum, si unus prae altero S. Scripturam melius intelligat, sed satis est ut utrique S. Scripturam sicut regulam admittant, quamvis unus eorum in particulari, et per errorem a Dei voluntate recedat. Sicuti enim qui S. Scripturam accipit eo sensu, quo debet, ideo in eo sensu accipit, quia verum eum esse putat, non quia in se est verus, et quia si in alio acciperet, Deo se displicere crederet; ita qui in falso sensu accipit, non quia falsum eum esse arbitratur, sed quia verum; et se displicere Deo, si in alio acciperet. Ergo qui sequitur S. Scripturae sensum, quem verum esse putat, Deo placere, et aeternam salutem consequi potest. Resp. quaerendo a latitudinariis an velint S. Scripturam esse Regulam sensuum ipsorum hominum, an vero sensus hominum regulam S. Scripturae? Si S. Scriptura, (uti revera esse debet) est regula sensuum hominum, eique homines in suis sensibus se accomodare debent, turpissime fallitur qui sensum ejusdem non assequitur, et eam, contra ac debet, intelligit: Regula enim est norma, cui conformari oportet, illi subjici et ab ea pendere, sicut mensura est norma mensurati, non vero mensuratum norma ipsius mensurae. Numquid aeque reveretur suum Legislatorem tam qui legi promulgatae non solum venerationem adhibet, sed praeterea studio, et diligentia legitimum ejus sensum assequitur, et secundum eam operatur, quam qui legem uti regulam generatim reveretur, at propter suam malitiam, obstinationem, et culpabilem ignorantiam, non assequitur ejus sensum, et contra eam agit? Tunc ergo verus sensus S. Scripturae tribuitur, quando est uniformis menti Dei loquentis, nec ideo est verus, quia qui eum recte intelligit, putat esse verum, (ut vult Baelius) sed quia in se rectus est, et conformitatem cum Deo loquente habet. Requiritur quidem ad deceptionem vitandam, ut is sensus verus quoque esse putetur, non ideo tamen verus evadit, quia talis esse putatur. Inde vero est, ut qui falsum sensum S. Scripturae tribuit, quamvis ipse verum esse putet, verum tamen non tribuat, nec ejus falsa existimatio illum reddit menti Dei loquentis conformem. Nec refert, quod Deo placere intendat tam qui recte, quam qui prave S. Scripturam intelligit, qui enim adhibuit omnem diligentiam ut verum Scripturae sensum assequeretur, adeoque assequutus est, revera Deo placet: at qui propter suam malitiam, obstinationem, culpabilemque ignorantiam verum Scripturae sensum assequutus non fuerit, licet se Deo placere putaverit, falso tamen, ac impie putavit].

DISSERTATIO V.

De vitiis Fidei oppositis.

D. Th. QQ. 10. 11. 12. *et* 13.

Articulus I.

De infidelitate in communi.

Infidelitas in communi est carentia fidei: et est vel negativa, vel privativa, vel contraria. Infidelitas negativa est carentia fidei in eo, qui nihil audivit de fide, vel non audivit sufficienter. Privativa est carentia fidei in eo, qui audivit sufficienter de fide, et non vult ei assentiri, absque eo tamen quod contrarium asserat. Contraria est carentia fidei in eo, qui sufficienter de fide instructus non solum detrectat illam amplecti, sed etiam contrarium asserit, et errorem positivum contra fidem sustinet.

Petes 1. Utrum infidelitas sit peccatum? R. 1. Infidelitas mere negativa non

est peccatum, sed poena peccati. Prob. 1. Christus Joan. 15. dicit de Judaeis: *Si non venissem et locutus eis non fuissem, peccatum non haberent*: quod exponens Aug. tract. 89. in Joan. dicit, quod Christus loquatur de peccato, quo non crediderunt in Christum: infidelibus autem negative, Christus neque per se, neque per suos ministros locutus est, saltem sufficienter. 2. Nemo peccat omittendo, quod facere non potest: atqui qui nihil audiverunt de fide, aut non audiverunt sufficienter, non possunt credere, juxta illud Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt*? Perinde est ac si diceret; credere non possunt 3. Haec propositio 65. inter Baianas: *Infidelitas pure negativa in his, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est*: damnata est a S. Pio V. et Greg. XIII.

R. 2. Infidelitas privativa et contraria est peccatum: 1. quia nemo condemnatur nisi propter peccatum: *qui*, autem *non crediderit condemnabitur*, Marc. ultimo. 2. Quia fides est medium necessarium ad salutem: ergo is, cui sufficienter proponitur, tenetur eam acceptare.

Petes 2. Utrum omnia opera infidelium sint peccata? R. negative. Hanc quaestionem ex professo expendimus in tract. de Grat. dissert. 3. require ibi. §. 2.

Petes 3. quot sint species infidelitatis? R. tres communiter assignari, nempe Paganismum, Judaismum, et Haeresim. Quia peccatum infidelitatis consistit in renitendo fidei; tripliciter autem quis potest reniti fidei: vel enim renititur fidei, quam nondum professus est se suscipere ut veram, et est infidelitas Paganorum, qui sic dicti sunt a pagis, in quos, ab urbibus mandato Imperatorum Christianorum expulsi, se recipiebant, ut colerent sua idola; antea Gentiles dicebantur: vel renititur fidei, quam professus est in figura, et est infidelitas Judaeorum: vel tandem renititur fidei, quam professus est in manifestatione veritatis, et est infidelitas Haereticorum.

Dixi: *Quam professus est se suscipere*: quia ad Judaismum vel Haeresim videtur non requiri, quod revera susceperit fidem in figura vel veritate manifestata, sed sufficere ut exterius professus fuerit se suscipere: unde infantes Haereticorum non baptizati, qui ideo numquam fidem susceperunt, dicuntur Haeretici, eo quod secundum aestimationem profiteantur cum parentibus fidem Christi. Item Ariani et Paullinianistae, quamvis non vere baptizati, propter eamdem rationem dicebantur a Conciliis Haeretici.

Ad Paganismum pertinent Athei, Deistae, et Mahumetani; quia numquam professi sunt se suscipere sive in figura, sive in veritate fidem Christi. Licet enim Mahumetani agnoscant Christum ut Prophetam, non tamen eum agnoscunt ut Deum.

Apostasia non videtur distingui ab Haeresi nisi secundum magis et minus: quia Apostata deserit totam fidem, quam professus est, Haereticus partem tantum: intellige *objective*. Similiter ad unam ex praedictis possunt reduci aliae infidelitates.

Petes 4. Quae species infidelitatis sit gravius peccatum? Suppono quantum ad praxim diversas species infidelitatis, sive hae species differant inter se essentialiter, sive accidentaliter tantum (qua in re stabilienda dissentiunt Theologi) esse exprimendas in confessione, sicut et errores determinatos, puta quod negaverit Trinitatem, vel Incarnationem, quod professus fuerit Lutheranismum vel Calvinismum, propter graviorem vel leviorem malitiam. Resp. itaque: Si in infidelitate consideretur comparatio ejus ad Fidem, peccat gravius, qui renititur fidei susceptae, quam qui renititur Fidei non susceptae, et secundum hoc haeresis est gravior Judaismo, Judaismus Paganismo. Si vero in infidelitate consideretur corruptio eorum, quae pertinent ad fidem, cum in pluribus errent Gentiles quam Judaei, et Judaei quam Haeretici, secundum hoc gravior est in-

fidelitas Gentilium quam Judaeorum, et Judaeorum, quam Haereticorum. Quia tamen infidelitas habet rationem culpae magis ex eo, quod renititur fidei, quam ex hoc, quod non habet ea, quae sunt fidei, hinc prima gravitas quoad rationem culpae praeponderat secundae, et simpliciter loquendo infidelitas haereticorum est pessima.

Petes 5. Utrum sit licitum disputare de fide cum Infidelibus? Rep. 1. Attento jure naturae peccat, qui fide jam suscepta disputat tamquam de ea dubitans; qui vero nondum fidem suscepit, et incipit dubitare, licite disputat ad inquirendam veritatem 2. peccat qui disputat cum scandalo infirmorum. 3. Qui non est satis doctus ad argumenta infidelium solvenda. E contra sufficienter eruditus laudabiliter disputat cum Infidelibus coram iis, qui ex disputatione possunt proficere, imo ad id tenetur, si ex silentio infirmorum fides veniat in discrimen. Sic fecerunt S. Stephanus Act. 6., S. Paulus ibid. 9. et plures alii.

Resp. 2. Attento jure ecclesiastico servandum est Decretum Alex. IV. cap. *Quicumque* de Haeret. in 6. *Inhibemus ne cuiquam laicae Personae liceat publice, vel privatim de fide catholica disputare. Qui vero contra fecerit, excommunicationis laqueo innodetur.* Quo decreto non solum disputatio cum Infidelibus, sed prohibetur omnis disputatio de fide catholica. Per laicos autem non intelliguntur illitterati (ut quidam volunt), sed id, quod proprie significat. Notat Glossa in idem caput, poenam excommunicationis esse ferendae sententiae et cum odiosa sint restringenda verbum *disputare* est accipiendum formaliter, dum fit ad persuadendum, non vero materialiter, dum fit honoris, vel exercitii gratia, sive publice, sive privatim. In iis locis, in quibus haereses grassantur, videtur hoc decretum contraria consuetudine abrogatum scientibus, et non contradicentibus Praelatis.

[Privata disputatio est quae in privato loco inter privatos fit, nullis, aut paucis Auditoribus praesentibus. Publica vero, quae fit in publico loco, spectante populo, ac quandoque etiam Arbitris constitutis. Quoad privatas disputationes decrevit S. Congr. de Propag. Fide die 26 Febr. 1630. *Sacerdotes nisi sint valde periti, ex consilio debent se abstinere excusando se bonis verbis, et praetextibus.* Licet autem periti sint Sacerdotes, sive Missionarii cavere debent, ne haereticos ad disputandum provocent, in causa enim essent, ut illi orthodoxa dogmata refellentes, haereseos actus exercerent, ac catholicam fidem contemnerent. A publicis autem disputationibus cum haereticis Missionarii abstinere omnino debent. Sac. enim Congr. de Prop. Fide 8. Mart. 1625. *Jussit publicas disputationes non fieri cum Haereticis, quia plerumque vel ob loquacitatem, audaciam, aut circumstantias populi acclamantis, veritas, falsitate praevalente, opprimitur, et si aliquando hujusmodi disputationes recusari non possent, primum de illis certior fiat S. Congregatio, quae juxta temporum, et Personarum qualitatem, quid agendum sit praescribet.* Cumque Missionarii anno 1631. pubblicas disputationes cum Batavis Constantinopoli coram Vicario Patriarchali instituissent *Sñus mandavit significari Generalibus Regularium Perae commorantium, ut illis interdicerent, ne hujusmodi congressus, aut disputationes publicas imposterum facere praesumerent sub poenis arbitrio Sac. Congr. Supremae Inquisit.* Et S. Congr. de Prop. Fide 19. Januar. 1644. Missionario in Armenia mandavit, *ut a disputationibus cum Patriarcha Armenorum in Eruam circa articulum duarum naturarum in Christo se abstineret.*

Multo minus licitum est Missionariis sine expressa Romani Pontificis licentia conventum indicere ecclesiasticum, in quo cum haereticis de religione disputent. Obtenta autem licentia quinque conditiones requiruntur, ut rite fiat. 1. Ut haeretici non ut Judices, et cum jure suffragii conveniant, sed ut con-

vincantur erroris et corrigantur 2. Ut non definiantur fidei dogmata, sed ut jam definita esse revelata demonstrentur. 3. Ne fiat coram Plebe, sed coram doctis. 4. Ne Laici, etiamsi sint Principes sedeant tamquam Judices. 5 Non debent Praelati catholici a laico Principe cogi ad conventum, sed invitari tantum, petita licentia a summo Pontifice, ut possint ea de causa a propriis Ecclesiis abesse. Haereticos autem et Schismaticos poterit Princeps cogere, ut vocati a Praelatis catholicis, veniant ad reddendam rationem sui erroris, ut ita corrigi, et convinci possint.]

Petes 6. Utrum Infideles cogendi sint ad fidem? R. Qui numquam fidem susceperunt, sive subdantur Principibus Christianis, sive non, nullatenus sunt cogendi ad Fidem, possunt tamen cogi ne impediant fidem, fideique praedicationem blasphemiis, malis suasionibus, aut apertis persecutionibus. Patet prima pars quia Ecclesia non habet jurisdictionem in eos, qui non susceperunt fidem juxta illud Cor. 1. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt judicare?* Et Trident. sess. 14. c 2. declarat, quod *Ecclesia* in neminem judicium exercet, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus. Principes etiam Christiani nullam in extraneos, in Subditos autem habent jurisdictionem illos politice gubernandi, non cogendi ad Fidem; Et quamvis possint cogere Subditos ad deserendam Idololatriam, quae est contra jus naturale, cujus quilibet Princeps est custos in suis Subditis, non tamen eorum potestas se extendit ad legem fidei, quae est supernaturalis.

Secunda pars etiam patet. Ecclesia enim habet jus, et mandatum a Christo praedicandi Evangelium in universo Mundo. Si ergo Barbari praedicationem impediant possunt Principes Christiani bellum contra eos movere, rebelles domare, ut tueantur jura Ecclesiae violata, et innocentes defendant, tam eos, qui jus habent praedicandi, quam eos, qui habent jus audiendi.

Resp. 2. Infideles, qui aliquando fidem susceperunt, ut Haeretici, et Apostatae possunt corporaliter compelli, ut impleant, quod promiserunt, et servent, quod semel susceperunt. Prob. ex Jure Cap. *Contra Christianos de* Haeret. in 6. cap. *Majores* de Bapt. et cap. *de Judaeis* D. 45.; Ex Conc. Trident. Sess. 7. Can. 14. Ex ratione. Qui fidem profitentur, et baptizantur, incorporantur Ecclesiae, ut ejus Subditi, et se obligant ad fidem servandam. Ergo a Superioribus compelli possunt, ut suae obligationi satisfaciant, sin minus corporaliter puniri, sive per Principes suos, sive per alios, quibus Ecclesia, aut proprius Princeps id commiserit. *Sicut vovere* (inquit S. Thomas) *est voluntatis, reddere autem necessitatis; ita accipere fidem est voluntatis, sed tenere eam acceptam est necessitatis, et ideo haeretici sunt compellendi, ut fidem teneant.*

Petes. 7. Utrum ritus infidelium sint tollerandi? Resp. 1. Ritus infidelium, principibus Christianis subditorum, per se loquendo non sunt tollerandi. Vel enim fidem non susceperunt, et peccant contra legem naturae, cujus Princeps est custos in suis subditis; Vel fidem susceperunt ut haeretici, et subjiciuntur Ecclesiae, et Principibus Christianis etiam in iis, quae spectant fidem, quorum proinde peccata contra professionem fidei tenentur illi impedire. In non subditos vero, qui non susceperunt Fidem, neque Ecclesia, neque Principes Christiani, habent jurisdictionem etiam quoad peccata, quae sunt contra legem naturae, nisi essent in damnum Proximi, ut si eorum ritibus occiderentur innocentes, quilibet enim habet jus eos defendendi. R. 2. Per accidens, ad vitanda scilicet pejora mala, et ne majora bona impediantur, possunt tollerari ritus infidelium; humanum enim regimen derivatur a divino; Deus autem aliqua mala permittit, ne vel bona majora tollantur, vel pejora mala sequantur. Hinc recte tollerantur ritus Judaeorum, in quibus testimonium fidei nostrae habemus ab hostibus, et quasi in figura repraesentatur nobis, quod credimus. Quoad vero ritus aliorum attenden-

dum est ad mala, quae ex eorum prohibitione sequerentur, et ad bona, quae impedirentur.

Articulus II.

De Haeresi.

§. I. *Quid et quotuplex sit Haeresis?*

Haeresis est vox graeca, importans electionem; quia Haereticus proprio judicio eligit credendum, quod vult.

Dico 1. Haeresis est *error pertinax manifeste contrarius fidei in eo, qui fidem Christi in veritate professus est.* Dicitur *error*, id est positivus assensus falsi seu dissensus veri. Dicitur *manifeste contrarius fidei*, quia si quis teneret aliquid contrarium fidei, de quo certum et manifestum non foret, quod illi esset contrarium, non esset Haereticus saltem formalis: illud autem est certo et manifeste de fide, quod est manifeste et certo a Deo revelatum, sive privatim, sive in Scriptura, sive in definitionibus Ecclesiae, et quod tamquam de fide tenent omnes catholici. Dicitur *error pertinax.* Pertinacia est obstinata adhaesio propriae sententiae contra fidem sufficienter manifestatam, ad quod non requiritur diuturnitas temporis, neque quod quis sit pluries canonice monitus; sed sufficit dissensus voluntarius fidei per Ecclesiam sufficienter propositae, quod potest haberi in instanti.

Hujusmodi pertinaciam requiri ad haeresim patet, tum ex ipso nomine, est enim, ut diximus, electio: tum quia sicut ad fidem requiritur pia motio voluntatis, inclinans intellectum ad assentiendum certo veritati obscure revelatae, ita ad haeresim, quae fidei opponitur, requiritur prava affectio voluntatis ad dissentiendum pertinaciter veritati per Ecclesiam propositae: tum ex jure, cap. *Dixit*, cap. *Qui in Ecclesia* causa 24. q. 3. et Clement. *Ex gravi* l. 5. de usuris, ubi non agnoscuntur pro Haereticis, nisi qui fuerint pertinaces in negando aliquo articulo fidei. Hinc illud dictum Augustini: *Errare potero, Haereticus non ero*, defectu scilicet pertinaciae. Idem S. Th. q. 8. de malo et in cap. 11. 1. Cor. lect. 4. Hinc inferes eum, qui ignorantia etiam culpabili crassa, et supina, non tamen affectata, repugnat fidei paratus assentiri, si esset instructus, non esse Haereticum formalem; quamvis enim mortaliter peccet contra praeceptum fidei affirmativum, ignorando voluntarie quae debet scire; non est tamen pertinax. Imo neque peccaret, si ignorantia ejus esset involuntaria et inculpabilis, ut contingit esse inter catholicos rudes, aut qui a parentibus et pastoribus incuriis negliguntur, et etiam inter enutritos apud Haereticos, qui nihil umquam de fide catholica, aut nonnisi irrisiones et blasphemias contra illam audierunt, nec ullo dubio hac in re pulsantur; ita ut si alia necessitate medii credenda teneant, et sint animo parati caetera credere, si debite proponerentur, non videantur esse extra viam salutis. Nec obstat, quod extra Ecclesiam non sit salus: hi enim ratione baptismatis, item fidei quam habent, et internae dispositionis caetera credendi, dici possunt esse in Ecclesia.

Neque etiam obstat, quod ad alia peccata sufficiat voluntarium in causa; sic qui occidit hominem ex ignorantia culpabili, est vere homicida: disparitas est enim, quod alia peccata non dicantur ab electione sicut haeresis, ad quam ideo non sufficit voluntarium commune, quo omne peccatum debet esse voluntarium, sed requiritur voluntarium speciale et pertinax oppositum fidei.

Hinc inferes 1. ad haeresim formalem non esse necesse, ut quis agnoscat Dogma quod tenet esse falsum, et oppositum verum, et revelatum, alias raris-

simi essent haeretici, qui communiter aestimant sua dogmata esse vera. Non enim quis dissentire potest vero agnito tali, nisi indirecte divertendo mentem ab ejus consideratione, ut forte contigit Haeresiarchis Luthero, et Calvino, sed sufficit, quod veritatem ab Ecclesia propositam neget, cujus infallibilem auctoritatem in proponendis revelatis possit, et debeat agnoscere; et cum tot, et tanta sint illius motiva, nonnisi voluntarie coecutiens, ac pertinax eam negare potest. Unde sequitur pertinaciam haeresis esse immediate, et directe contra auctoritatem infallibilem Ecclesiae proponentis veritates revelatas: mediate vero, et indirecte contra ipsas veritates revelatas, ab Ecclesia propositas, deinde contra revelationem, ac demum contra primam veritatem revelantem. Inferes 2. Eum esse formaliter haereticum, qui negat aliquam veritatem, quam putat esse ab Ecclesia propositam, et definitam, quae tamen non est, quia affectu est pertinax contra auctoritatem Ecclesiae.

Petes 1. Utrum negans conclusionem theologicam sit haereticus? R. Si non agnoscat connexionem conclusionis cum praemissis, nullo modo est haereticus, quia ista conclusio non est immediate revelata, nec consequenter de Fide. Si vero eam cognoscat, est haereticus praesumptive, seu illative, quia negando conclusionem censetur negare alterutram praemissarum, non naturalem, quam supponimus evidentem. Ergo alteram quae est de Fide.

Petes 2. utrum dubius in fide sit Haereticus? Videtur quod non, quia dubius non habet errorem in intellectu, cum nec assentiat, nec dissentiat: dubium enim est suspensio inter assensum et dissensum. Ante resolutionem distinguendum est duplex dubium; unum negativum, alterum positivum. Negativum, quod quidam vocant in actu exercito, est quando quis apprehensa utraque parte opposita, an hoc sit verum vel falsum, neutri assentiens, absque ullo actu positivo suspensus manet: positivum, quod alii vocant in actu signato, est quando quis similiter apprehensa utraque parte opposita, neutri assentiens, actu positivo judicat rem esse dubiam et incertam.

R. 1. Qui deliberate dubitat dubio positivo de aliquo articulo fidei sufficienter proposito ab Ecclesia, v. g. qui judicat dubium esse, an detur Purgatorium? an Christus sit in Eucharistia? cum tamen sciat ita tradi et credi a tota Ecclesia, est formaliter Haereticus; quia licet non neget veritatem, de qua dubitat, judicat tamen positive eam et infallibilitatem Ecclesiae non esse certas; sicque habet errorem positivum et pertinacem in intellectu, si non explicite contra veritatem fidei, de qua dubitat, saltem contra infallibilitatis Ecclesiae firmitatem et certitudinem, quae est fidei essentialis: per quod solvitur argumentum initio positum. Et de illo dubitante verificatur, quod in jure dicitur: *Dubius in fide est infidelis*, incurritque excommunicationem Papae reservatam, non secus ac alii Haeretici.

R. 2. Qui de aliquo articulo fidei sufficienter ab Ecclesia proposito dubitat dubio negativo tantum, id est, suspendit praecise judicium sine ullo positivo actu, quia v. g. vult nunc aliis attendere, vel non vult in re tanta modo defatigare caput, vel vult inquirere motiva commodius et suavius assentiendi, aut propter similia motiva, non est formaliter Haereticus, quia cum non habeat judicium, illud enim suspendit, non habet errorem positivum in intellectu. Neque videtur per se peccare saltem mortaliter, secluso periculo consensus in dubium positivum, nisi tunc urgeat praeceptum affirmativum fidei. Si tamen talis suspensio judicii procederet ex motione voluntatis propter difficultates propositas ab intellectu, non judicante tamen, quasi iis territae et veritae deceptionem; quidam non improbabiliter existimant ibi includi malitiam haereseos, ita ut suspensio subsecuta ad illam malam motionem voluntatis sit quoddam virtuale et implicitum judicium de incertitudine objecti fidei. Caeterum res est

admodum periculosa ; neque dubium est, quin voluntarium dubium negativum facile possit transire in positivum, aut ex illo oriri.

Dico 2. Haeresis dividitur 1. in materialem et formalem: formalis est, quam definivimus, et hucusque explicuimus: materialis est error hominis baptizati contra veritatem fidei ex ignorantia, et sine pertinacia. Patet ex dictis. 2. Dividitur haeresis in internam tantum, externam tantum, et in internam et externam simul. Interna tantum est error voluntarius contra fidem in sola mente sistens et nullo signo exteriori manifestatus ; externa tantum est, cum quis ore vel facto negat fidem corde retentam: interna et externa simul, quae est haeresis completa, est, quae mente concepta verbo vel signo exterius manifestatur, etiamsi nemo adsit ; modo sit tale signum, ut si quis adesset, statim intelligeret negari articulum fidei ; de quo plura modo. 3. Haeresis externa dividitur in occultam et manifestam. Occulta est, quae nulli vel paucis innotescit : manifesta, quae multis nota est.

§. II. *De poenis Haereticorum.*

Poenae Haereticorum sunt duplicis generis. Quaedam sunt spirituales, ut excommunicatio, irregularitas, privatio omnis beneficii, jurisdictionis, et dignitatis ecclesiasticae. Aliae sunt corporales, ut confiscatio omnium bonorum, exemptio subditorum a juramento fidelitatis, infamia, et poena capitis. Poenae temporales pertinent ad forum saeculare : unde iis omissis dicemus tantum de spiritualibus.

Dico 1. Neque Haereticus materialis, neque mere internus, neque mere externus incurrit excommunicationem et alias poenas spirituales Haereticorum. Prima pars patet: Haereticus enim materialis non est vere et formaliter Haereticus, quia non est pertinax. Secunda pars etiam constat: quia licet Haereticus mere internus sit in foro conscientiae et coram Deo vere Haereticus, non est tamen talis in foro externo et coram Ecclesia, quae non judicat de internis, et ideo poenis ab ea decretis in Haereticos non subjicitur. Tertia pars etiam constat: quia Haereticus mere externus, ut qui vel metu, vel spe lucri, vel ex ira, aliove simili motivo, fide corde retenta, profert propositionem haereticam, Crucifixum, aut Sanctorum imagines conculcat, cultum Idolo exhibet, Haereticorum coenae communicat, etc. quamvis gravissime peccet, non est tamen revera Haereticus ; quia haeresis est error mentis ; poenae autem ecclesiasticae non feruntur nisi in eos, qui revera sunt Haeretici. Neque refert, quod qui occidit hominem ex metu vel spe lucri, vere sit homicida. Disparitas est, quod ad homicidium sufficiat occisio hominis absque legitima auctoritate ; ad haeresim autem requiritur error in mente. Et hi omnes consequenter possunt absolvi a quolibet confessario ; nisi externus ab Ecclesia (quae non nisi exteriora judicat, et per exteriora de interioribus praesumit) esset publice denuntiatus, ut Haereticus ; tunc enim propter scandalum foret vitandus, nec nisi Ecclesiae reconciliatus deberet absolvi.

Dico 2. Haereticus internus hoc ipso, quo suam haeresim exterius distincte et assertive manifestat, etiamsi nullo audiente aut vidente, incurrit excommunicationem soli Papae reservatam : Cap. *Excommunicamus* de Haereticis, cap. *Noverit* de Sent. excommunicat. et in Bulla Coenae. Dixi: *distincte manifestat*, idest verbo, scripto, vel facto, aliove signo, quod vel ex natura sua, vel ex institutione, vel ex consuetudine, vel ex circumstantiis distincte haeresim significat. Ut si mente sentiens Christum non esse in Eucharistia, aut Hostiam sacram conculcet, aut in eam spuat, aut non genuflectat, aut caput non aperiat, dum elevatur, si tamen haec duo ultima appareant fieri deliberate : Secus si signum

sit indifferens ad significandam haeresim, vel aliud mente conceptum, ut si in eodem casu dicat simpliciter *non est*, aut femur percutiat, vel caput inclinet, quia revera non manifestat suam haeresim, quia haec sunt signa aequivoca. Dixi: *Etiamsi nullo audiente aut vidente*: sufficit enim esse tale signum, ex quo, si quis adesset statim intelligeret negari fidem; talis enim haeresis pertinet ad forum exterius Ecclesiae, sicque subjacet excommunicationi, quae est fori exterioris, quod autem probari non possit, non est, quod secundum se non sit fori exterioris, sed per accidens defectu testium.

Quantum ad alias poenas spirituales Haereticorum, quidam censent Haereticos manifestos, non hoc ipso privari suis beneficiis, sed requiri sententiam judicis, quia cap. *Ut commissi* de Haeret. in 6. Pontifex dicit esse privandos, aut privatos declarandos: alii volunt hoc ipso privari titulo beneficii, sed non possessione. Quantum ad sepulturam ecclesiasticam Sylvius hic censet Haereticum manifestum debere illa privari ante sententiam judicis: quia cap. *Quicumque* de Haereticis, decernitur indefinite Haereticos, credentes, receptatores, defensores, et fautores esse privandos sepultura, et qui aliter facere praesumpserint, excommunicantur. Verum supposita veritate hujus sententiae, arbitror esse intelligendam de Haereticis et aliis assignatis ita manifestis, ut nulla tergiversatione et nullo juris suffragio possent excusari, quod rarum puto in praxi: alioquin praeberetur materia litibus et contentionibus.

Quantum ad irregularitatem, quidam volunt incurri statim ac haeresis sit exterior, licet maneat occulta: ex eodem cap. *Quicumque*: alii volunt debere esse notam et manifestam, quia Bonifacius VIII. cap. *Statutum* 2. eod. tit. de Haereticis, videtur interpretari laudatum cap. *Quicumque* quoad irregularitatem de Haereticis manifestis et probatis.

Neque solum Haeretici incurrunt irregularitatem, sed ipsis credentes, eorum receptatores et fautores, imo et ipsorum filii, usque ad secundam generationem si pater moriatur in haeresi; usque ad primam, si mater moriatur in haeresi, utroque capite citato, *Quicumque et Statutum.*

Quantum ad privationem jurisdictionis gravior est difficultas. Certum est jure antiquo omnes Haereticos manifestos privari jurisdictione. Ita resolvit S. Th. infra q. 39. a. 3. o. Sed quaestio est de jure recentiori in Conc. Constant. Unde

Dico 3. Haeretici etiam manifesti, nisi sint nominatim denuntiati, aut nisi ipsi recedant ab Ecclesia, retinent jurisdictionem et valide absolvunt. Prob. ex Bulla *Ad evitanda scandala*, Martini V. in Concilio Constantiensi, in qua, prout refertur a S. Antonino 3. p. tit. 25. c. 2. sic statuitur: *Ad evitanda scandala et multa pericula, quae conscientiis timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore praesentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus in Sacramentorum administratione vel receptione, aut aliis quibuscumque divinis, vel extra praetextu cujuscumque sententiae aut censurae ecclesiasticae a jure vel ab homine generaliter promulgatae, teneatur abstinere, vel aliquem vitare aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia aut censura hujusmodi fuerit in vel contra personam, vel contra collegium, vel universitatem, ecclesiam, vel locum certum vel certam terram a Judice publicata et denuntiata specialiter et expresse: Constitutionibus Apostolicis et aliis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.* Deinde excipit solum notorios percussores clericorum. Ex quibus sic arguitur; Ecclesia concedit fidelibus, ut possint recipere Sacramenta ab Haereticis non denuntiatis expresse et nominatim: ergo his relinquit jurisdictionem ad validam Sacramentorum administrationem, alioquin nulla foret concessio facta fidelibus.

Confir. ex hodierna totius Ecclesiae praxi: nemo enim putat hodie vitan-

dos esse Lutheranos et Calvinistas notorie Haereticos et excommunicatos. Nemo vitat suum pastorem etiam quoad receptionem Sacramentorum, quamdiu relinquitur in suo beneficio, quamvis sit omnium aut saltem plurium judicio manifestus Jansenista et Ecclesiae definitionibus rebellis: et sic de caeteris.

Dixi in conclusione: *Vel nisi ipsi ab Ecclesia recedant.* Tum quia hoc ipso, quo recedunt ab Ecclesia, renuntiant ejus jurisdictioni, quam ideo Ecclesia non censetur illis continuare: tum quia Concilium loquitur de Haereticis inter Catholicos versantibus, quatenus si vitandi essent manifesti ante denunciationem, generarentur pericula animarum et anxietates conscientiarum, dum non constaret esse manifestos, aliis affirmantibus, aliis negantibus, ut de facto contingit in casu Jansenismi, et difficillimum sit laicis discernere certo, an aliquis sit manifeste Haereticus vel non, cum materia haereseos ut plurimum superet eorum captum. Quibus de causis Concilium merito statuit solos denuntiatos esse vitandos; hae vero causae cessant, dum ipsimet Haeretici ab Ecclesia recedunt.

Dices; haec Bulla non reperitur in actibus Concilii Constantiensis: ergo. R. referri a S. Antonino Concilio coaetaneo, et ab omnibus passim auctoribus.

Inst. Haec Bulla refertur partim a Concilio Basileensi sess. 20. et Lateran. sess. 11. cum majori exceptione; declaratur enim esse vitandos omnes notorie excommunicatos, quacumque de causa sint excommunicati: ergo R. Hanc additionem ab his Conciliis factam non esse usu receptam: unde Dominicus Soto in 4. d. 22. q. 1. a. 4. postquam retulit haec Concilia, dicit; *More et usu Ecclesiae receptissimum est, ut non vitemus nisi illas duas excommunicationum species* (scilicet nominatim denuntiatos, et notorios percussores Clericorum) *quas praedictum Concilium* (Constantiense) *jussit . . . . Et ita absque ullo metu tenendum est.* Et patet ex confirmatione conclusionis.

Caeterum observandum est, quod cum Haeretici, et alii excommunicati peccent sacramenta ministrando (in nullo enim per laudatam Bullam relevantur, quippe quae tota est in favorem fidelium) non liceat eos adire pro sacramentorum receptione, nisi ex legitima causa, tum quia periculum est, ne jurisdictione abutantur in perversionem Fidelium, tum quia ex praecepto charitatis, et religionis, tenemur, quando commode possumus impedire peccatum Proximi et irreverentiam Sacramenti. Quae sint legitimae causae vid. Diss. 5. de sacram.

Petes. Quis possit absolvere ab haeresi? R. Concilium Trid. sess. 24. cap. 6. de Reform. concedit Episcopis facultatem absolvendi per se vel per Vicarium specialiter ad id deputandum ab omnibus casibus occultis S. Sedi reservatis, et a crimine occulto haeresis per seipsos tantum. Verum haec facultas videtur revocata per Bullam Coenae, prout edita est post Trid. a Sixto V. Gregorio XIII. Clemente VIII. et Paullo V. non solum quoad haeresim, sed etiam quoad alios casus in hac Bulla contentos, unde in locis, ubi viget ista Bulla, videtur, quod extra periculum mortis solus pontifex, aut is, cui committit, possit absolvere ab haeresi occulta et aliis casibus occultis Bullae Coenae. At Episcopi solent obtinere a Summis Pontificibus facultatem absolvendi per se vel per alios ab haeresi etiam manifesta, ut patet ex Bulla Greg. XIII. ad Episcopos Belgii anno 1576. et Episcoporum praxi.

§. III. *De libris Haereticorum, et aliis prohibitis.*

Suppono tamquam certum Ecclesiam habere jus prohibendi, et condemnandi libros Haereticorum, et alios perversam doctrinam continentes; habet quippe jus invigilandi deposito fidei et impediendi, ne Fideles quorum salus ipsi commissa est, pervertantur. Ad hoc autem necessarium est removeri libros fidei, et morum corruptivos. Et haec fuit constans ejus praxis a primis saeculis. Sic tempo-

re Apostolorum *multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, et combusserunt coram omnibus, et computatis pretiis illorum invenerunt pecuniam denariorum quinquaginta millium.* Sic Conc. Nicaenum jussit comburi libros Arii et Conc. Chalced. libros Nestorii pariter igni addixit. Item c. *Fraternitatis* de Haeret. prohibentur libri Pelagii, et in Synodo Constant. libri Joannis Hus, et Wiclefi etiam traditi sunt igni. Permittuntur tamen libri Paganorum, et quorumdam antiquorum haereticorum, ut Tertulliani; quia cum errores, quos continent, sint noti, et antiquati, nulli scandalo esse possunt, et aliunde prosunt sive propter elegantiam styli, sive propter antiquitatis notitiam.

Adversus vetitam pravorum librorum lectionem scripsere Protestantes, aliique complures, quibus nulla Religio est, qui aegre ferunt, eripi ex hominum manibus libros, a quibus in errorem deducantur, eorumque mores depraventur; non defuerunt tamen plures Catholici, qui eam jure factam defenderunt, deque Ecclesiae, et Romani Pontificis in eo negotio potestate solide, graviterque disseruerunt. Inter alios copiosissime, et accuratissime hoc argumentum pertractavit Zaccaria in opere, cui titulus *Storia polemica delle proibizioni dei libri*, in quo uno in conspectu positum habes quidquid ad justam nocuorum librorum prohibitionem, Ecclesiaeque, et Romani Pontificis in ea re potestatem ostendendam, atque ad Haereticorum, aliorumque similium commenta refutanda pertinet. Videri etiam poterit Valsecchius *dei fondamenti della Religione, e dei fonti dell' Empietà l.* 3. *p.* 3. *cap.* 3., *et* 4.

Summus Pontifex libros damnat, aut per Breve, Bullamque suam, aut per Congregationem Indicis, vel Sacrae Inquisitionis, olim etiam per S. Pal. Apostolici Magistrum interdum pravi libri damnabantur. Improbantur autem libri, postquam a doctis Viris cogniti, expensique diligentissime sunt, neque eadem est omnium improbandorum ratio. Aliqui enim ita scatent erroribus, ut ne castigari quidem possint, et simpliciter prohibentur, aliorum improbatur lectio, donec corrigantur. In librorum autem examine, judicioque peragendo servandae sunt omnimode regulae propositae a Bened. XIV. in Const. *Sollicita* 9. Julii 1753., quae initio Indicis librorum prohibitorum refertur.

In hoc indice tres ponuntur classes librorum. In 1. ponuntur Haeresiarchae in quacumque materia etiam profana scribentes, ut Lutherus, Calvinus etc., quia damnato Auctore damnantur omnia ejus scripta. Item libri Auctorum haereticorum haeresim continentes, vel de Religione tractantes, etsi haeresim non contineant. In 2. Classe ponuntur libri non propter Auctorem, sed propter malam doctrinam prohibiti, ut sunt, qui artem magicam, astrologiam judiciariam, res obscoenas, et lascivas, vel doctrinam suspectam, et rectae theologiae dissonam continent. Libri 3. Classis non habent certos Auctores; Si tamen tractent de Religione, vel haeresim contineant, sitque suspicio, quod ab Haereticis sint, compositi reducuntur ad primam Classem, secus ad secundam. His positis]

Dico. Excommunicantur excommunicatione Papae reservata *Haereticorum libros, haeresim continentes, vel de Religione tractantes sine auctoritate Sedis Apostolicae scienter legentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes ex quavis causa, publice vel occulte quovis ingenio vel colore.* Ita in terminis Bulla coenae.

Dicitur *libri* idest opus ea quantitate compositum, ut prudentum judicio censeatur liber. Quidam requirunt decem folia, sive opus sit typis mandatum, sive manuscriptum, quod etiam vocatur liber; sive etiam sit totum simul compactum, sive sit folium, aut pars a libro separata, quia cum totum nihil aliud sit, quam ejus partes, toto prohibito, prohibentur ejus partes. Secus si esset Epistola, Professio fidei, Concio, quae non veniunt nomine libri. Posset tamen incurri excommunicatio lata in Regula decima Indicis, qua prohibentur non so-

lum libri, sed etiam *scripta Haereticorum, vel cujusvis Auctoris ob haeresim vel ob falsi dogmatis suspicionem damnata, de qua infra.*

[Legitur in notis P. Antoine „ Nomine libri haeretici ex usu Patrum, et „ stylo Curiae romanae, comprehenduntur brevis scriptura, Oratio, Concio Di- „ sputatio, Epistola de Religione tractans. Nam saepe aequale, aut etiam ma- „ jus periculum continent, quam liber grandior„].

Dicitur *libri haereticorum* formaliter qua haereticorum. Unde non incurreret excommunicationem Bullae Coenae legens librum illius, qui ante vel post compositionem libri fuit haereticus; incurreret tamen excommunicationem non reservatam Indicis, si liber fuit prohibitus propter haeresim, aut suspicionem falsi dogmatis. Idem dicendum de libro Auctoris catholici, cui haereticus scholia, et notas annexuit. Remanet quidem liber Auctoris catholici, sed scripta sunt haeretici; [nisi forte tam copiosae essent notae adjunctae, ut censeatur liber ex eis potius, quam ex textu constare. Graves praeterea Auctores sustinent fore immunem a censura legentem haereses in libro Auctoris Catholici ad verbum insertas, prava intentione haereses addiscendi, quia lege canonica non punitur affectus, sed factum legentis librum haeretici. Hanc tamen sententiam, nec tutam, nec nimis probabilem reputant Colet. de Decal. c. 1. a. 1. punct. 3. §. 2. Scarpaz. t. 2. de virt. theol. p. 1. c. 6.]

Dicitur *haeresim continentes*, vel *de religione tractantes*, puta explicando scripturam, dogmata fidei, casus conscientiae etc. Quod tamen intellige de Haereticis, et non de Haeresiarchis, quorum libri secunda Regula Indicis, cujuscumque sint argumenti, prohibentur in eorum detestationem, et odium.

Dicitur *legentes* etiamsi tantum oculis, et non voce. Legentes, inquam, et non solum audientes, saltem probabilius, puta si famulus ex Heri mandato ipsi legeret [Non desunt theologi, qui contrarium sentiunt nam moraliter censetur ipse legere per alterius ministerium, neque ad strictam verborum interpretationem confugiendum est, cum de mente legislatoris rationabiliter dubitari nequit]. Item legentes intelligibiliter, et idiomate sibi noto, unde probabilius arbitramur, legentem idiomate sibi ignoto non incurrere excommunicationem: Praesumitur enim quod legislator numquam intenderit hunc casum, ex quo nullum potest esse periculum perversionis.

Dicitur *scienter*, unde ignorans etiam ignorantia crassa, vel librum esse haereticum, vel esse prohibitum legere libros haereticorum, vel esse prohibitum sub excommunicatione, illam non incurreret. [Haec Auctoris opinio de ignorantia crassa non est adeo communis, licet omnes cum eo conveniant de ignorantia invincibili, et plures etiam de vincibili modo non sit affectata.]

Dicitur *retinentes* sive ad legendum sive ad ornatum, sive ob antiquitatem, sive ad involvendas merces, aut alium quemlibet usum, quia retentio est continua occasio legendi praesentibus, et futuris cum periculo lapsus [Ex Const. Greg. XV. anno 1623. libri prohibiti propria auctoritate neque corrigi, neque comburi possunt, sed tradendi sunt Inquisitoribus. Excusant aliqui comburentem, si Auctor jam aliunde notus sit Inquisitoribus, sicut etiam excusant eos, qui libros tradunt alteri, qui habet facultatem illos legendi, et retinendi. Item non licet Bibliopolae libros prohibitos emere, et vendere, quia per hoc moraliter disseminantur errores, et quamvis deceptus sit emendo, non licet revendere, cum sit merx substantialiter vitiosa, et prohibita.]

Dicitur *imprimentes*, qui censentur omnes proxime concurrentes ad impressionem, ut disponentes typos, tingentes atramento, madefacientes chartas, prementes torcularia, corrector foliorum, Director impressionis, non vero vendentes typos, atramentum, chartas, qui remote tantum concurrunt.

Dicitur *defendentes* ut qui librum laudat, commendat, verbo, vel scripto defendit, occultat, aut alio modo impedit, ne deferatur, aut comburatur.

Dico 2. Qui legit non solum libros haereticorum, sed cujusvis Auctoris scripta; titulo haeresis vel ob falsi dogmatis suspicionem prohibita, incurrit excommunicationem non reservatam. Qui vero libros alio titulo prohibitos legit, peccat, sed non incurrit excommunicationem. Ita regula decima Indicis. Ulterius prohibetur lectio librorum, qui res lascivas, et obscoenas ex professo tractant in regula 7.; et in 9. rejiciuntur libri omnes, et scripta magica. [Notanda insuper est regula praescripta a Clem. VII. de prohib. librorum §. 6. *In universum autem de malis, et perniciosis libris id declaratur, atque statuitur, ut qui certa aliqua lingua initio editi, et deinde prohibiti, ac damnati a Sede Apostolica sunt, iidem quoque in quamcumque postea vertantur linguam censeantur ab eadem sede ubique gentium sub eisdem poenis interdicti, et damnati.* Unde sequitur Decreta, quibus Romae prohibentur libri, obligare omnes omnino fideles, quod patet non solum ex verbis allatis *ubique gentium*, sed etiam ex eo quod sint approbata a summis Pontificibus, et sint de re, quae ad omnes Fideles pertinet, cujusmodi est fidei, et morum doctrina.

Petes. Quinam concedere debeat facultatem legendi libros prohibitos? Resp. Hodie S. Inquisitionis Congregatio libros permittit, quorum lectio difficilius conceditur, quales sunt Haereticorum de religione agentium libri. S. Indicis Congregatio veniam tribuit legendi libros, in quibus levius est periculum. Certi quidam libri pro Urbe Roma etiam a Magistro S. Palatii Apostolici permittuntur].

§. IV. *Utrum Haeretici sint denunciandi?*

[Pauca praemittuntur de erectione, et forma Tribunalis. S. Inquisitionis. Summus Pontifex, cui tota commissa est Ecclesia catholica, curare imprimis debet, ut fides integra servetur, et in eos, qui illam suis erroribus corrumpunt, inquiratur. Usque ab initio contra errores, qui oriebantur, Episcopi in sua Dioecesi, vel Concilia provincialia in Provincia, inquirebant: graviora tamen negotia ad sedem Apostolicam referentes. Sed cum haereses latius serperent, summus Pontifex ad coercendam facilius perditorum hominum audaciam annexuit Legatos, qui suam opem Episcopis adjungerent. Erumpentibus tamen quotidie novis erroribus, nec Legati, ubique, et semper essent praesentes, visum est perpetuos instituere Magistratus, qui dicti sunt Inquisitores, quique vicaria funguntur opera sedis Apostolicae in avertendis, tollendisque erroribus, et in fide incolumi servanda. Ut autem inter Inquisitores per totum orbem diffusos, esset conjunctio animorum, et sententiarum cum sede Apostolica, quae est centrum unitatis, Romae instituta fuit Congregatio Cardinalium, cui ipse Pontifex praeest, a qua difficiliora negotia judicantur adhibita opera plurium Consultorum spectatae integritatis, et doctrinae. Inquisitores non adimunt Episcopis officium, et potestatem inquirendi, sed eis opem ferunt, ut pluribus subjecta oculis, tutior sit integritas fidei. S. Tribunal inquirit in omnes catholicos, qui in Religionem criminis rei facti sunt, exceptis Principibus, Cardinalibus, Episcopis, quorum ea de re crimina ad summum Pontificem ab Inquisitoribus referuntur. Judaei, et in haeresi, vel in schismate nati tollerantur, dummodo contra catholicam religionem nihil moliantur. Praeterea sacrum Tribunal judicium exercet in patrantes crimina, quae gravem haeresis suspicionem afferunt. Huc spectant divinationes, sortilegia, blasphemia haereticalis, poligamia simultanea, abusus sacramentorum, sacrarum imaginum injuria. Similiter qui libros damnatos legunt, aut vendunt qui contra Ecclesiae praeceptum vetitis vescuntur ci-

bis, Sacerdotes in sacramentali confessione ad turpia sollicitantes, et etiam exquirentes a Poenitentibus complicis nomen.

Haeretici, et Increduli numquam destitere convicia, et culumnias contra Sacrum Tribunal profundere, (quibus non parcunt etiam aliqui, qui se catholicos profitentur) quod maxime fecit Eybelius in libello *quid est Papa?* quem acriter refellit Mamachius in Epistolis sub nomine Pisti Aletini *Epist.* 3. §. 22. *t.* 1. Ille per summam injuriam crudelitatis Inquisitionem accusat, quasi plures ejus jussu necati fuerint. Quis autem non novit, non a Ministris Sacrorum, sed a Judicibus saeculi ex Legibus Principum reis haeresis supplicium fuisse constitutum? Unde Conc. Lateran. IV. can. 3. *Damnati* (inquit) *haeretici saecularibus potestatibus aut eorum balivis relinquantur, animadversione debita puniendi.* Quod vero alii jactant de gravissimis jejuniis, de flagellationibus, de aliquot precum formulis ad recitandum propositis; sunt haec omnia multo leviora iis, quae prioribus Ecclesiae saeculis ob multo minora crimina Poenitentibus imponebantur, et si quandoque severiora videantur, id pietati Inquisitorum, curandaeque communis salutis sollicitudini, non crudelitati tribuendum est. Quod si etiam detur aliquos Inquisitores fuisse aliquando, qui aut decepti, aut auctoritate sua abusi sint, id quidem unius alteriusque hominis, non tribunalis vitium censendum esset.

Inquisitores tantum quaerunt integritatem fidei et hoc solum suis poenis propositum habent, ut pravae unius opiniones aliis non noceant, atque ut errantes resipiscant. In expendendis causis, judicandisque nihil est, quod aequitati plene non sit consonum. Nam mentiuntur, qui etiam cogitationes ab Inquisitione judicari inquiunt, qui reos per fraudem, et dolum adduci existimant ad confitendum crimen, quod numquam admiserunt, qui eos habere negant defensiones, et beneficium appellationis. Mentiuntur (inquam) nam tantum qui exteriori actu religionem violarunt, poenas luunt, nulla contra ipsos vis, fraus, dolus adhibetur, suas iidem habent defensiones, et beneficium appellationis ad supremam Inquisitionem per quam omne damnum immerito illatum removetur. Imo ea inquisitionis lenitas est, ut sponte denuncians suum crimen, vel etiam ab alio accusatus, illud confitens, et detestans, non alias sufferat poenas, quam quae sunt ad salutem animae comparatae.] His praemissis

Dico 1. Ecclesia catholica habet potestatem puniendi, et coercendi Haereticos non solum per poenas spirituales, sed etiam per temporales. Pr. Christus Dominus potuit relinquere hanc potestatem Ecclesiae suae; Ergo eam illi dedit Pr. Ant. ex Psalm. 2. ubi de Christo est sermo, cui Pater dicit. *Dabo tibi gentes haereditatem tuam*, et infra *Reges eos in virga ferrea*, per quam significatur potestas regendi, et coercendi cum omni rigore justitiae, si opus sit. Quodque extendatur ad genus coactionis ostendit Christus (ut Patres notant) quando facto flagello de funiculis, vendentes, et ementes de templo ejecit. Joan. 2., et solet in Scriptura nomine virgae haec potestas signari, ut Prov. 13. *Qui parcit virgae, odit Filium suum, qui autem diligit illum instanter erudit.* Cum autem Ecclesia in hoc inferiori mundo duratura sit usque ad diem Judicii, nec Christus erat visibiliter semper in illa futurus, hanc ipse potestatem recepit ut per suos Vicarios, et Ministros, posset illam administrare, quod significavit Matt. ult. dicens *Data est mihi omnis potestas in Coelo et in terra*, statim subjungens *Euntes ergo docete omnes gentes.* Habuit ergo Christus hanc potestatem, quam proinde potuit communicare, et revera communicavit suo Vicario et ejus successoribus quantum oportuit. Quod probatur praecipue fundamentali testimonio Joan. 21. *Pasce oves meas*, quibus verbis secundum veram intelligentiam data est Petro, et ejus successoribus potestas regendi oves Christi; sed ad convenienter regendas, et conservandas oves indiget Pastor potestate

non solum dirigendi, sed insuper eas coercendi, et revocandi ad gregem, si resiliant, etiam vi corporali utendo, si opus fuerit. Ergo ut regimen esset perfectum dedit Christus Ecclesiae suae potestatem coercitivam per poenas etiam temporales, quia sine illa valde inefficax fuisset potestas spiritualis, praesertim pro hominibus rebellibus, ut sunt Haeretici. Et de hac potestate sibi communicata loquitur Paulus 2. Cor. 10. *Vultis in virga veniam ad vos?* Quod magis idem Apostolus explicuit 2. Cor. 4. *In promptu habens ulcisci omnem inobedientiam*, et infra *Si gloriatus fuero de potestate, quam dedit Dominus Nobis in aedificationem, non in destructionem, non erubescam.* Et quamvis initio Ecclesiae lateret haec potestas, quam non poterant Apostoli ordinario modo exercere propter infidelium multitudinem, et potentiam, data sunt tamen aliqua miraculosa indicia illius potestatis, ut factum Petri Actor 5. quando ad ejus verbum mortui sunt Ananias, et Saphira; Sic etiam D. Paulus coecitate percussit Elymam Magum act. 13: et 1. Cor. 5. tradidit Satanae incestuosum corporaliter vexandum, *ut spiritus ejus salvus fieret.* Ergo.

Obj. Haeretici tum veteres, tum recentes, quibus praebent manum omnes Increduli, 1. Christus Matt. 18. dicit *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tamquam Ethnicus, et Publicanus*, quibus verbis significatur potestatem Ecclesiae terminari in censura ecclesiastica, nec magis posse eam cogere hominem sic rebellem, quam infidelem extra Ecclesiam. 2. Paulus 2. Cor. 10. *Arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Dei.* Et ita quoties in suis Epistolis contra Haereticos agit utitur spirituali censura, vel ut ipse ait *Gladio Spiritus, quod est verbum Dei.* Et e contra Rom. 13. de Magistratu temporali dicit: *Non sine causa gladium portat*, unde Catholici colligunt, Ecclesiam per Principes saeculares posse gladio materiali contra Haereticos uti. 3. Hoc confirmant ex verbis Christi ad Petrum Matt. 26, et Jo. 18. *Mitte gladium tuum in vaginam*, ubi dicunt Christum prohibuisse Ecclesiae usum materialis gladii, quod suadere nituntur ex S. Bernardo l. 4. de Consid. scribente ad Eugenium. *Quid tu denuo usurpare gladium tentes, quem jussus es in vaginam convertere?* 4. Potest etiam confirmari ex Patribus, qui quoties de poenis temporalibus agunt, etiam respectu Haereticorum, per leges civiles, et Principum potentiam, inferendas esse significant. 5. Addunt antiquam consuetudinem, seu potius non usum talis coactionis per multos Annos in exordio Ecclesiae; Unde inferunt, quod si aliquis usus talis coactionis a Judicibus Ecclesiasticis fit, solum potest esse justus ex commissione saecularium Principum.

Resp. ad singula. Ad 1. In verbis Matt. 18. *Dic Ecclesiae* licet non fiat mentio temporalis, vel corporalis coactionis, non tamen excluditur, nec est necesse ut in omnibus et singulis locis omnia dicantur, cum praesertim ibi Christus ageret de correptione fraterna, quae in censura terminatur. Loquutus est tamen universalius, ubi egit de toto regimine Ecclesiae, et de integra potestate, ad illum finem danda. Act. 2. Verba Apostoli *Arma militiae nostrae* conclusionem nostram potius confirmant. Nam potestas, quae manat a Principibus terrenis carnalis dici potest: quae vero a Christo spiritualis est, quae propter excellentiam ad temporalia extenditur, et ideo inter arma spiritualia computatur, quae *potentia Dei* dicuntur, idest ad honorem Dei defendendum, vel quia in virtute Dei potentia sunt, et utrumque huic potestati convenit. Nec subsistit quod additur de usu Pauli, nam ipse interdum usus est virtute divina ad corporaliter vexandos peccatores, raro tamen, et extraordinario modo propter illius temporis conditionem, ut dictum est. Neque obstat quod Rom. 13. de principibus saecularibus tantum dicat non sine causa gladium portare, nam unicuique tribuitur, quod principaliter et primario illi convenit: Princeps autem temporalis directe habet materialem gladium, et usum ejus: Ecclesia vero

quasi eminenter, ratione cujus eminentiae etiam materialem gladium Principis habet subordinatum, ut suo nutu, servata aequitate justitiae, uti possit. Ad 3. verba illa *Converte gladium tuum in vaginam* ad litteram significant prohibitum esse usum gladii privata auctoritate, ut ostendunt verba sequentia *Qui acceperint gladium, gladio peribunt.* Applicata per sensum mysticum ad gladium Ecclesiae significant Pastores Ecclesiae non debere exercere per seipsos gladium materialem, non tamen negant illum habere in sua potestate, per temporales Ministros vibrandum, puniendo scilicet rebelles. Et hic est sensus S. Bernardi, qui eodem lib. 4. de Consid. c. 3. ait. *Quem tamen* (scilicet materialem gladium) *qui tuum esse negat, non satis mihi videtur attendere verbum Christi dicentis, converte gladium tuum in vaginam: Tuus ergo et ipse, quia tuo nutu, etsi non tua manu evaginandus, quoties necesse fuerit.* Et ita facile solvitur 4. argumentum. Petunt enim Pontifices auxilium Principum temporalium, non quia jus potestatis ipsis desit, sed quia saepe desunt exequutiva potentia, et humanae vires. Non postulant jurisdictionem, sed excitant Principes, ut sua jurisdictione utantur ad defensionem Reipubl., et Ecclesiae. Ad 5. resp. Argumentum esse negativum, quod ex se inefficax est ad probandum. Non enim ex non usu recte infertur defectus potestatis, cum non semper detur opportunitas utendi potestate, quam quis habet, ut contigit initio Ecclesiae, cum Pastores essent quasi sub potestate Principum infidelium, nec eis erat liberum propria potestate uti.

Inst. Ecclesia utitur potestate coactiva ex concessione Principum temporalium. Ergo non recepit a Christo. R. Nihil hoc absurdius dici posse. Quis enim credat Christum Ecclesiae Rectores instituisse, quibus non dederit omnem potestatem, qua opus erat ad suum munus exequendum? Nonne saepe contingeret, Principes, a quibus usus potestatis penderet, vel eum negaturos, vel si concederent, non sine limitationibus, quae eum inutilem redderent concessuros? Praeterea potestas data Petro non fuisset universalis supra omnes oves, ab ea enim saltem ipsi Principes eximerentur, contra Verbum Christi dicentis *Pasce oves meas* absque ulla exceptione. Quod si, data Ecclesiae pace, ipsi Principes suis constitutionibus, eamdem judicii potestatem Ecclesiae decreverunt, hoc factum est, ut eam liberius exercere posset, cum tempore persecutionum a suo munere libere exercendo impediretur; Ecclesia tamen semper in se agnovit potestatem non solum fori interni, sed etiam externi, cum enim suus Institutor ei commiserit curare res sacras, atque divinas, crimina in religionem divino jure ad suum judicium pertinere independenter a qualibet saeculari potestate semper est arbitrata, ut constat ex jure canonico, et usu, ac traditione Ecclesiae, quae est optima Scripturae interpres. V. Extrav. *Unam sanctam* de Majoritate, et obedientia.

Dico 2. Haeretici occulti sunt denunciandi, etiamsi solus denuncians peccatum agnoverit.

Ante probat. praemitto denunciationem esse legitimam delationem criminis, et criminosi apud Superiorem ut Patrem, vel Judicem. Duplex est denunciatio 1. *Evangelica*, a Christo Domino tradita. Matt. 18. 15. *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. est illa, qua frater delinquens denunciatur Superiori, servato correctionis ordine, non ad vindictam publicam, sed ad ejus emendationem. 2. *Judicialis*, quae est delatio criminis ad Superiorem, ut Judicem; est iterum duplex 1. *Civilis*, seu *judicialis specifice*, et est delatio criminosi apud Superiorem ut Judicem, vel ad vindictam publicam, vel ad privatum proprium interesse, et damni reparationem, dicitur civilis, eo quod a jure civili originem ducat. 2. *Canonica* a jure canonico introducta, et est delatio criminis apud Superiorem ecclesiasticum, ut per eum crimen istud impediatur. De hac judicia-

li denunciatione agitur. Differt autem ab accusatione; quod in accusatione Accusator sit pars illius judicii, et petit aliquo modo jus suum, et quasi obligat Judicem, ut sibi justitiam faciat, unde tenetur Accusator probare delictum, alioquin punietur. Denunciator vero non fit pars, sed tantum defert crimen ad notitiam Judicis: ut ille officio procedat ut melius sibi videbitur, nec denunciator cogitur ad probationem.

Suppono omnes, qui notitiam habuerint, teneri ad denunciandam Personam, quae commisit peccatum publicum Haeresis. Ex Apost. Roman. 16. 17. ubi praeceptum est, ut omnes *attendant iis, qui dissensiones faciunt, et depositum fidei pervertunt.* Et patet quia in causa Religionis unusquisque Christianus miles esse oportet, ut in reos majestatis, et publicos hostes omnis homo miles est. Sicut itaque in crimine laesae majestatis omnes tenentur publice delinquentem denunciare, ergo multo magis in crimine laesae Majestatis divinae, quod committitur per haeresim. Quae cum praeterea sit etiam nociva Communitati, sequitur quod ejus denunciationis obligatio cadat non solum sub praeceptum ecclesiasticum, sed etiam divinum, et naturale ex lege charitatis.

Prob. itaque concl. ex Deuter 13. ibi: *Ne parcat oculus tuus, ut miserearis, et occultes eum*, ubi est sermo de fratre infideli, qui alterum ad colenda Idola sollicitat, et praecipit Deus, illum statim deferri sine misericordia sub titulo illum occultandi, vel non infamandi; Sed haeresis idololatriae comparatur, nec minus Fidelibus nocet. Ergo. Unde lex illa Deuteronomii inter morales computanda est, fundatur enim in ratione naturali et ideo etiam in praesenti tempore locum habet.

Prob. 2. ratione. Denunciatio haeresis etiam occultae est necessaria bono communi Reipubl. Christianae, et utilis ad salutem spiritualem denuntiati. Atqui bonum commune praeferendum est privato, et bonum spirituale temporali; Ergo haeresis etiam occulta debet ex charitate denunciari. Consequentia cum minori sunt evidentes. Prob. Maj. quoad primam partem. 1. quamvis enim non ideo possit Judex animadvertere in personam sibi denunciatam, poterit tamen adhibere majorem vigilantiam erga eamdem Personam, et sic impedire, quominus error roboretur. Quod si duo denunciatores concurrant, quibus singillatim, et occulte fuerit haeresis ostensa, poterit etiam contra Reum procedere: 2. Metus denunciationis detinet Haereticum, ne suum errorem etiam occultissime cum uno communicet, atque ita Fideles a periculo erroris servantur immunes. 3. Haeresis est pestilens venenum, quod facile maximas provincias, et Regna inficit; Ergo Haeresis etiam occulta debet Superioribus manifestari, ad tantum malum vitandum. Ex parte ergo boni communis maxime utilis, et necessaria est dicta denunciatio. Pr. 2. pars 1. Quia propter metum denunciationis quilibet magis timebit, vel in haeresim labi, vel saltem cum aliquo illam communicare, vel aliquem in illam inducere; et ita saltem minus peccabit. 2: Quia etiam de peccato commisso fortasse hoc modo inveniet medicinam, et efficacem correctionem. Qui enim semel auctoritatem Ecclesiae contempsit, raro ab haeresi desistit, nisi per eamdem Ecclesiam corripiatur, et aliquo modo compellatur. Ergo etiam ad hunc finem utilis est talis denunciatio. Atque hinc jure prodierunt universalis supremae Romanae Inquisitionis Edicta, quibus cavetur ut omnes Fideles sub peccato mortali, et sub poena excommunicationis latae sententiae Sacro Tribunali reservatae, teneantur intra mensem, vel ipsi Inquisitioni, vel Ordinariis revelare crimina S. Officio spectantia, quae supra compendio retulimus, et quae fusius in eodem Edicto videri poterunt.

Petes 1. An denunciationi saltem praemittenda sit monitio privata? R. Negative ex Decreto Alexand. VII. 8. Jul. 1660, ubi habetur quod *si agatur de Haeresi, vel ejus suspicione, denunciatio facienda est Inquisitoribus S. Officii*,

etiam nulla praemissa correptione fraterna, firma sit spes de emendatione. Et suadetur etiam ratione. Nam finis praecipuus denunciationis judicialis non est sola correctio fratris, sed magis securitas aliorum Fidelium, ad quam obtinendam secreta monitio numquam est medium sufficiens, posset enim ex tali monitione sumere occasionem Haereticus se magis occultandi, et saevius nocendi. Nec firma spes emendationis aufert obligationem denunciandi, imo nequidem si Haereticus videatur emendatus 1. quia licet hic se ostendat emendatum, potest tamen fingere, ut saepe dicti homines faciunt propter timorem poenae, vel manifestationis. 2. quia fortasse alios infecit, vel ab alio fuit infectus, quod necessarium est, ut innotescat Judicibus, quod non fit per solam unius emendationem.

Obj. Verba Christi Matt. 18. 15. *Si autem peccaverit in te Frater tuus, vade et corripe eum inter te, et ipsum solum.* Ergo in peccato occulto etiam Haeresis hic ordo servandus est. Resp. Ibi Christum Dominum loqui de denunciatione evangelica, ordinata ad solam emendationem Fratris, quae per secretam monitionem potest fortasse obtineri. Hic autem agitur de denunciatione judiciali, quae, ut diximus, ad alium finem tendit nec pertinet ad praeceptum, de quo Christus loquebatur.

Si dicas: Esto non comprehendatur directe sub illo praecepto, a paritate rationis videtur comprehendi sub lege charitatis, quae ex duobus mediis, suadet esse eligendum minus nocivum proximo. Resp. hoc verum esse, si caetera sint paria ex parte boni communis, vel aliorum Proximorum, atque etiam ipsius delinquentis. Hic autem non sunt paria, ut declaratum est. Praeterea quamvis haec discretio posset habere locum in sola lege charitatis, tamen adjuncto ecclesiastico praecepto, determinante tale medium, jam non est locus propriae electioni etiamsi, in aliquo casu particulari aliud medium utilius appareat, quia cessante fine legis in particulari, non cessat ejus obligatio, et communi bono expedit, ut privatum arbitrium omnino prohibeatur.

Petes 2. An ab obligatione denunciandi aliqua exceptio admittenda sit? Ex triplici capite potest sumi haec exceptio 1. Ex modo sciendi peccatum: scilicet sub magno secreto. 2. Ex conditione Personae conjunctae 3. Ex aliqua juris exceptione. Quoad primum excipitur tantum secretum sacramentalis confessionis. Quod si Poenitens complicem declaraverit, sub sigillum confessionis eodem modo cadit, quia tunc socius criminis est circumstantia peccati in confessione declarati. Nullum autem aliud secretum humanum excusat a denunciatione, quia alias hoc praeceptum fieret inutile, per viam enim secreti posset Haereticus aliis revelare, et etiam suam haeresim suadere. Quod ampliandum est ad secretum etiam juramento firmatum quia hoc juramentum, de re iniqua, non potest esse vinculum iniquitatis. Unde colligunt plures Auctores, quod si aliquis suam haeresim revelaret sub specie, nomine, et figura confessionis alium tamen finem, quam confessionem intenderet, tale secretum non excusaret a denunciatione, quia non est sigillum confessionis, sed permanet sub generali ratione secreti naturalis, quod in praesenti non sufficit.

Quoad secundum duae regulae sunt statuendae 1. est, haereticum non teneri denunciare seipsum. 2. quemlibet teneri ad denunciandum omnem alium sibi etiam conjunctissimum. Movetur quaestio an Filius teneatur denunciare Patrem, vel Pater Filium haereticum, *si praesertim non dogmatizent*? Sed respondetur cum Suarez, aliisque probabilius affirmative, quia secundum ordinem charitatis bonum commune, et praesertim spirituale praeferendum est bono Patris, vel Filii, praesertim temporali, maxime cum per talem denunciationem, bonum spirituale ejusdem Patris, vel Filii quaeratur. Et plures Theologi docent Filium, denunciantem Patrem haereticum, servandum esse indemnem, quantum fieri potest, a poenis haereticorum, quae in Filios redundare solent. Quae dicta sunt,

a fortiori vigent quoad Maritum, Uxorem, Fratrem, Sororem, et alios conjunctos. Major difficultas est, an notati conjuncti debeant denunciari non solum si sint haeretici, sed etiamsi sint solum suspecti de Haeresi, circa quam variant inter se Doctores.

Quoad 3. Sufficiat habere prae oculis Edictum supremae Romanae Inquisitionis editum die 3. Januar. 1623. ibi. *Universis, et singulis Christi fidelibus tam Ecclesiasticis, quam Saecularibus utriusque sexus, cujusvis gradus, ordinis, conditionis, et praeminentiae existentibus, et quacumque auctoritate, etiam maxima fulgentibus, harum serie, et tenore . . . . praecipimus, et mandamus, quatenus . . . . omnes, et singulos Haereticos, seu de Haeresi quomodolibet suspectos, de quibus notitiam habuerint, debeant Nobis, vel Rev. Commissario nostro quoad habitantes in Urbe, quo vero ad alios extra Urbem, vel ubivis locorum degentes Inquisitoribus, vel locorum Ordinariis, vel eorum Vicariis generalibus, sub excommunicationis majoris latae sententiae poena, quam in contrarium facientes ipso facto incurrant, judicialiter propalare, cujus excommunicationis majoris absolutionem S. D. N. Papae, et Nobis reservamus, certificantes hujusmodi conscientiae suae immemores, ac dictam Excommunicationis poenam contemnentes, quod contra ipsos, tamquam contra haereticorum fautores . . . . procedetur.* Sub quibus verbis comprehenduntur etiam quicumque Regularium Superiores etsi Generales, tam quoad denunciationem activam, quam passivam, quidquid contra aliqui senserint. Hinc etiam sequitur, quod, si plures sciant, commissum ab aliquo fuisse crimen spectans ad S. Officium, teneri omnes ad denunciationem, quamvis unus jam denunciaverit, quia obligatio denunciandi omnes stringit.

Petes 3. An cesset dicta obligatio, si Haereticus sit mortuus? Resp. communiter negative; Haeresis enim semper serpit, ut cancer, cum sit naturae pestiferae. Unde etiam post mortem Haeretici excommunicantur, privantur Ecclesiastica sepultura, et exhumantur, et eorum ossa comburuntur. Non idem dicendum de tantum suspectis de Haeresi.

Petes 4. An saltem liberet ab obligatione denunciandi periculum gravis damni in vita, bonis, et honore? Respondendum videtur negative, quia Haeresis formalis est contra Religionem, et bonum totius Reip. catholicae; quod praevalet bono privato, et proprio].

Articulus III.

De Apostasia.

Apostasia graece idem est ac latine discessio seu desertio. Sumitur hic pro discessione a bono, quod quis solemniter professus est. Et est triplex: apostasia a fide, a Religione, et ordine.

Dico 1. Apostasia a fide est desertio totius fidei: et per hoc distinguitur ab haeresi, quae est desertio fidei quoad partem tantum. Haec autem distinctio non videtur essentialis, utraque enim est desertio fidei, sed solum accidentalis secundum magis, et minus. Aperiendum tamen est in confessione, an fuerit Apostasia, vel Haeresis; an apostata ad Paganismum, vel Judaismum, vel Atheismum recesserit. Apostatarum a fide poenae eaedem sunt ac poenae haereticorum.

Dico 2. Qui religionem approbatam, quam tacite vel expresse professus est, sine legitima superiorum licentia deserit cum animo non redeundi, etiamsi non dimisso habitu, est Apostata; quia sicut habitus non facit monachum, sed professio vitae religiosae, sic dimissio habitus non facit Apostatam, sed recessus a

vita religiosa ; Quod si dimittat habitum , ipso facto excommunicatur cap. *Ut periculosa*, tit. *Ne Clerici et Monachi*, in 6. l. 3. Si vero non dimittat habitum, jure communi non excommunicatur , sed unusquisque consulere debet leges sui Ordinis. Item si temere dimittat habitum animo scilicet vagandi, etsi cum voluntate redeundi, non est quidem Apostata, attamen ipso facto excommunicatur cap. citato *ut periculosa*. Si vero non temere et causa vagandi , sed ex legitima causa dimittat habitum sive intra claustrum , puta causa somni, quietis , infirmitatis , etc. sive extra claustrum , puta metu mortis incedendo per terras infidelium vel causa vitandi scandali incedendo noctu , aliave causa rationabili non peccat , nec incurrit excommunicationem ; quia laudatus Canon est tantum contra dimissionem habitus temerariam , quae sit materia apta evagationi.

[Apostatae in jure aequiparatur aliquo modo Religiosus fugitivus , et est ille, qui abit animo vagandi , et ad Religionem redeundi. Hic si habitum dimittat eamdem (ut ait Auctor) ac Apostata excommunicationem incurrit. Incurrit praeterea uterque alias poenas a jure statutas. 1. In apostasia , vel fuga non potest Religiosus ordinari , nec in ordinibus susceptis ministrare *Cap. fin. de Apostatis*. Si vero hanc suspensionem violet , tunc primum fit proprie irregularis 2. Apostata , vel fugitivus non gaudet privilegiis sui Ordinis 3. Regularis petens Romam sine licentia Protectoris , vel Generalis , vel Provincialis (qui tamen non potest dare hanc licentiam , nisi ob bonum totius Provinciae) Romam intrando , incurrit poenam privationis vocis activae , et passivae ad biennium , Papae reservatam , privative ad ipsum Generalem , et Protectorem ex Const. Clem. VIII. *Nullus omnino* an. 1599. §. 23. Elapso autem biennio poena per se cessat. Quod ampliatur *ex Trident. sess.* 25. *c.* 4. *de Regul.* ut Religiosi non possint Romam accedere sine dicta licentia etiam praetextu adeundi suos superiores , nisi ab eisdem vocati fuerint. 4. Noctu de claustro furtive egrediens graviter peccat, non incurrit tamen excommnnicationem , nisi habitu dimisso vagetur. 5. Apostatae nullo pacto liberantur ab observantia sui Instituti , ne delictum eis suffragetur 6. Ex dereto S. Congr. Concil., jussu Urbani VIII. edito 21. Septemb. 1624. Fugitivi , et Apostatae , sive habitum regularem deserant , sive non , possunt , ac debent ab Episcopis loci , ubi moram trahunt in carcerem conjici , ac Superioribus regularibus consignari, secundum regularia statuta puniendi. De Apostatis inquirendis , et ad Religionem redeuntibus : vide Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 13. c. 11.]

Dico 3. Qui ab ordine sacro sine legitima dispensatione retrocedit ad statum saecularem , est Apostata , et peccat mortaliter : quia deserit statum , cui per Ecclesiam erat solemniter mancipatus , et quem deserere vetant plures Canones , poenis impositis contra transgressores.

[Poenae Apostatarum ab ordine sacro sunt 1. Excommunicatio ferendae sententiae ; Si vero Clericus contraxerit matrimonium est latae sententiae *Clem. unic. de consanguinit.* 2. Infamia 3. Irregularitas oriens ex infamia. Si praeterea Apostata matrimonium contraxerit , fit irregularis ob bigamiam similitudinariam 4. Amissio privilegiorum Clericatus *Cap.* 23. *et* 25 *de sent. Excomm.* 5. Si frustra Apostatae moneantur , ab Episcopis in carcerem conjiciendi sunt. *Cap.* 5. *de Apost.*]

Articulus IV.

De Blasphemia.

Blasphemia est vox graeca significans idem ac latine maledictio : sumitur a Theologis pro maledictione derogante excellenti bonitati , praecipue divinae : unde

Dico 1. Blasphemia definiri potest: *Cordis vel oris locutio, qua per modum convitii dicitur aliquid derogans excellentiae divinae bonitatis.* Seu brevius: *Contumeliosa contra Deum locutio.* Explicatur. Dicitur 1. *Cordis vel oris*; quia utroque loquimur, et Daemones, qui nonnisi mente loquuntur, blasphemant. Dicitur 2. *Per modum convitii.* Per quod distinguitur ab infidelitate simplici, quae consistit in assensu contra fidem: ad blasphemiam autem non requiritur assensus contra fidem, sed sufficit, quod de Deo dicatur aliquid per modum convitii.

Neque ad id requiritur, quod bene nota, explicita et expressa intentio Deum convitiandi et inhonorandi, sed sufficit virtualis et implicita, quatenus per verba, aut per modum ea pronuntiandi, juxta communem apprehensionem, Deus dehonoratur et contemnitur. Unde non assentior iis, qui dicunt non blasphemiam, sed tantum vanum usum divini nominis, quando quis indignando, non Deo, sed homini, profert caput, mortem, sanguinem Dei, et similia: ista enim verba eo modo pronuntiata sunt Deo contumeliosa, licet alterius occasione prolata: consequenter ibi est virtualis et implicita intentio dehonorandi Deum. Et alioquin rarae admodum forent blasphemiae, cum tamen reputentur frequentissimae. Unde S. Th. hic a. 2. ad 3. dicit, quod qui subito ex aliqua passione in verba blasphema prorumpit advertens ad eorum significationem, blasphemiam mortalem committat; qui autem haec et similia profert non modo contumelioso, sed vel recitative, vel historice, non est blasphemus: unde specialiter attendendum est ad modum pronuntiandi.

Dicitur: *Derogans excellentiae divinae bonitatis.* Et hoc fit non solum, quando directe contra Deum aliquid contumeliose dicitur, sed etiam contra Sanctos et res sacras, non quidem secundum se, sic enim non esset proprie blasphemia, sed vitium irreligiositatis duliae oppositum, sed cum aliqua habitudine saltem virtuali ad Deum; sicut enim, inquit Auctor, Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera, quae Deus in Sanctis facit; ita et blasphemia, quae fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat. Qui ergo diceret S. Petrum esse impium et damnatum, B. Virginem esse meretricem, esset blasphemus: qui vero loqueretur de illis, non prout sunt, sed prout fuerunt homines in terra, v. g. si nominaret S. Petrum calvum, S. Crispinum sutorem, non esset proprie blasphemus, cum hic nullus sit respectus ad Deum: sed si ista proferret ex odio et indignatione, peccaret mortaliter contra duliam et observantiam debitam Sanctis? si autem ex joco vel levitate, esset peccatum veniale,

Itaque blasphematur 1. denegando Deo, quod ipsi convenit, vel asserendo de eo, quod ipsi non convenit: et hoc sive fiat enuntiative, sive optative, sive imperative, sive sermone imperfecto; 2. Tribuendo quod ei convenit, sed irrisorie et quasi quid vituperabile, ut nominando contemptibiliter membra Christi et Sanctorum. 3. Tribuendo creaturae quod est proprium Deo, ut omnipotentiam, 4. Factis aequivalentibus verbis contumeliosis, ut spuere in Crucifixum.

Dico 2. Blasphemia dividitur 1. in haereticalem et non haereticalem. Haereticalis est, quae asserit aliquid contrarium fidei, aut negat aliquid ad fidem pertinens; non haereticalis est, quae licet nihil contra fidem aperte contineat, ea tamen, quae sunt fidei contemptibiliter et contumeliose, quasi essent vituperabilia, profert. Dividitur 2. Blasphemia in eam, quae est secundum errorem intellectus non adjuncto odio voluntatis ut dum Calvinista dicit Deum esse causam peccati; In eam, quae est ex solo odio in Deum absque errore saltem explicito intellectus, ut qui profert contumeliose caput, vel sanguinem Christi; Et in eam, quae simul est secundum errorem intellectus, et malitiam voluntа-

tis, et haec est perfecta, et completa blasphemia. Prima, et tertia sunt haereticales, non secunda. Quantum ad praxim observant communius Auctores, quod quamvis tantum inter blasphemias haereticales, et non haereticales sit differentia essentialis, accusandi tamen sunt in confessione diversi modi blasphemiae, an fuerint directe contra Deum, an contra Sanctos tantum, et inter Sanctos, an contra B. Virginem: item an fuerint ex intentione expressa inhonorandi Deum, an ex implicita tantum: an tributum sit Deo quod non habet, negatum, aut exprobatum quod habet, idque propter graviorem malitiam in uno modo, quam in alio.

Dico 3. Blasphemia est ex genere suo gravissimum peccatum mortale, nec fieri potest veniale ex parvitate materiae, sed solum ex indeliberatione involuntaria actus. Patet prima pars ex gravissimis poenis, quibus punitur. In veteri Lege Levit. c. 4. blasphemus lapidabatur: in Jure Canonico plures poenae statuuntur contra blasphemos, quas si refugiant, sepultura ecclesiastica sunt privandi, Cap. *Statutum* tit. de maledicis, et alibi. 2. Quia graviter repugnat charitati, cum sit contra excellentiam divinae bonitatis, item opponitur fidei et religioni, ut mox dicam. Patet etiam secunda pars: quia quantumvis quid secundum se leve dicatur, ut Deus dehonoretur et vilipendatur, est semper gravissimum malum. Patet pariter tertia pars: quia in omni genere peccati indeliberatio involuntaria excusat a toto, vel tanto peccato; quia ex ea fit, quod actus non sit perfecte humanus. Dixi *Indeliberatio involuntaria*, quia si sit ex consuetudine, quam blasphemus non curat pro viribus eradicare, non excusat a mortali, quia est voluntaria in causa, scilicet in ista consuetudine voluntaria. Ad hoc advertant confessarii.

Petes, cui virtuti opponatur blasphemia? R. Quatenus continet implicite vel explicite falsum de Deo, opponitur confessioni fidei: quatenus est Dei inhonoratio, opponitur religioni, cujus objectum formale est cultus et honor Deo reddendus. Advertant Confessarii, dum audiunt blasphemiam haereticalem, interrogare Poenitentem, an interius senserit, sicut expressit. Sic enim cum sit haeresis interna, et externa a nullo potest absolvi nisi a summo Pontifice, aut ejus Delegato.

TRACTATUS
DE SPE

DISSERTATIO UNICA.

D. Thom. a. Quaest. 17. ad 22.

Articulus I.

De spe secundum se, et de ejus objecto.

Spes theologica est *habitus animi divinitus infusus, per quem certa cum fiducia aeternae vitae bona auxilio divino obtinenda expectamus.* Potest considerari cum charitate, et dicitur spes formata, vel sine charitate, et dicitur spes informis, ut dictum est de Fide.

Petes 1. Utrum spes christiana informis sit Virtus? Resp. Spes informis est virtus, sed imperfecta. Ratio primae partis est, quia spei etiam informi convenit definitio virtutis; est enim bona qualitas menti a Deo infusa, qua bene vivitur, et nemo male utitur ut principio. Ratio secundae partis est, quia spes sine charitate non facit hominem simpliciter bonum: licet enim sit principium actus boni, non tamen meritorii in ordine ad vitam aeternam, ideoque non habet statum et modum perfectae virtutis. Si dicatur non esse spem, sed praesumptionem sperare beatitudinem sine charitate. Resp. Peccatorem sperare sine charitate beatitudinem, sed obtinendam per charitatem, saltem enim tacite consequi sperat remissionem peccatorum, et ita obtenta charitate, per eam consequi vitam aeternam.

Petes 2. Quodnam sit objectum formale quod spei? Suppono 1. Objectum materiale adaequatum, et extensivum Spei esse aeternam beatitudinem, et omnia ad illam conducentia, quia haec cadunt sub objecto quo, seu sub ratione formali Spei, quae est omnipotentia auxilians. Suppono 2. Inter haec omnia beatitudinem esse objectum primarium, et principale, quod dicitur formale *quod*, quia est id, quod principaliter, primo per se, et ratione sui speratur, caetera autem ratione illius. Sed difficultas est, quae beatitudo sit objectum formale quod Spei, an formalis, vel objectiva. Beatitudo objectiva est Deus; formalis est possessio Dei, seu visio beatifica.

R. Objectum formale quod Spei non est beatitudo formalis, sed objectiva, connotans tamen beatitudinem formalem, seu visionem beatificam. Prob. 1. Pars 1. Objectum formale quod, et immediatum Spei, quae est virtus theologica, debet esse aliquid pure divinum, et increatum, ut patet in fide, et charitate: quia alioquin religio, quae mediante cultu attingit Deum, foret virtus theologica, quod communiter negatur; Atqui sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse est quid divinum, et increatum, non beatitudo formalis, quae est actus creatus. Ergo. Prob. 2. Illud est objectum formale quod Spei, quod principaliter,

primo per se, et ratione sui attingitur a Spe, et ratione cujus caetera attinguntur; Atqui id est sola beatitudo objectiva, seu Deus ipse, non beatitudo formalis: Ergo. Prob. min. Sperans non quaerit Deum propter possessionem, alias poneret finem ultimum in actu creato, sed quaerit possessionem Dei, propter Deum; item non quaerit possessionem Dei, ut rem beatificantem, sed ut modum, et applicationem Dei beatificantis, ita ut tota ratio beatificans sit ipse Deus. Sic avarus quaerit pecuniam ut rem, possessionem autem non quaerit ut rem, non enim quaerit possessionem ut possidendam, sed ut modum, et applicationem rei possidendae. Ergo.

Pr. 2. Pars. Deus non est objectum Spei, nisi ut possidendus: Atqui possidetur per visionem beatificam, quae est beatitudo formalis: Ergo in objecto *formali quod* Spei importatur de connotato, et in obliquo visio beatifica; seu beatitudo formalis, tamquam conditio, et applicatio objecti formalis; sicut objectum fidei necessario est obscurum, obscuritas autem quamvis non sit ratio formalis objecti, est tamen conditio et modus illius intrinsecus. Unde colliges, neque aggregatum ex beatitudine formali, et objectiva posse dici objectum *formale quod* spei, quia hae beatitudines in objecto spei non sunt duae res, aut duae causae, sed una res tantum, et una causa cum aplicatione causae: ita ut tota ratio formalis objecti sit beatitudo objectiva, seu Deus, ejus autem possessio conditio tantum requisita, ut beatificet.

Pro solut. object. nota dupliciter aliquid posse amari amore concupiscentiae 1. sic ut res amata referatur ad amantem, sicut ad finem, ut cum appetimus cibum in nostram conservationem: hoc modo Deus non potest amari amore concupiscentiae, quia esset ipsum ordinare ad alium, tamquam ad finem. Alio modo potest aliquid amari amore concupiscentiae, sic ut res amata habeatur semper ut finis, sed ametur alteri per hunc finem perficiendo; Sic Deus dilexit Mundum, ut illi Filium suum Unigenitum daret, non quasi ad Nos tamquam ad finem ordinaverit Incarnationem Filii, sed Nobis tantum, tamquam subjectis per illam salvandis, ad se autem tamquam ad finem ultimum. Similiter ergo dum amo Deum amore concupiscentiae, ipsum non refero ad me tamquam ad finem, quin e contra ipsum amo mihi, quia est ultimus finis meus, et ipsi inhaerere ut ultimo fini est summa Animae meae felicitas. Dumtaxat ergo refero ipsum ad Me, ut ad subjectum, per illum perficiendum, tamquam per ultimum finem meum, in quo non solum non est perversio, sed totius rectitudinis consummatio, quin sequatur hunc amorem esse charitatis, et non concupiscentiae; fertur enim in Deum ut ultimum finem, non ut bene illi sit, quod pertinet ad amorem charitatis, sed ut bene sit mihi, quod est amoris castae concupiscentiae

Petes 3. Quodnam sit objectum formale quo spei? R. Objectum formale quo Spei est omnipotentia auxilians, idest praebens, aut offerens auxilia. Prob. Illud est objectum formale quo Spei, quod est motivum, et ratio cur speramus, seu expectamus a Deo certa cum fiducia beatitudinem aeternam, et media ad illam conducentia: Atqui istud motivum est omnipotentia auxilians: Ergo. Pr. Min. Non possumus sperare certa cum fiducia beatitudinem, nisi ab eo, quem novimus posse, et velle eam dare: Atqui Deus ut omnipotens potest eam dare, et ut auxilians, seu praebens, aut offerens auxilia vult illam dare: Ergo.

Petes 4. Utrum sperare alteri salutem sit actus virtutis spei? R. Affirmative, quia sperare Nobis, aut alteri beatitudinem habet idem objectum formale quod, et quo. Et sicut est eadem virtus charitatis, qua quis diligit Deum, et seipsum, et proximum, ita est eadem virtus spei, qua quis sperat sibi, et alteri.

Petes 5. Utrum liceat, sperare in homine? R. Non licet sperare in homine,

sed in solo Deo, tamquam in primaria causa nostrae beatitudinis, quia ipse solus tamquam causa principalis ad eam nos perducere potest; licet autem sperare in homine, vel in aliqua creatura tamquam in agente secundario, et instrumentali, per quod adjuvamur ad quaecumque bona consequenda, in beatitudinem ordinata. Sic convertimur ad Sanctos, et ab aliis hominibus aliqua petimus. Hinc inferes etiam esse licitum, spem aliquam ponere in propriis meritis, ex gratia Dei factis, tamquam in causis instrumentalibus; siquidem sint media, a Deo ad salutem ordinata, et tota fiducia ultimate refundatur in ipsum Auctorem gratiae, et meritorum?

Articulus II.

In quibus sit spes.

Non est quaestio de subjecto quo, et partiali, quod certum est esse voluntatem; objectum enim spei est bonum non sensibile, sed divinum, ergo rationale. Sed est quaestio de subjecto quod, seu de habentibus Spem.

Dico 1. Spes remanet in omnibus fidelibus viatoribus, etiam peccatoribus, qui non desperant, vel praesumunt. Prob. 1. Quia Trident. Sess. 6. c. 6; et Can. 3., et sess. 14. c. 3. requirit Spem in Peccatoribus, qui se ad justificationem disponunt. *S. Thom.* 2. 2. *q.* 17. *a.* 8. docet spem ordine generationis precedere charitatem, et 1. 2. *q.* 65. *a.* 4. fidem, et spem posse esse sine charitate. Prob. 2. Habitus destruitur vel per accidens ad destructionem fundamenti, vel per se a suo contrario, aut ex destructione objecti; atqui fundamentum spei, quod est fides, remanet in peccatoribus fidelibus, et peccata quaecumque praeter desperationem, et praesumptionem non sunt Spei contraria; remanet etiam objectum formale quod, beatitudo scilicet futura, ardua, possibilis, et formale quo nimirum omnipotentia auxilians; quamvis enim peccator non possit sperare beatitudinem adipisci manendo in eodem statu, potest tamen sperare ex omnipotentia auxiliante statum mutare, et eo mutato beatitudinem per gratiam, et charitatem obtinere. Ergo.

Dixi in *fidelibus Viatoribus*: quia in Haereticis, cum in iis destruatur fundamentum spei, quod est fides, destruitur etiam Spes. Unde quamvis videantur sperare; spes eorum non est theologica, sed humana, et falsa.

Petes utrum Spes Viatorum habeat certitudinem? R. Si spectetur ex parte Dei omnipotentis auxiliantis, habet certitudinem; est enim de fide, Deum velle, et posse Nos salvare. Si spectetur ex parte sperantis, qui potest deesse gratiae, non habet certitudinem, sed inde potius est causa timendi non tamen diffidendi, aut desperandi. Unde certitudo spei in Viatoribus non est absoluta, sed conditionata, sicque intelligitur, quomodo haec duo stent simul: sperare certa cum fiducia salutem, et salutem cum timore, et tremore operari.

Dico 2. In damnatis non remanet spes, bene tamen in animabus in Purgatorio. Prob. 1. pars. Spes est de beatitudine futura possibilia: atqui ad conditionem miseriae damnatorum pertinet, ut ipsi sciant, quod nullo modo possint damnationem evadere, et ad beatitudinem pervenire. Ergo. Confirm. Spes fundatur in fide; atqui fides non remanet in damnatis. Ergo nec Spes. Prob. 2. Pars. Respectu Animarum in Purgatorio beatitudo est adhuc absens, ardua, et per graves poenas assequenda, sicque objectum spei. Nec refert, quod sint certae de sua beatitudine, quia certitudo non evacuat rationem spei.

Dico 3. Spes theologica neque quoad actum, neque quoad habitum manet in Beatis. Prob. 1. Ex Apostolo Rom. 8. dicente. *Spes quae videtur, non est spes, nam quod videt quis, quid sperat?* Prob. 2. Subtracto eo, quod dat spe-

ciem, resolvitur species, et non potest res eadem remanere. Atqui in Beatis subtrahitur objectum formale, a quo spes habet speciem. Ergo. Pr. Min. Objectum formale spei est beatitudo futura, et nondum habita. Ergo. Unde quamvis Beati videantur adhuc aliquid sperare, vel sibi ut gloriam corporis, vel aliis, ut beatitudinem ipsam essentialem, non est spes theologica, sed spes communiter, et late dicta, seu potius desiderium, ex amore charitatis profluens. Charitas itaque, qua Beatus diligit seipsum, quaque optat sibi continuationem gloriae, gloriam corporis, Deum sibi bonum, delectationem ex ejus fruitione; et charitas, qua diligit Proximum, et qua optat illi beatitudinem. Iste amor, quatenus attingit bona desiderata, est amor concupiscentiae, quatenus autem respicit Personas, quibus optatur, est amor charitatis; ex charitate enim mihi, et proximo volo bonum aeternum. Agendum hic esset de timore, quo spei fiducia temperatur, et mediat inter spes, et desperationem; sed cum quaedam de timore jam praemissa sint in tractatibus de Passionibus, et de Donis Spir. S., et multo plura dicentur in Tractatu de Poenitentia, hic tantum quaeritur an timor remaneat in Patria? R. 1. Timor servilis non remanet in patria, in qua Beati sunt securi de perpetuitate suae Beatitudinis 2. Timor filialis remanet in Patria. Duos enim actus habet timor filialis; timere separationem a Deo, et quantum ad hunc actum non manet in Patria. 2. Vereri Deum, et quantum ad hunc actum manet, et fit, quando homo ex consideratione altitudinis divinae contremiscit, et in propriam resilit parvitatem, quo sensu S. Gregor. 17. Moral. c. 15. intelligit verba Job. 26. *Columnae Coeli contremiscunt, et pavent ad nutum ejus*, et habemus exemplum in S. Joanne Baptista, qui non audens tangere verticem Christi, clamat cum timore *Sanctifica me Salvator*; et in Petro, qui dixit. *Exi a me Domine.*

Petes quae sint vitia opposita spei theologicae? R. Duo: Desperatio per defectum, Praesumptio per excessum. Desperatio est animi desponsio, seu motus voluntatis, quo quis refugit adipisci beatitudinem per media ordinaria. Desperatio positiva, et plene deliberata beatitudinis adipiscendae est peccatum mortale, gravius secundum se peccatis, quae opponuntur virtutibus moralibus. Desperans enim magnam divinae misericordiae injuriam, et sibi grave nocumentum irrogat, sed minus odio Dei, et infidelitate, cum spes sit inferior fide, et charitate. Dixi *positiva*, quia hic non sumitur privative pro omissione actus sperandi, quamvis etiam haec omissio possit esse peccatum, si sperandi praeceptum urgeat; sed sumitur pro actu, seu recessu positivo, quo quis fugit beatitudinem, ut adeptu sibi difficiliorem. Dixi *plene deliberata*, ut excludantur motus non plene deliberati, orti saepe, vel ex nimio timore, vel ex vacuitate cerebri, vel ex complexione melancholica, vel ex Daemonis tentatione. Ad quod debet advertere prudens Confessarius. Desperatio potest esse sine infidelitate, quia judicium particulare practicum, quo quis sibi persuadet quod Deus sibi non parcet, nec se ad beatitudinem perducet, non destruit judicium universale speculativum, quo judicat consecutionem salutis esse possibilem, et esse in Ecclesia remissionem peccatorum. Desperatio specialiter oritur ex luxuria; qui enim est deditus delectationibus carnalibus, bona spiritualia fastidit, nec reputat magna, et ardua. Specialius tamen ex accidia, qua quis reputat nimis difficile bene vivere, unde refugit labores bonorum operum. Hinc luxuria tollit arduitatem beatitudinis, accidia derogat possibilitati; magis autem est proprium objecto spei, quod sit absolute possibile, quam quod sit arduum, quia bonum, et arduum etiam ad alias passiones pertinent.

Si quaeratur utrum homo, cui facta esset revelatio suae damnationis posset adhuc, et deberet sperare? R. Cum S. Thom. q. 23. de Verit. a. 8. ad 2. quod haec revelatio de potentia Dei ordinaria fieri non possit, nisi per *modum Prophetiae comminationis, quae intelligitur supposita conditione meritorum*, in quo casu ille, cui fieret posset, et deberet sperare, et desperando peccaret,

unde inutilis evadit haec quaestio. Attamen si velit supponi potentia Dei extraordinaria, ita ut revelatio sit respicienda non ut comminatoria, sed ut absoluta praedictio; qui eam haberet nec posset, nec deberet sperare. Non potest enim sperari nisi bonum, quod intellectus prudenter judicat futurum; objectum enim spei est bonum futurum; posset tamen adhuc concupiscere, et desiderare beatitudinem.

Praesumptio apud Juristas accipitur pro actu intellectus, quo ex signis manifestis judicatur aliquid occultum. Item pro actu voluntatis, quo quis facit, vel aggreditur facere, quod superat ejus facultatem sive physicam, et executivam, sive juris tantum. Juris ut cum quis sciens, et volens legem transgreditur, ut dicitur in Jure *Siquis hoc praesumpserit facere*; Executivam vero, cum quis id, quod superat vires, sive proprias sive quas habet in aliis paratas aggreditur, ut majora pericula, quam possit, vincere, majores abstinentias, quam possit, substinere. Prout hic sumitur praesumptio est temeraria expectatio beatitudinis, mediorumve ad illam. Est temeraria ex duplici capite. 1. Innitendo nimium propriis viribus, ut qui confidit consequi beatitudinem, aliudque bonum supernaturale sine Dei auxilio, et misericordia. Haec opponitur magnanimitati, cujus est hujusmodi spem moderari juxta regulas rationis, ut illam non excedat, neque ab ea deficiat. Potest tamen dici, quod opponatur spei theologicae, in quantum non expectat beatitudinem eo modo, quo debet expectari. Haec praesumptio oritur ex vanagloria. Ex hoc enim quod quis multum desiderat gloriam, sequitur quod attentet ad gloriam quamdam supra vires suas.

2. Innitendo inordinate Dei misericordiae, et potentiae, quatenus expectat a Deo beatitudinem, vel aliud supernaturale eo modo, quo non est possibile eam obtineri secundum legem a Deo statutam, et nobis notam, ut veniam peccatorum sine poenitentia, vel gloriam sine meritis, vel sine voluntate servandi mandata, Et dicitur nimia confidentia de Dei bonitate, et misericordia; non ex parte Dei quasi quis posset nimium a Deo sperare, sed ex parte nostra, quatenus speramus id, quod non est possibile secundum legem a Deo statutam. Haec oritur ex superbia, quasi quis tanti se aestimet, quod etiam peccantem Deus non puniat vel a gloria excludat.

Praesumptio est peccatum mortale, opponitur enim virtuti Spei, magnamque Deo injuriam, et homini detrimentum irrogat. Est peccatum contra Spiritum S., contemnens auxilium divinum, quo homo revocatur a peccato, quasi non necessarium ad merendum, vel ad poenitentiam agendam. Est minus grave quam desperatio; haec enim contemnit misericordiam, et praesumptio justitiam; Deo autem magis convenit misereri, quam ulcisci, quia ex se est misericors, justus ex peccatis nostris. Praesumptio non semper tollit spem. Qui enim volens permanere in peccato, sperat Deum fore sibi in fine propitium, merito dicitur praesumptuosus, cum id rarissime contingat; non tamen amittit spem, sed tantum inordinate sperat. Unde sequitur quod nequidem semper tollat fidem. Qui autem speraret obtinere vitam aeternam propriis viribus, vel sine auxilio Dei, amitteret spem, quia destrueret rationem formalem objecti spei.

Petes utrum peccare sub spe veniae augeat peccatum, vel minuat? R. Quod peccare cum proposito perseverandi in peccato sub spe veniae, non diminuit, sed auget; peccare autem sub spe veniae, quandoque percipiendae, cum proposito abstinendi a peccato, et poenitendi, non est praesumptionis, sed peccatum diminuit, quia hic homo videtur habere voluntatem minus firmatam in malo. Porro hoc ultimum dictum S. Thomae non est intelligendum de his, qui proponunt abstinere a peccato in fine vitae tantum, hos enim diximus esse praesumptuosos.

De praecepto Spei eodem modo loquendum est proportione servata, ac de praecepto Fidei. Pro quo vide de Fide Dissert. 3. a. 2.

TRACTATUS

DE CHARITATE

D. Thom. a Quaest. 23. *ad* 46.

DISSERTATIO I.

DE CHARITATE SECUNDUM SE.

D. Th. Q. 23.

ARTICULUS UNICUS

Complectens omnia, quae spectant Charitatem secundum se.

Amor est inclinatio in bonum. Bonum enim propositum appetitui, quasi pondus ipsum movet, et inclinat ad se, et ista inclinatio appetitus in bonum dicitur amor, seu complacentia. Si sit cum electione unius boni prae alio dicitur *dilectio.* Si sit boni, quod magno pretio aestimatur dicitur *charitas.* Si tamdem sit cum redamatione dicitur *amicitia.* Amor igitur magis late patet, quam dilectio, charitas, et amicitia. Est triplex 1. naturalis, quo unaquaeque res etiam non cognoscitiva appetit bonum sibi conveniens, ut grave dicitur amare centrum. 2. Animalis, seu sensitivus, qui sequitur apprehensionem sensuum, et est etiam in Brutis. 3. Rationalis, qui sequitur apprehensionem intellectus, qui est iterum duplex. 1. Concupiscentiae, qui tendit in objectum, quod amatur; 2. Benevolentiae, qui tendit in Personam, cui amatur. Si quae sit redamatio ex parte Personae amatae, erit amor amicitiae. Quod amatur amore benevolentiae, simpliciter, et per se amatur; quod autem amore concupiscentiae, non simpliciter, et secundum se amatur, sed amatur alteri. Unde amor benevolentiae est amor simpliciter, et amor concupiscentiae est amor secundum quid. Quaestio est de charitate habituali. Haec definiri solet: *Virtus divinitus infusa, qua Deus propter se, et proximus propter Deum diligitur.*

Petes 1. Utrum charitas sit proprie dicta amicitia cum Deo? R. Charitas est vera et proprie dicta amicitia inter Deum, et hominem. Prob. ex Scriptura. Christus Joan. 15. dicit Apostolis: *Vos amici mei estis: et jam non dicam vos servos, sed amicos meos.* Jacobi 2. *Abraham amicus Dei appellatus est*, Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Nihil autem assignari potest, quo homines sint Dei amici, nisi charitas.

Prob. 2. Ad veram et proprie dictam amicitiam tres conditiones communiter requiruntur. Prima, quod amor sit benevolentiae, quo volumus alicui bonum propter ipsum; non concupiscentiae, quo volumus bonum propter nos. Secunda conditio est, ut amor sit mutuus, amicus enim est amico amicus, et dicitur quasi amicatus, ita ut talis amor sit quasi nexus inter duos. Tertia conditio est, quod ille amor mutuus fundetur in aliqua communicatione, qui enim

in nullo communicant, nullam inter se habent conjunctionem : atqui hae tres conditiones reperiuntur in amore charitatis : ergo. Prob. min. 1. Per charitatem homo diligit Deum propter se ut ultimum finem, et Deus diligit hominem propter se, non tamquam propter finem ultimum, sed propter ejus utilitatem, seu tamquam propter subjectum, cui vult aeternam beatitudinem, et sic utrinque est amor benevolentiae. 2. Est amor mutuus, diligimus enim per charitatem eum, qui nos diligit, juxta illud Proverb. 8. *Ego diligentes me diligo* : et Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, et ego diligam eum.* 3. Est communicatio beatitudinis hic per gratiam in jure et in spe, in patria in re : ergo.

Petes 2. quodam sit objectum charitatis ?

R. 1. Certum est Deum esse rem amatam a charitate seu ejus objectum materiale, principale, et primarium, et hac ratione objectum ejus formale *quod*: per charitatem enim nihil aliud intelligimus, quam dilectionem Dei, juxta illud, *Diliges Dominum Deum tuum ; hoc est primum et maximum mandatum.* Matth. 22. Pariter certum est, quod proximus sit objectum charitatis materiale secundarium, quia charitas est, ut diximus, amicitia hominis cum Deo ; lex autem amicitiae postulat, ut non tantum diligamus amicum, sed etiam omnes, qui ad illum specialiter pertinent : unde illud ibid. *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

R. 2. Objectum formale *quo*, seu ratio formalis motiva charitatis est bonitas increata, ut est in se et propter se amabilis, lumine supernaturali cognoscibilis. Prob. Charitas 1. est amor, amor autem non est de aliquo, nisi sub ratione boni. 2. Est amor Dei : ergo est de Deo sub ratione boni divini. 3. Est amor non concupiscentiae, quae generat spem, sed benevolentiae : ergo sub ratione boni divini, non ut nobis commodi, sed ut est in se et propter se amabilis. Dixi *Lumine supernaturali cognoscibilis*, quia diligere Deum propter ejus bonitatem naturali lumine cognoscibilem esset amor naturalis, non supernaturalis, qualis est charitas :

Si dicas quod amare Deum propter beneficia accepta sit actus charitatis, et tamen beneficium acceptum sit bonitas creata ; Resp. antecedens verificari, si τὸ *propter* dicat medium, per quod devenimus in cognitionem divinae bonitatis ita ut iste amor eliciatur a charitate, et imperetur a gratitudine, cum praesertim gratitudo si sit perfecta, non tam sit propter beneficium, quam propter amorem Benefactoris. Secus vero si τὸ *propter* dicat motivum amoris eliciti.

Petes 3. Utrum eadem specie charitatis diligatur Deus et proximus ? R. Eadem specie charitatis diligitur Deus et proximus. Deus propter seipsum, proximus propter Deum. Prob. Idem est specie actus, quo diligitur Deus propter se et proximus propter Deum ; ergo idem specie habitus charitatis. Patet conseq. quia habitus specificantur ab actibus. Prob. ant. Idem est specie actus, qui fertur in rationem objecti, et qui fertur in objectum sub tali ratione, sicut eadem est specie visio, qua videtur lumen et qua videtur color : species enim actus sumitur ex objecto secundum rationem formalem ipsius : atqui ratio formalis diligendi proximum Deus est, hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit, ut illi tamquam fini ultimo haereat, indeque Deus ametur, laudetur, et glorificetur propter infinitam ejus bonitatem et perfectionem, sicque patet, quod ratio formalis diligendi proximum sit infinita Dei bonitas in se et propter se amabilis ; ergo.

Hinc colliges 1. quod amare proximum ex alio motivo, puta propter beneficia accepta, propter egregias ejus qualitates, sive naturales, sive supernaturales, quatenus sunt ipsius perfectiones, non sit amor charitatis, quia sic non amatur formaliter ratione bonitatis divinae, sed est amor naturalis : nec refert quod forte sint qualitates supernaturales, supernaturalitas enim ibi se habet materialiter

si ratio amandi non sit supernaturalis: sic. v. g. peccator impoenitens, qui per lumen fidei cognoscit Paradisum, illum amat amore naturali. Dixi: *Quatenus sunt ejus perfectiones*: quia si considerentur ut participationes divinae perfectionis, videtur, quod etiam sic amentur amore charitatis: quia licet in infinitum distent ab infinita Dei perfectione, tamen non tam ipsae, quam ipsa Dei perfectio in illis amatur, sicut in imagine amatur prototypus, qui est tota ratio amandi imaginem. Hinc colliges 2. charitatem non solum esse virtutem specialem cum habeat objectum formale speciale, sed praeterea esse unam virtutem specie atomam, si enim ex aliquo capite divideretur in plures species, maxime ex eo, quod versetur circa Deum, et proximum, ex quo capite non diversificatur. Et quamvis actus charitatis materialiter, et comparative inter se sint specie diversi, ut amor, gaudium, et desiderium de Deo, non differunt tamen specie formaliter, et ut a charitate procedunt: cum procedant ex eodem formali motivo.

Obj. Charitas viae, et patriae specie differunt. Ergo. Pr. Ant. 1. Charitas viae regulatur per cognitionem obscuram fidei; Charitas patriae per lumen gloriae: sed diversitas regulae arguit diversitatem specificam in regulatis. Ergo. 2. Amor viae est liber, amor patriae est necessarius: Libertas autem, et necessitas inducunt in actibus species diversas. Ergo. R. N. Ant. ad 1. Probat. dist. Minorem. Diversitas formalis regulae arguit diversitatem specificam C. Diversitas materialis Regulae N. Licet fides, et lumen gloriae inter se specie differant, non tamen in regulando actum amoris, quia amor abstrahit ab objecto viso, vel non viso, habito, et non habito, et applicant voluntati objectum sub eodem formali motivo bonitatis increatae. Ad 2. Prob. resp. libertatem, et necessitatem non constituere diversitatem essentialem in actibus voluntatis, sed tantum modalem, quatenus sunt illorum modi intrinseci. Et esto amorem viae, et patriae ex parte libertatis essentialiter distingui inter se, quatenus tamen procedunt ex charitate sub eadem ratione formali, non differunt specie, et sic possunt ab eodem specie habitu procedere.

Ex his sequitur, quod quamvis charitas habitualis alicujus viatoris possit esse intensior charitate alicujus beati, verisimile enim est, quod charitas eximii alicujus Sancti, dum esset in via, fuerit major, quam charitas habitualis in Patria Infantis, post baptismum defuncti, attamen quoad statum, et modum operandi charitas patriae est perfectior qualibet charitate viae, est enim in termino et in statu suo naturali, dum charitas viae est adhuc in motu, et extra statum, et insuper beatus in Deum clare visum semper amore fertur secundum totum conatum voluntatis, et totam intensionem habitus charitatis, non sic in via. Quo sensu Christus Matth. 11. de S. Joanne Baptista dixit *Qui minor est in Regno Coelorum, major est illo.* In eodem autem homine Charitas viae numquam potest aequare aut superare charitatem patriae, quia Deus praemiat ultra condignum, et cum dilectio Dei pertineat ad objectum saltem secundarium praemii, seu beatitudinis, homo dum fit beatus, accipit aliquod charitatis incrementum.

Petes 4. Quomodo charitas se habeat ad alias virtutes? R. 1. Charitas est excellentior aliis virtutibus. Prob. 1. ex Apost. 1. Cor. 13. *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria haec: major autem horum est Charitas.* 2. Fides et Spes compatiuntur peccatum, Charitas non. 3. Spes et fides involvunt imperfectionem, Spes proprium commodum, Fides obscuritatem, nihil horum Charitas ex se.

R. 2. Sine charitate potest esse vera virtus, sed imperfecta, quia sine charitate potest esse bona qualitas, quae sit constanter principium boni actus, consequenter vera virtus, sed quia sine charitate non ordinat ad ultimum finem,

neque facit operari meritorie ad vitam aeternam, non est perfecta virtus. Vide Tract. de Virtutibus Dissert. 2. a. 4. §. 3. ubi hanc materiam ex professo tractavimus.

R. 3. Charitas est forma aliarum virtutum non intrinseca et essentialis, alias omnes virtutes essent ejusdem speciei: sed extrinseca et accidentalis, quatenus per eam referuntur ad finem ultimum supernaturalem, quo veluti ornamento formantur in ordine supernaturali. Charitatem distingui a gratia, multis probavimus in Tract. de Gratia Dissert. IV. a. I. adeat lector.

DISSERTATIO II.

De subjecto, causa, augmento, et amissione Charitatis. *D. Th. Q.* 24.

Articulus unicus.

Petes 1. Quodnam sit subjectum charitatis? R. esse voluntatem, quia actus charitatis, qui est amor, elicitur a voluntate: virtus autem est in ea potentia, in qua est ejus actus.

Petes 2. Quae sit causa efficiens charitatis? R. habitum charitatis non acquiri nostris actibus, sed a Deo infundi juxta illud Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Ratio est, quia charitas est quaedam amicitia hominis cum Deo, quae fundatur in communicatione beatitudinis; haec autem communicatio non est secundum bona naturalia, sed secundum dona gratuita: ergo charitas naturae facultatem excedit. Adde, quod ejus objectum sit bonum supernaturale, et quod sit proprietas consequens ad gratiae infusionem.

Si dicas, ex actibus charitatis infusae generari aliquem habitum dilectionis, ut docet Auctor q. 17. de veritate a. 1. ad 4. R. hunc habitum non esse charitatem, qua sumus Dei amici et filii adoptivi, sed habitum diversae speciei ex actibus hujus charitatis infusae ortum, ideoque acquisitum, neque tamen naturalem absolute; hoc sensu scilicet, quod per naturam causetur, sed aliquo modo supernaturalem, nempe ex actibus supernaturalibus ortum: unde cum S. Th. 1. 2. q. 51. ad 3. dicit ex actibus habitus infusi non produci aliquem habitum, intelligit de habitu ejusdem speciei, prout argumentum requirebat. Ita interpretatur Sylvius.

Petes 3. Utrum charitas possit augeri? R. Charitatem viae posse augeri sine termino. Sic est definitum in Concilio Viennensi Clementina *Ad nostram* contra Beguardos, et Beguinas. Item in Concil. Trid. sess. 6. cap. 10. *Hoc*, inquit, *justitiae incrementum petit Ecclesia cum orat: Da nobis fidei, spei, et charitatis augmentum.* Prob. insuper 1. ex Scriptura. Ephes. 4. *In charitate crescamus.* Philip. 1. *Oro, ut charitas vestra magis abundet.* Prob. 2. ratione. Ex hoc dicimur viatores, quod in terminum destinatum, qui est Deus, tendimus: atqui de ratione viatorum est, quod ita tendere possint ad terminum, ut magis ac magis ad illum appropinquent, alioquin cessaret viae progressus: ergo ita possumus tendere in Deum, ut magis ac magis ad illum appropinquemus. Subsumo: atqui istam appropinquationem facit charitas: non enim appropinquamus Deo passibus corporis, sed affectibus mentis, quibus illi unimur: ergo charitas in hac vita potest semper augeri.

Petes 4. Quomodo charitas augeatur? R. 1. Charitas non augetur extensive sed intensive tantum quia etiam minima charitas se extendit ad omnia illa, quae sunt ex charitate diligenda; cum enim sit amor efficax ultimi finis, scilicet Dei, habet secundum se sufficientem virtutem ad amandum caetera propter Deum.

Quod si actu non extendatur ad consilia et ad bona supererogationis, non est ex defectu ipsius charitatis habitualis, sed voluntatis, quia habitibus utimur, cum volumus.

R. 2. Charitas non augetur intensive per additionem charitatis ad charitatem; hoc enim esset charitatem multiplicari, non augeri; sed per majorem radicationem in subjecto, sive per majorem actuationem subjecti, sive per majorem inhaesionem subjecto, accidentis enim esse est inhaerere: haec omnia sunt unum et idem, et modo unum, modo alterum usurpat S. Thomas, dum agit de intensione qualitatum. Item sive istud *majus* dicas novum gradum, sive novum modum, est perinde ad propositum; est enim ista quaestio de intensione qualitatum philosophica; et ideo eam ad Physicos remittimus.

Petes 5. Utrum charitas in hac vita possit esse perfecta? Resp. Si perfectio charitatis sumatur ex parte diligibilis, nulla creaturae charitas potest esse perfecta. Est enim Deus infinite diligibilis, quaelibet autem virtus creata est finita, unde nulla Creatura potest Deum infinite diligere. Ex parte vero diligentis est perfecta charitas, quando diligit tantum, quantum potest, quod tripliciter contingit. 1. Quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum: et haec est perfectio charitatis Patriae, quae non est possibilis in hac vita propter humanae conditionis infirmitatem 2. Ut homo studium suum deputet ad vacandum Deo, et rebus divinis, praetermissis aliis, nisi quantum necessitas praesentis vitae requirit, et haec perfectio est possibilis in via, non tamen est communis omnibus habentibus charitatem. 3. quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo, ita ut nihil velit, quod divinae dilectioni sit contrarium, et haec perfectio est communis omnibus charitatem habentibus.

Petes 6. Utrum quolibet actu charitatis etiam remisso augeatur charitas? Ante responsionem suppono 1. actus nostros non causare efficienter physice augmentum charitatis, quia eadem est ratio augmenti et productionis habitus: augmentum enim est veluti continuata rei productio: atqui actus nostri praecedentes charitatem, quantumvis ex auxilio supernaturali eliciti, non producunt efficienter charitatem, ut diximus superius. Ergo. Suppono 2. actus nostros concurrere ad augmentum charitatis dispositive non solum moraliter seu meritorie, sed etiam physice, quia, ut jam dicebam, eadem est ratio augmenti et productionis habitus: actus autem nostri sunt dispositiones physicae ad productionem gratiae et charitatis. Utramque suppositionem probavimus in tract. de Gratia diss. 4. art. 8. Vide.

R. Quilibet actus charitatis etiam remissus sive elicitus, sive imperatus meretur de condigno augmentum charitatis. Prob. 1. ex Conc. Trid. can. 32. ubi sic definit: *Siquis dixerit justificatum bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum fiunt, non vere mereri augmentum gratiae . . . anathema sit*: atqui actus charitatis etiam remissus est bonum opus factum a justo per Dei gratiam et Christi meritum: ergo est meritorius augmenti gratiae, consequenter charitatis, quae est proprietas consequens ad gratiam. Probat. 2. Actus charitatis etiam remissus habet omnes conditiones requisitas ad meritum de condigno augmenti charitatis: ergo. Prob. ant. Actus charitatis remissus est supernaturalis ab homine grato et amico in obsequium Dei factus, et a Deo ordinatus ad praemium, siquidem actibus etiam minimis, ut calici aquae dato in suo nomine promittat mercedem: hae autem sunt conditiones meriti de condigno, ut expendimus in tract. de Gratia dissert. 6. art. 1. Ergo.

Petes 7. Quandonam conferatur augmentum gratiae et charitatis actibus remissis debitum? Ante responsionem nota gratiam et charitatem considerari dupliciter: 1. in esse physico, quatenus sunt qualitates: 2. in esse morali, prout dicunt jus ad gloriam ut mercedem. Si dicas jus ad gloriam fundari in gratia

et charitate physice sumptis, R. id verum esse de jure physico et intrinseco ad gloriam ut haereditatem, quale competit infantibus post baptismum decedentibus; non vero de jure morali et extrinseco ad gloriam ut mercedem, illud enim fundatur in bonis operibus, quae Deus acceptat ad gloriam ut coronam et mercedem: sicut si filius Regis regni haeres insignibus et heroicis factis a patre propositis coronam meruisset, duplex jus ad regnum haberet; unum physicum et intrinsecum in nativitate fundatum ad regnum ut haereditatem, alterum morale et extrinsecum fundatum in egregiis factis ad regnum ut coronam et praemium.

R. 1. Gratia et charitas statim moraliter augentur per actus remissos, seu quod idem est, homo per actus charitatis remissos acquirit jus novum ad augmentum gratiae, charitatis, et gloriae: patet ex supra dictis, ubi probavimus hominem per actus remissos mereri de condigno augmentum gratiae, charitatis, et gloriae, meritum autem est jus ad praemium.

R. 2. Gratia et charitas non statim augentur in esse physico per actus remissos. Probat. Augmentum gratiae et charitatis non confertur nisi juxta dispositionem subjecti: atqui actus remissi, puta, ad duo in habente charitatem ut sex, non sunt dispositiones sufficientes ad augendam physice charitatem ultra sex, cum sint tali augmento improportionati et imperfectiores ipso habitu; ergo. Prob. maj. 1. Gratia et charitas non infunduntur adultis nisi juxta dispositiones subjecti, ut probavimus de gratia: Atqui eadem est ratio augmenti et primae productionis, ut jam diximus, cum augmentum sit veluti continuata rei productio: ergo. 2. De spiritualibus proportione servata loquendum est sicut de naturalibus, nisi contrarium ex revelatione constet, id enim exigit suavis Dei providentia, ut de supernaturalibus disponat sicut de naturalibus, quae nobis sunt nota, alias cuilibet fas erit fingere quodlibet circa supernaturalia: atqui effectus naturales sive in augmento, sive in prima productione non producuntur nisi juxta dispositiones subjecti; ergo.

R. 3. Quando justus prorumpit in actum ferventiorem, augmentum charitatis, quod acquirit, correspondet isti soli actui ferventiori, non actibus prioribus remissis ita ut non sit unum praemium duplici titulo collatum. Est contra Bannem et Contensonum. Probat. 1. Inter meritum de condigno et praemium debet servari aequalitas: atqui si augmentum gratiae et charitatis, quod respondet actui intensiori, idem conferatur alio titulo actibus remissis, non servatur aequalitas: hi enim actus remissi fraudantur suo praemio; sicut si laborans per sex dies in vinea mereatur quotidie viginti asses, et in fine hebdomadae dentur tantum illi semel viginti asses pluribus titulis, fraudatur sua mercede, nec servatur aequalitas inter meritum et praemium: ergo. Prob. 2. ab absurdis. Ex opposita sententia sequitur 1. quod justus, qui per plures annos actus remissos mille et amplius elicuisset, si non eliciat actum ferventiorem et sic moriatur, perpetuo carebit praemio suis actibus remissis debito. 2. Sequitur, quod qui innumeros actus remissos ut octo per longam vitam elicuisset, et moriendo eliciat actum intensum ut decem, non obtineat majus praemium essentiale, quam flagitiosissimus, qui in fine vitae elicit actum charitatis ut decem.

R. 4. Augmentum debitum actibus remissis non confertur in hac vita, sed differtur usque ad ingressum gloriae, seu ad primum instans glorificationis. Ita Joannes a S. Th. Serra, de Marinis, Gonet, etc. Probat. prima pars. Justus numquam est sufficienter dispositus in hac vita ad augmentum gratiae et charitatis debitum actibus remissis: ergo. Probat. ant. Quando justus elicit actum ferventiorem, per illum disponitur ad augmentum huic actui correspondens, et simul illud meretur atque recipit: atqui istud augmentum adaequate actui fer-

ventiori respondet, et pro solo illo datur ac si nullus actus remissus praecessisset, ut probatum est: ergo nulla relinquitur dispositio ad augmentum actibus remissis debitum. Prob. secunda pars. Justus in ingressu gloriae, seu in primo instanti glorificationis ex clara Dei visione erumpit in actum ferventissimum tantae intensionis, quantae fuit meritum actuum remissorum: et cum ille actus non sit meritorius, quia non est amplius viatoris, sed tantum dispositio physica, totum augmentum huic dispositioni proportionatum correspondebit solis actibus remissis elicitis in via: ergo. Confir. Actus remissi, quibus homo meruit de condigno augmentum gratiae et charitatis, non possunt fraudari suo praemio: atqui illud recipere non possunt in hac vita defectu dispositionis, ut probatum est; ergo recipiunt in patria.

Petes 8. Utrum charitas possit amitti? Contra Calvinum, qui veterum Haereticorum errorem renovavit, resp. affirmative. Ita definivit Conc. Trident. Sess. 6. cap. 12. 13, et 14., et Can. 23. ib. *Si quis hominem semel justificatum dixerit, amplius peccare non posse, neque gratiam amittere, atque adeo eum, qui labitur, et peccat, numquam vere fuisse justificatum . . . . Anathema sit* Prob. itaque ex Script. Ezech. 18. 26. *Cum averterit se justus a justitia sua, et fecerit iniquitatem, morietur in eis.* Galat. 5. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini, a gratia excidistis.* Rom. 11. *In Fide stas, noli altum sapere, sed time* 1. Corint. 9. *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.* Conf. Adam, David, S. Petrus, licet justi, peccando a justitia, et charitate exciderunt. Item infantes accipiunt per Baptismum gratiam, et charitatem, quis dicat eos omnes numquam a gratia, et charitate excidere? Suffragantur SS. Patres Cyprian. l. de unit. Eccles., et de lapsis, Ambros. in libr. de Poenit: Hieron. l. 2. contra Jovinian.; August. Epist. 107., et l. de corrept., et gratia c. 12. 13., et 14.

Obj. cum Calvino. 1. Joan. 3. dicitur: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen ipsius in eo manet, et non potest peccare, quoniam ex Deo natus est.* Ergo. R. sensum horum verborum esse compositum, scilicet justum quamdiu manet justus, seu servat semen Dei, quod est gratia, et charitas, non posse peccare mortaliter, sic ut peccatum mortale stet cum gratia, et charitate. Patet, quia scopus S. Joannis erat discernere inter Filios Dei, et Filios Diaboli, et assignare aliquod signum, quo possent cognosci; hoc autem assignat, quod qui facit peccatum mortale, sit filius Diaboli, qui non facit Filius Dei. Vide Wigers hic.

Obj. 2. 1. Cantic. 8. legitur. *Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem* 2. Apost. Roman. 8. *Certus sum quia neque mors, neque vita . . . . neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei.* 3. 1. Cor. 13. *Charitas numquam excidit.* 4. 1. Joan. 2. *Si fuissent ex Nobis, permansissent utique nobiscum* 5. Prover. 17. *Omni tempore diligit qui amicus est.* Unde Aug. Epist. ad Julian. Comitem dicit. *Charitas quae deficere potest, numquam vera fuit.* Et Hieron. Epist. 40: *Amicitia, quae deficere potest numquam vera fuit.* Ergo. Resp. ad singula. Ad 1. secundum communem interpretationem, per charitatem hic intelligi, eam, qua Christus Ecclesiam Sponsam suam diligit, et Ecclesia Christum Sponsum suum. Quod si intelligatur de charitate particularium, sensus est, quod quamdiu quis voluerit retinere charitatem, neque tribulationes, neque alia quaecumque possent illam eripere, licet ex libertate arbitrii possit velle illam amittere peccando. Ad 2. Juxta plures idem est sensus, scilicet, quod nulla Creatura possit nos nolentes a charitate Dei separare, sed soli nos ipsi prava voluntate. Unde τὸ *certus* significat certitudinem absolutam ex parte Dei, ex nostra autem conditionatam, si Deo cooperari, nec ab eo separari velimus, et idem est, ac spero, confido, persuasum habeo. Ita Tirinus post Ambros., Hieron.,

et alios. Alii intelligunt haec verba de Praedestinatis, de quibus paulo ante dixerat. *Quis accusabit adversus electos Dei.* Quamvis enim contingat aliquando a charitate excidere, certum est autem, quod illam finaliter recuperabunt. Ad 3. Sensus non est, quod charitas in particularibus numquam excidat, sed ea, quae habetur finaliter in via, remaneat in Patria. Ad 4. sensus est. Si fuissent ex Nobis perfectis, solidis, et constantibus Christianis, ut interpretantur Cyprian. Cyrill., Hieron. apud Tirinum: vel si fuissent ex praedestinatis, ut interpretatur August. de corrept., et gratia c. 9., et de dono perseverantiae c. 8. Ad 5. Sensus est, quod quamdiu est amicus diligat tam in adversis, quam in prosperis, cum quo stat, quod ex mutabilitate voluntatis possit desinere esse amicus tam in adversis quam in prosperis. Ad verba Augustini, quae citantur cap. *Charitas* 3. de Poenit. observat Sylvius, ea nunc reperiri in libro de salutaribus documentis ad quemdam Comitem, qui falso adscribitur Augustino. Sed esto ea verba esse Augustini, sensus est juxta D. Thomam, quod charitas, quae ex ipsa ratione charitatis deficere potest, puta si quis haberet in amore, quod vellet amare ad tempus, et non amplius postea, non sit vera charitas, seu amicitia: sed si charitas amittatur ex mutabilitate subjecti contra propositum charitatis, hoc non repugnat veritati charitatis, et amicitiae. In eodem sensu intellige verba Hieronymi, nisi *το vera* sumatur pro constanti, et stabili. Alioquin culpandus esset ipse Hieronymus, quod veram amicitiam non coluisset cum Rufino, a quo semel, et iterum discessit.

Petes 9. Utrum per unum peccatum mortale amittatur charitas? R. affirmative. Est de fide decisa in Concil. Trident. sess. 6. cap. 15: his verbis: *Asserendum est non modo infidelitate, per quam et ipsa fides amittitur, sed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam justificationis gratiam amitti.* Probat. insuper argumentis theologicis. 1. Per peccatum mortale homo fit dignus morte aeterna, Rom. 6. *Stipendia peccati mors*: et quilibet habens charitatem est dignus vita aeterna: atqui nemo potest esse simul dignus morte aeterna et vita aeterna: ergo. 2. Unum contrarium pellitur per aliud contrarium superveniens: atqui quodlibet peccatum mortale contrariatur charitati secundum propriam rationem, charitas enim est unio amicitiae cum Deo ut ultimo fine, peccatum mortale est aversio a Deo ut ultimo fine: charitas facit hominem velle diligere Deum super omnia, et se omnibus ejus praeceptis subjicere, peccatum mortale praefert creaturam Deo et violat ejus praecepta: ergo. Nec obstat, quod actus non contrarietur directe habitui, quodque ideo unus actus non destruat habitum: id namque verum est de habitibus acquisitis, non vero de habitibus infusis, ut est charitas.

DISSERTATIO III.

De Charitate erga Proximum.

D. Th. Q. 25.

Diximus dissert. 1. proximum esse secundarium objectum charitatis; Quaestio nunc est, qui veniant sub nomine proximi. Suppono creaturas irrationales non posse diligi ex charitate, sicut is, cui volumus bonum aeternae beatitudinis, cujus sunt incapaces, possumus tamen velle ex charitate, ut conserventur in gloriam Dei, et in utilitatem proximi. Inter Creaturas rationales nullus dubitat Angelos esse diligendos ex charitate propter Deum; de hominibus difficultas est de dilectione sui ipsius, proprii corporis, Peccatorum, et inimicorum.

Articulus I.

Utrum homo debeat ex charitate diligere seipsum, corpus suum, et peccatores?

Dico 1. Homo debet seipsum diligere ex charitate. Prob. Homo debet diligere proximum sicut se ipsum, Matth. 19. Atqui debet diligere proximum charitate; ergo et se ipsum. Confir. 1. Deus ut infinite bonus dignus est, ut ab omnibus amore amicitiae diligatur: ergo homo debet propter Deum hunc amorem sibi velle: atqui hoc est se amare amore charitatis; ergo. Confir. Amicitia charitatis fundatur in communicatione beatitudinis: ergo illi sunt ex charitate diligendi, quibus beatitudinem volumus: atqui homo debet sibi velle beatitudinem: ergo.

Dico 2. Homo debet ex charitate diligere corpus suum, non solum ut id, quod tamquam bonum vult amico; sed etiam ut id, cui vult bonum. Ratio primae partis est, quia corpus nostrum potest esse instrumentum bonorum operum, quibus Deus honoretur. Ratio secundae partis est, quia licet corpus nostrum non sit capax aeternae beatitudinis Deum cognoscendo et amando, est tamen capax beatitudinis participatae, quae ex anima gloriosa in ipsum redundat.

Dico 3. Peccatores sunt ex charitate diligendi secundum naturam, non secundum culpam: Ratio primae partis est, tum quia peccatores secundum naturam sunt capaces beatitudinis, quam ipsis propter Deum debemus velle, tum quia peccator non desinit esse proximus, juxta illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, si frater, ergo proximus. Deinde jubemur diligere inimicos, ut mox probabitur: ergo et peccatores: sunt enim inimici peccatores. Ratio secundae partis est aperta, culpa enim contrariatur Deo, et est beatitudinis impedimentum: unde dicebat David Ps. 118. *Iniquos odio habui.*

Dices. Viri sancti apprecantur mala peccatoribus, ut Psal. 9. *Convertantur peccatores in infernum* Psal. 103. *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint.* Isa. 6. *Excaeca cor populi hujus et aures ejus aggrava*; ergo. R. imprecationes hujusmodi intelligendas esse vel per modum praenuntiationis, non optationis: sic intelligitur illud, *Convertantur peccatores in infernum*, id est convertentur: et istud, *Excaeca cor populi hujus*, id est excaecabis. Vel per modum optationis quidem, sic tamen ut desiderium non referatur ad poenam hominum, sed vel ad justitiam Dei punientis, ut sit quasi approbatio justitiae divinae, vel ad remotionem et destructionem culpae, quo sensu intelligitur Psalm. 103. *Deficiant peccatores a terra et iniqui, ita ut non sint*; id est secundum quod sunt peccatores et iniqui, seu secundum culpam.

Hinc colliges non licere optare damnationem aeternam cuique adhuc in hoc saeculo viventi, tum quia non potest esse medium ad majus bonum habendum, vel ad majus malum vitandum, tum quia est contraria fini propter quem debemus charitate diligere proximum. Neque licet alicui desiderare ut peccet, quia peccare est simpliciter malum; licet tamen juxta plures desiderare ut Deus permittat aliquos peccare, ut inde humiliores, et cautiores resurgant.

Articulus II.

Utrum inimici sint ex charitate diligendi, eisque exhibenda signa et opera charitatis?

Dico 1. Inimici sunt ex charitate diligendi, non qua inimici, sic enim esset diligere peccatum, sed qua homines, dilectione utique communi, non spe-

ciali per se loquendo. Prob. 1. ex illo Matth. 15. *Diligite inimicos vestros*: et ut probet Christus esse praeceptum omnibus, addit; *Ut sitis filii Patris vestri, qui in coelis est.* Est autem omnibus necessarium ad salutem esse filios Patris coelestis. 2. In Oratione Dominica Matth. 6. petimus ut Deus dimittat nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris: ergo praeceptum est dimittere inimicis, alias non dimittetur nobis. Item ibid. *Si non dimiseritis hominibus, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.* 3. Praeceptum est, ut diligamus proximum; atqui inimicus est proximus: ratio enim proximi consistit in eo, quod quis sit factus ad imaginem Dei et possit esse particeps aeternae beatitudinis: ergo.

Dixi, *Dilectione utique communi, non speciali per se loquendo*, quia dilectio inimici potest considerari dupliciter 1. In universali sic, ut quis diligens Deum et proximum ab illa generalitate dilectionis proximi inimicos suos non excludat, et sic dilectio inimicorum est de necessitate charitatis. 2. In speciali, ut scilicet quis in speciali moveatur motu dilectionis ad inimicum; et istud non est de necessitate charitatis absolute et per se loquendo, sed de ejus perfectione; quia sic moveri motu dilectionis in speciali ad quoslibet homines singulariter non est de necessitate charitatis, cum hoc sit impossibile. Est tamen de necessitate charitatis secundum praeparationem animi, ut scilicet homo habeat animum paratum ad hoc, quod in singulari inimicos diligeret et specialia beneficia praestaret, si necessitas occurreret.

Dico 2. Per se loquendo signa et opera communia charitatis sunt exhibenda inimicis, non specialia. Prob. 1. Dilectio interior ad inimicum in communi est de necessitate charitatis absolute: in speciali autem non est de necessitate absolute, sed secundum praeparationem animi tantum, ut dictum est. Ergo idem dicendum est de operibus et signis dilectionis exhibendis. 2. Ex virtute charitatis obligamur nulli esse scandalo: atqui denegando inimico signa communia dilectionis, sumus illi et aliis scandalo, secus denegando signa specialia; ergo. Prob. min. Denegando inimico signa communia dilectionis, quae omnibus communiter exhibentur, inimicus jure praesumit ita fieri ex odio in ipsum et livore vindictae, indeque movetur, ut in inimicitia perseveret, atque magis obfirmetur: commune enim est inter homines odisse odientes se; secus vero non exhibendo ipsi specialia signa, quae aliis etiam non inimicis non exhibentur.

Pro hujus itaque conclusionis explicatione, praesertim in ordine ad praxim, distinguenda sunt signa dilectionis communia et specialia. Communia dicuntur, quae communiter omnibus exhibentur; vel forte melius, quae christiano a quovis christiano, concivi a quovis concive, cognato a quovis cognato, etc. communiter exhibentur; quia licet haec possint esse specialia respective ad omnes homines, sunt tamen communia in sua classe. Specialia sunt, quae exhibentur determinatis personis ac amicis et familiaribus. Dixi, *Per se loquendo*, quia per accidens possunt aliquando sine peccato, aut saltem sine gravi denegari signa communia inimicis, et aliquando praeceptum est illis dare signa specialia.

Itaque non tenemur dare signa communia, quando charitas erga nos vel proximum, aut justitia contrarium suadet, aut rationabilis causa excusat. *Charitas erga nos et proximum*, ut si ex denegatione signorum communium speratur inimicus emendandus et non scandalizandus; si ex aspectu aut colloquio cum inimico timeas, ne injuriarium recordatio, major commotio, aut novae rixae insurgant; deberet tamen in hoc casu innotescere, id non denegari ex odio. *Justitia* ut si parentes aut superiores in punitionem justam et correctionem filii aut subditi, puta ob crimen infame, et contractum indignum matrimonium, etc. denegent absque interno odio alloquium, aspectum benignum, aliave beneficia et signa filiis aut subditis exhiberi solita, modo tamen haec vindicta seu

poena non excedat modum delicti, nec in perpetuum duret. *Rationabilis causa*, ut si te offendenti deneges loquelam, responsum, salutationem, etc. in instanti injuriae acceptae, vel post ad brevem moram, non ex odio et vindicta, sed in significationem justi doloris et tristitiae ex injuria accepta, idque exterius appareat; item si ob injuriam te aut familiam graviter diffamantem exhibeas austeriorem vultum aut tristitiam, vel deneges alloquium et salutationem, ne videaris parvi aestimare tantam injuriam. In his casibus poteris excusari a peccato saltem gravi.

E contra vero per accidens tenemur signa dilectionis specialia exhibere inimico in duobus praesertim casibus. 2. Quando inimicus veniam petit. 2. Quando ejus necessitas saltem gravis corporalis vel spiritualis ita exigit. Ratio est, quia cum in certis casibus teneamur benefacere inimico, non possunt conventiores assignari, quam quando patitur gravem necessitatem, aut petit reconciliationem, alioquin erit signum interni odii et grave scandalum tam aliis quam ipsi inimico, qui inde magis exacerbabitur, et in inimicitia obfirmabitur.

Ut itaque dignoscatur quando, et quantum peccetur in hac frequenti materia, duo sunt consideranda, scilicet intentio interna, et significatio externa offensiva inimici. Quantum ad intentionem: Si deneges inimico signa dilectionis, v. g. illum salutare, alloqui ex odio gravi abominationis ejus Personae, quia apprehendis ipsum malum, et summe contemnis, indignumque reputas tua salutatione, vel alloquio, videtur peccatum mortale. Si ex odio inimicitiae hoc deneges, ut ipsum affligas, et illi male sit, est etiam peccatum mortale ex genere, quod potest fieri leve ex levitate materiae. Quantum ad significationem externam offensivam inimici attendendum est 1. Utrum facta vel omissa significent revera internum odium. 2. Utrum inimicus haec advertat, et aegre ferat, atque inde offensus scandalizetur, et obfirmetur in inimicitia, et tunc ex levitate, vel gravitate scandali, et offensae aestimanda est gravitas, vel levitas peccati mortalis, vel venialis. Unde potest ex hoc capite statui haec regula generalis. Secluso odio interno, ea tantum signa, et opera charitatis tenemur exhibere inimico, ex quorum omissione is, et alii merito intelligunt, nos ea denegare ex malo odii, vel vindictae affectu in inimicum.

Petes, utrum offensus teneatur omnia condonare seu remittere inimico reconciliationem petenti? R. Offensus tenetur inimico petenti reconciliationem remittere offensam simplicem, quae est sine laesione juris stricti aut damno, seu quod idem est, deponere aversionem, indignationem, seu odium, et hujus depositionis quaedam signa exhibere: constat ex praecedentibus; sed non tenetur remittere injuriam seu laesionem juris et damnum, potestque exigere pro injuria satisfactionem, et pro damno restitutionem: quia unusquisque potest jus suum prosequi apud legitimum judicem. Cavendum est tamen, ne inimicus ad satisfactionem vel restitutionem cum nimio suo damno cogatur, aut ne a judice petatur satisfactio, quando ipse rationabilem offert; id enim vix fieri potest absque aliquo appetitu vindictae. Item ubi agitur de poena capitis aut mutilatione, et nullum emolumentum parti laesae inde obvenit, expedit propter eamdem rationem illam non urgere: secus esset, si communitas aut familia offensi maneret infamis, si offendens non puniatur secundum leges.

DISSERTATIO IV.

De Ordine et praecipuo Actu Charitatis, qui est Dilectio.

D. Th. QQ. 26. *et* 27.

Articulus I.

Utrum Deus sit magis ex Charitate diligendus quam proximus?

Observant communiter Theologi unum plus altero posse diligi tripliciter. 1. Objective, quando volumus ei majus bonum quam alteri, ut si optem imperium Titio, ducatum Cajo, plus objective diligo Titium quam Cajum. 2. Appretiative, quando unus pluris aestimatur quam alter, et amans ita illi afficitur, ut magis refugiat ejus quam alterius amicitiam perdere. 3. Intensive, quando unus diligitur intensiori conatu, affectu ferventiori, et perfectiori secundum gradus intensionales, quam alter.

Dico 1. Deus est ex charitate diligendus super omnia, et prae omnibus objective et appretiative; sicque simpliciter loquendo est magis diligendus quam proximus, et quam Nos ipsi. Ratio est, quia debemus velle Deo omne bonum, bonum infinitum, infinitas et amabiles ejus perfectiones, in iisque complacere. Item debemus ita illum aestimare, ita illi affici, ut mallemus omnia perdere, et pati potius quam ipsum deserere; Atqui hoc est ipsum super omnia diligere objective et appretiative: ergo. Idque exprimitur in pluribus locis Scripturae. Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: Hoc est maximum et primum mandatum.* Matth. 10. *Qui amat Patrem aut Matrem plusquam me, non est me dignus.*

In hac conclusione omnes conveniunt, sed difficultas est de intensione dilectionis; an ex praecepto charitatis Deus sit intensius diligendus quam proximus? Suppono ad rationem charitatis secundum se non requiri intensionem, minima enim charitas justificat, et quilibet actus charitatis etiam remissus meretur vitam aeternam, ut Dissert. 2. probatum est. Suppono 2. Deum esse dignum, qui ametur amore perfectissimo et magis intenso quam quaelibet creatura; non potest enim tam perfecte ab ulla creatura diligi, quin perfectiori dilectione sit dignus; et ideo inordinatum foret eligere creaturam amare intensius quam Deum; hoc enim esset judicare eam esse dignam intensiori amore, consequenter esse majus bonum et magis appretiative amandum, quod totum est falsum et inordinatum; debet ergo homo eligere, amare Deum summo amore et intensius quam creaturam. At utrum si in actu dilectionis non reperiatur ista major intensio ex conditione naturae, ut mox explicabimus, sit inordinatio et peccatum? Affirmant quidam Lovanienses cum Petro Soto; non sunt tamen inter se concordes; quidam enim dicunt hoc peccatum esse mortale, alii veniale tantum. Communior sententia negat, cum qua

Dico 2. Non peccat contra praeceptum charitatis, qui intensiori amore sive naturali, sive supernaturali diligit proximum quam Deum. Prob. 1. eodem argumento, quo in Tract. de Poenitentia probavimus dolorem de peccatis non debere necessario esse maximum intensive. Intensio actus voluntatis provenit ex vehementia objecti moventis illam; inde enim fit quod majori conatu et fervore feratur in ipsum, atqui objectum sensibile, ut proximius, vehementius movet voluntatem quam spirituale, ut est Deus: ergo. Prob. min. Quo objectum est propinquius voluntati, eo vehementius illam movet: atqui objectum sensibile pro

hoc statu est propinquius voluntati quam spirituale, ergo. Prob. min. Sensibilia sunt proxima et immediata sensibus; voluntas autem pro hoc statu operatur conformiter ad illos et ab illis dependet, quatenus sequitur cognitionem intellectus, qui pro hoc statu desumit cognitionem a sensibus: ergo. Confir. Voluntas intensius fertur in minus bonum praesens quam in majus absens, et intensius refugit minus malum praesens quam majus absens. Id experientia notum est; nec alia ratione contingit, quam quia objectum praesens proprinquius est voluntati et magis ipsam movet; quamvis tamen in appretiatione mallet perdere minus bonum praesens quam majus absens, et pati minus malum praesens quam majus absens.

Prob. 2. Omnes conveniunt, ut supposuimus, nos non teneri per se loquendo ad maximam intensionem charitatis, neque ad certum gradum dilectionis, ut satisfiat praecepto charitatis: suppono itaque quod nunc eliciam actum dilectionis Dei, ad quatuor; iste actus est bonus et meritorius: postea elicio actum honestum amoris sive naturalis sive supernaturalis proximi ad quinque; iste secundus actus non potest efficere quod primus, qui fuit bonus, fiat malus; transiit enim bonus, nec est amplius mutationi obnoxius; ergo. Si dicas quaestionem esse de duobus actibus eodem tempore elicitis comparando inter Deum, et hominem; N. suppositum; duo enim actus realiter distincti non eliciuntur eodem tempore, sed sibi succedunt, et adveniente secundo primus transit. Insuper si quaestio sit tantum de duobus actibus eodem tempore elicitis, comparando inter se Deum et hominem, vix est quod moveatur quaestio; quandonam enim sic contingit? Imo totaliter evanescit quaestio, sic enim esset eligere amare Deum minus intense quam hominem, quod est extra quaestionem, et quod fatemur esse inordinatum.

Articulus II.

Utrum homo debeat ex charitate magis se diligere quam proximum?

In homine duo sunt, scilicet natura spiritualis et corporalis. In tantum homo dicitur diligere se ipsum aut proximum, in quantum diligit se vel proximum secundum naturam spiritualem.

Dico 1. Homo debet ex charitate se magis diligere quam proximum. Prob. 1. ex illo Matth. 22. *Diliges proximum tuum sicut teipsum*: ex quo videtur quod dilectio hominis ad seipsum sit exemplar dilectionis quae est ad alterum: exemplar autem est potius quam exemplatum; unde Aug. l. 1. de civit. c. 20. *Regulam diligendi proximum*, inquit, *a semetipso dilector accipit*: ergo. Prob. 2. Deus diligitur ut principium boni, super quod fundatur dilectio charitatis: homo autem diligit seipsum ut participem illius boni, et proximum ut socium in isto bono: atqui participatio est potior consociatione, sicut unitas est potior unione: ergo homo debet ex charitate magis se diligere quam proximum.

Ex dictis colliges 1. numquam licitum esse etiamsi pro salute totius Mundi peccare sive mortaliter, sive venialiter. Peccatum enim etsi veniale aliquo modo contrariatur participationi beatitudinis, cum haec nequeat esse cum illo. Pariter illicitum est, se exponere periculo proximo peccandi pro salute Proximi, quia hoc ipsum est peccare, secus de periculo remoto, quod potest contemni, et quod nemo vitare tenetur. Colliges 2. opera supererogationis, imo quandoque praecepta Ecclesiae, posse, et debere omitti pro salute non solum spirituali, sed etiam corporali Proximi. Sic potest, et debet omitti auditio Sacri die festo, oratio, peregrinatio etc. ut proles periclitans baptizetur, ut subveniatur extreme aegrotanti. Sic Filius potest, et debet omittere consilia evangelica, si sit necessarius Parentibus sustentandis; et cum faciat id, quod scit Deo magis placere, quam-

vis ex una parte patiatur detrimentum in augmento charitatis, ex alia parte illud augmentum meretur, faciendo opus magis Deo gratum.

Dico 2. Homo magis debet diligere proximum quam proprium corpus; quia illud magis est ex charitate diligendum, quod habet pleniorem rationem diligibilis ex charitate: atqui consociatio in plena participatione beatitudinis, quae est ratio diligendi proximum quantum ad animam, est major ratio diligendi quam participatio beatitudinis per redundantiam, quae est ratio diligendi proprium corpus: ergo. Verum quia praeceptum diligendi proximum exponendo proprium corpus pro ejus salute spirituali est affirmativum, licet semper obliget, non tamen obligat pro semper, sed in certis casibus necessitatis. Triplex autem distinguitur necessitas, extrema, gravis, et communis. Extrema dicitur, quando proximus est in aeternum periturus nisi adjuvetur, ut si infans sit sine Baptismo moriturus. Gravis, quando sine adjutorio potest absolute salvari, sed valde difficile, ut si quis morti proximus, et in peccato mortali existens petat confessionem, sine qua potest absolute salvari sola contritione, sed longe difficilius quam Sacramento. Communis est, in qua communiter versantur peccatores, qui communes peccandi occasiones incurrunt. Juxta hanc triplicem necessitatem.

Dico 3. In extrema necessitate quilibet tenetur exponere propriam vitam pro salute aeterna proximi, si sit spes quod juvari possit. In gravi necessitate tenentur solum ii, quibus incumbit ex officio cura animarum. In necessitate communi nemo tenetur. Prob. prima pars 1. Juxta Scripturam 1. Joan. 3. *Nos debemus pro fratribus nostris animas ponere*, quod verum est saltem in extrema necessitate. Unde Aug. l. de mendacio ait: *Temporalem plane vitam suam pro aeterna vita proximi non dubitabit Christianus amittere.* 2. Tenemur exponere bona fortunae pro salvanda vita corporali proximi in extrema necessitate positi juxta illud 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo: quomodo charitas Dei manet in illo?* Ergo pro salvanda ejus vita spirituali debemus vitam corporalem exponere. Patet conseq. Quia sic se habet vita nostra corporalis ad vitam spiritualem proximi, sicut opes nostrae ad vitam ejus corporalem. Adverte autem eos non censeri in extrema necessitate, qui ex propria malitia se in periculum damnationis injiciunt, ut sunt, qui bellum injustum ingrediuntur, duellum suscipiunt, et similes, qui possunt seipsis a periculo recedere.

Probat. secunda pars. Magis tenentur ii, quibus incumbit ex officio cura animarum, gregi suo providere, quam ii, quibus haec cura non incumbit: atqui hi tenentur in extrema necessitate, neutri tenentur in communi: ergo ii tenentur in gravi necessitate, quibus incumbit ex officio cura animarum, et non alii. Aliunde durum foret obligare privatum, qui nullam alterius curam suscepit, quam eam generalem, quam cuique Deus mandavit de proximo suo, pro ejus salute vitam profundere extra extremam necessitatem; secus esset, si ageretur tantum de aliquo damno in bonis fortunae, illud enim pati deberet privatus pro salute proximi. Item si periclitaretur salus totius Populi, ut si haereticus prava doctrina perverteret totam communitatem, teneretur privatus impedire cum periculo vitae, si posset; si enim quilibet privatus tenetur cum periculo vitae succurrere bono communi temporali, a fortiori bono spirituali.

Hinc inferes pastores teneri cum periculo vitae, puta tempore pestis, administrare Sacramentum poenitentiae suis parochianis, quia licet possint absolute salvari contritione, difficile tamen; longe autem facilius cum attritione et Sacramento, unde sunt, si non in extrema, saltem in gravi necessitate. Quantum ad administrationem Sacramentorum Eucharistiae et extremae Unctionis, vide quae scripsimus intract. de Eucharistia et in tract. de extrema Unctione art. 7. pet. 2.

Tertia pars est manifesta, quia necessitas communis, a qua quilibet seipsum

non ita difficile expedire potest, et melius quam quivis alius, non est tanta, ut pro illa vitam profundere teneamur.

Petes utrum homo possit exponere propriam vitam corporalem pro vita corporali proximi? Ante resp. suppono 1. Licere, imo quandoque oportere exponere bona temporalia pro salute corporali proximi, pretiosior enim est vita proximi bonis nostris temporalibus. Suppono 2. Ubi agitur de bono communi, et vita Personae Reipubl. necessariae, quemlibet posse, et teneri exponere vitam propriam pro ejus vita servanda. Suppono 3. Ubi agitur de vita aequalis, si me credam in peccato mortali, aut si vita mea sit familiae meae, vel aliis necessaria, non licere vitam meam pro alterius vita exponere. His suppositis resp. Non licet vitam propriam exponere pro vita alterius aequalis, secundum se praecise considerata, seu spectando praecise vitam, et vitam; esset enim diligere proximum non sicut seipsum, sed plusquam seipsum, quod est contra ordinem charitatis; Probabilius tamen licet ex motivo virtutis christianae. Prob. ex Verbis Christi Joan. 15. *Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*; quod potest generaliter intelligi etiam de salute corporali, ut intellexit Chrysost. l. 2. de Sacerd., et praeterea licitum est praeferre bonum virtutis bono corporis, ubi necessitas ita exigit.

Ex hac probabili sententia inferunt plures Theologi, quod si duo sint in extrema necessitate, unus possit alteri dare unicum panem, quem habet; in fuga hostium possit concedere equum, quamvis pedibus fugere non possit; grassante peste possit servire infirmis; in naufragio possit cedere tabulam, quam posset occupare; aut jam occupavit, si tamen nondum ea coepituti, in hoc enim casu (inquit Sylvius) cedendo tabulam, esset se praecipitare in mare, quod videtur pertinere ad occisionem sui, quae numquam licet.

Articulus III.

Qui sit ordo servandus in dilectione Proximorum?

Cum in iis, in quibus invenitur aliquod principium ordo attendatur secundum comparationem ad illud principium, et cum principium dilectionis sit Deus et ipse diligens, necesse est, quod secundum majorem propinquitatem ad alterum istorum principiorum, major sit dilectionis affectus.

Dico 1. Meliores sunt magis objective diligendi, quam Nobis conjunctiores minus boni; quatenus secundum eorum praesentem justitiae statum debemus illis velle majorem beatitudinis participationem, quam nobis conjunctioribus minus bonis secundum praesentem eorum statum. Quia ad charitatem pertinet, ut velit justitiam Dei servari, secundum quam qui sunt meliores, plus beatitudinis participant.

Dico 2. Nobis secundum carnem conjunctiores sunt per se loquendo magis intensive diligendi, quam meliores extranei. Prob. 1. quia intensio motus pendet a proprio agente, quod natum est vehementius influere in propinquiora, quam in remotiora. Ergo. 2. Scriptura pluribus in locis nobis specialiter commendat dilectionem conjunctorum praeter speciale praeceptum honorandi Parentes, ut Isaj. 58, 1. Tim. 5. *Siquis suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior.* Ubi Apostolus vocat suos, qui quovis modo sunt conjuncti, *domesticos* autem, qui sanguine sunt juncti. 3. Ad eos, qui non sunt nobis conjuncti, non habemus nisi amicitiam charitatis; ad conjunctos vero habemus alias amicitias secundum modum conjunctionis ut amicitiam Filiorum ad Parentes, et e contra, fratris ad Fratrem, civis ad concivem etc. Et quamvis isti amores sint naturales, aut morales, in hominibus

tamen bene ordinatis imperantur a charitate quia bonum, super quod fundatur quaelibet amicitia honesta, ordinatur tamquam ad finem ad bonum, super quod fundatur charitas, unde sequitur, quod charitas imperet actui cujuslibet alterius amicitiae, sicut ars, quae est circa finem, imperat arti, quae est circa ea, quae sunt ad finem.

Dixi *per se loquendo*, quia per accidens contingit, quod meliores sint magis diligendi quam conjunctiores secundum carnem; ut si Persona salvanda sit necessaria bono communi; siquis te a morte sive corporali, sive spirituali, quam inferre volebant parentes, eripuit; si te, a Fratribus in extrema necessitate derelictum, suscepit, et curavit; si inter spiritualiter conjunctos sit arctissimá necessitudo, et vix ulla inter remotiores consanguineos, ut in tertio, quarto, vel quinto gradu. In his et similibus casibus, magis diligendi sunt meliores, quam carnaliter conjuncti. Quae contra hanc conclusionem objiciuntur, facile solventur habita prae oculis distinctione dilectionis objectivae, et intensivae.

Dico 3. Inter varie conjunctos, carnaliter conjuncti per se loquendo sunt magis diligendi in his, quae pertinent ad naturam, quam aliter conjuncti. Supponit conclusio varios conjunctionis modos. 1. Secundum carnem, ut inter parentes, et consanguineos. 2. Secundum societatem politicam, ut inter concives, et commilitones tum inter se, tum cum suis Magistratibus, et Ducibus. 3. Secundum rationem obsequii, sive spiritualis, sive temporalis. Prob. concl. Quia intensio dilectionis est ex conjunctione dilecti ad diligentem; conjunctio autem carnalis originis est prior, et immobilior, et est secundum id, quod pertinet ad substantiam, aliae autem sunt supervenientes.

Dixi *in his, quae pertinent ad naturam*, quia in his, quae pertinent ad alias conjunctiones, sunt magis diligendi, qui secundum illas conjunguntur, intellige tamen extra necessitatem. Unde in re bellica magis obeditur Duci, quam Patri. Comparando tamen dilectionem dilectioni, conjunctionem conjunctioni, carnalis est cuicumque praeferenda, ita ut si non possint praestari ea, quae pertinent ad carnalem conjunctionem, et ea, quae sunt propria illis conjunctionibus, ista sint omittenda, et conjunctiones deserendae, si necesse sit. Sic Miles debet militiam deserere, ut subveniat necessitati parentum, Religiosus exire e Monasterio in eumdem finem. Unde simpliciter loquendo carnaliter conjuncti sunt magis diligendi, quam aliter conjuncti.

Ex his colliges 1. in gravi vel extrema necessitate per se loquendo magis esse succurrendum Parentibus, Filiis, Uxori, et probabilius etiam Fratribus, et Sororibus, quam cuivis Benefactori quantumvis insigni. Dixi *per se loquendo*, hoc est verum sub iisdem exceptionibus secundae conclusioni appositis. Colliges 2. etiam in pari necessitate spirituali probabilius Parentes, et Filios carnales esse praeferendos Parentibus, et Filiis spiritualibus. 3. Patrem esse plus diligendum objective, quam Filium, diligitur enim sub ratione principii, quod habet rationem eminentioris boni, et similioris Deo: Filium autem esse diligendum plus intensive, quam Patrem: est enim Filius magis aliquid Patri, quam Pater sit aliquid Filii. Absolute tamen loquendo Pater in necessitate est praeferendus Filio, quia Pater diligitur ut causa, Filius ut effectus, major est autem obligatio effectus ad causam, quam causae ad effectum 4. Patrem per se loquendo magis esse diligendum, quam Matrem, quia est nobilius principium, quam Mater. 5. Patrem propter rationem supra allatam esse magis diligendum objective, et appretiative, quam Uxorem, Uxorem vero plus intensive, quam Patrem, et Filios, est enim conjunctior Patre, et Filiis. Caeterum observant Theologi, ordinem in tribus ultimis consectariis immutare, non esse grave peccatum, quia non est notabilis excessus unius supra alium.

Articulus IV.

An, et quo sensu liceat diligere Deum, et illi servire propter retributionem?

Dico 1. Fide certum est licere aliquo sensu Deo servire, sive illum diligendo, sive alia virtutum opera exercendo propter retributionem. Ita definitum est in Concil. Trid. sess. 6. cap. 11. et can. 31. his verbis; *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu aeternae mercedis bene operatur, anathema sit.* Constat ex Scriptura in pluribus locis. David Psal. 118. dicit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas, propter retributionem.* Apost. Heb. 11. refert. Abraham et Moysen bona egisse intuitu mercedis aeternae. Christus Matth. 5. incitat Apostolos ad tolerantiam passionum intuitu mercedis: *Gaudete*, inquit, *et exultate, quia merces vestra copiosa est in coelis.* Et Ecclesia canit de Martyribus: *Tradiderunt corpora sua ad supplicia, ut haeredes fierent in domo Domini.*

Dico 2. Non licet diligere Deum aut illi servire propter retributionem tamquam propter finem rei amatae seu Dei: tum quia Deus non potest ordinari ad aliquid tamquam ad finem, cum ipse sit finis ultimus, ad quem omnia ordinantur: tum quia alioquin retributio amaretur plusquam Deus, finis enim plus amatur, quam ea, quae sunt ad finem.

Dico 3. Licet servire Deo sive ipsum diligendo, sive virtutum opera exercendo propter retributionem aeternam, sic ut retributio sit finis dilectionis et bonorum operum, non ultimus, sed ulterius ordinabilis ad Deum. Probat. prima pars. 1. Nulla est inordinatio, quod media ad finem suum proprium et legitimum, et merita ad praemium ordinentur: atqui finis proprius et legitimus bonorum operum eorumque praemium est aeterna beatitudo juxta illud Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Et 1. Petri 1. *Reportantes finem fidei vestrae salutem animarum.* Idque probant ea, quae protulimus pro prima conclusione. 2. Amicorum est, ut quaerant invicem frui; atqui merces nostra nihil aliud est, quam frui Deo: ergo. Prob. secunda pars. Finis noster ultimus est Deus; atqui beatitudo aeterna, licet objective sit Deus, formaliter tamen non est Deus, sed quid creatum, scilicet visio beatifica; ergo. Hinc sequitur tertia pars, si enim possumus servire Deo propter retributionem aeternam tamquam propter finem bonorum operum, sed non ultimum: ergo tamquam propter finem ulterius ordinabilem ad Deum; ita quod intendamus videre Deum, ut eum securius et intentius diligamus, atque in aeternum laudemus et glorificemus; sic affecti, ut si nulla esset beatitudo speranda, nihilominus diligeremus illum atque illi serviremus.

Dico 4. Licet servire Deo intuitu mercedis temporalis, non tamquam finis proprie dicti bonorum operum; inordinatum enim esset, quod actus virtutum, qui sunt praestantiores bonis temporalibus, tamquam media ad illa ut ad finem ordinarentur; sed tamquam boni alicujus vel finem comitantis, vel ad eum conducentis; ita ut se habeant tantum ut quaedam motiva accessoria. Juvant enim nos bona temporalia ad finem supernaturalem consequendum: 1. in quantum per illa vita haec corporalis, in qua sola datur copia beatitudinem merendi, sustentatur; 2. in quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum. Id confirmat praxis Ecclesiae, quae petit a Deo serenitatem, pluviam, fruges, etc. Imo ipse Christus, qui jubet nos in oratione dominica petere panem nostrum quotidianum.

Articulus V.

De Praecepto Charitatis.

Petes 1. Utrum detur speciale praeceptum diligendi Deum actu interno? Non pauci docuerunt non dari praeceptum speciale, et a caeteris distinctum diligendi Deum actu interno explicito, sed dilectionem Dei praeceptam nihil aliud esse quam observantiam caeterorum mandatorum, etiam sine ullo internae dilectionis affectu, quod sane non parum offendit pias aures. Contra quos itaque

R. Datur speciale, et a caeteris distinctum praeceptum diligendi Deum affectu et actu interno explicito, et non solum effectu, observando caetera mandata. Prob. 1. ex his Christi verbis Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua: Hoc est maximum et primum mandatum. Secundum simile est huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis universa lex pendet.* Idem legitur Deut. 6. et Luc. 10. Ex his triplex formo argumentum. Primum, juxta Augustinum et omnes Interpretes verba Scripturae in sensu naturali et obvio accipienda sunt, nisi obstet grave inconveniens; atqui ista verba diligere ex toto corde, in tota anima, in tota mente, naturaliter et obvie affectum et actum internum dilectionis significant, nec nisi per apertam violentiam in alium sensum detorqueri possunt, neque huic sensui ullum obstat inconveniens, quin imo in hunc sensum omnia conspirant; ergo. Secundum: inter ea, quae distincta non sunt, non potest numerari primum, secundum, et tertium, neque unum potest dici maximum; hoc per se patet; atqui juxta Scripturam citatam praeceptum dilectionis Dei inter caetera numeratur primum, praeceptum dilectionis proximi secundum: caetera, quae ex his duobus pendent, tertium. Item praeceptum dilectionis Dei dicitur maximum inter alia: ergo praeceptum dilectionis Dei est speciale et distinctum a caeteris praeceptis. Tertium: nihil pendet a seipso: atqui lex seu praecepta totius legis pendent ab his duobus praeceptis: ergo haec duo praecepta sunt a caeteris distincta. Confir. Scriptura distinguit dilectionem Dei et observantiam mandatorum, ut causam et effectum, ut signum et significatum: Joan. 14. *Si diligitis me, mandata mea servate*: ubi dilectio assignatur ut causa observantiae mandatorum, et observantia mandatorum ut signum dilectionis.

Huc faciunt sequentes propositiones damnatae. Prima. *Homo nullo unquam vitae tempore tenetur elicere actum fidei, spei, et charitatis ex vi praeceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium*: est prima inter damnatas ab Alexandro VII. anno 1665. Secunda; *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret? condemnare non audemus.* Tertia; *Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare praeceptum charitatis erga Deum.* Quarta: *Tunc solum obligat, quando tenemur justificari et non habemus aliam viam, qua justificari possumus.* Sunt quinta, sexta, et septima inter damnatas ab Innocent. XI. anno 1679. Quinta; *Finem ultimum homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitae suae moralis*: est damnata ab Alexandro VIII. anno 1690.

Quod diximus de praecepto diligendi interne Deum, dicendum est de praecepto diligendi interne proximum propter easdem rationes, quibus adde: jubemur diligere proximum sicut nos ipsos; nos autem diligimus nos affectu interno. Item Joan. 15. dicit Christus. *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: Christus autem dilexit nos non solum per opera externa, sed affectu interno. Neque dicas proximum sublevari dumtaxat opere exter-

no ; nec curare affectum internum : falsum namque est utrumque assumptum : sublevatur enim proximus etiam orationibus internis, et dedignaretur opus externum, si sine affectu illi exhiberetur. Hinc sequentes propositiones damnatae ab Innocentio XI. *Non tenemur proximum diligere actu interno et formali* : est decima. *Praecepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos* : est undecima.

Petes 2. Quandonam obliget praeceptum charitatis ? R. Praeceptum dilectionis Dei per se obligat 1. initio usus rationis ad hoc sufficientis, de quo sat dixi in tract. de peccatis dissert. 8. 2. Obligat per se in fine vitae, quia cum tunc spiritus revertatur ad Deum, qui creavit illum, et Diabolus maxime illi insidietur, gravissimae negligentiae et contemptus accusaretur homo, si non se converteret per amorem ad Deum, cui sperat amore aeterno conjungi in beatitudine. 3. Obligat per se saepius in vita, cum charitas sit virtus praecipua, qua tendimus in finem, propter quem creati sumus. At quoties et quando ? incertum est. Quidam assignant dies dominicos et festos, in quibus cum fideles colant Deum ut omnium rerum principium, inde incitantur etiam ad eum amandum ; alii semel aut bis in septimana actum dilectionis requirunt. Sed cum, ut dixi, haec incerta sint, hortandi sunt fideles, ut saepe et saepissime, in quantum possunt, in his actibus charitatis se exerceant : quod facile praestabunt, si cum attentione et affectu recitent orationem dominicam, in cujus recitatione exercetur actus formalis dilectionis Dei, dicendo *Sanctificetur nomen tuum.* Hoc enim non est aliud, quam velle, quod nomen Dei ubique et ab omnibus habeatur sanctum et glorificetur. Per accidens autem obligat praeceptum charitatis, quoties urget aliud praeceptum, quod non potest impleri sine dilectione Dei ; quia qui tenetur ad finem, tenetur ad media.

Hinc obligat 1. quando tentantio odii Dei, aut alterius peccati superari non potest absque expresso actu dilectionis Dei. 2. quando homo tenetur, aut vult justificari non solum sine sacramento, sed etiam secundum Nos cum sacramento, intelligendo de dilectione Dei super omnia, etsi nondum sit charitatis. 3. in casu martyrii. Plures alii casus a quibusdam assignantur, sed incerti. Confer quae dixi de praecepto fidei. Quantum autem ad praeceptum dilectionis proximi, obligat (inquit Sylvius) quando offensa est inimico condonanda, et quando est ipsi benefaciendum. Addit quando hoc esset necessarium ad superandam tentationem odii, vel alicujus alterius peccati contra proximum, sed haec obligatio est per accidens. Subdit : de aliis casibus nihil est certi, nisi quod haec dilectio non sit diu differenda. Hanc diu differre non praesumuntur, qui saepe attente, ac devote recitant Orationem dominicam.

DISSERTATIO V.

De Eleemosyna.

D. Thom. qu. 32.

Postquam actum est de precipuo actu charitatis, qui est dilectio, agendum est de ejus effectibus. Tres sunt interni 1. *Gaudium*, quod est quaedam delectatio de Deo. 2. *Pax*, quae non solum dicit unionem voluntatum in diversis, sed etiam concordiam omnium appetituum, qui sunt in eodem, et oritur ex charitate, quae efficit, ut appetitus nostri tam superior, quam inferior inter se consentiant, quatenus Deo subjiciuntur 3. *Misericordia*, quae generaliter sumpta, et prout reperitur in Deo, *est voluntas, seu affectus alienam miseriam sublevandi.* Tres item sunt effectus externi 1. *Beneficentia*, quae dicit benefacе-

re amico secundum rationem boni in communi, non attendendo vel rationem debiti erga proximum, vel ejus miseriam, vel aliam specialem rationem; et sequitur ex charitate; in charitate enim includitur benevolentia, qua quis vult bonum amico; sed voluntas est effectiva eorum, quae vult, si facultas adsit; Ergo benefacere amico consequitur ex charitate, tamquam ejus effectus. 2. Eleemosyna 3. Correptio fraterna, de quibus sunt speciales difficultates expendendae, et primo de Eleemosyna.

Eleemosyna graece idem est ac latine misericordia; in communi tamen usu misericordia sumitur pro virtute seu habitu, et eleemosyna pro actu. Definiri potest: *Opus quo datur aliquid indigenti ex compassione propter Deum*: in qua definitione eleemosyna non sumitur, ut saepe solet, pro re data, sed pro actione dandi. Dicitur propter Deum, quia hic agitur de eleemosyna christiana, prout distinguitur a philosophica, quae fit ab Ethnico, vel quovis alio sine ordine ad Deum.

Est actus elicitus a misericordia; est enim misericordia, prout reperitur in Nobis, *virtus inclinans voluntatem ad alienae miseriae compassionem et sublevationem*, et imperatus a charitate; misericordia enim est effectus charitatis; et ex ejus quasi visceribus nascitur, siquidem ex amore proximi nascatur voluntas sublevandi ejus miseriam, quam velut nostram reputamus. Quod si fiat eleemosyna ex alio motivo, puta ad satisfaciendum pro peccatis, erit actus imperatus a virtute poenitentiae; si in cultum Dei, erit actus imperatus a religione.

Duplicis generis sunt eleemosynae, corporales et spirituales, juxta duplicem miseriam seu defectum hominis, corporis scilicet et animae. Septem sunt eleemosynae corporales, scilicet pascere esurientem, potare sitientem, vestire nudum, recolligere hospitem, visitare infirmum, redimere captivum, et sepelire mortuum, quae in hoc versu continentur.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Sunt etiam septem eleemosynae spirituales, scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti; portare onerosos et graves, et pro omnibus orare, quae etiam hoc versu continentur.

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Ita tamen quod sub ly *Consule* intelligantur consilium et doctrina. Quae spirituales eleemosynae, quamvis per se sint potiores corporalibus, per accidens tamen, et in particulari casu, praeferenda erit eleemosyna corporalis spirituali, sic potius pascendus est fame moriens, quam docendus, qui potest alio tempore doceri.

Articulus I.

Utrum dare Eleemosynam sit in praecepto, et quando?

Notandum 1. praeceptum eleemosynae esse affirmativum; et ideo licet semper obliget, non obligat tamen pro semper; obligatio autem ejus a duobus pendet et metienda est. A necessitate aliena et facultate propria, nimirum ex parte dantis, ut habeat bona superflua, ex parte recipientis, ut patiatur aliquam necessitatem: unde

Notandum 2. ex parte accipientis triplicem distingui necessitatem, extremam, gravem, et communem. Extrema est, cum vita proximi evidenter periclitatur, nisi ei succurratur: nec expectandus est articulus mortis, in quo non amplius prodesset eleemosyna. Necessitas gravis est, quando mors non equidem evidenter imminet, sed probabiliter timetur; aut evidenter imminet aliquod notabile damnum minus morte, ut gravis morbus, abscissio membri, durus et diuturnus carcer, amentia, gravis diffamatio, amissio status, sic ut quis cogatur miseram

vitam agere, hominibus suae conditionis indignam. Communis necessitas est, quam patiuntur pauperes communes ostiatim mendicantes, qui quamvis indigeant, et non nisi necessaria vitae petant, quia tamen a multis petunt et accipiunt, eorum necessitas non censetur gravis, sed communis.

Notandum 3. ex parte dantis bona, quae habet, posse esse illi dupliciter necessaria et superflua, scilicet quantum ad vitam et quantum ad statum. Necessaria vitae sunt, quae requiruntur necessario ad conservandam vitam suam et suorum, quorum cura ipsi incumbit, ut parentum, uxoris, et liberorum: ad vitam autem conservandam necessario requiritur victus, et domicilium. Reliqua bona praeter ipsa sunt superflua vitae. Necessaria statui sunt, sine quibus quis non potest convenienter vivere secundum statum, et conditionem suam; unde bona superflua statui sunt, sine quibus potest decenter suum et familiae statum conservare.

Notandum 4. hanc decentiam status non consistere in indivisibili, sed admittere latitudinem: caveant tamen nobiles et potentes, ne secundum abusum hodierni temporis summum quemque luxum reputent esse de ratione et decentia sui status. Item in judicando necessario status non est tantum habenda ratio praesentis temporis, sed etiam futuri, quod enim nunc non est necessarium, potest prudenter judicari fore postea necessarium, ut pro tempore morbi, senectutis, belli imminentis, pro educandis et dotandis liberis, pro augendo decenter statu, cujus tamen spes sit probabilis. Sed cavendum, ne ex ambitione aut ex avaritia fingantur necessitates futurae, ubi nulla est illarum probabilitas, ut si caecus fieres, si domus combureretur, etc. Notanda sunt singulariter verba Auctoris: *Non oportet*, inquit, *quod consideret omnes casus, qui possunt contingere in futurum: hoc enim esset de crastino cogitare, quod Dominus prohibet Matth.* 6, *sed debet dijudicari superfluum et necessarium, secundum ea, quae probabiliter et in pluribus occurrunt.* Alioquin omnia semper forent necessaria, et nulla umquam in divitibus essent superflua, quod damnatum est ab Innocentio IX. in hac propositione: *Vix in saecularibus invenies etiam in regibus superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.* Unde in his tam pro praesenti, quam pro futuro tempore vir timoratus consulat directorem prudentem et doctum, et ejus stet judicio; nulla enim alia regula certior hac in re statui potest. His notatis.

Dico 1. Dare eleemosynam est in praecepto naturali et divino positivo. De praecepto naturali constat ex hoc principio generali legis naturae: Quaecumque vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis: atqui nullus est in vera necessitate positus, qui non velit, ut sibi subveniatur ab habente facultatem: Ergo. Ex quo inferes nec ipsos infideles eximi ab obligatione dandi eleemosynam.

Quantum ad praeceptum divinum positivum constat ex Scripturis. Proverb. 21. dicitur: *Qui obdurat aurem suam ad clamorem pauperis, et ipse clamabit et non exaudietur.* Eccles 4. *Eleemosynam pauperis ne defraudes, et oculos ne avertas a paupere.* Et cap. 29. *Propter mandatum assume pauperem, et propter inopiam ejus ne dimittas eum vacuum.* Sed praecipue Christus Matth. 25. *Ite maledicti in ignem aeternum: esurivi enim, et non dedistis mihi manducare*: nullus autem damnatur, nisi propter omissionem actus, qui fuit ei praeceptus, Prob. ratione. Cum dilectio proximi sit in praecepto, necesse est omnia illa cadere sub praecepto, sine quibus dilectio proximi non conservatur: atqui ad dilectionem proximi pertinet, ut proximo non solum velimus bonum, sed etiam operemur, secundum illud 1. Joan. 3. *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate*: ad hoc autem, quod velimus et operemur bonum alicujus, requiritur: quod ejus necessitati subveniamus, quod fit per eleemosynam, ergo eleemosynarum largitio est in praecepto.

Ex hac conclusione sequitur, quod sub mortali teneamur facere eleemosynam patienti extremam necessitatem, ex bonis tam naturae, quam statui superfluis; quia cum istud praeceptum in aliquo casu obliget, nullus est certior quam ubi est necessitas extrema ex parte recipientis, et sunt superflua naturae et statui ex parte dantis. An autem in aliis casibus obliget?

Dico 2. De superfluis naturae etsi necessariis statui tenemur sub mortali facere eleemosynam patienti extremam necessitatem. Est communis. Prob. 1. ex cap. 3. Luc. ubi Christus dicebat Turbis: *Omnis arbor non faciens fructum bonum excidetur et in ignem mittetur: et interrogabant eum Turbae; Quid ergo faciemus? Respondens autem dicebat illis; Qui habet duas tunicas, det non habenti, et qui habet escas similiter.* Ex prioribus verbis hujus textus patet hic agi de praecepto rigoroso et non solum de consilio: patet ex posterioribus nos teneri succurrere extreme indigenti etiam de necessariis ad statum, prout debet censeri secunda tunica. Et ita interpretatur Hieron. epist. 150. Huc etiam pertinet illud solemne Ambrosii: *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti*, Prob. 2. ratione. 1. Secundum ordinem charitatis debemus plus diligere vitam proximi, quam status nostri decentiam; ergo 2. Qui est in extrema necessitate, potest ab altero surripere, quae sunt ipsi superflua quoad vitam, etsi necessaria quoad statum, nec quisquam potest jure illum impedire, quia, ut superius dicebamus ex Auctore, in extrema necessitate omnia sunt communia: ergo tenebatur alter illi dare.

Neque tamen ex hac conclusione inferas divitem aut nobilem teneri se a suo statu dejicere, vel ingentem pecuniae summam, puta millia aureorum, etsi suo statui non omnino necessaria, expendere pro salvanda vita unius privati in extrema necessitate positi. 1. Quia licet vita hominis secundum se sit pretiosior alterius statu et toto censu, in ordine tamen ad bonum publicum magis valet magna bonorum, seu pecuniarum quantitas, quam vita unius privati. 2. Quia nemo tenetur arctius vitam proximi quam suam conservare; nullus autem tenetur ad vitam suam conservandam sic opes effundere, ut sanus vel liber factus, miser evadat; id enim moraliter morti comparatur: neque etiam tenetur ingentem pecuniae summam expendere pro comparandis sibi exquisitissimis medicamentis: ergo a fortiori ad haec non tenetur pro altero. Itaque ordinariis mediis praecipit charitas succurrere, non extraordinariis: unde in his casibus opus est consilio viri prudentis, qui attentis circumstantiis dicat, quantum quis de suo statu minuere et de superfluo dare debeat.

Dico 3. In gravi necessitate proximi tenemur sub mortali illi subvenire de *aliquo modo* necessariis statui. Sic exprimo conclusionem, quia minor est obligatio in necessitate gravi quam in extrema, et ideo minus tribuendum de necessariis statui. Est communior. Prob. 1. ex illo 1. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo?* Non est verisimile Apostolum loqui de sola extrema necessitate, quae rarissima est: et qui habet sufficientia vitae et statui, vere dicitur habere substantiam hujus mundi: ergo. 2. Charitas exigit, ut proximo gravem necessitatem patienti, ut si v. g. gravi morbo laboret, frigore acriter affligatur, famae vel honoris grave periculum patiatur, subveniamus, dum possumus, absque gravi nostro incommodo: ergo tenemur illi subvenire de aliquo modo necessariis statui; id enim non est grave incommodum, quippe quod facile resarciri potest.

Ex hac conclusione inferes, quemlibet teneri a fortiori sub peccato mortali in gravi necessitate proximi illi facere eleemosynam ex superfluo status. Observandum autem tam in gravi, quam in extrema necessitate, omnes divites, qui illam norunt, teneri in solidum ad eleemosynam faciendam, ita ut si nullus

subveniat, omnes peccent mortaliter, uno tamen subveniente, caeteri eximuntur. Non tenetur vero quilibet inquirere de necessitate, nisi sit Pastor, aut alter curam pauperum habens, aut nisi sit justa ratio suspicandi, esse gravem necessitatem in familia, quae propter verecundiam, et honestatem non audet suas miserias explicare. Neque etiam ut plurimum est gravis obligatio dandi eleemosynam pauperibus publice expositis, qui vel ex nuditate, vel defectu membrorum vel aliter, gravem, aut extremam necessitatem ostentant, quia illa signa ordinarie exagerantur, si non omnino fingantur.

Dico 4. In necessitate communi quilibet tenetur aliquando pro loco et tempore facere eleemosynam de superfluo status. Attende ad terminos conclusionis. Dicitur, *aliquando pro loco et tempore*; quia dives habens superflua non tenetur semper et omnibus pauperibus occurrentibus dare, neque huic determinate, sed aliquando, modo uni, modo alteri prout prudens judicaverit. Dicitur *de superfluo*, et non superflua status, quia non tenetur statim omnia superflua status dare in communi necessitate, sed potest reservare, vel in alios pios usus, vel ad augendum rationabiliter statum, aliasve possessiones acquirendas, vel etiam pro majori necessitate pauperum aut reipublicae.

Conclusio sic intellecta videtur nunc communis, praesertim post damnatam hanc propositionem ab Innocentio XI. *Vix in saecularibus*, etc. ut supra nota 4. Ita ut qui numquam faceret eleemosynam, aut proponeret numquam facere de superfluo status in communibus necessitatibus, non videatur excusandus a peccato mortali. Prob. itaque conclusio 1. ex locis jam citat. Scripturae et aliis. Joan. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi* etc. 1. Timoth. 6. *Divitibus hujus saeculi praecipe facile tribuere, et communicare.* Non autem facile tribuerent, qui expectarent gravem aut extremam necessitatem. Confer alia loca in prima conclusione. Prob. 2. ratione. 1. Quisque tenetur ex charitate diligere proximum sicut seipsum; atqui non diligit proximum sicut seipsum, qui magis diligit sibi superflua, quam fratri necessaria ad sublevandam ejus necessitatem; ergo. 2. Quamvis singulae necessitates communes non sint quid ita grave, ut hanc vel illam praeterire sit peccatum, attamen multae occurrentes in aliqua civitate efficiunt notabile gravamen et gravem miseriam, quam divites debent singuli pro aliqua parte sublevare: ergo quamvis non sit praeceptum dare huic vel illi eleemosynam, est tamen praeceptum aliquando dare pro loco et tempore, 3. Si nullus dives habens absolute superflua teneatur dare eleemosynam in necessitate communi, brevi communis necessitas evadet gravis, et gravis extrema: ergo. Nec inde sequitur, quod divites, qui superflua retinent, continuo peccent, et item quod non possint ascendere ad statum altiorem, et fieri ditiores. Non enim dicimus, divites debere statim omnia superflua dare in necessitatibus communibus, sed aliqua tantum ex superfluis pro loco, et tempore, unde nec impeditur ascensus ad altiorem gradum.

Articulus II.

Variae quaestiones circa eleemosynam breviter resolvuntur.

Petes 1. Utrum quis satisfaciat praecepto eleemosynae, pauperi mutuando, commodando, vel vendendo credito? Ante responsionem nota aliquem posse esse dupliciter pauperem, simpliciter et secundum quid. Voco pauperem simpliciter, qui neque actu hic aut alibi habet bona, neque est in potentia propinqua ut habeat; pauperem secundum quid, qui licet non habeat hic bona, quibus juvari nunc possit, habet tamen alibi, vel est in potentia propinqua ut habeat, sive per artem et industriam, sive per expectatam haereditatem.

R. 1. Non satisfit praecepto eleemosynae subveniendo illi, qui simpliciter est pauper, mutuando, commodando, aut vendendo credito. Prob. 1. Quia certum est eleemosynam esse in praecepto: atqui mutuare, commodare, vendere credito, non est facere eleemosynam: eleemosyna enim gratis datur, neque qui petunt mutuum, commodatum, aut emunt credito, dicuntur petere eleemosynam, ergo. 2. Inhumanum et ridiculum foret dare pauperi, qui nihil neque in re, neque in spe habet, sub conditione restituendi in posterum; ergo. Intellige de rebus in quantum sunt necessariae ad subveniendum necessitati simpliciter pauperum. Unde si sint res usu consumptibiles, ut panis, vinum etc; non sunt restituendae transacta necessitate. Secus si non sunt usu consumptibiles, ut equus ad fugam, transacta necessitate debet restitui. Si tamen ipsa rei substantia usu non consumptibilis esset necessaria pauperi simpliciter, ut si extreme indigenti non habeas, quo illi succurras, nisi vestem, tibi, et tuis non necessariam, qua vendita potest sibi subvenire, non tenetur reddere.

R. 2. Satisfit praecepto eleemosynae subveniendo pauperi secundum quid, mutuando, commodando, aut vendendo credito, quia pauper secundum quid non est vere pauper, et praesens necessitas tollitur ipsi mutuando, commodando, aut vendendo credito. Intellige de majoribus eleemosynis, non de minutis, insolitum est enim, et inhumanum foret obligare mendicantes ad refusionem.

Petes 2. Utrum possit fieri eleemosyna de illicite acquisitis? R. Si acquisitio ipsa sit illicita et injusta, ut in furto et rapina, non licet, quia illa sunt obnoxia restitutioni, nisi forte pauper esset in extrema necessitate, cui aliter succurri non posset. Si autem ipsa acquisitio non sit illicita, sed tamen id, ex quo acquiritur, est illicitum, ut quando mulier acquirit per meretricium, licet; quia quamvis turpiter exerceat meretricium, in eo tamen, quod accipit, non agit injuste. Hanc materiam fuse disputatam habes de Contract.

Petes 3. Quis possit facere eleemosynam? R. Per se loquendo is et solus potest facere eleemosynam, qui habet liberam administrationem suorum bonorum. Pro quo vide Tract. de Contractibus ubi expendimus quis donare possit, et plura resolvimus circa minorennes, filiosfamilias, uxores et religiosos, quae ad praesentem quaestionem pertinent. Confer etiam Tract. de Justitia

Petes 4. Utrum Clerici strictius, quam laici teneantur ad eleemosynas? R. affirmative praesertim ex bonis ecclesiasticis congruae sustentationi superfluis. Pro quo vide plura Tract. de Justitia

Petes 5. Utrum fictus pauper peccet petendo et accipiendo eleemosynas, teneaturque illas restituere? R. affirmative: quia dantes non censentur dare nisi pauperi, et sub ea conditione tacita, quod sit pauper: unde haec donatio est nulla et receptio furtum, juxta Catechismum Tridentinum 3. p. in 7. praeceptum Decalogi n. 7. *Furtum*, inquit, *praeterea facere videntur, qui fictis simulatisque verbis, quive fallaci mendicitate pecuniam extorquent, quorum eo gravius est peccatum, quod furtum mendacio cumulant.* Debent ergo restituere veris pauperibus, quia donantes censentur abdicasse harum eleemosynarum dominium in favorem pauperum. Quidam excipiunt minutas et ordinarias eleemosynas, quia, inquiunt, praesumitur has fieri absolute; sed ista praesumptio non videtur nobis satis fundata. Si tamen quis esset vere pauper, sed fingeret se pauperiorem, ut facilius, aut largiorem obtineret eleemosynam, non videtur adstrictus restitutioni, quia est communis opinio, quod pauperes exagerent ordinarie suam paupertatem, et id supponunt donantes.

Petes 6. Utrum qui praeficitur distributioni eleemosynarum, possit sibi retinere partem, si sit vere pauper? R. affirmative, cum non sit pejoris conditionis, quam alii pauperes. Excipe nisi pauperes sint designati, quibus faciendae sunt eleemosinae.

Petes 7. Utrum Magistratus possint impedire, ne in suis locis pauperes extranei mendicent? R. non posse omnes impedire, quia plures sunt pauperes, qui e suis locis natalibus exulare coguntur, sive sententia Judicis, sive quia ibi habent inimicos, aut dedecus passi sunt, sive quia urbes, et pagi, vel incursione hostium, vel incendio sunt devastati, et hi tamen debent vivere. Unde autem vivent, si ab omnibus expellantur?

Petes 8. Utrum facienda sit eleemosyna voluntarie pauperibus, qui, si vellent, non egerent? R. faciendam esse iis, qui sunt voluntarie pauperes propter Christum, et ex amore virtutis, sive in Religione, sive extra V. S. Thom. infra q. 187. a 3. 4. et 5; et opusc. contra impugnant. Relig. Iis vero qui sunt voluntarie pauperes ex ignavia, amore otii, et cupiditate lucri non est facienda eleemosyna. Non est tamen curiosius inquirendum in conditiones pauperum, minus enim est incommodi dare non indigenti, quam denegare indigenti.

DISSERTATIO VI.

De Correptione fraterna.

D. Th. Q. 33.

Quamvis, si verborum vis attendatur, differant correptio et correctio; correptio enim est reprehensio ad emendationem fratris, correctio est ipsa emendatio; usu tamen recepto inter Theologos confunduntur et pro uno et eodem sumuntur. Duplex est correptio delinquentis. Una, quae adhibet remedium peccato, in quantum est quoddam malum ipsius peccantis et ordinatur ad ejus emendationem, dicitur fraterna. Altera est, quae adhibet remedium peccato, secundum quod est in malum aliorum et praecipue in nocumentum boni communis, et dicitur judicialis. Haec est actus justitiae, cujus est conservare rectitudinem justitiae unius ad alium: fraterna autem, cum sit eleemosyna spiritualis, est actus elicitus a misericordia, et imperatus a charitate. De correptione judiciali hic non agitur, sed tantum de fraterna, quae definiri potest: *Actus charitatis et misericordiae, quo per convenientem sermonem vel aliquid aequivalens proximum a malo peccati ad bonum virtutis convertere nitimur.*

Articulus I.

Utrum Correptio fraterna sit in praecepto, et quae conditiones requirantur ut obliget?

Dico 1. Correptio fraterna est in praecepto naturali et divino positivo. Prob. 1. ex Scriptura. Christus Matt. 18. dicit: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum.* Prob. 2. ratione. 1. Praecepto naturali tenemur subvenire proximo corporaliter indigenti: ergo a fortiori spiritualiter indigenti. 2. Lege naturae tenemur reducere bovem proximi errantem: ergo a fortiori ipsum proximum errantem. 3. Denique tenemur diligere proximum; dilectio autem proximi necessario importat non solum velle et praestare ei bonum, sed etiam ab eo avertere malum, cum possimus: ergo.

Dico 2. Cum praeceptum correptionis fraternae sit affirmativum, et non obliget pro semper, sed positis quibusdam conditionibus, ut obliget, requiritur 1. Materia sufficiens, nimirum quod peccatum commissum vel committen-

dum sit per se loquendo mortale. 2. Requiritur certa ejus notitia. 3. Spes emendationis. 4. Necessitas correptionis. Probantur et explicantur istae conditiones.

Materia sufficiens.

Solum peccatum mortale et non veniale esse per se materiam sufficientem et propriam correptionis fraternae, constat 1. ex verbis ipsis Christi Matth. 18. ubi in explicatione hujus praecepti dicit: *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*: ergo perierat: nemo autem perit quoad vitam spiritualem nisi per peccatum mortale. Addit Christus, quod si corripientem non audiat, adhibendi sunt testes, deinde denuntiandus sit Ecclesiae, et habendus ut Ethnicus et Publicanus; certum autem videtur haec non praecipi de peccatis venialibus, quae quotidiana sunt et in ipsis justis reperiuntur. 2. Cum omnis correptio sit onerosa corripienti, et odiosa correpto, et peccata venialia sint frequentissima, si urgeret obligatio ea corripiendi, onus foret importabile tam corripientibus, quam corripiendis, et neque pax, neque tranquillitas inter homines servari posset.

Dixi, *per se loquendo*; quia per accidens peccata venialia possunt esse materia necessaria correptionis fraternae, ut si ex his sequeretur scandalum, perturbatio tranquillitatis in communitate, periculum proximum peccandi mortaliter, aut detrimentum disciplinae regularis. Unde tenentur Superiores in Religione corripere venialia, imo et transgressiones regularum, obligantium tantum sub poena, si ex impunitate disciplina regularis notabile detrimentum patiatur. Idem proportione servata dicendum est de aliis Superioribus respectu suorum subditorum; non quod existimemus peccare mortaliter, si aliquoties, secluso scandalo dissimulent defectum venialem in subditis, sed si sint in iis corripiendis graviter negligentes.

Circa peccata ignorantiae, de quibus est specialis difficultas sequentes accipe resolutiones 1. Peccata commissa ex ignorantia vincibili cujuscumque juris, aut facti, cadunt sub praeceptum correptionis fraternae, quia sunt vere peccata 2. E contra sub illud non cadunt peccata commissa ex ignorantia invincibili cujuscumque juris, aut facti, quia non sunt peccata formaliter; excipe nisi ex eis sequatur scandalum, aut detrimentum proximi, quod correptione posset impediri 3. Peccata committenda ex ignorantia invincibili juris naturae, et divini positivi, aut facti contra ista jura, cadunt sub praeceptum correptionis, si sit spes emendae, et non sit periculum majoris mali. Confer, quae fusius dixi circa hanc materiam in Tract. de Actibus human. Diss. 5. art. 4.

Notitia peccati.

Ad hoc, ut quis teneatur corripere proximum, debet habere notitiam moraliter certam peccati commissi vel committendi: unde non sufficit dubium, suspicio, scrupulus, aut rumor, quia, cum correptio pudorem ingerat, et sit correpto odiosa, juste conquereretur, si argueretur de peccato, quod non constat, et saepe imprudentes correptiones ex dubiis et incertis indiciis causant graves tricas et dissensiones. Adde, quod in dubio praesumendum sit in favorem proximi. Hac ratione plerumque eximuntur a correptione facienda scrupulosi, qui in omnibus timent et suspicantur peccatum.

Spes emendationis.

Requiri spem emendationis manifestum est, quia cessante fine cessat ratio operandi propter finem; finis autem correptionis fraternae est emendatio proxi-

mi, in quo differt a correptione judiciali, cujus finis est bonum commune. Adde, quod hoc ipso, quo non prodest correptio, obsit; quia correptus non resipiscens gravius peccat: et hac ratione saepe excusantur a correptione fraterna, qui sunt inferioris conditionis corripiendo.

Non tamen requiritur spes certa, sed sufficit probabilis, modo etiam sit probabile correptionem non obfuturam. Si dubitetur, an sit profutura, et certum quod non sit obfutura, adhibenda est, sicut medici adhibent medicinam, quam certo sciunt non nocituram, quamvis dubitent, an sit profutura, dum non est alius modus juvandi aegrotum. Si vero dubium sit, an proderit, et pariter dubium, an nocebit, ut saepe contingit in extraneis et ignotis, cujus ingenium non novimus, conferenda est utilitas sperata cum damno, quod timetur, et majus est minori praeferendum.

Haec intellige de correptione praecise fraterna, et quae nihil aliud intendit, quam emendationem delinquentis, quia si agatur de correptione, quae assumeretur ad alium aliquem finem, ut ad impediendum damnum tertii, vel Reipublicae, aut dehonorationem Dei per blasphemias, vel seductionem populi per Haereticos, etiamsi nulla esset spes emendae in peccante, si sit spes impediendi malum aut damnum ex ejus peccato consequens, potest et debet adhiberi correptio et redargutio.

Necessitas correptionis.

Scilicet ad emendationem fratris, quia (ut discurrit Auctor) correptio fraterna ordinatur ad fratris emendationem, et ideo hoc modo cadit sub praecepto, secundum quod est necessaria ad istum finem; non autem quod quolibet loco vel tempore delinquens corrigatur. Hinc sequitur, quod, si frater sit emendatus, aut probabile sit, quod ipse se emendabit, ut jure praesumitur in iis, qui suae salutis non sunt incurii, et solent frequentare Sacramenta, nec interim sit periculum relapsus, non tenearis corripere. Similiter si per alios sit corripiendus. At vero si adsint quidam, qui possent forte melius et utilius corripere, et tamen non faciunt, teneris, quia, ut dictum est de eleemosyna corporali, omnes scientes tenentur in solidum. Caeterum observandum est, quod, cum istae conditiones raro omnes simul reperiantur, raro etiam homines privati teneantur saltem sub gravi peccato ad correptionem fraternam.

Petes 1. utrum praeceptum correptionis fraternae obliget cum damno corripientis? R. Si frater sit in gravi necessitate spirituali, a qua licet absolute possit se liberare, non nisi tamen difficile sive ob vehementiam passionis, sive ob inveteratam consuetudinem et obstinationem in malo, sive ob ignorantiam, aut ob aliam causam, quilibet tenetur cum aliquo damno bonorum temporalium illum corripere, quia plus debemus diligere salutem aeternam proximi, quam quaedam bona temporalia; ii autem, quibus cura animarum incumbit ex officio, tenentur etiam cum periculo vitae in gravi necessitate: quia ii magis tenentur, quam alii, et debent esse parati ponere animam suam pro ovibus suis. Confer, quae superius dixi Dissert. 4. citata de ordine charitatis, praesertim art. 3. Dixi *in gravi necessitate spirituali*, quia vix dari potest extrema necessitas spiritualis? a qua scilicet quis absolute non potest se liberare.

Petes 2. Quinam teneantur ex praecepto facere correptionem fraternam? R. 1. Omnes generaliter, patet ex praecepto tam divino, quam naturali, quod est generale. 2. Praelati strictius tenentur quam caeteri, quia illis incumbit ex officio, et tenentur praeterea inquirere in vitam subditorum ad finem correptionis fraternae 3. Subditi possunt, et aliquando tenentur corripere fraterne suos superiores, quos tenentur ex charitate diligere. Debet tamen correptio fieri con-

gruenti modo cum humilitate, et reverentia juxta Apost. 1. Timot. 5. *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut Patrem.* Ad hanc autem sunt minus idonei homines de vulgo, conditione, et moribus viles, unde convenit, quod correptores digniores instruant. 4. Etiam peccatores, quamvis tales noscantur ab iis, qui corripiuntur, non sunt exempti a praecepto correptionis fraternae: Nemo enim propter peccatum eximitur ab obligatione legis.

Si quaeras utrum peccator teneatur se emendare, ut alium corripiat? R. teneri. 1. Si sit superior, inter necessaria enim ad suum officium rite obeundum est ipsius emendatio. 2. Tenetur, qui aliis est scandalo, a quo tenetur abstinere. 3. Si proximus sit in peccato mortali moriturus, nisi ipse emendatus corripiat, quia videtur quod tam gravi necessitati cum aliquo incommodo subvenire debeat. R. 2. Extra hos casus probabilius est, quod peccator non teneatur se emendare, ut alium corripiat. Ita plures Theologi in hunc locum S. Thomae, et ipse favet in 4. dist. 19. q. 2 a. 2. q. 2. ad 2. ibi *Peccator non est perplexus, nec absolvitur a praecepto corripiendi; potest enim peccatum dimittere, aut etiam humiliter peccatum suum cognoscens alium admonere rogando, et tunc non peccat.*

Articulus II.

De ordine correptionis fraternae.

Hunc ordinem tradidit Christus Matth. 18. his verbis: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiae; si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus.* Sunt ergo tres gradus in ordine correptionis fraternae. Primus corripere secreto: secundus corripere coram uno vel duobus: tertius dicere Ecclesiae seu Praelato. Quaestio est, utrum iste ordo sit in praecepto quoad omnes suos gradus.

Dico 1. Si peccatum sit publicum, id est majori parti communitatis notum, admonitio secreta non debet necessario praecedere denunciationem, sed est publice arguendum, juxta illud 1. Timoth. 5. *Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant*: quod de peccatis publicis intelligit Aug. serm. 16. de verb. Dom. concludens: *Ergo ipsa corripienda sunt coram omnibus, quae peccantur coram omnibus: ipsa vero corripienda sunt secretius, quae peccantur secretius.* Ratio est 1. Quia, quando peccatum est publicum, non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccavit, ut melior fiat, sed etiam aliis, in quorum notitiam devenit, ut non scandalizentur. 2. Quia finis, propter quem praemittenda est admonitio secreta, qui est conservatio famae, cessat: cum per publicitatem peccati fama peccantis sit perdita.

Dico 2. Si peccatum sit occultum, sed vergens in nocumentum aliorum, sive corporale, sive spirituale; puta, si aliquis occulte tractet de proditione patriae, si haereticus privatim homines a fide avertat; si magus aut sortiarius occulte agat in perniciem aliorum, si pharmacopola vendat perniciosa, etc. oportet statim procedere ad denunciationem, non praemissa admonitione secreta, ut hujusmodi nocumentum impediatur: partim quia tunc non habent locum verba Domini, frater enim peccans non peccat in te tantum: partim quia debemus magis curare, ne proximus innocens in corpore vel anima laedatur, quam ne fama peccatoris perdatur. Excipe nisi forte aliquis firmiter existimet, quod statim per secretam admonitionem posset hujusmodi mala impedire; sed hoc vix locum habet

in haereticis, qui nec ipsam Ecclesiam audire volunt, et in magis ac sortiariis propter obstinatam voluntatem in malo.

Dico 3. Si peccatum sit occultum et soli peccanti, ac ei, in quem peccatur, noxium, per se loquendo necessario est praemittenda secreta monitio denuntiationi. Prob. 1. ex verbis Christi: *Si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum.* 2. Lege naturali tenemur curare proximum cum minori, quantum fieri potest, damno ejus famae; est enim fama utilis et in temporalibus et in spiritualibus: sicut Medicus corporalis sanitatem aegroto confert, si potest sine alicujus membri abscissione; si autem non potest, abscindit membrum minus necessarium, ut vita totius conservetur: ergo fama fratris peccantis non est minuenda apud superiorem, quando per privatam correptionem speratur emendatio. 3. Quia immediata denunciatio sine secreta monitione saepe movet proximum ad indignationem contra denuntiantem et ad ulteriorem lapsum, juxta illud Hieronymi in verba citata Matth. *Corripiendus est seorsim frater, ne si semel pudorem vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato*; multi enim timore infamiae a peccato retrahuntur, qui quando se infamatos vident, irrefrenate peccant.

Dixi: *Per se loquendo*: quia per accidens non est praemittenda secreta correptio denuntiationi in certis casibus. 1. Non est praemittenda, si fundate praesumatur non profutura. 2. Si correpturus sit minus idoneus ad corripiendum, et videtur quod melius fiet per Praelatum, quatenus Praelatus est pius, discretus, spiritualis, non habens rancorem aut odium adversus subditum, potestque pluribus modis impedire peccatum, licet statim illi fieri delatio. (Idem dic de aliquo alio viro pio et prudenti.) Neque hoc est dicere Ecclesiae, quia non dicitur Praelato ut Judici et Superiori, sed ut personae proficienti ad correctionem et emendationem proximi, et quasi alteri fratri. Neque etiam in hoc violatur praeceptum Domini de monitione secreta praemittenda denunciationi, quia, cum sit affirmativum, et in bonum corripiendi, debet observari in quantum circumstantiae locorum, temporum, et personarum indicant observandum. Neque conqueri potest corripiendus de sui diffamatione apud superiorem; levis enim est haec diffamatio, attentis prudentia, probitate, et benevolentia, quae supponuntur in Praelato, debetque illum sufferre pro consequenda meliori modo sua salute.

Dico 4. Si post pluries adhibitam infructuose admonitionem secretam sit spes, quod ulterius procedendo frater emendabitur debemus ulterius procedere adhibendo testes, deinde denuntiando Praelato ut patri, quantumvis peccatum sit occultum; si vero non sit spes, quod ulterius procedendo frater emendabitur, non est ultra privatam monitionem procedendum. Prob. prima pars. 1. Ex lege statuta a Christo, 2. Ex charitate tenemur consulere famae et saluti proximi, magis tamen saluti quam famae, si utraque haberi non possit; si inductio testium, aut denuntiatio sit necessaria saluti proximi, negligi debet leve famae detrimentum ex adhibitione testium, aut ex denunciatione facta Praelato tamquam patri, ut salus obtineatur, sicut prudens medicus pro conservatione vitae totius abscindit membrum necessarium, ut jam diximus ex Auctore. Prob. secunda pars. Correptio fraterna, et totus ejus processus ordinatur ad bonum et emendationem fratris delinquentis tamquam ad finem; cessante autem fine cessant media ad illum: ergo si non sit spes emendationis fratris procedendo ad inductionem testium, et ad denuntiationem, abstinendum est ab illis.

Dixi: *Denuntiando Praelato ut patri*, quia si peccatum occultum fratris non sit nisi ipsi noxium, nec tale, quod bonum commune exigat deferri ad judicium, non licet denuntiare denuntiatione juridica praelato ut judici, sed tantum ut patri, nec potest Praelatus, cui istud peccatum per viam correptionis

fraternae innotescit, contra illum fratrem judicialiter procedere, neque excommunicatione publica, aut alia poena diffamante punire, quia et ipsa correptio fraterna, et totus ejus ordo atque processus ad solum bonum et emendationem fratris ordinantur, processus autem judicialis ad bonum dumtaxat commune et publicum. Adde quod frater per suum peccatum occultum non amisit jus ad famam, neque reipublicae bonum exigit, ut diffametur: ergo praelato ut patri subditus delinquens fraterne est denuntiandus, sic ut Praelatus non possit ipsum excommunicatione publica, aut aliis poenis juris infamantibus plectere, sed coram denuntiatore et testibus, seu paucis viris gravibus ipsum corripere et moderatis poenis privatis ut flagellatione, jejunio, et similibus castigare, ipsique prohibere sub poena excommunicationis, ne in tale peccatum relabatur; quod si non obtemperet, erit excommunicatus, atque ita sicut Ethnicus et Publicanus, ut fert sententia Christi, non tamen publice, sed privatim, neque poterit denunciari ut talis, quamdiu peccatum manebit occultum.

DISSERTATIO VII.

De Vitiis Charitati oppositis.

D. Th. a. Q. 34. ad 43.

Vitia charitati opposita sunt juxta Auctorem quaestionibus citatis Odium Dei et proximi, quod opponitur ipsi dilectioni. Acedia, quae opponitur gaudio de bono divino. Invidia, quae opponitur gaudio de bono proximi. Discordia, quae opponitur effectui charitatis, qui est pax. Contentio, quae opponitur paci quantum ad locutionem. Schisma. bellum rixa, et seditio, quae ponuntur paci quantum ad opus, et scandalum, quod opponitur charitati quantum ad beneficentiam. De his omnibus plus aut minus secundum majorem, vel minorem materiae necessitatem dicemus in hac dissertatione.

Articulus I.

De Odio Dei et Proximi, de Acedia, Invidia, Discordia, Contentione, et Schismate.

Odium Dei

Odium in communi est actus seu motus voluntatis, quo quis malevole fertur in aliquid, est duplex, odium abominationis, et odium inimicitiae. Odium abominationis est, quo aversamur aliquid ut nobis malum et disconveniens. Odium inimicitiae est, quo volumus alicui malum, ut illi male sit: unde istud odium non tam est aversio, quam prosecutio alicujus, quod apprehendimus ut nobis bonum et alteri malum. Odium abominationis proximi est duplex. 1. Odium abominationis ipsius personae, quo ipsam secundum se, quantum ad naturam, vel gratiam, velut malum displicens aversamur, et est semper malum. 2. est abominationis qualitatis proximi, et est aliquando bonum; si sit de bonis qualitatibus est malum, si de malis est bonum.

Odium Dei est omnium peccatorum gravissimum, quia ratio culpae consistit in voluntaria aversione a Deo; haec autem aversio est potior et major in odio Dei, quam in aliis peccatis, quia in odio Dei directe et per se intenditur, in aliis autem peccatis indirecte tantum et per aliud: sic v. g. qui fornicatur, non intendit directe et per se averti a Deo, sed intendit inordinatam delectationem,

cui est annexa aversio a Deo. Hinc inferes, odium Dei formale, et expressum sive abominationis, sive inimicitiae, esse speciale peccatum exprimendum in confessione; secus odium, quod indirecte importatur in aliis peccatis.

Odium Proximi

Odium proximi sive abominationis sive inimicitiae est ex genere suo peccatum mortale, quia directe contrariatur charitati, quae est vita animae, charitate autem tenemur diligere proximum secundum id, quod habet a Deo, id est secundum naturam et gratiam; ergo aversari proximum secundum naturam et gratiam, et ipsi malum velle est ex genere suo peccatum mortale. Plura vide in dictis de dilectione inimicorum.

Potest tamen utrumque fieri veniale non solum ex indeliberatione actus, sed etiam ex levitate materiae: odium inimicitiae, si leve malum optetur proximo; odium abominationis raro est mortale, quia simplex displicentia personae creatae multis defectibus subjectae, et propter illos sine mali imprecatione non videtur tanta inordinatio, nisi talis sit, ut quis recuset veniam petenti, vel communia charitatis officia, aut nisi sit causa gravis scandali, vel duret, dum urget praeceptum diligendi proximum. Ex his colliges 1. numquam esse licitum proximo optare malum sub ratione mali, secus sub ratione boni, si bonum speratum praeponderet malo optato. Vid. tractat. de justit. ubi agitur de maledictione. Cavendum tamen est, ne sub pallio melioris boni virus odii, aut vindictae lateat. Inveniuntur etiam tres propositiones damnatae ab Innoc. XI. Ann. 1679, quae sunt ordine 13, 14, et 15, nequis putaret, vitae hominis innocentis praeponderare bona fortunae alicujus particularis. Illas require. Colliges 2. aliquem posse sibi optare mortem, ut fruatur Deo, et ut ipsum amplius non offendat. Insuper siquis divinae voluntati omnino conformis, et absque ullo impatientiae motu, optaret finem suis urgentibus miseriis imponi per mortem a Deo, si ita illi placeret, non videretur graviter saltem culpandus, quia istud desiderium, ultra quod sit conditionatum, involvit implicite desiderium melioris vitae, scilicet aeternae. Sic communiter non culpatur, qui damnatus ad mortem petit citius occidi, nec qui amico morienti optat breviorem agonem.

Acedia.

Acedia theologice sumpta est taedium seu tristitia de bono spirituali. Si sit de bono spirituali in communi non est speciale vitium, sed circumstantia omnis vitii, omne enim vitium refugit bonum spirituale virtutis oppositae. Sed est speciale peccatum, quatenus est taedium de bono divino ad nos pertinente apprehenso ut malo proprio, ut si quis tristetur de amicitia Dei, de beatitudine sibi proposita, aut de mediis ad Dei amicitiam et beatitudinem, ut de Sacramentis, de divinis praeceptis, de bonis operibus, quatenus sunt ad Dei amicitiam et beatitudinem necessaria.

Hac ratione Acedia est peccatum mortale ex suo genere, quia contrariatur charitati, per quam habetur vita spiritualis; proprius enim effectus charitatis est gaudium de Deo: Acedia est tristitia de bono divino ad nos pertinente, ut dictum est.

Invidia

Est tristitia de bono alieno aestimato ut malo proprio, quatenus est diminutivum propriae gloriae et excellentiae.

Est peccatum, quia dolet de eo, de quo est gaudendum, scilicet de bono proximi. Est peccatum ex genere suo mortale, quia contrariatur charitati; potest tamen esse veniale, tum ex indeliberatione actus, tum ex levitate materiae, ut si sit de exiguo bono proximi.

Discordia.

Discordia, de qua hic agimus, et prout opponitur charitati, est dissensio voluntaria circa bonum divinum vel proximi, in quod tenemur ex charitate consentire, quia si non teneamur consentire ex charitate, sed ex alia virtute, non erit contra charitatem, sed contra illam aliam virtutem. Est ex genere peccatum mortale propter contrarietatem ad charitatem.

Contentio.

Contentio generaliter sumpta est pugna verborum: specialiter autem, prout hic sumitur definitur ab Ambrosio *impugnatio veritatis cum confidentia clamoris.* Intellige veritatem, quam quis novit, aut potest ac debet noscere, ut in haereticis: intellige etiam impugnationem veritatis ex animo, non exercitii aut examinis causa.

Est ex genere peccatum mortale, quia contrariatur charitati quatenus contrariatur paci, quae est effectus charitatis.

Schisma.

Schisma graece, latine scissio ex usu recepto apud scriptores ecclesiasticos sumitur pro speciali peccato, quod definitur; *Voluntaria separatio sui ipsius ab unitate Ecclesiae*: unitas autem Ecclesiae in duobus potissimum attenditur, scilicet in connexione seu communicatione membrorum Ecclesiae ad invicem, et in ordine omnium membrorum ad unum caput, quod, est ipse Christus, cujus vicem gerit in Ecclesia Summus Pontifex.

Unde triplici modo potest quis fieri Schismaticus. 1. Se separando a capite. 2. A membris. 3. A capite et membris simul.

[Schisma aliud est purum, quod charitati solum, et paci opponitur, ut in iis qui credunt unam sanctam Ecclesiam sub visibili capite Romano Pontifice, et quidquid Ecclesia Romana credit, tamen ex superbia nolunt Papae subesse, et obedire, vel reliquis Ecclesiae membris uniti esse. Aliud cum haeresi in iis, qui se separant ab obedientia Papae, quia non credunt ejus potestatem. Hinc quamvis omnes haeretici sint schismatici, non vero è contra, et schisma absolute sejungi possit ab haeresi; attamen vix, aut ne vix quidem verum schisma reipsa sine aliqua haeresi reperitur, vel quod saltem in haeresim non erumpat. Unde schismatici, qui ab universali Ecclesia discessionem faciunt incurrunt excommunicationem Bullae Coenae, et iisdem prope poenis, quibus haeretici afficiuntur, qui vero a sua Ecclesia, suoque Episcopo injuste separantur, si Clerici sint, deponuntur, si Laici extra Ecclesiam projiciuntur]

Articulus II.

De Bello

Bellum definiri potest: *Congressio vi et armis inter duos exercitus contrarios.* Per quod differt a duello, quod est congressio unius contra unum. Duplex

est bellum : offensivum, quod est ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata, et defensivum, quod est ad propulsandam injuriam inferendam.

Petes 1. Utrum bellum sit licitum? Bellum esse semper peccatum dogmatizarunt Wiclefistae. Lutherus existimavit, pugnare contra Turcas esse contradicere Deo, volenti per illos nostra peccata punire. Erasmus contendit, omne bellum esse Christianis interdictum. Contra quos respondeo; Bellare non est per se malum, sed positis tribus conditionibus, scilicet legitima auctoritate indicendi bellum, justa causa, et recta intentione, est licitum. Prob. ex Scriptura. In antiqua lege Deus saepe jussit aut probavit bellum Exod. 17. Num. 21. et 25. Deuter. 7. 1. Reg. 15. 2. Reg. 8. Josue 1. 6. 8. 10. et alibi saepe. In lege nova Luc. 3. militibus quaerentibus quid facerent, ut fugerent venturam iram, quam Joannes Baptista peccatoribus intentabat, non jussit S. Praecursor militiam deserere, sed ea bene uti: *Neminem*, inquit, *concutiatis*, *neque calumniam faciatis*, *et contenti estote stipendiis vestris*: quibus verbis tacite approbat bellum: ut docet Aug. epist. 5. ad Marcellinum. Confirmatur ex usu Ecclesiae, quae in pluribus Conciliis decrevit bellum pro recuperatione Terrae sanctae.

Prob. ratione. Lege naturae licet vim vi repellere: ergo bellum defensivum est licitum. Quantum ad offensivum: privatus injuriam, aut damnum passus potest petere satisfactionem aut restitutionem; ergo similiter potest Respublica. Subsumo: atqui aliquando satisfactio, seu restitutio haberi aliter non potest, quam armis, puta, si injuriantes, aut damnificantes requisiti nolint satisfacere, seu restituere, nec habeant superiorem, qui illos velit, aut possit compellere ad satisfaciendum, seu restituendum: ergo.

Dixi: *Positis certis conditionibus*; *scilicet legitima auctoritate*, *justa causa*, *et recta intentione*. Auctoritas requisita ad indicendum bellum offensivum debet esse suprema, quae nullam aliam in temporalibus superiorem agnoscat, quales habent Imperatores, Reges, quidam Duces, Respublicae independentes, ut Veneta, Helvetica, etc. 1. quia quicumque habet superiorem, potest apud ipsum prosequi jus suum: bellum autem moveri non potest, nisi quando non est alia via jus suum prosequendi. 2. Bellum offensivum est actus supremus justitiae vindicativae; ergo ad supremum Principem pertinet. Bellum autem defensivum instante periculo Principes, Duces, Magistratus dependentes possunt jure naturae illud indicere, cum cuiquam etiam privato liceat vim vi repellere: intellige durante periculo, et necessitate; his enim cessantibus, debent vindicandae injuriae judicium, potestatem, et executionen a supremo Principe, vel Republica independente, petere et expectare.

Causa justa indicendi bellum offensivum generaliter loquendo est unica, nempe injuria, seu damnificatio gravis illata, non reparata, nec alio modo reparanda. Hinc inferes, perniciosissime errasse, et errare, qui existimarunt, aut existimant, amplificationem Imperii, gloriam, et celebritatem nominis, et ut vulgo dicitur jus convenientiae, esse justas causas indicendi bellum; *Hoc* (inquit August. l. 4. de Civit. c. 6) *quid aliud*, *quam grande latrocinium nominandum*?

Quantum ad rectam intentionem non debet geri bellum nisi ex intentione justitiae et boni communis; ut docet Aug. epist. 105. et l. 22. cont. Faustum c. 74. Haec est autem differentia inter hanc conditionem, et duas praecedentes, quod si desint praecedentes, sit obligatio restituendi; secus si adsint, et haec tertia desit. Observandum est tamen, quod qui pugnant sine legitima auctoritate, non teneantur ad restitutionem, quatenus res suas injuste ablatas recuperant, sed quatenus damna inferunt; Unde milites privati peccant, et ad restitutionem tenentur, si sine consensu expresso, vel saltem praesumpto

Ducis, occidant, incendant, praedas agant etc. tunc enim bellum gerunt sine legitima auctoritate

Petes 2. Utrum in dubio de justitia belli sit licitum bellare? R. 1. Si agatur de reparatione injuriae, Princeps dubius de justitia belli non potest bellum indicere, quia in dubio praesertim tanti momenti oportet eligere tutiorem partem. Si agatur de possessione recuperanda, in dubio melior est conditio possidentis, et ideo contra illum non potest moveri bellum; si neuter possideat, licet bellum inferre contra illum, qui non vult rem dividere pro rata dubii.

R. 2. Qui sunt subditi Principi bellum gerenti, jussi possunt et debent inscribi militiae, et inscripti bellare, etiamsi dubitent de justitia belli, formando tamen sibi judicium practicum, quod sibi liceat obedire et bellare, quia 1. superior habet jus certum praecipiendi, neque ob dubium subditi exuitur suo jure: ergo subditus tenetur obedire: sunt enim correlativa jus praecipiendi et obligatio obediendi. 2. Ex denegatione obedientiae, dum ejus causa manifesta assignari non potest, enervatur auctoritas in superioribus, totumque regimen subvertitur; ex his itaque principiis subditus potest formare judicium practicum, quod justus possit licite bellare. Confer, quae scripsi dissert. 5. de Actibus humanis art. 2. sub finem.

R. 3. Qui non sunt subditi Principi bellum gerenti, in dubio de justitia belli non possunt militare, quia non militando nemini faciunt injuriam, cum non habeant necessitatem obediendi, sicut subditi, de quibus in resp. praeced., militando autem exponuntur facere gravem injuriam alteri Principi. Eadem omnino videtur ratio de subditis Principi belligeranti, si non jussi, sed sua voluntate militent pro stipendio.

Attamen quia causae belli saepe non sunt manifestae et justitia belli etiam saepe est obscura, etiam ipsis Theologis et Jurisperitis; ex hac responsione aliunde secundum se vera sequeretur, quod omnes ferme milites essent culpandi: quis enim ex illis, sive sint subditi sive non, inquirit de causis et justitia belli? Ideo plures graves auctores existimant, quod, si dubium eorum sit tantum negativum, quatenus non habent rationes pro aut contra, et propter Principis et ejus Consiliariorum probitatem et prudentiam possint sibi persuadere, quod bellum non moverent, nisi esset justum, licite militent. Qui vero sunt parati bellare, sive bellum sit justum, sive injustum, sunt certo in statu damnationis propter voluntatem bellandi etiam injuste.

Petes 3. Utrum possit dari bellum justum ex utraque parte? R. Bellum per se et ex natura rei non potest esse justum ex utraque parte; potest autem per accidens et ex ignorantia, seu, ut alii dicunt, non potest esse justum ex utraque parte materialiter, bene tamen formaliter, quia fieri non potest secundum rei veritatem, quod in uno sit jus petendi satisfactionem aut restitutionem, quin sit obligatio in alio satisfaciendi vel restituendi; sunt enim correlativa jus et obligatio: ergo si resistat, injuste resistit; et e contra si juste resistit, alter injuste petit. At vero si unus ignoret jus alterius, non peccat resistendo, et sic per accidens ratione ignorantiae bellum est justum ex utraque parte.

Petes 4. Utrum in bello justo liceat occidere innocentes? R. In bello justo numquam licet per se et ex intentione occidere innocentes, nisi facta sit a Deo specialis auctoritas: licet tamen per accidens et praeter intentionem. Probat. prima pars. 1. Ex illo generali Dei mandato Exod. 23. *Insontem et justum non occides.* 2. Innocens non potest occidi in bello justo nisi propter culpam Reipublicae: atqui id non licet: ergo. Prob. min. Respublica non potest puniri ab hoste nisi in bonis, quorum habet dominium: atqui Respublica non habet dominium in vitam innocentium, sed solus Deus, qui Reipublicae non concessit jus gladii nisi adversus eos, qui male agunt: ergo. Innocentium autem nomine

veniunt infantes, impuberes bello inepti, foeminae, rustici, plebeii, mercatores nihil ad bellum conferentes, peregrini, extranei: item expresse ex jure positivo Clerici et Religiosi cap. *Innovamus* de pace: hi omnes, inquam, juris praesumptione censentur innocentes, donec contrarium de illis probetur.

Probat. secunda pars. 1. Si neque per accidens et praeter intentionem liceret in bello justo occidere innocentes, impossibile foret bellum perficere; non posset v. gr. expugnari civitas aut turris everti, in qua includerentur innocentes, non possent impeti hostes, qui innocentes in fronte praelii constituerent, quod numquam omitterent, sicque justitia bellantium frustraretur. 2. Quando unius actus sunt duo effectus aeque immediati, unus bonus, alter malus, potest subsistente justa ratione intendi bonus effectus et malus permitti: atqui eversio turris aut explosio tormentorum bellicorum in hostes est immediate defensiva patriae et occisiva innocentium: ergo primus effectus potest intendi propter bonum commune et alter permitti. Hoc principium Auctoris latius deductum et explicatum habes in tract. de Justitia.

Petes 5. Utrum bona in bello capta fiant occupantis? R. 1. Bona immobilia in bello justo capta sicut etiam tormenta bellica, annona, et pecunia publica, sunt supremi Principis in quantum est necessarium ad justam compensationem, et pacem, atque securitatem; idque tam jure naturae, quam jure gentium, et usu recepto. R. 2. Bona mobilia in bello justo capta jure gentium sunt occupantis etiamsi excedant justam compensationem. Ita colligitur ex jure l. 2. Inst. tit. 1. §. 17. *Ea quae ex hostibus capimus, jure gentium statim nostra fiunt, adeo quidem, ut et liberi homines in servitutem nostram deducantur*: Et ff. l. 49. tit. 15. de captivis leg. 28. *Siquid bello captum est, in praeda est, non postliminio redit.* Quidam arbitrantur, quod etiam bona injuste ablata, quae reperiuntur apud hostes, post pacificam possessionem unius noctis, vel viginti quatuor horarum circiter, sint capientis, attento nimirum non jure naturae, sed gentium, et consuetudine, ex illo jure introducta. Quantum ad servitutem, de qua lex citata, usu receptum est inter eos, qui Christi nomen profitentur, etiamsi sint haeretici, quod bello capti non fiant Servi.

Petes 6. Quae sint obligationes et peccata bellantium? R. 1. Principes supremi et duces exercitus 1. tenentur ex officio curare, in quantum possunt, disciplinam militarem observari, et coercere milites a rapinis, furtis, incensionibus, stupris, etc. alioquin peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem horum damnorum. 2. Peccant mortaliter, si non provideant justa stipendia militibus, et tenentur restituere damna, quae milites defectu stipendii inferunt.

R. 2. Duces subordinati peccant mortaliter et tenentur ad restitutionem, 1. si nulla cogente necessitate milites exponant temere certae internecioni. 2. Si partem stipendii vel pecuniarum pro militibus concessarum retineant. 3. Si minorem numerum militum habeant, et pro majori stipendia recipiant, quales sunt, qui dum lustrantur copiae, non milites sub habitu militari praesentant, vulgo *Passe-volants*, vel eumdem bis aut ter praesentant; quo etiam peccato implicantur ipsi lustratores seu commissarii, qui id scienter admittunt; neque tantum de furto stipendii tenentur; sed de damno, quod provenire potest Reipublicae ob insufficientem militum numerum. Excipe tamen, nisi id fiat ex consensu expresso vel tacito Principis: audio enim id quandoque permitti in sublevamen et indemnitatem Centurionum. Quod an ita sit, quando et quomodo, ipsi viderint. 4. Peccant et tenentur ad restitutionem, qui dum ducunt copias per provinciam ob accepta munera a certis pagis vel civibus, alios sive pagos sive cives numero militum aggravant.

R. 3. Milites gregarii 1. debent esse contenti suis stipendiis juxta praeceptum S. Praecursoris Luc. 3. Unde peccant mortaliter et tenentur ad restitutio-

nem, si terris non hostilibus praeter tectum, lectum, paleas, etc. ut fert consuetudo, pecunias extorqueant, spolient, rapiant, aliterve damnificent; neque eos excusat ducum auctoritas aut dissimulatio, nisi forte deficiente aut diminuto stipendio sumerent praecise necessaria urgenti necessitati. 2. Tenentur, etiam cum certo vitae periculo, non deserere stationem aut arcem, nisi plane desperata victoria.

Petes 7. Utrum Clericis sit licitum bellare? R. Omnibus Clericis jure ecclesiastico prohibitum est propria manu bellare extra casum urgentis necessitatis. Prob. ex jure Cap. *Quicumque* causa 23. q. 8. *Quicumque ex Clero esse videntur, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suae vocabulum religiosis moribus, et religioso habitu praebeant.* Rationes affert S. Thom., quae ad duo capita reducuntur. 1. *Quia bellica exercitia repugnant illis officiis, quibus Clerici deputantur.* 2. *Quia omnes Clericorum ordines ordinantur ad Altaris ministerium, in quo sub sacramento repraesentatur Passio Christi . . . . et ideo non competit eis occidere, vel effundere sanguinem.* Dixi *Omnibus Clericis.* Intellige Clericos Sacris ordinibus initiatos, aut etiam Tonsura, vel Minoribus, si beneficium habeant, non vero si sint simplices Tonsurati, vel Minoristae, quia jura de illis non loquuntur, vel sunt contraria consuetudine abrogata. [Regularibus autem conversis, idest non Choristis, et professis, est sub mortali vetitum, quia canones aperte id prohibent omnibus Monachis, sub quorum nomine comprehenduntur dicti professi, et quidem ob magnam indecentiam] Dixi *Manu propria bellare*, quia Clerici, habentes sufficientem jurisdictionem temporalem, possunt bellum indicere, exercitum conscribere etc. Possunt tamen Clerici bello interesse pro spirituali auxilio, et consilio: imo possunt hortari milites ad fortiter pugnandum pro Patria, justitia, religione, non tamen dicere *occide*, *macta.* Dixi *extra casum urgentis necessitatis*, in quo ipsum jus naturale permittit Clericis, sicut aliis propria manu pugnare, ut si necessarium sit ad propriam, vel proximi innocentis, praesertim Patriae, aut Religionis defensionem contra injustos Invasores. Item si aliis militibus deficientibus necesse esset Clericos pugnare ad consequendam insignem victoriam, ex qua salus Ecclesiae, vel Reipubl. multum dependet. Quantum ad irregularitatem, quam incurrunt bellantes require Diss. 10. de Justit. a 10, sed praecipue Ben. XIV. Instit. 101.

Petes 8. Utrum liceat uti insidiis in bello? R. affirmative, modo id fiat absque mendacio, et violatione promissi. Patet ex c. 8. Jos., ubi Israelitae instruuntur uti insidiis adversus Civitatem Hai. Hinc licitum est uti vestibus, et vexillis hostium, simulare fugam, aggredi unam partem, dum fingitur aggressio alterius etc., non ex intentione significandi exterius, quod revera non est, sed ex intentione occultandi, quod in mente, et consilio habetur.

Petes 9. Utrum pacta pacis inita metu belli injusti sint servanda? R. Affirmative, quia alioquin numquam esset finis bellorum. Cum enim bellantes existiment jus pro se stare, resumptis viribus semper bellum instaurarent usque ad extinctionem Gentis, et tamen necesse est dari medium pacis; non tamen propter hujusmodi pacta excusantur coram Deo a restitutione, qui in bello injusto damna intulerunt. Item observandum quod si ipse hostis pactum frangat, nulla sit obligatio pacti servandi juxta commune proverbium: *Frangenti fidem fides frangatur eidem.*

Petes 10. Utrum Repraesaliae sint licitae? Repraesaliae dicuntur, quando Princeps Subditis, aut Militibus suis damnum injustum passis, facit potestatem invadendi terram eorum, qui damnum intulerunt, et occupandi bona incolarum, etiam innocentium, donec damnum sit juste compensatum. Ad petitionem resp., quod cum Repraesaliae sint quaedam species belli, de eis eodem modo loquen-

dum est ac de bello, esse scilicet secundum se licitas, si satisfactio aliter haberi non possit, non tamen facile concedendas, cum sint periculosae, et occasionem praebeant rapinis, et multis aliis malis. Jure autem canonico cap. unic. de injur. in 6. prohibetur sub poena excommunicationis concedere, aut agere repraesalias contra Personas ecclesiasticas, vel eorum bona.

Bello affines sunt Rixa, et Seditio. *Rixa* est bellum quoddam privatum, in quo rixantes in ira se percutere nituntur. In eo, qui injuste invadit est ex genere peccatum mortale. In eo qui se defendit potest esse sine peccato, si id faciat solo animo repellendi injuriam, et cum debita moderatione. Si vero cum animo vindictae, aut odii, vel cum excessu debitae moderationis, semper est peccatum, vel veniale, si levis motus odii se immiscet, vel non multum excedit moderatam defensionem; mortale vero, si obfirmato animo in impugnantem insurgat, ad eum occidendum, vel graviter laedendum.

Seditio est tumultus partium ejusdem multitudinis ad pugnam se parantium. Est ex genere peccatum mortale, et speciale peccatum, cum opponatur speciali bono, hoc est bono communi pacis civilis, et unitatis multitudinis. Primo, et principaliter pertinet ad eos, qui seditionem procurant, et hi gravissime peccant. Secundo ad eos, qui illos sequuntur, perturbantes bonum commune: illi vero, qui bonum commune defendunt eis resistentes, non sunt dicendi seditiosi. Distinguitur a bello, et rixa in duobus. 1. Quia bellum, et rixa important mutuam impugnationem in actu, seditio autem dicitur, sive impugnatio sit actu, sive tantum sit praeparatio ad illam. 2. Quia bellum proprie est contra hostes extraneos, rixa est unius contra unum, vel paucorum contra paucos; seditio autem est unius multitudinis, aut regni incolas, inter se dissentientes, vel adversus principem suum.

Articulus III.

De Duello.

Petes 1. Quid sit duellum? R. Duellum, graece Monomachia, est pugna unius contra unum; et sic late sumptum est rixa duorum inter se: prout autem accipitur in jure et in ordine ad censuras ecclesiasticas, definitur communiter: *Periculosa duorum pugna ex composito seu condicto inita cum designatione temporis et loci.* Et quia materia censurarum est odiosa, et ideo restringenda, omnes hujus definitionis partes sunt stricte accipiendae. Itaque

Dicitur 1. *Pugna duorum*: quia si plures promiscue contra plures pugnent, erit simpliciter rixa, non duellum, nisi singuli determinati contra singulos determinatos pugnent, ut fit in duello solemni. Duplex namque distinguitur duellum, unum sollemne seu publicum, quando adhibentur quaedam caerimoniae, ut electio patrinorum, seu ut vocant secundantium, assumptio testium, litterae provocatoriae, seu libelli citatorii vulgo *Cartel*, etc. aliud simplex, quando non adhibentur istae caerimoniae. Dicitur 2. *Periculosa pugna*: quia pugnae, quae fiunt sine periculo occisionis, aut gravis laesionis, ut pugnis, levi baculo, avulsione crinium, etc. quamvis quandoque sint gravia peccata, non tamen sunt proprie duella. Dicitur 2. *Ex composito seu condicto*: ita exprimunt Gregorius XIII. Constit. *Ad tollendam* data anno 1582. et Clemens VIII. in Constit. *Illius vices* data anno 1592. id est ex conventione prius facta pugnandi determinato loco et tempore: unde qui sibi ex improviso occurrentes pugnant, aut si unus alterum quaesierit, vel minatus fuerit, non est duellum defectu condicti: similiter si e duobus rixantibus unus vel uterque currunt ad domum et cum armis redeunt et pugnent; item si in impetu irae dicant, Hic pugnemus, et pugnent,

non est proprie duellum, defectu condicti. Dicitur 4. *Cum designatione temporis et loci*: ita requirunt Gregorius XIII. et Clemens VIII. in laudatis Constitutionibus; ita ut si designatio vel loci determinati, vel temporis determinati desit, non sit proprie duellum censuris obnoxium.

Petes 2. Utrum duellum sit licitum? R. Duellum privata auctoritate non est licitum. Primo, quia omnis vindicta privata est illicita. Secundo, quia praecepto *Non occides*, non solum prohibetur occisio, sed etiam periculum proximum occidendi, ut in aliis praeceptis. Tertio, quia tam Ecclesia quam Principes christiani duellum sub gravissimis poenis prohibent. Trid. sess. 25. de Reformat. cap. 19. Greg. XIII. et Clemens VIII. Constitutionibus citatis.

R. 2. Duellum auctoritate publica est raro licitum. Probat. in primis non est licitum spectaculi aut ostentationis virium causa, quia Princeps non habet jus in vitam subditorum nisi malefactorum. 2. Certum est duellum esse illicitum ad detegendum crimen vel innocentiam, ut olim frequentabatur, quia in duello aeque potest cadere innocens ac nocens, unde veritatis manifestatio expectaretur vel a Diabolo, et esset superstitio, vel a Deo, et esset tentatio Dei. 3. Non est licitum duellum ad finiendam litem vel controversiam inter privatos, quia vel instituitur duellum, ut per ejus eventum dignoscatur, qua parte stet justitia, et sic redit argumentum praecedens: vel instituitur tantum ad hoc, ut facto duello partes a lite cessent, et tunc insanum et diabolicum est velle incurrere periculum vitae, ut desistant a lite, a qua possunt propria voluntate et tuta vita desistere, aut quae potest auctoritate supremi Principis, vel sorte non periculosa terminari. 4. Per se loquendo non est licitum duellum ad finiendam controversiam, seu ad evitandum aut terminandum bellum inter supremos Principes, quia duellum neque a Deo, neque a natura est medium ordinatum et proportionatum ad propulsandam injuriam vel ad obtinendam satisfactionem pro injuria illata, quae sunt duae bellorum et controversiarum jus, sae inter supremos Principes: ergo. Prob. ant. Is, cujus respublica habet cau- potest aeque vinci, ac alter: vel enim est par utriusque pugnandi facultas, vel si unus sit exercitatior, plurima solent in hoc singulari certamine accidere, ob quae saepe fortior et exercitatior succumbit: adeoque justitia et bonum commune reipublicae sive in propulsanda injuria, sive in obtinenda satisfactione, quod communibus totius communitatis viribus propugnari debet, exponitur aleae duelli: ergo.

Neque dicas pariter bonum commune exponi aleae belli; non enim potest Princeps supremus inire bellum sive defensivum, sive offensivum, nisi major spes affulgeat vincendi, sive vi, sive insidiis, sive ope confoederatorum, aut si vincatur, restaurandi et augendi vires: hostis enim in hostem se habet ut agens in passum; agens autem non agit nisi sit fortius passo. Cum ergo opponitur melius esse terminare bellum morte unius quam multorum, respondetur id verum esse, quando occisio unius est medium ordinatum et proportionatum ad utiliter pro republica terminandum bellum, quod negamus de duello, nisi per accidens in casibus infra referendis; et ideo dixi *per se loquendo* non est licitum.

Dixi etiam in responsione, *Raro* duellum esse licitum auctoritate publica, quia a pluribus assignantur quidam casus, in quibus videtur esse licitum auctoritate publica. Primus est: si is, qui juste bellum gerit, se viribus inferiorem hosti sentiat, et esse aut confligendum et succumbendum, aut duellandum, potest acceptare et offerre duellum, quia bonum commune eo meliori modo, quo potest, defendit et minus periculum eligit. Idem propter eamdem rationem videtur dicendum, si sit dubius de victoria, nec sit spes restaurandi exercitum casu, quo profligetur. Secundus casus: si duces attentis belli incommodis, bonorum detrimentis, multorum necibus, etc. utilius reputent reipublicae contro-

versiam duello quam bello dirimere; tunc enim reputatur a pluribus duellum licitum ex parte ejus, qui bellum justum gerit, modo tamen inde non fiat victoria magis dubia, quam in bello. Tertius casus est; si ex hoc, quod duellum ab hoste oblatum non acceptetur, fiat hostis audacior et potentior, alter dejectus et timidior, tunc etiam posse acceptari multorum est opinio. Videtur in pari casu David pugnasse contra Goliath, aut dicendum sic pugnasse ex instinctu divino.

Petes 3. Quae sint poenae duellantium? R. Poenae duellantium sunt excommunicatio latae sententiae summo Pontifici reservata, extra mortis articulum, suspensio, interdictum in iis locis, in quibus scientibus et permittentibus locorum dominis duella fiunt, inhabilitas ad beneficia ecclesiastica, privatio sepulturae ecclesiasticae, si duellans moriatur in conflictu, non si post conflictum, perpetua infamia, et aliae poenae corporales, quae non sunt nostri fori. Ita Concilium Trid. sess. 25. de Reformat. cap. 19. Gregorius XIII. et Clemens VIII. Constitutionibus citatis [Poena privationis ecclesiasticae sepulturae ampliata fuit a Bened. XIV. Constit. *Detestabilem* Anni 1752. ibi *Declaramus sepulturae sacrae privationem a Sacrosancta Trident. Synodo inflictam morientibus in loco duelli, et conflictus, incurrendam perpetuo fore, etiam ante sententiam Judicis, a decedente quoque extra locum conflictus ex vulnere ibidem accepto, sive duellum publice, sive privatim indictum fuerit; ac etiamsi vulneratus ante mortem non incerta poenitentiae signa dederit, atque a peccatis, et censuris absolutionem obtinuerit, sublata Episcopis, et ordinariis locorum super hac poena interpretandi, ac dispensandi facultate.* Hac eadem constitutione damnavit summus Pontifex quinque propositiones, duellorum abusui faventes, quas suo loco relatas require.

Poenas contra duellantes impositas, incurrunt 1. Ipsi pugnantes, sive sint principales, sive non, sive duellum solemne, sive privatum, vel simplex; etiamsi non sequatur mors, seu mutilatio, imo etiamsi initum fuerit pactum de terminando certamine, cum primus vulneratus fuerit, seu sanguinem fuderit, aut certus ictuum numerus utrique illatus fuerit: ita expresse Const. Clem. VIII. *Illius vices* §. 5. 2. Patrini, ac Socii, ad duellum serio provocantes, vel acceptantes, etiamsi pugna ob aliquod impedimentum non fuerit sequuta, ut in cit. Const. Clem. VIII. §. 3. 3. Duellantium adjutores, sive consilium, vel favorem praestantes, equos, arma, commeatum, pecuniam, et alia subsidia scienter administrantes: dicta Const. §. 7. Consulens autem non incurrit excommunicationem si fecit quod potuit ne sequeretur pugna revocando consilium, licet nihil profecerit. ex Const. Gregor. XIII. *Ex quo divinae.* 4. Spectatores ex industria seu ex composito, ita Conc. Trident. sess. 25 c. 19. de reform. Unde non videntur eas poenas incurrere, qui vel ad impediendum duellum accurrunt, vel ex occulto, aut obiter transeundo respiciunt, cum nihil ad ineundam, et acuendam pugnam conferant. 5. Locorum Domini, Magistratus, Duces Militum etc., qui duellum vel permittunt, vel non prohibent quantum possunt, vel commissum non puniunt. Ita in cit. Const. Clem. VIII. §. 5. in fine 6. Omnes efficientes scripta quaecumque ad duellum praeparatoria, vel etiam sine scripto quaslibet denunciationes, vel declarationes exhibent, qui etiam sine expressa provocatione ad certamen materiam, vel occasionem praebent, etiamsi alieno nomine scripta dictaverint, vel divulgaverint. Clem. VIII. cit. Const. §. 6. Praeterea occidens, vel etiam graviter vulnerans in duello excluditur a beneficio ecclesiasticae immunitatis; in locum tamen immunem restituendus, si vulneratus superstes vivat ultra tempus a legibus, quae de homicidio sunt, constitutum *ex cit. Const. Detestabilem Bened. XIV.*]

Petes 5. Quis possit absolvere a duello? R. Clementem VIII. Bulla citata

soli Papae hunc casum reservasse, derogando facultatibus et indultis concessis quibusvis personis cujuscumque ordinis, status, gradus aut conditionis. Attamen Regulares privilegiati extra Italiam et intra urbem possunt ab illo absolvere, ut constat ex decreto S. Congreg. sub Urbano VIII. quod est posterius Constitutione Clementis VIII. de quo vide Dissert. 5. de Poenitentia. a. 6.

Articulus IV.

De Scandalo.

Petes 1. Quid sit scandalum? Scandalum recte definitur *dictum vel factum minus rectum praebens alteri occasionem ruinae spiritualis.*

Dicitur. 1. *minus rectum*, non hoc sensu, quod sit rectum et ab aliquo alio superetur in rectitudine, sed quod habeat aliquem defectum rectitudinis, id est non rectum, sive quia est secundum se malum et peccatum, sive quia licet ex genere bonorum, habet speciem mali ex circumstantiis, aut ex eo, quod soleat male fieri, et facile praesumatur sic fieri, etiam quando bene fit; sicut cum aliquis recumbit in Idolo: quamvis enim hoc secundum se non sit peccatum, si aliquis non corrupta intentione faciat, tamen quia habet quamdam speciem mali vel similitudinem venerationis Idoli, potest alteri praebere occasionem ruinae: et ideo Apostolus monet. 1. Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* Dicitur 2. *Praebens alteri occasionem ruinae spiritualis*, ut cum quis suasione, consilio, exemplo, etc. inducit alium ad peccandum. Neque est necesse, quod expresse intendat peccatum alterius, sed sufficit, quod dicat vel faciat id, ex quo attentis circumstantiis natum est sequi peccatum alterius: non ergo omne peccatum coram aliis commissum semper habet malitiam scandali, sed quando praevidetur aut praevideri potest ac debet periculum, ne alii, coram quibus committitur, per illud inducantur ad peccandum.

Petes 2. Quotuplex sit scandalum? R. Duplex est scandalum, unum activum, quod definivimus: aliud passivum, quod est ruina spiritualis proximi occasione dicti vel facti alterius. Activum duplex: unum per se, aliud per accidens. Activum per se, quando quis expresse intendit suo facto vel dicto inducere alterum ad peccatum, vel si non intendat expresse, tale est factum aut dictum, ut ex se sit inductivum ad peccatum. Activum per accidens est dictum vel factum, ex quo praeter intentionem peccantis et conditionem operis, aliquis male dispositus inducitur ad peccandum, puta, cum aliquis invidet bonis alterius; et hoc scandalum si nullo modo, nec etiam implicite sit intentum, est improprie scandalum. Scandalum passivum est etiam duplex, datum, et acceptum. Datum est, quod vere oritur ex alterius dicto vel facto, quod revera malum est, aut speciem mali habet; acceptum est, quo quis ex dicto vel facto alterius praeter omnem ejus intentionem, et conditionem operis, ex sola sua sinistra interpretatione sumit occasionem peccandi, idque vel ex infirmitate aut ex ignorantia, et dicitur scandalum pusillorum; vel ex sola malitia, et dicitur scandalum pharisaicum, quia Pharisaei ex malitia scandalizabantur ex sanctissimis dictis et factis Christi Matth. 15. Quandoque ergo est scandalum passivum sine activo, ut pharisaicum; quandoque est activum sine passivo, ut cum aliquis inducit verbo vel facto alium ad peccandum, et ille non consentit: quandoque est activum cum passivo ut cum ad inductionem unius alius peccat.

Petes 3. Utrum scandalum activum sit peccatum? R. Omne scandalum activum proprie dictum est peccatum ex genere suo mortale, quia vel opus scandalizans est secundum se malum, vel habet speciem mali, et ideo omittendum propter proximi charitatem, qua tenemur saluti proximi providere: unde scan-

dalum opponitur charitati, et misericordiae, quatenus haec inclinat ad correptionem fraternam, consequenter peccatum mortale ex genere. Potest tamen fieri veniale, non solum ex indeliberatione, sed etiam ex levitate materiae, ut si quis ex levi, et veniali indiscretione dicit, aut facit id, quod habet aliquam speciem mali, unde alter praeter intentionem agentis inducitur ad peccandum mortaliter, vel siquis per peccatum veniale intendat alium inducere in peccatum veniale tantum.

Petes 4. Utrum scandalum activum sit speciale peccatum? R. 1. Scandalum per se et ex intentione expressa est speciale peccatum, quia specialem habet repugnantiam ad charitatem, qua tenemur velle bonum spirituale proximi. 2. Scandalum sine intentione expressa, quod Auctor vocat hic scandalum per accidens, si detur per opus secundum se bonum vel indifferens, sed habens speciem mali, est speciale peccatum, quia est peccatum, et non habet aliam rationem peccati quam scandali. 3. Scandalum sine expressa intentione, et hoc sensu per accidens, quod datur per opus jam ex se malum, non est speciale peccatum, est tamen specialis circumstantia actus mutans speciem: quia quando sunt plures malitiae in uno actu, prima essentialis et specifica desumitur ex objecto primario et directe volito, circumstantia autem, quae est quoddam accidens actus moraliter sumpti, sumitur ab objecto secundario et indirecte volito: ergo.

Ex hactenus dictis colliges scandalizantem teneri explicare in confessione 1. non solum peccatum, quo alterum scandalizavit, sed etiam peccati speciem, ad quod illum pertraxit, puta ebrietatem, fornicationem etc., 2. tenetur explicare numerum Personarum, quas sive directe, sive indirecte scandalizavit. 3. conditionem Personarum scandalizatarum, si afferat difformitatem specialem, ut inductio ad turpia Monialis, Conjugatae, Consanguineae etc. 4. an ad peccatum inductus fuerit invitus, aut non cogitans, an facile consentiens, et paratus. Ad haec ut plurimum non attendunt tam Poenitentes, quam Confessarii, praesertim ubi agitur de scandalo per accidens, et indirecte tantum intento 5. Est explicanda aliquando conditio scandalizantis, ut si Superior, Pater-Familias, Parochus etc., qui tenentur ex officio praecavere ruinam suorum subditorum. 6. Qui induxit alterum ad peccatum injustitiae, jussione, consilio, auxilio etc. tenetur cum illo ad restitutionem eo modo, quo dicitur in Tractatu de Justitia.

Petes 5. Utrum bona tam spiritualia, quam temporalia sint dimittenda pro vitando scandalo passivo? R. 1. Bona spiritualia, quae praetermitti non possunt absque peccato, non sunt dimittenda pro scandalo passivo vitando, quia implicat aliquod peccatum, etsi tantum veniale, esse licitum; hoc ipso enim desineret esse peccatum: unde Apost. Rom. 3. dicit: *Non sunt facienda mala, ut eveniant bona.* R. 2. Bona spiritualia, quae praetermitti possunt absque peccato, non sunt dimittenda propter scandalum pharisaicum, si subsit aliqua causa ea non differendi; quia cum hujusmodi scandalizati peccent ex malitia, non sunt in necessitate, a qua non possint se facile liberare sine ope alterius; et alioquin daretur locus iniquis impediendi bona opera cum vellent: unde hoc scandalum non esse curandum docuit Christus Matth. 15. quando discipulis referentibus, quod Pharisaei scandalizarentur ex ejus dictis et factis, respondit: *Sinite illos, caeci sunt et duces caecorum.* R. 3. Hujusmodi bona spiritualia, quae praetermitti possunt absque peccato, si non immineat periculum, sunt propter scandalum pusillorum occultanda aut differenda, donec reddita ratione hujusmodi scandalum cesset, quia proximo in necessitate spirituali constituto tenemur subvenire, quando commode possumus: atqui qui ex ignorantia vel infirmitate peccaturus est ex meo facto, est in necessitate spirituali: ergo cum possum commode illud occultare vel differre donec instruatur, ad id teneor. R. 4. ¡Quando

occurrit aliquod praeceptum affirmativum, sive naturale sive positivum, divinum vel humanum, aut etiam negativum divinum vel humanum non prohibens res intrinsece malas, incompossibile cum praecepto naturali de vitando scandalo proximi, perpendendum est, quodnam omnibus attentis sit majus et magis obligans, et illud est servandum, quia quando concurrunt duo praecepta, quae non possunt simul observari, majus obligat, et alia desinunt obligare pro tunc. Porro praeceptum de vitando scandalo pusillorum quandoque magis, quandoque minus obligat quam alia, ut patet in casibus frequentibus, qui communiter admittuntur.

1. Correptio fraterna est juris naturalis; et tamen est omittenda, si corripiendus inde scandalizetur et fiat deterior. Similiter punitio peccatorum est juris naturalis; et tamen juxta Augustinum l. 2. contra Epist. Parmen. c. 2. est dimittenda, ubi ex illa periculum schismatis timetur. 2. Praedicatio Evangelii est juris divini positivi, et tamen ab ea cessandum est propter scandalum Matth. 7. v. 6. Item integritas confessionis est praecepti divini, et tamen mulier in confessione potest et debet omittere peccatum, ex quo intelligit Confessarium, cui necessario confiteri debet, grave scandalum ex infirmitate passurum, 3. E contra, si scias ex ingressu in domum cujusdam mulieris, in qua est infans baptizandus, quem nemo alius vult baptizare, oriri scandalum, nihilominus debes ingredi, praemissa, si possibile sit, monitione; quia praeceptum subveniendi saluti infantis praeponderat praecepto scandali vitandi. Idem propter idem est dicendum, si ex Baptismi necessarii collatione praevideas aliquos graviter commovendos et blasphematuros.

R. 5. Temporalia bona, quorum nos sumus domini propter scandalum pusillorum vel sunt totaliter dimittenda, ea tribuendo, si penes nos habeamus, aut ea non repetendo, si penes alios sunt (intellige, si non sint gravis momenti); vel scandalum est sedandum per monitionem aut instructionem, quia tenemur subvenire necessitati spirituali proximi, licet non extremae, cum aliquali nostro damno temporali, ut patet ex dictis de ordine charitatis, et de correptione fraterna. Quod si post instructionem adhuc scandalum duret, ordinarie tunc est ex malitia. Si vero scandalum sit ex malitia et pharisaicum, propter eos, qui sic scandala concitant, non sunt dimittenda temporalia, quia hoc noceret bono communi; daretur enim malis rapiendi occasio, et noceret ipsis rapientibus, qui retinendo aliena in peccato remanerent.

Petes 6. An sit semper peccatum scandali petere ab aliquo id, quod non est facturus sine peccato? R. 1. Petere, aut consulere absolute opus, quod fieri non potest absque peccato, est semper peccatum scandali. Dixi *absolute*, quia siquis esset determinatus ad grave peccatum, liceret illi suadere minus. R. 2. Si quod petitur, fieri possit absque peccato, quamvis praevideatur alter non facturus absque peccato, subsistente justa causa non est peccatum scandali illud ab eo petere, ut in necessitate mutuum ab usurario, sacramenta a malis ministris. Excipe casum, quo quis peteret a malefico tollere maleficium, quod quidem potest tollere sine maleficio, sed quem scis non ablaturum, nisi per aliud maleficium. Quia cum Daemon sit Dei inimicus irreconciliabilis, omnis societas cum illo est jure naturali illicita, utpote contra fidelitatem, et reverentiam Deo debitam. De his vide plura in Tract. de Relig., de Contract., de Sacram. in genere.

TRACTATUS

DE PRUDENTIA

DISSERTATIO UNICA.

D. Thom. a. Quaest. 47. ad 56.

[Postquam actum est de virtutibus Theologicis, agendum est de virtutibus moralibus, quarum primariae quatuor sunt, quae dicuntur Cardinales, ab illis enim aliae dimanant, vel illis annexae sunt, et sunt Prudentia, Justitia, Fortitudo, et Temperantia, quae Sapient. 8. commendantur. *Sobrietatem, et prudentiam docet* (sapientia), *et justitiam, et virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominis*] Prima, et nobilissima virtutum cardinalium est Prudentia, pauca tamen scitu necessaria ad praxim de ea occurrunt dicenda, quapropter quae fuse discutit S. Doctor, ea compendiose tractabimus.

Articulus I.

Quid sit Prudentia, qui sint ejus actus, et ejus partes?

Prudentia dicta a *providendo* sumitur dupliciter 1. largius pro qualibet cognitione veri ad mores pertinente, sive speculativa, sive practica, et sic comprehendit fidem, et theologiam, et in Scripturis vocatur Sapientia. 2. stricte pro notitia practica proxima morum directrice. Haec, de qua agimus, definitur *Recta ratio agibilium* A S. August. lib. 83. QQ. *Cognitio rerum appetendarum, et fugiendarum*: Ab aliis *Habitus intellectivus humanarum actionum, secundum rectam rationem directivus in omni eventu.* Quae definitiones in idem redeunt. Suppono eam subjectari in intellectu practico, dicitur enim a visione, quae non est partis appetitivae, sed cognoscitivae; et cum per prudentiam cognoscantur futura ex praesentibus, et praeteritis, quod fit per quamdam collationem, hinc non potest pertinere ad partem sensitivam, sed solum ad rationem.

Dico 1. Prudentia est vera, et specialis virtus, ab aliis distincta. Prob. 1. Pars, et explicatur notio virtutis prudentiae. Virtutes morales, qua sunt in appetitu, sufficienter inclinant hominem ad sua objecta, ut sic, ut justitia ad reddendum cuique jus suum, fortitudo ad fortiter agendum, temperantia ad sobrie vivendum; sed non est verae virtutis opus, nisi servet medium rationis, et debitis circumstantiis vestiatur, ita ut fiat quando, ubi, quomodo, quantum etc. fieri debet, hinc necessaria est alia virtus in intellectu, quae suo lumine praefatas virtutes dirigat in attingendo medio rationis, indicando media congrua, et debitas circumstantias. Haec virtus est, quam dicimus Prudentiam.

Prob. 2. Pars. Prudentia habet speciale objectum formale, nimirum agibile in omni materia virtutum, ut conforme appetitui recto. Atqui virtutes distinguuntur per objecta formalia. Ergo. Si petas sub qua ratione prudentia attingat suum objectum, an sub ratione veri, vel sub ratione boni? Pro responsione

nota: Verum aliud esse speculativum, aliud practicum. Primum attenditur per conformitatem intellectus ad rem. Secundum per conformitatem ad appetitum rectum. Prudentia itaque *primo* attingit suum objectum sub ratione veri practici, quia ejus objectum est agibile conforme appetitui recto, adeoque practice verum, et sub hac ratione est virtus intellectualis, cui non subest falsum. Quia vero non sistit in cognitione veri conformis appetitui recto, sed illud per alias virtutes morales operatur, quod est bonum, ideo *secundario* respicit suum objectum sub ratione boni, sicque ratione materiae, et finis est virtus moralis; non quidem elicitiva, ut aliae virtutes, sed directiva morum. Ex his patet responsio ad petitionem.

Dico 2. Actus, seu functiones Prudentiae sunt tres 1. bene consultare; Prudentia enim quaerit media, et circumstantias necessarias, ut opus fiat secundum virtutem 2. recte judicare, judicat enim media quaesita esse convenientia v. g. tantum, tali loco, tempore, modo, esse restituendum, abstinendum etc. 3. imperare, qui est actus ultimus, et praecipuus, judicata enim imperat movendo virtutes morales ad exequutionem. Hi actus debent fieri diligenter, nec prudens dicitur, qui sive in consultando, sive in judicando, sive in exequendo diligentiam debitam pro gravitate rei, et conditione Personae non adhibuerit; ea vero adhibita licet speculative erret, judicium tamen erit prudens, et non peccabit.

Petes. 1. Utrum prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus? Ante responsionem nota, prudentiam aliam esse *infusam*, seu supernaturalem, quae excedit limites rationis naturalis, et versatur circa finem supernaturalem, scilicet vitam aeternam; Aliam *acquisitam*, quae non excedit limites rationis naturalis. Haec est duplex. Una *falsa*, per similitudinem dicta, qua quis disponit media ad malum finem, et quo sensu quis dicitur bonus latro, eodem dici potest prudens latro; Alia *vera*, et est iterum duplex. 1. imperfecta, qua quis invenit vias convenientes ad aliquem finem particularem, ut ad negotiandum etc., et dicitur prudens negotiator. 2. perfecta, quae ad bonum finem totius vitae recte consiliatur, judicat, et praecipit. His notatis R. 1. Prudentia falsa in materia mortali est in solis Peccatoribus, ut patet. 2. Prudentia vera, sed imperfecta est communis bonis, et malis, ut etiam patet. 3. Prudentia perfecta acquisita non est in peccatoribus, quia peccando etiamsi in uno, licet non perdant prudentiam secundum rationem habitus, perdunt tamen secundum rationem prudentiae perfectae, quae requirit in omni opere judicium conforme appetitui recto 4. Prudentia infusa est in solis, et omnibus justis, quantum ad ea, quae sunt de necessitate salutis; haec enim non est sine charitate, qua homo bene se habet circa ultimum finem; Charitas autem est in omnibus, et solis justis. Quantum ad prudentiam acquisitam non est in omnibus justis, quia causatur exercitio actuum, ad quod requiritur experimentum, et aetas.

Petes. 2. Quae, et quot sint partes prudentiae? Suppono prudentiam, non secus ac aliquam aliam virtutem habere partes integrales, subjectivas, et potentiales. Itaque resp. 1. Partes integrales prudentiae (sic dictae, non quod ex eis confletur unus habitus, est enim prudentia una virtus, sed quia sine illis non est perfectus actus, seu usus prudentiae) numerantur octo 1. *Memoria* quae hic non sumitur pro potentia, sed pro ipsa recordatione praeteritorum 2. *intellectus* qui item hic non sumitur pro potentia, sed pro cognitione praesentium, et pro recta aestimatione alicujus finis, aut principii moralis particularis. 3. *Docilitas*, qua quis quaerat erudiri ab aliis, praecipue a senibus, qui sanum intellectum adepti sunt circa fines operabilium. 4. *Solertia*, quae est facilis, et prompta conjecturatio circa inventionem medii congruentis, maxime ubi aliquid ex repentino occurrit agendum. 5. *Ratio.* Consilium enim est opus rationis, ad prudentiam autem pertinet esse bene consiliativa. 6. *Providentia*, quae sumitur

pro ordinatione mediorum in finem, vel pro consideratione futurorum eventuum, qui possunt sequi ex opere. 7. *Circumspectio* quae est attenta consideratio circumstantiarum. 8. *Cautio*, quae est cura vitandi mala, et impedimenta, quibus ab extrinseco opus vitiari, aut impediri posset.

R. 2. Partes subjectivae prudentiae, quae sunt ejus species, sunt duae 1. *Personalis*, per quam quis regit seipsum, quae quamvis immediate respiciat bonum proprium, quatenus tamen bonum partis influit in bonum totius, respicit mediate etiam bonum totius. 2. *Politica* seu gubernatrix, per quam aliquis regit multitudinem. Haec est quadruplex 1. *Regnativa*, qua quis regit communitatem perfectam Civitatis, vel Regni. Quanto universalius est regimen, et ad plura se extendens, et ulteriorem finem attingens, eo est perfectius, et ideo Regi prudentia competit secundum specialem, et perfectissimam sui rationem. 2. *oeconomica*, quae versatur circa familiam in ordine ad domesticam conversationem 3. *Militaris*, quae est circa exercitium in ordine ad resistendum hostium insultibus pro defensione boni communis 4. *Politica*, *specialiter dicta*, quae quamvis commune nomen retineat, est species distincta prudentiae, qua quis regit seipsum, et id, quod ad suum privatum officium spectat secundum praecepta majorum ad bonum commune.

R. 3. Partes potentiales prudentiae, quae sunt virtutes ei annexae, et ordinantur ad actus quosdam secundarios, nec habent totam rationem prudentiae, sunt tres. 1. *Eubulia* quasi bona consultatio, vel potius bene consiliativa. 3. *Synesis*, quae est virtus bene judicativa de operabilibus secundum regulas communes 3. *Gnome* quae est virtus bene judicativa secundum altiora principia in iis, in quibus aliquando recedendum est a lege communi, licet non a mente Legislatoris. Virtus, quae huic respondet in voluntate, vocatur *Epikiia*. His adde prudentiam juvari per donum consilii, quo homo est bene consiliatus, et huic virtuti respondet. Vid. tract. de Virtut.

Articulus II.

De vitiis oppositis Prudentiae

Petes quae, et quot sint vitia opposita prudentiae? R. Ea esse duplicis generis, ut quaedam ipsi opponantur per defectum, et quaedam, quae habent quamdam similitudinem cum illa, ipsi opponantur per excessum; seu per abusum. Primi generis est imprudentia, sub qua quatuor continentur 1. *Praecipitatio*, quae est aggressio alicujus operis, vel omnino inconsulte, vel non satis deliberate, quod est contra bonam ordinationem consilii 2. *Inconsideratio*, qua quis contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit. 3. *Inconstantia*, qua quis deficit in praecipiendo ea, quae sunt bene consiliata, et judicata. Unde praecipitatio est ex defectu circa actum consilii, inconsideratio circa actum judicii, inconstantia circa actum praecepti. Haec autem vitia oriuntur maxime ex luxuria; delectatio enim venereorum totam animam absorbet, et trahit ad sensibilem delectationem, et ideo maxime corrumpit aestimationem prudentiae cujus perfectio, sicut cujuslibet virtutis intellectualis, consistit in abstractione a sensibilibus. 4. *Negligentia*, quae est defectus sollicitudinis requisitae in actu interiori intellectus ad excitandam, et dirigendam voluntatem in exequutionem boni operis consiliati, et judicati. Distinguitur ab omissione, quae pertinet ad actum exteriorem, et a torpore, et pigritia, quae pertinet ad exequutionem.

Nota 1. Imprudentiam posse sumi 1. negative pro sola carentia prudentiae, et sic potest esse sine peccato, ut in Pueris. 2. privative pro carentia pruden-

tiae, quam quis natus est habere, et sic est generale peccatum quod per participationem est in omnibus peccatis. 3. contrarie secundum quod ratio movetur, et agit directe contra prudentiam, spernendo, aut repudiando consilium, aut divina documenta, et sic imprudentia est speciale peccatum, et quidem mortale in confessione exprimendum, si sit gravis contemptus divinarum regularum, alioquin est tantum veniale

Vitia opposita prudentiae per excessum sunt. 1. *Prudentia carnis*, qua quis providet media idonea ad perficienda opera carnis. 2. *Astutia proprie dicta*, qua quis ad finem aliquem consequendum, sive bonum, sive malum excogitat non veras vias, sed simulatas, et apparentes. Dixi *Astutia proprie dicta*, quia quandoque Astutia sumitur pro circumspectione, ut Prov. 1. *Ut detur parvulis astutia*, et 13. *Astutus omnia agit cum consilio* 3. *Dolus*, et *fraus*, quae sunt astutiae exequutio, Fraus per facta, Dolus principaliter per verba, licet etiam quandoque per facta, unde haec vox *Dolus* est generalis, complectens sub se fraudem. 4. *Sollicitudo*, quae est studium ad aliquid consequendum, vel conservandum. Potest haec tripliciter esse illicita circa temporalia, et futura. 1. si temporalia tamquam finis quaerantur, ea praeponendo spiritualibus. 2. si superfluum studium ad ea acquirenda, vel conservanda adhibeatur. 3. si sit timor et anxietas, ne faciendo, quod fieri debet, necessaria nobis deficiant. Non ergo omnis sollicitudo circa temporalia est damnanda, sed immoderata dumtaxat, quam damnat Christus Matt. 6. 1. et Hieronymus in hunc locum ait: *Labor exercendus est, sollicitudo tollenda*; nimirum superflua, et animum inquietans.

Quantum ad praeceptum licet in Decalogo non exprimatur praeceptum de prudentia, alibi tamen, et in veteri Testamento, et maxime in novo, in quo continetur doctrina perfectionis, expresse reperitur. Prov. 4. *In omni possessione tua acquire prudentiam.* cap. 9. *Ambulate per vias prudentiae*, etc. 16. *Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento.* Matt. 10. *Estote prudentes sicut serpentes.* ad Tit. 2. *Loquere quae decent sanam doctrinam, senes ut sobrii sint, pudici, prudentes.* 1. Petr. 4. *Estote prudentes, et vigilate in orationibus.* Et alibi. Haec de prudentia sufficiant.

TRACTATUS

DE JURE ET JUSTITIA

D. Thom. a Qūaest. 57. ad 76.

DISSERTATIO I.

DE JURE ET DOMINIO

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit Jus?

Dico 1. Varie accipitur nomen Juris. Primo pro eo, quod justum est: justum autem dupliciter sumitur, generaliter pro omni eo, quod est legi consonum, stricte pro aequalitate alteri debita; dicuntur enim vulgariter ea, quae adaequantur, justari: et jus sic sumptum est objectum justitiae, ut infra dicemus.

2. Jus accipitur pro legitima facultate aliquid faciendi, acquirendi, possidendi, alienandi etc. Quo sensu quis dicitur uti jure suo. Jus autem hoc 2. modo sumptum, est fundamentum juris primo modo sumpti, nihil enim est alteri debitum ad aequalitatem sine jure in altero, quia quod est debitum, est jure debitum; sunt enim correlativa jus et debitum.

3. Sumitur jus pro lege, quae est regula justi in genere. Unde ab hoc jure pendet jus secundo modo sumptum, quod enim aliquis habeat jus ad aliquid, id ipsi tribuitur vel a lege naturae, vel a lege positiva, vel saltem ex concessione libera Dei vel hominum, Quapropter:

Dico 2. Jus hoc triplici modo sumptum potest eadem divisione dividi in jus naturale, et positivum. Et quantum ad jus sumptum pro lege patet: quia lex alia naturalis, alia positiva. Non ponitur lex aeterna, quia haec divisio fit in membra omnino diversa; lex autem naturalis non est quid omnino diversum a lege aeterna, sed est ejus participatio in rationali creatura, ut docetur 1. 2. Q. 91. a. 2. ad 1.

Jus positivum dividitur in divinum et humanum. Divinum aliud veteris, aliud novi Testamenti. Jus positivum humanum dividitur in Jus Gentium, Jus Canonicum, et Jus Civile. Jus Canonicum, quod nos specialiter spectat, conflatur ex Canonibus Conciliorum, Decretis Pontificum, et Sententiis Patrum.

Jus sumptum pro jūsto similiter dividitur adaequate in jus naturale et jus positivum. Quia jus sic sumptum est justum seu alteri adaequatum: atqui dupliciter potest aliquid esse alteri adaequatum, uno modo ex natura rei, puta cum aliquis tantum dat, ut tantumdem recipiat, et hoc vocatur jus naturale: alio modo potest aliquid esse alteri adaequatum seu commensuratum ex beneplacito potentium, ut dum duae personae privatae sic inter se paciscuntur, vel communitas consentit tale quid esse habendum pro justo, vel Princeps lege statuit ita esse, et hoc dicitur jus positivum. Caeterae subdivisiones ut in divisione legis.

Jus sumptum pro *facultate legitima*, etc. dividitur etiam ex parte principii in naturale, quod lege, seu concessu naturae competit, et in positivum, quod lege positiva, vel libera Dei aut hominum concessione competit. Caeterae subdivisiones ut in divisione legis. Item hoc jus ex parte termini quem respicit, dividitur in jus in re et jus ad rem.

Jus in re est, quod quis habet in re jam sua et obtenta, unde dat actionem realem in ipsam rem. Ad hoc requiruntur tres conditiones: existentia rei, legitimus titulus ut emptio, donatio, etc. et traditio rei. Ita exceptis quibusdam casibus jus disposuit.

Jus ad rem est, quod quis habet, ut res aliqua fiat sua: ad hoc nulla alia requiritur conditio quam legitimus titulus. Non dat actionem in ipsam rem sed in personam tantum. Tale jus acquiritur per donationem, emptionem, etc. ante traditionem. Item per electionem, praesentationem ad officium, per collationem Beneficii ante acceptationem, etc.

Petes utrum jus Gentium sit idem cum jure naturali Resp. 1. Si jus naturale sumatur late, ut quandoque sumunt Jurisconsulti pro omni eo, quod est ex instinctu naturae, habentis aliquam cognitionem finis, ut v. g. maris et foeminae conjunctio, quod convenit hominibus, et brutis, quae etiam finem absolute apprehendunt, certum est, quod distinguitur a jure Gentium, quod solis hominibus convenit; Verum quia bruta non sunt proprie capacia injuriae, et injustitiae, ideo Theologi strictius sumunt jus naturale pro *eo quod ratio naturalis dictat*, sicque convenit solis hominibus R. 2. Jus gentium non est idem cum jure naturali proprie, et stricte sumpto, nec sub illo continetur, sed sub positivo S. Th. 1. 2. q. 95. a. 4. ibi *Jus positivum dividitur in jus gentium, et jus civile.* Et patet, quia jus Gentium non est absolute et ex natura rei necessarium, sed secundum utilitatem et congruentiam, ex hominum beneplacito, et consensu introductum, et definitur: *Id quod communi hominum, et populorum consensu fuit introductum*; sive interim apud omnes universim nationes observetur, sive apud plerasque tantum, ut sunt agrorum divisio, et proprietas, servitus captorum in bello etc.

Articulus II.

Quid et quotuplex sit Dominium? Quid ususfructus et usus?

Cum jus 2. modo sumptum pro facultate aliquid faciendi, acquirendi, etc. sit fundamentum juris, seu justi, quod est objectum justitiae, multa de illo scitu necessaria occurrunt discutienda, maxime de Dominio, quod est praecipua ejus species.

Duplex est Dominium. Unum jurisdictionis, quod est potestas gubernandi suos subditos; alterum proprietatis, quod est facultas disponendi de aliqua re ut sua in proprium commodum, et de illo hic potissimum agitur. Dominium proprietatis iterum est duplex: unum plenum et perfectum, aliud non plenum et imperfectum. Dominium plenum, est jus ad rei proprietatem et ejus emolumenta; non plenum, est jus ad proprietatem rei absque emolumentis, et dicitur dominium directum, quale v. g. competit Principi respectu feudi; vel jus ad emolumenta absque proprietate, et dicitur dominium utile: tale competit Usufructuariis, Feudatariis, Emphyteutis, etc. Itaque

Dico 1. Dominium proprietatis plenum et perfectum, prout directum et utile complectitur, recte definitur: Jus in re, seu facultas legitima disponendi de re tamquam sua ad quemlibet usum lege non prohibitum in proprium commodum. Colligitur ex D. Th. hic q. 66. a. 1. Dicitur: *Ad quemlibet usum lege*

non prohibitum, quia licet Dominium ex natura sua tribuat potestatem ad qualemcumque usum, potest tamen haec potestas impediri per legem, ne exeat in actum, ut fit in pupillo, qui ante legitimam aetatem non potest bona sua alienare, licet sit verus illorum dominus: unde si alienaret, non peccaret contra justitiam. Eaedem autem conditiones requiruntur ad perfectum Dominium, quae requiruntur ad jus in re: scilicet, existentia rei, legitimus titulus, et traditio rei.

Dico 2. Ususfructus definitur: *Jus utendi fruendi rebus alienis salva earum substantia.* Ita in jure. Dicitur, *Fruendi*, ut distinguatur a simplici usu: qui enim habet simplicem usum, potest tantum uti re, v. g. equo, domo, horto, agro, silva, etc. ad necessitatem propriam, et quotidianam, ita ut nec superfluos fructus, nec jus quod habet possit alteri locare, vendere, aut gratis cedere; cum is, qui usumfructum habet, possit haec omnia facere. Ita l. 12. ff. de usu. Fructus attamen reputantur non solum in immobilibus, ut in fundo foenum, segetes, virgulta, arbores caeduae, *Bois taillis*, (fructiferae enim non reputantur fructus) sed etiam in mobilibus, ut in grege lana, lac, foetus, etc. ubi nota silvam caeduam etiamsi intempestive caesa sit, esse in fructu, sicut olea immatura lecta, item foenum immaturum caesum L. 48. ff *de usufructu*: Quoad messem vero et vindemiam expectanda est maturitas usufructuario. Nota insuper, quod, si usufructuarius moriatur, antequam collegerit fructus etiamsi maturos, hi acquirantur domino proprietatis, et non haeredibus fructuarii. Ita in instit. *de rerum divisione* §. *Is vero.* Ratio est, quia quamdiu adhaerent fundo, censentur unum cum ipso: unde pertinent ad dominum fundi, donec fructuarius eos colligendo fecerit suos.

Dicitur, *rebus alienis*, quia usufructus est servitus, quae nonnisi in rebus alienis constitui potest: *Nemini enim res sua servit sed prodest jure Dominii*, ut dicitur L. 26. ff. *de servitute praed. rustic.* Dicitur, *salva rerum substantia*: quia usufructuarius debet rem integram proprietario reservare; unde usufructus non potest proprie constitui in rebus, quae unico usu consumuntur, ut in vino, oleo, etc.

Dico 3. Usus definitur a Juristis: *Jus utendi tantum rebus alienis salva eorum substantia.* Dicitur jus utendi tantum, et non fruendi: quia ut jam dixi simplex usuarius potest tantum fructus rei, ut olera, poma, foenum, in propriam et quotidianam necessitatem percipere, sed eos non potest vendere seu donare, nec rem ipsam locare, quod potest usufructuarius. Dicitur, *salva rerum substantia*, quia in usu, sicut in usufructu debet res integra conservari domino. Ex quo habes hanc usus definitionem non competere rebus unico actu consumptibilibus, ut vino, oleo, pani etc. quia, per talem usum non manet salva rei substantia: unde si generalius sumatur usus, prout convenit rebus tam unico actu consumptibilibus, quam non consumptibilibus, est *jus utendi re aliena.* Circa hunc usum rerum unico actu consumptibilium magna fuit olim concertatio non solum inter Theologos, sed etiam inter Pontifices: utrum distingueretur a dominio? Pro cujus quaestionis resolutione sit

Articulus III.

Utrum Usus in rebus unico actu consumptibilibus distinguatur a Dominio.

Duplex distinguitur usus, unus independens et irrevocabilis ad nutum concedentis, ut in mutuo; alter dependens et revocabilis ad nutum concedentis: talem habent convivae ad dapes appositas, Religiosi particulares ad cibum aut potum sibi a Superiore concessum. Haec enim, sive dapes, sive cibi et potus,

quamdiu existunt, a domino vel Superiore auferri possunt absque injustitia. Usus irrevocabilis vocatur a Nicolao III. Cap. *Exiit* de verborum significationibus in 6. et a quibusdam Theologis usus juris, quia est jus absolutum et solidum; usus revocabilis vocatur usus facti, quia jus, quod importat aut supponit, est valde debile, utpote dependens a voluntate alterius.

Dico. Usus revocabilis in rebus uno actu consumptibilibus distinguitur a dominio. Prob. 1. Separatio est manifesta realis distinctionis probatio; atqui usus revocabilis ut in conclusione, est separabilis a dominio: ergo. Prob. min. Qui concedit alteri facultatem utendi re sua retinendo potestatem revocandi pro nutu hanc facultatem et disponendi de re sua ad quem voluerit usum, is concedit usum et retinet dominium: ergo. Prob. aut. quod concedat usum, per se patet; quod retineat dominium, probatur. Ille est vere dominus, qui rem suam ad se pro libitu revocare potest nullo contractu interveniente, et de ea ad quemlibet usum disponere: ergo. Prob. 2. Religiosi particulares habent usum eorum, quae ipsis conceduntur ad victum revocabilem a Superiore: atqui non habent eorum dominium, cum per votum paupertatis abdicaverint omnium rerum dominium et proprietatem: ergo.

Confirmatur exemplo, quo utitur Nicolaus III. Paterfamilias praebens hospitibus convivium, dat eis ciborum usum ad nutum suum revocabilem: atqui tamen non transfert eis dominium: ergo. Prob. min. Convivae non sunt domini eorum quae mensae apponuntur, nec illis uti possunt ad quemlibet usum sed tantum ad comedendum, idque sic dependenter a voluntate patrisfamilias, ut nullam injustitiam committeret, si quae exposuit, tolleret: ergo. Ita nobiscum sentiunt Nicolaus III. Clemens V. et ante illos Alexander III. et Gregorius IX. Soto, Navarr., Sylvius, Lessius, et alii plures cum integra Scotistarum Schola.

Obj. 1. Joannes XXII. Extravag. *Ad conditorem*, asserit contrarium nostrae sententiae, et ait, quod dicere in talibus rebus usum separatim posse constitui a dominio, repugnet juri et obviet rationi: ergo vel ille, vel prius laudati Pontifices erravere. R. 1. Esto admittamus Joannem XXII. in hac parte errasse, nihil sequi absurdi, cum non sit materia fidei aut morum, sed partim naturalis, partim civilis: et aliunde id dixerit non definiendo ut Pontifex, sed ratiocinando ut Doctor particularis. Responderi potest 2. nec in hoc errasse Joannem XXII.; quia non sumit dominium stricte et proprie, sed late et improprie pro jure etsi tenuissimo, seu potius pro licentia utendi re eam consumendo, quae cum in rebus usu ipso consumptibilibus quoad effectum aequivaleat dominio (Fratres enim Minores aeque libere cibos consumunt, ac si essent domini) ideo Pontifex hoc jus licet tenuissimum, et revocabile vocavit dominium, aequivalenter scilicet et similitudinarie: Hanc solutionem innuit glossa in Clement. *Exivi de Paradiso*, §. *Proinde.*

Articulus IV.

De Possessione.

Petes 1. quid sit possessio? R. Possessio dicitur *a pedum positione*, quia per pedum positionem super immobilia solet acquiri. Sumitur pro actu possidendi, et dicitur *possessio facti*, et pro jure possidendi, et dicitur *possessio juris*. Possessio facti definitur *detentio rei adminiculo corporis, animi, et juris*. Explicatur.

Dicitur *detentio*: quo nomine intelligitur etiam prima apprehensio, quae est possessionis inceptio et acquisitio. Dicitur *Rei*, non solum corporeae, ut agri, domus, aut mobilium, sed etiam incorporeae, ut census, beneficii, servitutis, et similium jurium, quae dicuntur quasi possideri. Dicitur *Adminiculo corpo-*

ris, quia non incipit, nec est possessio, nisi adveniat actus externus seu corporeus, quo vel pede, vel manu, vel oculis, vel alio simili modo apprehendatur res in se vel in alio, in quo contineri censeatur, ut dicam modo. Dicitur *Adminiculo animi*; quia requiritur intentio rem sibi et non alteri possidendi et detinendi. Unde depositarius non proprie possidet depositum, nec tutor bona pupilli. Dicitur *Adminiculo juris*, non quod necesse sit, ut jus eam approbet, alios omnis possessio foret justa; sed quia ad possessionem requiritur, ut jus non impediat, quin rei detentio censeatur ejus possessio: qua de causa detentio rei sacrae a laico non est possessio, nequidem facti, jure id prohibente; detentio vero rei furtivae profanae, licet injusta, est tamen vera possessio facti; quia jus non impedit, quin talis rei detentio sufficiat ad possessionem.

Possessio juris est *jus insistendi alicui rei ut suae non prohibitae possideri.* Si petas an detentio injusta rei furtivae profanae, quae est vera possessio facti possit esse, aut dici aliquo sensu etiam possessio juris? R. esse hoc sensu, quod sic possidens possit eam defendere contra non Dominos; imo si res furto ablata sit translata in locum, ut sit extra custodiam Domini, non potest amplius Dominus vi illam rapere absque injuria Possessoris licet injusti. Puto tamen in foro interiori levem esse hanc injuriam, siquae sit.

Petes 2. Quotuplex sit possessio? R. Inter varias possessionis divisiones (alia enim est justa, alia injusta alia proprio nomine, alia alterius nomine) praecipua est in *civilem*, *naturalem*, *et civilissimam*. *Civilis* est, quae corporis adminiculo inchoata, solius animi adminiculo retinetur et continuatur, sic civiliter possidet, qui abest a rebus suis, sed animo et facultate eas retinet, et occupat ut suas, quamdiu per alium a possessione non dejicitur. Dicitur *civilis*, quia magis constat jure civili quam naturali, cum modus naturalis possidendi sit per corporalem insistentiam, et etiam quia parit effectum civilem, scilicet praescriptionem.

Naturalis est, qua res corpore simul et animo occupatur. Censetur autem quis corporaliter occupare, quando ita rei vicinus est, ut illi possit continuo adesse. Haec naturalis possessio potest separari a civili: nam fur v. g. rem meam possidet naturaliter, ego civiliter, donec per abstractionem ejus de loco in locum ponatur extra meam custodiam; tunc enim a civili possessione dejicior.

Civilissima est, quae sola legis dispositione acquiritur, etiam ab inscio, adeoque sine corporis et animi adminiculo. Sic haeres parvulus defuncti haereditatem possidet, praesertim in Gallia et patria Leodiensi, ubi mortuus induit vivum: *Le mort saisit le vif.* Ratio est, quia modus acquirendae possessionis humano juri subjacet, quod potest diversos modos statuere, prout magis videtur expedire Reipublicae.

Petes 3. Utrum amissa possessione semper amittatur dominium? R. negative: etenim rei amissae vel furto ablatae amitto possessionem, non tamen dominium.

Petes 4. Quae sint privilegia possessionis? R. Praecipua privilegia possesionis sunt. Primum, quod pariat praescriptionem. Secundum, quod in dubio sit melior conditio possidentis. Tertium, quod non sit possessoris probare, quod res sit sua, sed oppugnantis probare, quod non sit. De possessione vide plura apud legum interpretes.

DISSERTATIO II.

De Subjecto et Objecto Dominii.

Articulus I.

De Subjecto, et Objecto Dominii in genere.

Dico. Omni et soli naturae intellectuali, nempe Deo, Angelo, et homini competit dominium, quia omni et soli naturae intellectuali competit fundamentum dominii, scilicet intellectus et voluntas, per quae habet potestatem disponendi de suis actibus, et per actus de rebus externis. Unde Genes. 1. dixit Deus: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram, ut praesit piscibus maris et bestiis terrae*: ubi tribuit homini dominum in bestias et pisces, eo quod sit imago Dei: est autem imago Dei per intellectum et voluntatem.

Dico 2. Omnes res sublunares cadere possunt sub dominio hominis, in quantum potest eas sibi comparare et de comparatis pro nutu disponere; earum vero de facto est dominus, quas legitimo titulo possidet. Est etiam absolute dominus operationum, quae libere exercentur per intellectum et voluntatem, per sensus exteriores, et per potentiam loco motivam, quia ejusmodi subduntur libero ejus arbitrio. Non ita perfecte est dominus actionum, quae naturaliter exercentur per sensus interiores et appetitum sensitivum, quia hae quandoque pendent ex dispositione organi corporalis, quod non est in potestate hominis; actionum vero facultatis vegetativae nullo modo est dominus, quia nullatenus subduntur imperio rationis.

Dico 3. Homo non est absolute et directe dominus vitae suae et membrorum, sed custos tantum, et usuarius: solus vero Deus est dominus. Ita passim Doct. Probat. 1. ex Script. Deut. 32. dicit Deus: *Videte, quod ego sim solus et non sit alius Deus praeter me: Ego occidam, et ego vivere faciam*: et Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitae et mortis habes potestatem*; id est solus. Probat. ratione 1. Vita et corpus praesupponuntur ad dominium tamquam ejus fundamenta: ergo non subjacent dominio. Si dicas libertatem etiam esse fundamentum dominii, et tamen hominem esse ejus dominum, siquidem possit illam vendere per servitutem; R. per servitutem non vendi ipsam libertatem seu potentiam liberi arbitrii, quae est fundamentum dominii, sed tantum usum; sicut etiam potest homo vendere usum sui corporis. 2. Praecepto, *Non occides*, prohibetur occisio non solum alterius, sed etiam sui ipsius et mutilatio: ergo homo non potest pro libitu disponere de vita aut membris, et consequenter non habet in ea dominium. 3. Dominium non est nisi in eas res, quas nostra industria possumus acquirere; has enim, sicut possumus acquirere, ita et relinquere: atqui vitam aut membra non possumus propria industria acquirere: ergo. 4. Dominium non est nisi in res distinctas; atqui vita et membra non sunt quid distinctum a nobis: ergo.

Dico 4. Nec Principes nec Respublica habent dominium directum in vitam et membra civium, quasi pro libitu cives possint occidere aut mutilare, sed indirectum tantum, in quantum quorumdam vita est bono publico noxia. Patet tum ex praecepto laudato, *Non occides*, tum quia quisque privatus se habet ad Rempublicam, sicut membrum ad corpus; nemo autem est dominus membrorum suorum, ut dictum est: ergo.

Dico 5 Homo est dominus propriae famae et honoris. Est communis contr. Cajet. q. 73. a 2. Istud dominium tamen est aliquando ligatum. Probat. prima

pars. Homo proprio labore acquirit famam aut saltem jus ad illam, semel acquisitam per facultatem arbitrii regit, conservat, aut amittit citra cujusque injuriam ut fecit August. elapsus suos manifestando : ergo est ejus dominus. Patet conseq. Quia hi omnes actus sunt praecipui actus dominii. Confir. Si homo non esset dominus suae famae, non posset ejus restitutionem condonare seu remittere, nemo enim potest remittere, quod suum non est : atqui tamen id saepe fit, et laudabiliter fit : ergo. Nec obstat, quod homo possit condonare mutilationem membri, cujus tamen non est dominus : nam si membrum posset restitui sicut fama, non posset ejus restitutionem condonare : quod ergo condonat, non est restitutio membri, sed satisfactio pro injuria illata, et restitutio pecuniaria pro damno secuto.

Prob. 2. Pars. Fama nostra est aliquando necessaria proximo. Ergo tunc non possumus de ea disponere ad libitum eam vel negligendo, vel prodigendo. Tripliciter autem potest esse proximo necessaria 1. Si ex infamia nostra sequatur infamia proximi, ut ex infamia Monachi sequitur infamia communitatis 2. Si fama nostra sit proximo necessaria ad praestandum ei officium stricto jure debitum, sicut fama Praelati, ut bene regat suos subditos. 3. Si sit proximo necessaria, ad ei praestandum officium tantum ex charitate debitum. In hoc ultimo casu negligens, aut prodigens famam, peccat tantum contra charitatem, in duobus prioribus probabiliter peccat contra justitiam, quatenus proximo nocet.

Articulus II.

De Dominio Uxorum et Filiorumfamilias.

§. I. *De Dominio Uxorum.*

Triplicis generis distinguuntur bona uxoris, nempe paraphernalia, dotalia, et communia. Paraphernalia sunt ea, quae uxor ultra dotem marito traditam, habet vel acquirit : Dotalia sunt ea, quae uxor tradit marito in sublevamen matrimonii. Communia, quae utriusque conjugis labore tempore matrimonii acquiruntur.

Dico 1. Uxor habet dominium plenum, scilicet directum et utile, et administrationem bonorum paraphernalium. Ita disponitur in jure L. *Hac lege*, C. de pactis convent. l. 5. tit. 14. Idque suadet ratio, quia uxor quoad hujusmodi bona sibi propria non se habet ut uxor, sed ut homo distinctus a marito.

Dico 2. Bonorum dotalium uxor habet dominium directum, maritus autem utile et administrationem. ita in jure L. *dotis* 7. ff. *de jure dotium l.* 23. *tit.* 3. ubi dicitur ; *Dotis fructum ad maritum pertinere debere aequitas suggerit, cum ipse onera matrimonii subeat, aequum est eum etiam fructus percipere.* Qua lege statuitur secunda pars conclusionis, et prima aperte insinuatur : si enim marito fructus dotis dumtaxat conceditur, consequens est, quod dominium directum penes uxorem remaneat. Patet etiam ex hoc, quod mortuo marito dos absque omni contractu obveniat uxori, licet non sit haeres necessaria, saltem ubi sunt liberi ; ergo signum est eam ante in illam dotem habere dominium.

Dico 3. Medietatis bonorum communium uxor habet dominium directum, quia, ut dicebamus modo de dote, marito defuncto haec medietas obvenit uxori ; dominium autem utile et administratio competunt marito, quia cum sit caput et moderator familiae, ad ipsum pertinent bonorum, non solum dotalium sed et communium fructus et administratio.

Haec omnia de jure communi ; sunt enim variae locorum consuetudines, quae aliter disponunt.

§. II. *De Dominio Filiorumfamilias.*

Nota, bona filiorumfamilias sub patria potestate degentium, quae dicuntur peculium, esse quadruplicis generis, *castrensia*, *quasi castrensia*, *adventitia*, *et profectitia*. Castrensia sunt, quae in militia justa, seu occasione militiae acquiruntur. Quasi castrensia sic dicta, quia licet non sint castrensia, castrensium tamen privilegio gaudent. Sunt 1. quae in militia sacra, scilicet clericatu, sive ex beneficio ecclesiastico, sive aliunde acquiruntur; ita ut quidquid post clericatum advenit, quod alias foret adventitium, quasi castrense censeatur. Authent. *Presbyteros C. de Episcopis et Clericis.* Bona tamen ante clericatum possessa remanent ejusdem conditionis ac ante. 2. Quae acquiruntur ratione alicujus officii publici non mechanici, puta judicis, advocati, notarii, aut professione alicujus artis liberalis, ut Theologiae, Juris, Medicinae. Ita L. *cum multo. C. de bonis quae liberis.*

Adventitia sunt ea, quae non proveniunt a patre, neque ex ejus bonis formaliter, neque ejus causa aut intuitu principaliter dantur filio seu filiae, sed huic obveniunt successione vel donatione alio intuitu principali quam patris facta, vel industria propria, vel fortuito ut si inveniat thesaurum, si lucretur ex pecunia propria, vel mutuo accepta, vel furto a Patre ablata, tunc enim ejus nomine non agit. Item bona provenientia ex matre mortua, aut ex propinquis in linea materna. Haec bona dicuntur adventitia respectu patris, quia ab eo non proveniunt.

Profectitia tamdem sunt, quae filius acquirit ex bonis patris, v. g. ex eis negotiando, seu ea administrando, vel quae sunt ipsi data aut legata intuitu patris principaliter.

Dico. Filiusfamilias sub patria potestate habet dominium plenum bonorum castrensium et quasi castrensium: adventitiorum habet tantum dominium directum seu proprietatem, pater dominium utile, seu usumfructum, profectitiorum tamdem nec directum, nec utile dominium habet filius, sed totum est patris. Prima pars statuitur in jure ff. et C *De castrensi peculio.* Secunda et tertia pars lib. 2. Instit. tit. *Per quas personas* 9. ubi Justinianus corrigens antiquum jus, quod inter adventitium et profectitium non distinguebat, sed utrumque patri addicebat, statuit et dicit: *Sancitum a nobis est, ut si quid ex re patris ei, scilicet filio, obveniat, hoc secundum antiquam observationem totum parenti acquiratur: quae enim invidia est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti? Quod autem ex alia causa sibi filiusfamilias acquisivit, hujus usumfructum patri quidem acquirat, dominium autem apud eum remaneat, nec quod ei suis laboribus vel prospera fortuna accesserit, hoc in alium perveniens, luctuosum ei procedat.*

Verum adverte, quod sicut *pietatem liberi parentibus, non operas debent*, ut dicitur l. penult. ff. de obseq. parent. praeb. ita parentes non tenentur procurare ex propriis filiis habentibus propria, id est castrensia, vel quasi castrensia, vel adventitia; unde ex his deduci debent expensae, quas faciunt parentes ex propriis, in victu et amictu filiorum.

Petes. 1. Cujus generis sint lucra, quae facit Filiusfamilias in domo paterna? R. 1. Lucra quae facit ex propria industria sunt adventitia. Item quae praestitis familiae ordinariis, et debitis operibus, acquirit ex labore indebito, et extraordinario. Item ex operibus artificialibus provenientia, ut si filius sit faber, sartor, Musicus etc. ita censet Layman. l. 3. t. 4. c. 8. n. 4. addens esse communem Doctorum sententiam; ita ut Filius mortuo Patre possit ea recuperare deductis expensis ad suum victum, et amictum necessariis; modo tamen

Filius artifex intenderit expresse, vel tacite haec sibi acquirere, alias censebitur titulo pietatis Patri laborasse. R. 2. Lucra quae Filius facit ex rebus paternis nomine, et voluntate Patris agens, licet cum aliqua industria ut Filius Mercatoris, Campsoris etc. valde probabiliter profectitia censeo. Non improbabiliter tamen plures tenent hujusmodi lucrum partim inter adventitia partim inter profectitia numerandum esse. Ex quo inferunt si Pater nullam lucri partem Filio quasi jure societatis relinquat, teneri illi dare salarium, sicut extraneo deberet, saltem si Filius exigat. Si autem petere non audeat, vel sciat, se, si petat, repulsam passurum, ajunt se clam a Patre accipere posse, deductis expensis pro victu, et vestitu a Patre factis.

Petes 2. Quot modis Filius liberetur a patria potestate? R. 1. per mortem naturalem Patris 2. per mortem ejus civilem, ut per exilium ob maleficium. 3. Per lapsum Patris in haeresim 4. Per electionem Filii ad patriciam dignitatem, vel episcopalem, aut Cardinalatum. 5. Per emancipationem Filii factam coram Judice, in quo casu propter beneficium emancipationis relinquitur Patri medietas fructuum. Addunt quidam, quod in quibusdam locis cum primum Liberi conjugio sunt locati, censeantur sui juris.

Articulus III.

De Dominio Clericorum.

[Suppono non solum esse licitum, sed etiam necessarium, et maxime utile, Ecclesiam bona temporalia possidere. Nulla enim societas bonis communibus carere potest, et in Ecclesia sicut in caeteris societatibus necessario multae faciendae sunt impensae, ut ministri stipendium habeant, ut agantur conventus, ut omnia necessaria Societati comparentur. Hinc ab ipso initio Christianae Religionis ei sua fuerunt bona, unde aleret Episcopos, Presbyteros, Ministros, curam gereret orphanorum, virginum, viduarum, pauperum, hospitalitatem exerceret, ferret opem fidelibus, religionis causa aut carcere detentis, aut ad metalla damnatis, necessaria quoque compararet pro luminaribus, sacris vasis, libris, agapis etc. Ipse Christus, qui societatem instituit, ei communia bona esse voluit, hoc est pecuniam collectam ex oblationibus fidelium, habuitque loculos, cum quibus Apostolis, Discipulis, pauperibus opitularetur. Christi exemplum sequuti sunt Apostoli, et apud eorum successores eadem omnino ratio rerum fuit. Cum autem leges civiles Ethnicorum, quorum dominatu omnia tunc tenebantur, coetum hominum, non earum jure sociatum, aliquid acquirere, aut retinere non permitterent, et tamen Apostoli, eorumque Successores contra humanae legis praescriptum haec bona Ecclesiae esse voluerint, consequens est, ut Ecclesiae divino jure bona acquirendi, et retinendi potestas facta fuerit, atque hoc divinum jus Apostoli, eorumque Successores agnoverint. Donec Ethnici imperio potiti sunt, (licet etiam ea tempestate bona immobilia non defuerint,) Ecclesiae tamen bona praesertim fuerunt res mobiles, quae facile celari, asportari, ac distribui poterant. At data Christianis pace etiam bonis immobilibus Ecclesia coepit abundare, et ipsi christiani Imperatores ethnicorum templa, eorumque reditus Ecclesiis adscripserunt, suisque legibus hoc Ecclesiae jus agnoverunt, et confirmarunt; quod ipsa Ecclesia ita semper ratum habuit, ut in Concil. Constant. damnaverit Hussitas, et Wiclefistas, et deinceps posteriores haereticos, eorum errores circa bona temporalia ab Ecclesia possessa renovantes. Adeundus Mamachius *del dritto libero della Chiesa di acquistare, e possedere* l. 2. c. 2. §. 2; a quo haec copiose diligenterque explicantur. Hic itaque non agitur de bonis ec-

lesiasticis, quae ad ipsas Ecclesias pertinent, sed de bonis ecclesiasticis, seu beneficialibus, quae ad Clericos spectant. Pro quibus]

Nota 1. triplicis esse generis bona Clericorum, patrimonialia scilicet, quasi patrimonialia et ecclesiastica. Patrimonialia sunt, quae ipsis obveniunt independenter ab omni tam ministerio, quam beneficio ecclesiastico, suntque ipsis et laicis communia. Quasi patrimonialia sunt, quae Clericis obveniunt non ratione beneficii ecclesiastici, seu ex bonis ipsi ecclesiae oblatis et appropriatis, sed ratione ministerii personalis ecclesiastici, quasi ejus merces et stipendium; sive, quod idem est, quae a fidelibus offeruntur non ipsi ecclesiae approprianda, sed particularibus ejus ministris in operis stipendium, v. g. ob celebrationem Missae, funeralia obsequia, concionem, cantum, etc. Ecclesiastica sunt, quae recipiuntur a Clericis ratione et titulo beneficii, puta Canonicatus, Decanatus, etc. Quantum ad distributiones, quas vocant inter praesentes, probabilius sunt revocandae ad bona ecclesiastica, si, sicut fit ordinarie, dentur ex bonis Ecclesiae.

Nota 2. primis Ecclesiae temporibus bona Clericorum fuisse communia sicut nunc sunt in monasteriis, dispensatione penes Episcopum relicta. At vero crescente in dies fidelium, et Clericorum multitudine, cumque ex quorumdam cupiditate redderetur difficilior communis vivendi modus, summi Pontifices jusserunt haec bona in quatuor portiones dividi. Prima assignata fuit Episcopo, secunda clero, tertia fabricae, quarta pauperibus. Ita legitur caus. 12. q. 2. Cap. *Concesso.* Cap. *Quatuor*, Cap. *de Reditibus.* Cap *Cognovimus*, etc. Haec divisio primum inchoata sub B. Sylvestro circa annum 324. ut patet ex cap. 4. Conc. Rom. per eum celebrati, non ubique statim invaluit, sed paulatim profecit. Progressu vero temporis accidit, quod haec quarta pars pauperum in pluribus Ecclesiis non reperiatur amplius, forte, quia periit injuria temporum, aut hostium direptione, aliave calamitate, vel forte quia non fuit constituta in fundis, sed in pecuniis, quae distributae tamdem finem acceperunt, vel denique quia neque a fundatoribus, neque ab Ecclesiae Praelatis ulla fuit portio assignata pauperibus, quod saltem plerumque verum est quoad Ecclesias post tempora factae divisionis erectas.

Nota 3. Beneficiorum fructus posse spectari, vel quatenus sunt necessarii ad honestam sustentationem, vel quatenus sunt superflui huic honestae sustentationi, quae non consistit in indivisibili, ut dicemus infra.

Suppono 1. ut certum, Clericos habere dominium bonorum patrimonialium, sic ut de ipsis pro libitu valide disponere possint, quia in sua ordinatione non abdicaverunt tale dominium, neque ordinatio aut officium clericale ad id eos obligat; unde quantum ad hoc paris sunt conditionis ante et post susceptum clericatum.

Suppono 2. cum communiori sententia Clericos bonorum quasi patrimonialium habere absolutum dominium, non secus ac patrimonialium, quia haec bona dantur Clericis ut stipendium quoddam sustentationis non mere gratuitum, sed eis debitum ratione operis personalis, ideoque relictum liberae eorum dispensationi. Neque enim fideles conferentes intendunt aliquod onus ipsis imponere sed suae obligationi satisfacere, neque ullo canone juris evinci potest aliquod onus ab Ecclesia imponi talibus bonis.

Suppono 3. etiam cum communi sententia Clericos portionis proventuum ecclesiasticorum necessariae sustentationi congruae habere absolutum dominium, sic ut de illa ac de bonis patrimonialibus, et quasi patrimonialibus pro libitu possint disponere. Ratio est, quia haec portio est justum stipendium officii, quod beneficium annexum habet; qui enim altari deservit, jus habet, ut de altari vivat, secundum Apostolum 1. Cor. 9. unde idem dicendum est, ac de quasi

patrimonialibus. Confir. Omnis operarius manualis, et quod propius nos tangit cantor v. g. organista, sacrista laici fiunt absolute domini portionis, quae ipsis tribuitur ex bonis ecclesiasticis in stipendium sui officii, et de ea ad libitum disponere possunt; quidni et Clericus?

Difficultas itaque potissimum est de parte proventuum ecclesiasticorum superflua congruae sustentationi. Equidem inter omnes convenit Clericos non posse licite de ea disponere pro libitu sicut de patrimonialibus, aut quasi patrimonialibus, aut parte necessaria, sed teneri saltem ex lege charitatis et ex praecepto ecclesiastico illam impendere pauperibus, aut aliis usibus piis. Utrum vero etiam teneantur ex justitia, sic ut obnoxii sint restitutioni, si in alios usus profanos expendant, valde controvertitur. Eorum qui partem affirmativam tuentur, non unum est principium: quidam id affirmant, quod putent Clericos nullatenus habere dominium hujus partis superfluae, alii quod licet agnoscant verum dominium, velint illud esse vinculatum, sicut v. g. dominium haeredis in haereditatem, legatis, vel debitis gravatam. Hanc sententiam alterutro fundamento nixam ultro fatemur esse probabilem, in praxi tutiorem, et clericis consulendam. Attamen cum probabiliori, et nunc communiori sententia

Dico 1. Probabilius est Clericos saltem nunc post creata beneficia habere absolutum dominium partis proventuum ecclesiasticorum congruae sustentationi superfluae, sic ut de illa possint pro libitu valide disponere, (licet illicite, ut dicam) nec teneantur ex justitia illam erogare pauperibus aut in usus pios, adeoque nec sint obnoxii restitutioni si in alios usus impendant. Ita Ostiensis, Barbatias, Adrianus, Dom. Soto, Bannes, Lorcas, Valentia, Lopes, Covarruvias, Lessius, Sarmiento, Banat, Garcias, Wigers, Sylvius, Cabassutius, et plures alii. Prob. conclusio 1. auctoritate Canonum. Cap. *Consuetudinem* de clericis non residentibus l. 3. tit. 3. in 6. statuitur absentes a choro distributionum quotidianarum non acquirere dominium, nec facere suas. Idem statuit Trid. sess. 22. Cap. 3. de Reform. Cap. *Commissa* de Election. in 6. dicitur, quod suscipiens Paroeciam sine animo accipiendi Sacerdotium intra annum debeat restituere fructus Paroeciae, eo quod eos non faciat suos. Pius V. Bulla 138. declarat beneficiatum non recitantem officium non facere fructus suos. Idem declarat Trid. sess. 24. cap. 12. de Reform. de eo, qui intra duos menses non emittit professionem fidei. Ergo a contrario sensu ii, qui oneribus impositis satisfaciunt, horum fructuum acquirunt dominium, et faciunt suos, ne alioquin pares sint qui officio satisfaciunt et qui non satisfaciunt.

Neque dicas hoc dominium esse vinculatum; nihil enim tale innuitur auctoritatibus citatis, neque probari potest alia auctoritate aut ratione sufficienti, ut patebit ex sol. obj. Quin imo contrarium evincitur ex rationibus sequentibus, nisi forte dicas vinculum afficere non res ipsas, sed personas, quatenus tenentur ex lege charitatis, et ecclesiae praecepto illa bona impendere in usus pios: tale vero vinculum, quod aguoscimus, non officit vero et absoluto dominio, nec importat obligationem ex justitia, aut onus restitutionis.

Prob. 2. ratione. Juxta communem sententiam, quam admittit major et sanior pars adversariorum, beneficiarii sunt absolute domini quorumdam fructuum, scilicet eorum, qui suae sustentationi sunt necessarii, de iisque pro libitu saltem valide disponere possunt: ergo et omnium. Prob. conseq. Beneficiarii reditus omnes suorum beneficiorum indistincte recipiunt, hos aut illos in sui sustentationem applicare possunt, et consequenter de his, aut illis valide saltem pro libitu disponere: ergo ex parte fructuum non possunt dici aliquorum determinate domini, et non aliorum, sed cum omnes indistincte percipiuntur, indistincte eamdem subeunt sortem quoad rationem dominii: ergo omnium, ita ut obligatio, quam habent, superfluos impendendi in usus pios,

non sit realis, hoc est, ipsi rei annexa, sed personalis, hoc est, ipsi personae imposita : quae obligatio neque repugnat vero, et absoluto dominio, neque onus restituendi inducit, ut patet in obligatione eleemosynae.

Prob. 3. Qui rem possidet, censetur ejus dominus, neque est cogendus eam a se abdicare ex justitia, nisi constet esse alienam. Juxta hanc regulam 65 juris in 6. *In pari causa, vel dubio potior est conditio possidentis* : atqui Clerici possident omnes fructus sui beneficii, neque probari potest ex ullo capite, eos non habere eorum dominium, eosve teneri ad restitutionem, si male impenderint : ergo.

Prob. min. Id probari non potest neque ex parte donantium, neque ex parte Ecclesiae recipientis. Non ex parte donantium, quia fideles donarunt haec bona ecclesiae et ecclesiasticis simpliciter, et absolute, non vero sub conditione saltem expressa, et in pactum deducta, erogandi superflua in usus pios; quamvis enim id forte speraverint, et intenderint, hanc tamen intentionem non deduxerunt in pactum tamquam conditionem sine qua non, quod foret necessarium, ut donatio censeretur conditionata, et non absoluta, non enim mens interior contrahentis afficit contractum, aut obligat ex justitia alterum contrahentem, nisi sit expressa, et in pactum deducta : v. g. Cajus legat Titio nepoti suo studenti mille florenos : item Sempronio alteri nepoti patrifamilias mille aureos, intendens, et sperans, fore ut et ille impendat mille florenos in studiis, et iste mille aureos in sublevamen familiae ; si tamen intentionem hanc non exprimat, nec ut conditionem apponat, Titius fit absolute dominus mille florenorum, et Sempronius mille aureorum, nec ad eorum restitutionem tenentur, si in alios usus expendant. Sic iterum das eleemosynam pauperi, intendens et sperans, fore ut pro te oret, non orat pro te pauper, nihilominus fit absolute dominus eleemosynae, nec tenetur eam restituere. Prob. itaque ant. 1. Haec conditio expressa et in pactum deducta nullibi legitur, seu ostendant adversarii. 2. Si talis fidelium donatio esset conditionata, sequeretur, quod Clerici, qui superflua non erogarent pauperibus, nullius partis suorum proventuum essent domini (quod negat major pars adversariorum) cum donatio sub conditione non purificata corruat : ergo.

Non ex parte Ecclesiae recipientis. Si Ecclesia censeret aut vellet Clericos stricto jure teneri ad restitutionem fructuum male expensorum, id procul dubio claris et expressis terminis declarasset: atqui id nullibi claris et expressis terminis declaravit ; ergo. Major videtur necessario admittenda, cum res haec sit maximi momenti, quippe quae spectat conscientiam omnium Beneficiariorum, aedificationem publicam, et sublevamen pauperum, et a pluribus in dubium revocetur, aut negetur, Prob. itaque min. Nullum prorsus Canonem sive Conciliorum, sive Pontificum hucusque proferre potuerunt Adversarii, qui hanc restitutionis obligationem clare, et expresse importet aut significet : ergo nullibi id declarat Ecclesia ; aut dicant, ubi.

Dices : Ecclesia in multis Canonibus sancit Clericos debere dispensare bona ecclesiastica non ut propria sed communia, eos non esse dominos, sed administratores tantum. Similiter SS. Patres Hieron. Aug. Chrysostomus, Ambros. Greg. dicunt bona ecclesiastica esse pauperum, quibus dum fraudantur, esse rapinam et sacrilegium, et passim haec bona vocantur res Dei, bona Crucifixi, patrimonia pauperum. ergo. Quantum ad Canones et SS. Patres, qui floruerunt ante octavum saeculum, intelligendi sunt de bonis ecclesiasticis ante eorum divisionem ; quamvis enim a B. Sylvestro haec divisio fuit inchoata, non tamen nisi sacculo octavo coepit in pluribus locis recipi. Quantum ad eos, qui sequuntur octavum saeculum, ita locuti sunt secundum piam exaggerationem, seu, ut dicitur, concionatorie non theologice propter strictissimam obligationem,

qua tenentur Clerici haec bona erogare in usus pios, ut dicam infra; simili enim modo loquuntur de saecularibus divitibus, quos tamen nemo negat absolute dominos suorum bonorum. Sic S. Basil. de saecularibus avaris: *Esurientis est panis*, inquit, *quem tu retines; nudi est vestis, quam in arca custodis*, etc. Aug. Serm. 139. de Saecularibus ait illos aliena invadere qui non erogant superflua pauperibus. Item bona ecclesiastica vocantur *Res Dei*, *Bona Crucifixi*, etc. quia propter Christum in Dei cultum, ejusque ministrorum sustentationem sunt donata; non autem quod nullus praeter Christum aut Deum sit eorum dominus, nisi forte sic intelligas, quod nullus sit eorum dominus sicut patrimonialium, quasi de illis aeque licite ac de istis pro libitu possit disponere. Similiter dicuntur patrimonia et alimenta pauperum, quia ipsis debentur ex rigoroso praecepto Ecclesiae, Religionis, et charitatis, quamvis non justitiae. Sic ab iisdem SS. Patribus superflua laicorum pariter dicuntur quandoque patrimonia pauperum, quamvis certo certius sit eis non deberi ex justitia, sed ex charitate tantum. Insuper hi et similes modi loquendi possunt recte intelligi de bonis ecclesiasticis, prout complectuntur non solum bona Clericorum, sed Fabricae et pauperum. [Sed quia maxima controversia est de mente S.Thomae, quem utriusque sententiae Auctores sibi suffragari contendunt, nos caeteris omissis, referemus tantum quae hac de re ait Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 7. c. 2. n. 10. ,: ibi „ Duplici loco S. Doctor hanc versavit quaestionem in „ Quodlibetis nimirum, et in Summa. In quodlibetis, quae circa annum 1257 „ ab eo scripta testantur Echard. etc. aperte adhaeret posteriori sententiae, „ etenim quodl. 6. q. 7. a 12. ad 3. haec habet. Aliter dicendum est de illis ec„ clesiastiscis bonis, quae principaliter attribuenda sunt necessitatibus pauperum, „ et ex consequenti necessitatibus Ministrorum, sicut sunt bona hospitalium, „ et aliorum hujusmodi, et aliter de illis bonis, quae sunt principaliter attri„ buta usibus Ministrorum, sicuti sunt praebendae Clericorum, et alia hujusmo„ di. Nam in primis bonis peccatum committitur non solum ex abusu, sed „ etiam ex ipsa rerum conditione, dum aliquis in suos usus assumit, „ quod est alterius, et ideo tenetur ad restitutionem, tamquam defrau„ dator rei alienae. In secundis vero bonis non committitur peccatum, nisi „ per abusum, sicut et de bonis patrimonialibus dictum est, unde non tene„ tur quis ad restitutionem, sed solum ad poenitentiam peragendam. Post ex„ arata quodlibeta suadente Clemente IV, qui mense Februario 1265 fuerat „ Pontifex renunciatus, operam dare coepit Angelicus suae conscribendae „ summae theologicae, et secundam secundae circa Annum 1269 absolvit. In „ hoc autem postremo opere, nempe 2. 2. q. 185. a. 7., sententiam retractasse „ contendunt plerique ex iis, qui primam opinionem propugnant. Verum, ut „ ingenue loquamur, in hoc ipso theologicae summae loco quem isti do„ ctores sibi favere aiunt, videtur Angelicus doctrinam confirmare, quam in „ citato quodlibeto 6. tradiderat, praemissa siquidem distinctione bonorum, „ et disserens de Ecclesiasticis proventibus Episcopi sustentationi assignatis, „ inquit: De his autem, quae sunt specialiter suo usui deputata, videtur esse „ eadem ratio quae est de propriis bonis „ Plura hac de re reperiuntur in opere majori.

Petes 1 An Clerici divites gaudere possint ecclesiasticis beneficiis ? Resp. Bened. XIV. loc. cit. num. 2 *Quidquid sit an juxta priorum Ecclesiae saeculorum disciplinam ecclesiasticis beneficiis gaudere possent, quibus opulentum suppetebat patrimonium ... certum est, hac nostra tempestate etiam Clericis divitiis affluentibus ecclesiactica beneficia conferri.*]

Petes 2. Quae censeatur congrua Clerici sustentatio ? R. id admittere latitudinem, et remittendum judicio viri prudentis ac pii attenta qualitate Personae

debilis, et infirmae vel robustae, qualitate Officii, vel beneficii, et qualitate loci. An vero habenda sit etiam ratio nobilitatis affirmat Navarrus cum multis, negant alii nec immerito; non enim bona Ecclesiae ad pompam saecularem, sed ad honestam Ministrorum sustentationem destinata sunt. Nihilominus condemnare non ausim Canonicum nobilem, qui suos parentes, aut amicos paulo latius exciperet, quam plebeius suos, id enim exigere videtur tum honestas, tum charitas. Idem dic de alio simili, quod si non fieret multum deprimeret conditionem nobilis. Potest praeterea Beneficiatus quaedam moderate reservare, ut obvietur infirmitati, bellorum incommodis, et similibus, si revera subsit eorum periculum, et non urgeat gravis necessitas pauperum.

Petes 3. An in solo casu paupertatis liceat Clericis subvenire Consanguineis ex bonis Ecclesiasticis. R. Eos posse in duobus aliis casibus 1. ut non indigeant, etsi non sint de facto pauperes. 2. ut ipsis in ecclesiastica dignitate constitutis non sint dedecori. Hinc non videtur damnandus Beneficiatus, qui ex bonis ecclesiasticis alit in studiis, aut in aliqua arte discenda suos Nepotes, quibus ad hoc parentum mediocritas non sufficit. Caeterum caveant Clerici, ne hujusmodi decentia status, aut conditionis parentum longius protendatur, quam ferat necessitas.

Dico 2. Clerici strictiori jure, quam saeculares tenentur erogare bona ecclesiastica superflua pauperibus aut in usus pios, ita ut mortaliter peccent, si in profanos usus impendant. Est communis. Prob. 1. ex strictissimo Ecclesiae praecepto, quod ex antiquis Canonibus innovat Trident. sess. 25. de reform. cap. 1. his verbis: *Omnino eis* (Episcopis) *interdicit, ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos familiaresve suos augere studeant, cum et Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quae Dei sunt, consanguineis donent; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus distribuant; eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa.* Quod extendit infra ad omnes beneficiatos. Ubi notanda est haec particula, *quae Dei sunt*, qua significatur motivum hujus praecepti: cum enim haec bona sint oblata Deo, vel potius Ecclesiae, ut cedant in Dei cultum, (Deus enim non potest visibiliter adiri, nec his rebus indiget) conveniens est ex ipsorum conditione, ut impendantur in usus Deo gratos, qualiter ipse Deus impenderet, si de illis ut homo disponeret: et ideo praecepit Ecclesia in tales usus impendi. Quia vero Ecclesia praecipiens aut prohibens aliquid ex motivo alicujus virtutis transfert materiam praeceptam vel prohibitam ad speciem talis virtutis: sic v. g. quia prohibet furtum in loco sacro ex motivo religionis, furari in loco sacro est peccatum contra religionem; hinc sequitur Clericos nedum ex obedientia Ecclesiae debita, sed etiam ex virtute religionis teneri superflua impendere in usus pios.

Prob. 2. Clerici ratione gradus, quem obtinent in Ecclesia, sunt veluti patres et tutores pauperum: ergo strictiori praecepto charitatis, quam saeculares tenentur illis subvenire. Itaque secundum nos triplici titulo tenentur beneficiarii fructus sibi superfluos sui beneficii impendere in sublevamen pauperum aut in alios pios usus. 1. Ex lege Ecclesiae. 2. Ex virtute religionis. 3. Ex praecepto charitatis.

Articulus IV.

De Dominio temporali Romani Pontificis.

[Quamvis Romanus Pontifex nullam directe habeat jurisdictionem mere temporalem jure divino, qua nimirum vel sit Rex, vel Princeps, sive totius Mundi, sive orbis christiani, aut alicujus loci quantum ad regimen temporale, et

in ordine ad finem ejus proprium, qui est temporalis tranquillitas Reip., quia neque ex Scripturis, neque ex Traditione habetur, quod Christus contulerit B. Petro, ejusque successoribus potestatem mere temporalem; quia tamen haeretici ulterius progressi dixerunt nequidem licuisse Romano Pontifici, et Episcopis accipere temporale dominium sive dono, sive usurpatione, ut ait Calvinus, et hoc esse contra verbum Dei; Hinc

Dico. Non pugnat cum Verbo Dei eumdem esse Principem ecclesiasticum, et saecularem. Patet ex veteri testamento de Moyse, Heli, et Machabaeis, in novo autem nulla extat prohibitio. Hinc Constantino, aliisque Imperatoribus dominia secularia donantibus B. Petri Successoribus, S. Sylvester, aliique post eum Pontifices acceperunt. Quamvis enim Christus non eidem contulerit pontificalem, et regiam dignitatem, non tamen prohibuit B. Petri Successoribus, ne adirent dominia, et principatus, quando eis donarentur, quia praevidebat futurum aliquando talem rerum statum, ut Pontifex, aliique Episcopi non possent, humanitus loquendo, subsistere, si nullum haberent temporale dominium. Hinc in decem generalibus Conciliis, post adeptum a Romano Pontifice principatum celebratis, a nemine umquam contra illum reclamatum est, quod certe non fuisset, si vel minimum Verbo Dei, Legique divinae contradiceret. Nec contrarium ipsa ratio suadere potest. Potestas enim spiritualis, utpote superior non excludit politicam utpote inferiorem, sed potius eam perficit. Pontificium autem imperium, sive repetatur non ex usurpatione, ut perverse malignatur Calvinus, sed vel ex consensu populorum, sive ex Principum donationibus, sive ex diuturna praescriptione, sive etiam ex onerosis contractibus, tam justum porro est, tamque legitimum, ut nemini potiora jura esse possint. Vid. Card. Orsi *Del dominio temporale dei Papi*, et *Monumenta dominationis pontificiae, sive Codicem Carolinum* editum a Cennio Romae 1760.

Obj: Haeretici: Dominium temporale Romani Pontificis repugnat Verbis Christi Luc. 14. *Qui non renuntiat omnibus, quae possidet, non potest meus esse Discipulus.* Item verbis, quibus Pilato interroganti Christus respondit *Regnum meum non est de hoc Mundo* Jo: 18. Ergo R. ad primum. Praeter solutionem datam in Tract. de Leg. Diss. 7. a 3. hic textus evangelicus non continet praeceptum absolutum indiscriminatim pro omnibus quoad renuntiationem effectivam, et in re, sed pro iis tantum, qui evangelica consilia amplecti volunt. Patet hunc esse Ecclesiae sensum ex condemnatione Apostolicorum, Valdensium, Wiclefistarum, et Hussitarum, quorum errores renovarunt Calvinistae aliique haeretici recentiores. Ad 2. respondeo Christum non negasse se esse Regem, cum vers. seq. ejusdem Capitis se esse Regem fateatur *Tu dicis quia Rex sum Ego*:, sed solum negavit, se esse Regem in eo sensu, quo accusabatur a Judaeis; nimirum quod regnum Judaeorum affectaret, cum potius venisset in Mundum, ut testimonium perhiberet veritati. Praeterea (quod jam alibi innuimus), ut advertit S. August. tract. 115. in Jo:, non dixit Christus *Regnum meum non est in hoc mundo*, sed *de hoc Mundo* neque dixit *Regnum meum non est hic*, sed *non est hinc*, quasi diceret. Fideles mei, qui sunt regnum meum, quamvis sint in hoc Mundo, non sunt tamen de hoc mundo per affectum, et imitationem. Vel secundum Chrysost. relatum a S. Thoma Lect. 6. in c. 18. Jo: *Regnum meum*, idest, *potestas mea, et auctoritas, qua Rex sum, non est de hoc mundo; idest non habet originem ex causis mundanis, et electione hominum, sed aliunde, scilicet ab ipso Patre*: Quocumque autem modo hic Evangelii textus intelligatur, quis umquam nisi ex pervicaci voluntate ex eo deducere poterit, Christum Pontifici, et Episcopis prohibuisse dominium temporale, cum praesertim ex eodem prohibitum dici deberet omnibus christianis, qui Christi asseclae, et de regno ejus esse gloriantur?

Quamvis autem detur (ut fert communior sententia) Christum, qua hominem, non fuisse Regem temporalem, sive totius Mundi, sive alicujus Provinciae, potuit tamen indirecte de omnibus temporalibus disponere. Cum enim haberet supremam, et efficacem potestatem in finem ultimum, salutem scilicet spiritualem, et hunc finem temporalia quandoque vel promovere, vel impedire. possent; sequitur quod indirecte de omnibus temporalibus disponere potuerit. Qui enim habet directe potestatem supremam in finem, necesse est ut eam habeat indirecte ad ea, quae finem possunt vel promovere, vel impedire, alioquin non esset suprema potestas, et efficax. Ex quo inferunt non pauci nec ignobiles Theologi, summum Pontificem, Christi in terris Vicarium, habere etiam potestatem indirecte in temporalia Regum; quam tamen sententiam non solum explodunt Galli, ut infundatam, sed ut absonam, et erroneam cachinnis, aut censuris excipiunt. Pro sententia [affirmativa vide Bellarm. de summo Pontifice Bannem, Sylvium hic q. 66. a. 1. q. 5.; pro negativa Auctores Gallos].

DISSERTATIO III.

De Modis acquirendi Dominium.

Res respective ad dominium sunt duplicis generis. Quaedam sunt appropriatae, id est, habent proprium et determinatum dominum: quaedam sunt communes aut quasi communes, quae scilicet nullum ex se censentur habere dominum, ut sunt ferae in silvis, pisces in fluviis, etc. Et juxta hanc rerum diversitatem diversi sunt modi earum dominia acquirendi. Illarum, quae sunt alicui appropriatae, acquiritur dominium voluntate domini vel auctoritate legis; illarum, quae nullius sunt, acquiritur dominium prima occupatione.

Articulus I.

De modis acquirendi Dominia rerum, quae nullius sunt.

§. *I. De occupatione Animalium.*

Nota. Triplicis generis animalia solent distingui, quaedam sunt ex natura sua fera, ut Cervi, Apri, Lepores, Pisces, etc. Quaedam ex his consuetudine cicurantur et fiunt domestica, ut Cervi, Columbae, Cuniculi, etc. Quaedam tamdem sunt ex natura sua, et consuetudine cicurata et domestica, ut Gallinae, Boves, Oves, etc. Hoc notato

Dico 1. Animalia ex natura sua et consuetudine fera jure gentium sunt primo capientis: *Quod enim ante nullius est, id naturali ratione occupanti conceditur. Quidquid autem coeperis eo usque tuum intelligitur, donec tua custodia coercetur, ut pisces in nassa, vel vivario inclusi, fera capta laqueo, a quo se extricare non possit: dum vero evaserit tuam custodiam, et in libertatem naturalem sese receperit, tuum esse desinit, et rursum occupantis fit.* Hucusque Justinianus L. 2. Instit. tit. de rerum divis. §. *Ferae.*

Dico 2. Animalia ex natura sua fera sed consuetudine cicurata et mansueta *eo usque tua intelliguntur, donec revertendi animum habeant* aut facile possunt reduci, *nam si revertendi animum habere desierint, etiam tua esse desinunt et fiunt occupantium*, quia tunc censentur recuperasse suam libertatem. *Revertendi autem animum videntur desinere habere tunc, cum revertendi consuetudinem deseruerint.* Idem ibid. §. *Pavonum.*

Dico 3. Animalia ex natura sua domestica et mansueta *licet conspectum tuum*

effugerint, quocumque loco sint, tua esse intelliguntur, et qui lucrandi animo ea detinet, vel eorum lanam, plumas, ova, etc. sibi appropriat, *furtum committere intelligitur.* Id ibid. §. *Gallinarum.* Quia cum ex natura sua sint domestica, quocumque excurrant, non censentur recuperare libertatem, sed manent prioris domini: ita quod si etiam e faucibus lupi eripiantur, quod superest ipsi sit restituendum.

§. II. *Utrum et quomodo peccet, qui contra justam prohibitionem venatur aut piscatur, et an teneatur ad restitutionem?*

Nota venationem, et piscationem ex triplici capite posse prohiberi. 1. Ratione status personae: sic prohibetur Clericis 2. Ratione publicae utilitatis, ut dum prohibetur mensibus, quibus segetes intumescunt, aut animalia sunt gravida, pariuntve, aut dum prohibetur, ne fiat certis instrumentis, quibus minuta et nimia animalia caperentur, sicque soboles extingueretur aut multum minueretur. 3. Ratione loci, ut ne fiat in fundo alieno, vel publico, sed reservato.

Dico 1. Peccat Clericus, a fortiori Religiosus frequenter vacans venationi clamosae, non tamen tenetur ad restitutionem. Prima pars statuitur Cap. *Episcopum*, Extr. de Clerico venat tit. 24. et in Concil. Trid. sess. 14. de Reform. cap. 12. Patet etiam secunda pars, quia talis prohibitio facta ratione conditionis personae et propter decentiam atque dignitatem ejus status, non reddit acquisitionem ferae injustam aut invalidam. [Benedictus XIV. de Syn. Dioec. l. 11. c. 10. n. 9. refert quaestionem ortam inter Doctores, an per Canones sit Clericis interdicta quaelibet venatio, vel solum clamorosa; dicitque juri esse conformiorem sententiam (licet minus communem) omnem venationem prohibentem; *Siquidem* (sunt ejus verba) *allegati canones a venatione Clericos arcent, quae non armis, sed solis avibus venatoriis, puta falcone, aut accipitre, ac propterea sine ullo tumultu, et strepitu exercetur, uti illos legenti est manifestum.* In opinionum tamen varietate concludit controversiam manere indecisam.]

Dico 2. Qui venatur, aucupatur, piscatur contra prohibitionem factam ratione utilitatis publicae, peccat; quia agit contra justam legem, ut supponitur: peccat mortaliter, vel venialiter pro ratione damni illati; quia ista prohibitio fit causa damni vitandi, et tenetur ad hujus restitutionem, quia qui causat damnum, tenetur illud resarcire, non tamen tenetur ad restitutionem praedae, quia ista prohibitio non facit injustam neque invalidam acquisitionem ferae, cum ea non obstante remaneat adhuc fera in sua libertate, sitque proinde adhuc primo capientis, sed facit tantum illicitam.

Dico 3. Qui venatur, aucupatur, piscatur in fundo pervio alterius habentis jus venandi, aut in loco publico, sed Principi vel alteri de ejus concessione reservato, peccat, ut ante contra legem justam, peccat mortaliter vel venialiter pro ratione damni illati, ad cujus proinde reparationem tenetur, non tamen praedae captae propter rationem praecedenti conclusione allatam, quae magis hic adhuc urget, cum ferae non sint fructus fundi sicut arbores. Porro grave damnum in hac et praecedenti conclusione censetur non praecise praeda capta, etsi sit gravis momenti, sed id unde notabiliter in prohibente jus venandi, aut facultas tale jus aliis locandi, minuitur, ut si aquae inficiantur, ferae abigantur, proles earum magna ex parte extinguantur, animalia magni momenti crebro capiantur. Ex his enim et similibus valde imminuitur jus venandi, quod habet Princeps seu Respublica, et facultas illud aliis locandi. Item grave damnum censetur, si segetes enormiter conculcentur, sepes avellantur, et similia. Dixi in conclusione, *in fundo pervio alterius*: si enim quis feras in loco circumse-

pto, aut pisces in vivario caperet, furtum committeret, et teneretur ad restitutionem ipsorum animalium; quia, cum amiserint libertatem, sunt sub dominio illius, qui ea custodit, et concludit, nisi forte absque fraude venatoris, aut piscatoris e loco septo, vel vivario egressa naturalem recuperaverint libertatem; tunc enim sunt iterum primo capientis.

§. III. *De lignatione et pastione.*

Dico 1. Qui caedit ligna viridia in sylvis alienis, sive sint Principis sive sint particularium, fur est, et tenetur ad restitutionem, quia surripit alienum invito rationabiliter Domino. Dixi *ligna viridia*, quia ligna mortua, et sicca, sicut quaedam arbuscula minoris momenti, ut genista etc. censentur Domini pauperum usibus cedere.

Dico 2. Qui ligna caedit in sylvis, sibi, et aliis incolis communibus contra prohibitionem Magistratus non peccat, si caedat pro urgenti necessitate familiae; secus vero peccat, quia agit contra justam prohibitionem; non tamen mortaliter, si aliquali necessitate compulsus ad solum usum Familiae caedat. Nec in casu posito tenetur ad restitutionem, quia accipit, quod est sibi commune cum aliis. Si vero grave damnum inferret multas et nobiles stirpes evertendo, palam est ipsum peccare mortaliter, et teneri ad restitutionem. Hunc casum facile incurrere possunt, qui frequenter caedunt non in usum familiae, sed ad vendendum aliis, lucrumque reportandum. Quod dixi de lignatione in sylvis sive alienis, sive communibus, idem propter easdem rationes est dicendum de pastione in pascuis, sive alienis, sive communibus.

§. IV. *De Thesauris.*

Thesaurus prout hic sumitur, non est quicumque pecuniae cumulus metus vel custodiae causa in futurum depositus, sed est *vetus quaedam depositio pecuniae, cujus non extat memoria, ut jam dominum non habeat.* Ita L. 31. ff. lib. 41. tit. 1.

Dico 1. Jure gentium thesaurus est totus inventoris, quivis sit, idem de lapillis, gemmis, conchyliis, quae inveniuntur in litore maris: quia quae nullius sunt, jure gentium fiunt primo occupantis, ut saepe dictum est. Jure tamen Caesareo, aut municipali provinciarum diversae sunt dispositiones. Unde

Dico 2. Jure Caesareo thesaurus inventus in proprio fundo totus est inventoris. Ita Justinian. instit. l. 2. tit. 1. §. *Thesauros* 39. et C. L. *Nemo* de thesauris. Inventus fortuito in fundo alieno, dimidium est inventoris, et dimidium domini fundi; ibid. Quod dimidium est domino fundi tradendum etiam ante sententiam judicis, quia, ut advertunt Auctores, haec juris dispositio non est poenalis, sed definitiva proprietatis rerum. Inventus de industria in fundo alieno sine consensu domini totus est domini, C. loc. cit. Quia tamen haec dispositio quoad medietatem, quae alias obtingeret inventori, est poenalis, propter injuriam factam domino fundi, non tenetur hanc medietatem dare domino ante sententiam judicis. Et id indicat ipsa lex dicens; *Totum locorum domino reddere compellatur.* Inventus de industria in fundo alieno cum consensu domini secluso pacto totus est inventoris, juxta Navar. Less. et alios, quia hoc ipso, quo dominus fundi consentit in effossionem thesauri absque eo, quod paciscatur, aut aliquid exigat ab effodiente, censetur ipsi condonare suam partem. Inventus tamdem arte magica in proprio fundo totus est fisci; ita communiter. Et colligitur ex L. unica C. de thesauris. Si eadem arte inveniatur in fundo alieno, dimidium, quod debuisset esse inventoris, fit fisci, dimidium domini ipsi re-

manet, quia non tenetur culpa alterius nisi ipsi cooperatus fuisset. Porro medietas, quae aliunde obvenisset inventori, non debet tradi ante sententiam judicis, quia est dispositio poenalis et quidem sententiae ferendae. Hucusque jus Romanum. Si aliter disponant jura particularia, illis standum est.

Quaeritur hic, utrum, qui novit thesaurum latere in alieno fundo, licite emat fundum illum secundum communem aestimationem, antequam thesaurum eruat, et efficiatur totius thesauri dominus, postquam eruerit? R. affirmative cum Soto, Navarro, Banne, et Sylvio. Ratio est, quia is emit agrum justo pretio: thesaurus autem inventus in agro proprio totus est inventoris, ut dixi. Quod emat agrum justo pretio, prob. 1. Quia thesaurus non auget pretium fundi, cum non sit fructus ejus, nec de substantia: neque ante inventionem aut apprehensionem pertineat ad dominum, sed sit nullius. 2. Quia alicujus rei pretium non sumitur ex majori vel minori illius intrinseca utilitate vel praestantia, sed ex communi aestimatione hominum saltem expertorum in tali arte vel materia: haec enim est regula justa et mensura immediata pretii justi et humani: atqui is, de quo agitur, emit, ut suppono, agrum secundum communem aestimationem: ergo. Haec secunda ratio probat id etiam licere, si ageretur de mineralibus in fundo reconditis, quae quis vel fortuito, vel singulari perspicacia sciret illic latere.

§. V. *De rebus derelictis, amissis, et vacantibus.*

Dico 1. Jure Romano, *Si rem pro derelicta a domino habitam occupaverit quis, statim ejus dominus efficitur.* Instit. lib. 2. §. ultimo: quia, ut saepe jam dixi, quae nullius sunt, fiunt primo occupantis. Jure Gallico bona derelicta pertinent ad Dynastam loci. Ita Tournely ex Ferrier. *Pro derelicto autem habetur, quod dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit, ideoque statim ejus dominus esse desinit.* Instit. cit. Quandonam vero talis sit mens domini, venandum e rerum et temporum circumstantiis.

Hinc inferes bona naufragantium sive vi tempestatis naufragio facto projecta in mare, sive causa levandae navis ejecta; item ea, quae per eluvionem abripiuntur, non esse bona derelicta, quia regulariter domini pro derelictis non habent, quin potius ea libentissime recuperarent; et ideo furti rei sunt, qui illa sibi subripiunt, et si sint bona christianorum naufragantium, incurrunt excommunicationem *Bullae Coenae.* Si autem dominus sciens ubi et quomodo posset ea recuperare, non curaret, quia vel parvi facit, vel forent expensae faciendae, quae rei recuperandae aequivalerent, praesumeretur tunc habere pro derelictis. Hujus generis esse puto in his partibus parva ligna, quae intumescente Mosa fluctibus abripiuntur, et quae riparum incolae expiscantur.

Dico 2. Bona vacantia sunt, quae quis relinquit moriens ab intestato, nec habens haeredes, qui ei juxta legem ab intestato succedunt. Haec addicuntur fisco regio. L. *Vacantia*, C. de bonis vacantibus. Excipe bona mobilia peregrinorum, qui si ab intestato decesserint sine haeredibus, debent eorum bona per manus Episcopi loci in pias causas erogari. Authent. *Omnes peregrini*, *C. communia de success.*

In Gallia bona extraneorum ibi morientium, qui dicuntur *Aubains*, quasi *alibi nati*, pertinent ad Regem, exceptis bonis legatorum mercatorum, et regnicolarum.

Dico 3. Bona recens amissa non sunt inventoris, sed remanent illius, qui ea amisit, cui proinde necessario restituenda sunt, si fieri possit, quia horum bonorum dominio non spoliatur qui amisit, nec illud acquirit qui invenit: quo enim jure? Non auctoritate legis; nulla est enim, quae possit assignari; non volun-

tate domini, quin potius vult e contra ea sibi reddi, et ideo diligenter inquirit, pro redditis gratias agit, etiam cum inquirere desierit.

Dico 4. Si facta diligenti inquisitione (quae debet esse major vel minor pro rei conditione) non possit cognosci dominus, bona inventa debent expendi secundum voluntatem ejus praesumptam: id lex naturalis indicat. Praesumpta autem ejus voluntas regulariter censetur esse, ut expendantur in usus sibi aut suis aut saltem Reip. utiles, proindeque in pauperum sublevamen, in Missas, aut alios pios usus. An ita sit, cujusque conscientiam testor, num non ita vellet res suas perditas expendi. Hanc communem sententiam expresse tradunt Conc. Mediol. sub Sancto Carolo, Catechismus Rom. p. 3. n. 7. et S. Th. hic q. 62. a. 5. ad 3. Excipe casum quod inventor sit vere pauper, in quo casu inventor poterit rem inventam sibi retinere, sed quia plerumque homo sibi blanditur, dum agitur de propria utilitate, consulat prius Confessarium, aut Virum prudentem, et timoratum. Potest etiam aliquid retinere pro expensis, siquas fecerit in rei inquisitione, et inventione; et aliquid petere ex mera gratitudine, sed nihil tamquam ex justitia debitum, et juxta plures non improbabiliter etiamsi Dominus invenienti, et referenti promiserit praemium.

§. VI. *De acquisitione dominii per alluvionem, accessionem, confusionem, et commixtionem.*

Dico 1. „ Quod per alluvionem agro tuo flumen adjicit, jure gentium ti-
„ bi acquiritur. Est autem *alluvio* incrementum latens, ideoque per alluvionem
„ id videtur adjici, quod ita paulatim adjicitur, ut intelligi non possit, quan-
„ tum quovis temporis momento adjiciatur „ Ita Instit de *rerum divisione* §. *Praeterea*

Dico 2. Accessio est cum res unius adjungitur ad rem alterius per laborem et industriam humanam, unde sequitur, et est regula generalis, quod totum compositum ex utroque est illius, cujus est principale in composito, conformiter huic Regulae Juris 28. in 6. *Accessorium sequi congruit naturam principalis*; cum obligatione tamen reddendi Domino aestimationem minus principalis, etiamsi bona fide fuerit usurpatum.

Hinc inferes 1. quod si *ornatus causa* gemmam alienam annulo tuo inseras, picturam ponas in mensa aliena, pictura cedat mensae, gemma annulo, quamvis sint pretiosiores, quia id cujus ornandi gratia aliquid adjungitur, censetur principale. Econtra si pinxeris in tela aliena, haec cedit picturae, si sit tela pretiosior, quia non fit causa ornandi telam. Idem dic de scriptura. Inferes 2. „
„ Cum in suo loco aliquis aliena materia aedificavit, ipse dominus intelligitur
„ aedificii, quia omne quod aedificatur solo cedit tamquam principali „ ; sed diruto aedificio, et non ante, materiae dominus poterit eam vindicare, nisi prius ipsi sit data satisfactio, quam quovis tempore potest exigere Ita ff. de acq. rerum dom. lib. 41. tit. 1. L. *Adeo* §. *Cum in suo* „ Ex diverso siquis in alie-
„ no solo sua materia aedificavit, illius fit aedificium, cujus est solum, et si
„ sciat alienum solum esse, sua voluntate amisisse proprietatem materiae intel-
„ ligitur „ ibid. Si vero nescit alienum esse solum, pretium materiae, et operarum repetere potest. Sic arbor illius est, in cujus fundo radices egit, sed si ramos in fundum vicinum extendat, inde decidentes fructus sunt vicini.

Confusio rerum dicitur quando corpora ita miscentur, ut nulla pars designari possit, quae non sit utriusque miscentis. Si ex consensu duorum dominorum, aut casu materiae confusae fuerint, totum conflatum est pro rata ipsis commune. Si vero uno volente, et altero nolente, aut ignorante, totum conflatum erit illius, cujus attentis opera et materia principale erit in conflato.

Commixtio differt a confusione, quod in commixtione corpora non faciant continuum, sed separata inter se maneant quoad substantiam, licet facile discerni nequeant, ut in commixtione tui, et mei frumenti. Si duorum Dominorum consensu fiat, cumulus erit utrique communis. Plura de his vide in opere nostro majori, et apud Legisperitos.

Articulus II.

De modo acquirendi dominia rerum, quae sunt alicujus, nimirum de Praescriptione.

Nota Dominia rerum, quae sunt alicujus, duplici modo acquiruntur, volente et nolente domino. Volente domino, ut donatione, testamento, venditione, et aliis contractibus, de quibus specialiter et late suo loco. Nolente domino: et hoc tripliciter. 1. Jure gentium, ut res captae in bello justo fiunt capientis. 2. Sententia judicis, ut dum fur damnatur ad quadruplum. 3. Auctoritate legis, ut praescriptione, et de hac nunc versatur quaestio.

Dico 1. Praescriptio seu usucapio (pro eodem enim hic sumuntur) *Est acquisitio dominii per continuatam possessionem certo tempore a lege definito.*

Dico 2. Ad legitimam praescriptionem requiruntur quatuor conditiones. Prima, possessio vera. Secunda, titulus praesumptus. Tertia, bona fides, Quarta, tempus legitimum. Ita communiter. Expenduntur praefatae conditiones..

Vera possessio.

Ita Regula juris 3. in 6. *Sine possessione praescriptio non procedit*: et patet, quia totum hoc jus oritur ex possessione: et ideo in tantum aliquis praescribit aut praescribere potest, in quantum vere et proprie, hoc est, suo nomine possidet, et quidem *civiliter* saltem: nam possessio naturalis non sufficit, ut patet in colono, qui possidet naturaliter et tamen praescribere non potest. Naturalis et civilis simul optima est; sufficit tamen sola civilis, qua quis absens rei suae animo et facultate insistit; ideo enim partim civilis dicitur, quia hunc civilem effectum parit. Vide quae dixi supra de possessione.

Titulus praesumptus.

Qualis est, v. g. emptio, donatio, aut quivis alius modus, quo transfertur dominium. Dico, *Praesumptus*, quia si esset verus, absque praescriptione transferret dominium. Sufficit ergo, quod rationaliter et bona fide credatur verus, ut si emas vel dono accipias ab eo, qui reputatur rei dominus, et non est. Caeterum, quamvis ad omnem praescriptionem inchoandam requiratur titulus, alioquin deficeret bona fides; item quamvis ad perficiendam praescriptionem, quae dicitur brevis, et longi temporis, nimirum 10. vel 20. annorum, requiratur allegatio, et probatio tituli, conveniunt tamen communiter Doctores ad perficiendam eam, quae dicitur longissimi temporis, id est 30. vel 40. annorum regulariter non requiri probationem tituli, quippe qui tanto temporis spatio variis modis perire potuit.

Bona fides.

Ita Reg. juris 2. in 6. *Possessor malae fidei ullo tempore non praescribit.* Item C. *Vigilanti*, C. *Quoniam*, Cap. fin. de *Praescriptionibus* extr. lib. 2.

tit. 26. ex Concil. Later. sub Innoc. III. ubi corriguntur leges civiles, quae videntur admittere praescriptionem 30. vel 40. annorum ut legitimam absque bona fide. Quamvis autem leges civiles non admittant praescriptionem malae fidei in foro interiori, quasi conferrent dominium, admittunt tamen in foro exteriori, in quantum rejiciunt actionem contra possessorem 30. vel 40. annorum, ne praetextu malae fidei, legitimi et bonae fidei possessores vexentur, sicque turbetur tranquilitas publica continuis litibus. Ad diluendam aliquam difficultatem, quae opponi posset, nota, aliud esse obligationem aliquid faciendi, vel omittendi, aliud obligationem aliquid tollerandi, aut permittendi, si alter exigat. Ad extinguendam priorem obligationem requiritur ignorantia juris alterius, alioquin peccatur agendo contra illam, et consequenter subest mala fides; ad extinguendam vero posteriorem obligationem, sufficit sola negligentia, aut cessatio exactoris, quantumvis conscius sim illius juris; quia non teneor monere, sicque sine peccato, proinde bona fide, sino ipsum non uti jure suo.

Petes utrum dubitans, sitne res sua vel aliena, sit possessor bonae fidei, possitque praescribere? R. 1. Qui ante inchoatam possessionem dubitat, sitne res sua an aliena, non est possessor bonae fidei, nec potest praescribere. Ita communiter. Quia non est ratio, cur ille potius rem possideat, quam alter, proindeque sibi vindicans facit injuriam alteri, et se exponit periculo usurpandi alienum.

R. 2. Qui post initam bona fide possessionem dubitat, sitne res sua an aliena, si facta diligenti inquisitione non deprehendat esse alienam, probabilius remanet possessor bonae fidei, potestque praescriptionem continuare. Ita Sylvester, Navar. Covar. Sylvius, Pontas V. *Praescription.* cas. 8. et communius contra Soto et aliquos recentiores. Prob. 1. juxta Reg. Juris: *In dubio melior est conditio possidentis.* Atqui hanc meliorem conditionem sic intelligunt omnia tribunalia tum civilia, tum ecclesiastica, ut totum adjudicent possessori: isque est omnium hominum sensus, ut credant se tuta conscientia retinere, quod sibi ratione possessionis adjudicatum est: ergo. 2. Cum homines ex una parte rerum avidi non soleant suas apud alios relinquere, sed diligenter eas custodiant, et ex alia vir probus non soleat acquirere possessionem alicujus rei absque justo titulo, hinc quando in bonis fortunae dubium independenter a possessione oritur utrinque aequale, ipsa possessio magnam infert praesumptionem, possessorem esse dominum rei, quam possidet. Igitur quamvis possessor in nostro casu dubitet speculative, sitne res sua an aliena, et an possit eam retinere; attamen ex duplici principio posito potest reflexe sibi formare judicium practice certum sic: 1. Secundum jura possessio bona fide inchoata est sufficiens ratio in dubio superveniente ad rem sibi retinendam: atqui possideo possessione cum bona fide inchoata: ergo. 2. In pari dubio probabilius est ex ipsa possessione possessorem in bonis fortunae esse dominum rei, quam possidet; sed licitum est sequi id, quod est probabilius: ergo.

Tempus legitimum.

Nota respective ad praescriptionem multiplex tempus distingui in jure, breve, longum, longissimum, et immemoriale. Breve est 3. annorum. Longum est 10. aut 20. annorum. Longissimum est 30. vel 40. annorum. Immemoriale, cujus non extat memoria apud seniores:

Dico 1. Res mobiles sive privatorum sive ecclesiarum (excepta Ecclesia Romana) cum titulo praescribuntur spatio trium annorum sive inter absentes, sive inter praesentes. Quantum ad res privatorum habetur Inst. de usucap. §. 1. et C. de usucap. transformanda L. unica. Quantum ad res ecclesiasticas habetur Authent. *Quas actiones* C. *de sacrosanctis Ecclesiis*, ubi et causa 16. q. 3. cap. ultimo excipiun-

tur generaliter res Ecclesiae Romanae, ad quarum praescriptionem requiruntur 100. anni. Excipiuntur etiam res furtivae, quae, in cujuscumque manus perveniant, praescribi non possunt, nisi spatio 30. annorum. Instit. de usucap. §. *furtive.*

Dico 2. Absque titulo res mobiles sive privatorum, sive Ecclesiae, (excepta ut supra Romana) non praescribuntur nisi 30. annis. Quantum ad mobilia privatorum colligitur ex L. *sicut* 3. C. *de praescrip.* 30. vel 40. *ann.* lib. 7. tit. 37. ubi decernuntur 30. anni ad praescriptionem immobilium absque titulo, et cum nihil aliud sit jure sancitum pro mobilibus absque titulo, colligunt Auctores idem de utrisque esse censendum. Quantum ad mobilia ecclesiarum, ratio est quia cum Ecclesiae (excepta forte Romana, ut ante) non habeant privilegium pro mobilibus, eodem modo loquendum est de illis ac de mobilibus privatorum.

Dico 3. Res immobiles privatorum cum titulo praescribuntur 10. annis inter praesentes, 20. annis inter absentes. Ita Instit. *de usucap.* §. 1. et L. *Cum longi* C. *de praescrip. longi temporis.* Absque titulo autem sive inter praesentes sive inter absentes requiruntur 30. anni. L. *sicut in rem, et* L. *si quis* C. *de Praescript.* 30. *vel* 40. *ann.* Praesentes censentur jure Rom., qui habitant in eodem territorio, v. g. Leodiensi, etiamsi res alibi sint sitae. Absentes e contra, qui habitant in diversis territoriis. In Gallia praesentes dicuntur, qui sunt sub unius Ballivii vel Senescalli jurisdictione. Sed quia is, contra quem praescribitur, respective ad praescribentem potest esse partim praesens, partim absens; notant communiter Auctores duos annos absentiae computandos esse pro uno praesentiae; ita ut, qui possedit quinquennio inter praesentes, si rei dominus absit in posterum, praescribens debeat iterum possidere decennio, antequam praescriptionem perficiat.

Dico 4. Ad praescribenda immobilia contra Ecclesiam Rom. sive cum titulo sive sine titulo, sive inter praesentes, sive inter absentes requiruntur centum anni, L. cit. *Quas actiones*: contra alias ecclesias, monasteria, hospitalia, causas pias 40 anni: ibidem; contra monasteria Ordinis S. Benedicti et aliorum Ordinum, qui hujusmodi privilegiis communicant, 60. anni ex privilegio Eugenii IV.

Hae sunt regulae communes, a quibus tamen fiunt plures exceptiones, praecipuas pono. Excipitur 1. pupillus, contra quem, quamdiu est in aetate pupillari, nulla procedit praescriptio sive mobilium sive immobilium. L. *Sicut in rem* C. de *Praescript.* 30. *ann.* Si vero sit minor, requiruntur 30. anni L. *ultima* C. *in quibus causis.* 2. Qui pacifice absque simoniaco ingressu possidet triennio beneficium, praescribit contra actionem cujusvis impetitoris. Reg. 33. Cancellariae. 3. Actio injuriarum expirat lapsu unius anni. L. *Si non convitii* C. *de injuriis.* Plures alias exceptiones require in majori nostro opere [Addi potest esse communiorem sententiam non valere praescriptionem contra Defunctos circa pia legata in sui beneficium relicta].

Petes 1. An et quanto tempore praescribat, qui rem bona fide accepit a possessore malae fidei? R. 1. Haeres immediatus possessoris malae fidei non potest ullo tempore praescribere. Ita Sylvester et communiter. Patet ex §. *Diutina* Instit. *de usucap.* ubi dicitur: *Si ille* (defunctus) *initium justum non habuit, haeredi et bonorum possessori, licet ignoranti, possessio non prodest.* Idem L. *ultima* C. *communia.* Ratio est, quia haeres immediatus ex fictione juris censetur una eademque persona cum defuncto, et eorum possessio una eademque continuata possessio; sicque ex ista fictione haeres immediatus censetur mala fide possidere, sicut ipse defunctus.

Dico 2. Haeres mediatus, item qui a possessore malae fidei immediate quidem accepit, sed alio titulo quam haereditatis, puta legato, emptione, donatione inter vivos, etiamsi res mobilis sit furtiva, et immobilis vi possessa, po-

test praescribere. Ratio est, quia jura duas fictiones ex eadem causa non admittunt, et ideo fictio illa juris de mala fide haeredis immediati non transit ad secundum haeredem, nec censetur eadem cum defuncto persona. Quod a fortiori est dicendum de legatario, emptore, donatario; etc. qui defuncti personam nullatenus repraesentant, et quibus ideo non nocet vitium auctoris, ut jura expresse statuunt, L. *vitium ff. De diversis temporalibus Praescript.*

Dico 3. Res bona fide acceptae a possessore malae fidei, quatenus praescribi possunt, regulariter praescribuntur tempore ordinario. Ita communiter ex L. cit. *An vitium. Dixi regulariter*: quia excipitur 1. si res sit immobilis, et is, contra quem praescribitur, ignoret eam ab alio possideri 2. Si res sit furtiva aut vi possessa: in utroque enim casu requiruntur 30. anni. Quoad primum casum patet ex Authentica *malae fidei* C. *de longi temporis Praescriptione*- Quoad secundum patet ex §. *Furtivae* instit. *de usucap.* Quod autem in jure dicatur res furtivas non posse praescribi, intelligitur de praescriptione temporis ordinarii, non de praescriptione temporis extraordinarii. L. *An vitium* C. de diversis temporalibus praescript. Item expresse L. *Super* 1. C. de annali exceptione §. *Ad haec* l. 7. tit. 40.

Petes 3. Quae non possunt praescribi? R. 1. Ea praescribi non possunt, quae non possunt proprio nomine et legitime possideri, ut jura ecclesiastica a laico, feudum a feudatario, etc. Vide de possessione. 2. Contra jus naturale aut divinum non procedit praescriptio, quia in ea nihil valet potestas humana, a qua pendet praescriptio. 3. Prescribi non possunt, quae sunt usibus publicis deputata, ut viae publicae, plateae, pontes, L. *Usucapionem* ff. *De usucap.* 4. Non potest praescribi homo liber, ut fiat servus, L. *ultima* C. *De longi temporis praescript.* 5. Limites certi provinciarum, Episcopatuum, Paroeciarum non possunt praescribi, secus si sint incerti. Ex cap. *Dilectio* 16. *q.* 3.

Notat hic perfector Tournely jure Gallico nulla temporis possessione praescribi servitutes praediales sine titulo, jura publici furni et molae, et res fiscales seu quae semel sunt incorporata fisco, secus si nondum sint incorporata. Notandum insuper, quod plura jure Romano dicantur non posse praescribi, quia non praescribuntur tempore ordinario, licet possint praescribi tempore extraordinario 30. annorum et supra; sic sunt res furtivae, ut jam notavi: item res fisci, fideicommissa, legata, fundus dotalis, majoratus, bona adventitia. etc. L. *Sicut* C. *De annali except.* lib. 7. tit. 4. L. *Sicut in rem*, L. *omnes* C. *de Praescript.* 30. *vel* 40. *ann.* lib. 7. tit. 39. De praescriptione consuetudinis contra legem humanam. Vide de legibus.

Articulus III.

Utrum praescriptio valeat in foro conscientiae?

Dico. Omnis praescriptio legitime facta valet in foro conscientiae sic ut qui legitime praescripsit, si post praescriptionem completam deprehendat rem fuisse alienam, possit retinere ut suam, nec teneatur reddere in conscientia priori domino comparenti, sive hujus negligentia intercesserit, sive non, sive res sit comparata titulo gratuito vel oneroso. Est nunc communis omnium ferme Theologorum et Juristarum, constanti Juris tam Civilis, quam Canonici praxi firmata.

Prob. 1. Omnis praescriptio legitima transfert in conscientia praescribenti dominium rei praescriptae, sive intercesserit negligentia prioris domini, sive non, sive res fuerit comparata titulo oneroso vel gratuito: ergo valet in foro conscientiae, sic etc. Prob. ant. Praescriptio indistincte et indefinite definitur in jure: *Acquisitio dominii per continuationem possessionis tempore lege definito*; Authent.

Quas actiones de Sacrosanctis Ecclesiis lib. 1. tit. 2., instit. lib. 2. tit. 6. *De usucap. init.* L. 1. ff. *De usucap. et alibi* : quam juris civilis dispositionem non solum non reprobat, sed positive approbat jus canonicum, tum sua praxi, tum suis sanctionibus cap. *Sanctorum* extra. *De praescript.* lib. 2. tit. 16. cap. *De quarta.* ibid. cap. *Ad aures* ib. cap. *Quoniam* finali ibid. et alibi. Ergo omnis praescriptio legitima transfert dominium.

Prob. 2. Negari non potest, quin Princeps aut Respublica possit, si velit, ob bonum commune transferre dominia privatorum ab uno ad alium independenter a negligentia domini : atqui id voluit in praescriptione, ita exigente bono communi : ergo. Prob. min. Et quidem quod voluerit, patet ex juribus citatis et pluribus aliis. Quod voluerit justis de causis in bonum commune, ostenditur istarum causarum expositione. Prima est : *Ne diu et fere semper quarumdam rerum dominia incerta essent.* L. 1. ff. *De usurpat. et usucap.* l. 41. tit. 3. *Et ut aliquis litium finis esset.* L. *Ultima* ff. *pro suo* lib. eod. tit. 10. ac denique *ne possessores prope immortali timore teneantur.* L. *Cum notissimi* C. *De praescr.* 30. *vel* 40. *ann.* lib. 7. tit. 39. Secunda causa est, ut acuatur negligentia dominorum res suas prosequi praetermittentium. L. *Ut perfectius Cod. de annali exept.* Et cap. *Vigilanti* extra *De praescript.*

Ubi vides primam et praecipuam causam esse independentem a negligentia dominorum, et quod procedat in foro conscientiae ; si enim in eo non valeret praescriptio, remanerent semper incerta dominia, et eo magis quo diutius possiderentur, cum diuturnitate temporis veri tituli facilius amittantur, et falsi fabricentur. Non erit finis litium et rixarum saltem privatarum in familiis, dum unus clam aut vi rem suam rapere, alter defendere contendet, et possessores immortali timore, et perpetuis conscientiae scrupulis tenebuntur : ergo.

Confirmat. Cap. *Sanctorum* cit. Extra. De *Praescript.* dicitur ; *Sanctorum Patrum sanctiones statuisse*, ut bona praescripta *quiete et sincere perpetuo teneantur* : atqui si prescriptio non valeret in foro conscientiae, sed remaneret obligatio restituendi, possessores non *quieti et perpetuo*, sed anxii semper remanebunt : ergo.

Dices : 23. Regula juri sic habet : *Sine sua culpa nemo re sua privandus est*, R. Legem non referri integre ; sic enim habet : *Sine sua culpa, nisi subsit causa non est aliquis re sua privandus.* Subest multiplex causa praescriptionis, ut probatum est.

DISSERTATIO IV.

De Justitia.

D. Thom. Q. 58.

Justitia sumitur dupliciter. 1. Generaliter pro sanctitate christiana seu pro collectione omnium virtutum, quo sensu dicebat Christus : *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, et Pharisaeorum* etc. 2. Sumitur specialiter pro virtute particulari, quae est secunda inter cardinales, qua quis inclinatur ad reddendum unicuique quod suum est, et de illa hic agitur.

Articulus I.

De Definitione, Objecto, et Subjecto Justitiae.

Dico 1. Justitia definitur in jure ex Ulpiano ; *Constans et perpetua voluntas jus suum cuique tribuens.* Per voluntatem non intelligitur ipsa potentia vo-

lendi, sed actus; unde definitur habitus per actum, quod non est insolitum. Dicitur *perpetua* non ex parte actus, qui perpetuo duret, sed ex parte objecti, quatenus justus vult reddere perpetuo et in omnibus cuique jus suum; unde si quis velit hanc definitionem ad debitam formam reducere, dicat, quod justitia sit *Virtus inclinans constanter voluntatem ad perpetuo reddendum unicuique jus suum.* Hinc habes esse de ratione justitiae proprie dictae, quod sit ad alterum.

Dico 2. Objectum *materiale* remotum justitiae sunt res exteriores, quae commutantur, aut distribuuntur. Materiale proximum sunt actiones, quibus hae res commutantur et distribuuntur, quia justitia in hoc differt ab aliis virtutibus moralibus, quod hae rectificent primario et per se hominem in seipso, justitia vero in ordine ad alium; atqui ordinatio unius hominis ad alium non attenditur secundum interiores affectiones seu passiones, sed secundum exteriores actiones et res, quibus homines sibi invicem communicare possunt, ut sunt quoad res bona fortunae, pecuniae, domus, agri, frumenta, etc quoad actiones eae, quibus istae res commutantur, nimirum venditio, solutio, mutuum, commodatum, locatio etc. Item etiam eae actiones, in quibus nulla intervenit res exterior, ut honoratio, laudatio, detractio, etc. Ergo.

Objectum *formale quod* justitiae est jus acceptum pro justo, seu aequali alteri debito, quia id principaliter intendit et facit justitia, ut patet ex ejus definitione, et per hoc ab aliis virtutibus distinguitur: unde dicitur justus, qui hanc aequalitatem facit aut servat; injustus, qui non servat.

Objectum *formale quo* est ratio debiti seu jus in altero, sumptum pro legitima facultate possidendi, alienandi, etc. Ratio enim, cur aequale alteri reddam, est, quia ipsi debeo; debeo autem, quia ille alter habet jus ad illud: debitum enim et jus sunt correlativa.

Dico 3. Subjectum justitiae est voluntas. Non enim est intellectus, quia justitia non ordinatur per se primario ad dirigendum aliquem actum cognoscitivum; neque est appetitus sensitivus, quia appetitus sensitivus sequitur apprehensionem sensitivam, apprehensio autem sensitiva non considerat proportionem unius ad alterum, quod spectat ad justitiam, hoc enim est proprium rationis: ergo.

Articulus IV.

De Divisione Justitiae.

Dico. 1. Justitia ut sic, dividitur in generalem seu legalem, quae ordinat cives ad bonum generale seu commune, ut partes ad totum; et particularem, quae ordinat civem ad civem. Justitia legalis ut sic dividitur in justitiam legalem stricte dictam, et Epiikiam. V. tract. de Legib. Diss. 5. a. 4.

Dico 2. Justitia particularis subdividitur adaequate in commutativam et distributivam, tamquam in species essentialiter distinctas. Prob. prima pars. Justitia particularis est virtus, qua quis ordinatur ad aliquam personam particularem: atqui duplex est ordo unius ad alterum particularem, nempe vel partis ad partem, vel totius ad partem. Primum dirigit justitia commutativa, secundum distributiva; ergo. Prob. secunda pars. Primo; cum ad rationem justitiae pertineat, quod debitum alteri reddat, ubi invenitur specialis ratio debiti alicui personae, ibi est specialis virtus; atqui in justitia commutativa et distributiva invenitur specialis ratio debiti: ergo. Prob. min. In commutativa redditur cuique, quod suum est, et debitum simpliciter, scilicet quod est ipsi proprium, et appropriatum atque in ejus dominio, licet ab altero detineatur. In distribu-

tiva vero redditur cuique quod suum est, et debitum non simpliciter, sed secundum quid, jure scilicet condignitatis, et communitatis, cujus est pars; quae enim sunt totius, quodammodo sunt partium: atqui haec ratio debiti est diversa, ut patet: alia enim ratione debetur res, quae est propria creditoris, et jam in ejus dominium immissa; alia vero res, quae est totius communitatis, cujus est membrum, et ea ratione attenta ejus condignitate habet jus, ut fiat propria: ergo. N. B. Et haec est ratio, cur violatio justitiae commutativae inducat obligationem restituendi, non violatio justitiae praecise qua distributivae.

Prob. 2. Generalis forma justitiae est aequalitas: atqui reperitur diversa aequalitas in justitia commutativa, et distributiva: ergo. Prob. min. In commutativa est aequalitas absoluta rei ad rem, quae dicitur proportio arithmetica, ut si debeas centum, reddas centum: in distributiva est aequalitas non absoluta, sed proportionis, quae dicitur geometrica, ut si v. g. in distributione boni communis dentur decem nummi ei, qui habet sex gradus meriti, dentur quinque ei, qui habet tres gradus: ergo. Justitia autem vindicativa considerata in Judice aequam poenam crimini rependente, et in reo patiente, est actus elicitus justitiae commutativae; si Judex ultionem ordinet in bonum commune est actus imperatus a justitia legali. Considerata vero in privato ultionem requirente, non est proprie dicta justitia, sed ejus pars potentialis quae dicitur vindicatio, et definitur: Virtus moderans appetitum vindictae, privatus enim non tenetur in ratione debiti stricti, et legalis petere ultionem a Judice, quin e contra melius faceret omittendo.

Petes 2. Utrum inter patrem et filium non emancipatum, inter dominum et mancipium, inter virum et uxorem sit justitia proprie dicta? Resp. esse justitiam proprie dictam, non tamen omnino perfectam: quia licet filius ut filius sit aliquid patris, tamquam pars ejus, mancipium aliquid domini, ut ejus instrumentum, uxor aliquid viri, qui est ejus caput, et cui subjecta est, ex quo capite non est inter illos perfecte justitia ad alterum: attamen quatenus homines isti sunt supposita distincta, filius a patre, mancipium a domino, uxor a viro; justitia sub ista ratione est ad alterum, sicque salvatur ratio justitiae proprie dictae, licet non omnino perfectae.

DISSERTATIO V.

De Actu Justitiae ut sic, nempe de Judicio.

D. Thom. Q. 60.

Articulus I.

Utrum judicium sit licitum?

Judicium prout hic sumitur, est definitio seu determinatio juris seu justi; justum autem, ut patet ex dictis, est aequale alteri debitum, quod est objectum justitiae. Ex quo patet, quod sit actus justitiae, quia justitiae est definire, et determinare id, quod est justum, et aequale alteri debitum. Agimus itaque de judicio hoc sensu sumpto, non solum prout exercetur exterius a judice inter partes litigantes, sed etiam prout exercetur sive exterius, sive interius a privatis circa vitam, res, et mores aliorum.

Dico. Judicium debitis circumstantiis vestitum, est licitum. Est contra Waldenses et Anabaptistas. Prob. 1. ex Scripturis. Deuteron. 16. dicit Deus Moysi: *Judices et Magistros constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum*

justo judicio. Et cap. 1. *Quod justum est, judicate*: quod repetit Christus Joan. 7. Apost. ad Rom. 13. asserit, quod *non sine causa judex gladium portat; Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Petrus Act. 5. judicavit Ananiam, et Saphiram; Paulus 1. Cor. 3. incestuosum Corinthium.

Probatur 2. ratione. Omnis actus virtutis est licitus: atqui judicium debitis circumstantiis vestitum est actus virtutis scilicet justitiae, ut dictum est: ergo. Dixi *vestitum debitis circumstantiis*, quae sunt tres. Prima, ut procedat ex inclinatione justitiae: secunda, quod procedat ex auctoritate Praesidentis: tertia, quod proferatur secundum rectam rationem prudentiae. Prima conditio potest intelligi duplici sensu. Primo, quod judicium non sit contra justitiam. Secundo, quod sit ex amore justitiae, et non ex aliquo motivo humano, puta odio, ira, avaritia, inani gloria, etc. Defectu primae conditionis primo sensu intellectae judicium est perversum, et injustum. Defectu eiusdem conditionis secundo sensu intellectae non est proprie injustum judicium, malum tamen, et illicitum graviter, vel leviter pro qualitate motivi. Defectu secundae conditionis est judicium usurpatum; sed id spectat judicium publicum; cum enim justitia sit in privatis, potest etiam in eis esse verum, et rectum judicium absque auctoritate. Defectu tertiae conditionis, est judicium temerarium, quando nempe quis ob leves rationes judicat dubia, et occulta.

Petes utrum Judex existens in peccato mortali peccet alios judicando? R. 1. Judex existens in peccato mortali publico, peccat mortaliter si de eodem peccato alium judicet, ut si publicus usurarius judicet usurarium, quia tale judicium est maxime scandalosum, praebens aliis occasionem contemnendi justitiam. Si vero judicet in alio genere peccati; peccat tantum venialiter. R. 2. Judex existens in peccato mortali occulto, si necessitas judicandi immineat propter officium, potest cum humilitate, et timore judicare, nec peccat etiam venialiter judicando etiamsi in eodem genere peccati.

Articulus II.

De suspicione, et judicio temerario.

Nota, suspicionem, dubitationem, opinionem, et judicium, ubi agitur de malo proximi, saepe pro uno, et eodem sumi apud doctos, et indoctos. Hujus confusionis ratio est, quia hi omnes actus sunt de malo proximi, et ex insufficientibus indiciis, quatenus sunt temerarii, prout hic sumuntur. Attamen si stricte loquamur, hi omnes actus inter se distinguuntur. Etenim dubitatio est, cum animus in utramque partem movetur, sed neutri assentitur, manetque pendulus inter utramque. Suspicio est, cum intellectus a dubio seu medio recedens, magis inclinatur in assensum unius partis, sic tamen ut necdum assentiatur. Quidam eam non distinguunt ab opinione nisi secundum plus, et minus, voluntque eam esse opinionem debilem, seu cum magna formidine; opinio autem est assensus in unam partem cum formidine partis oppositae. Judicium est assensus certus et firmus in unam partem sine formidine partis oppositae. Nos hic agimus de suspicione temeraria, prout comprehendit dubitationem, et opinionem, et quaestio praecipua est, utrum sit ex genere suo peccatum mortale, ita quod in individuo sit semper mortalis, quando est plene deliberata de gravi malo proximi. Et est etiam difficultas de mente S. Thomae. Ut a certioribus incipiamus.

Dico 1. Judicium temerarium est ex genere suo peccatum mortale. Est certa, et communis cum Auctore. Prob. 1. ex Scriptura. Matth. 9. dicitur: *Nolite judicare, ut non judicemini.* Luc. 6. *Nolite judicare, et non judicabimini.* Ad Rom. 14. *Tu quis es, qui judicas servum alienum?* Prob. 2. Judicium teme-

rarium non est sine injuria, et contemptu proximi, proindeque est contra justitiam, et charitatem : ergo ex genere suo est peccatum mortale. Confirm. Unusquisque habet jus, ut bona aestimatio de eo habeatur ab aliis, quamdiu non probatur malus : atqui qui judicat temerarie de proximi malo, contra istud jus agit : ergo est contra justitiam. Etiam contra charitatem. 1. Quia contra illud charitatis et rectae rationis principium, *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 2. Quia fieri non potest, ut qui sic de proximo judicat, illi sit bene affectus.

Dico 2. Probabilius est suspicionem temerariam de malo proximi, prout comprehendit dubitationem, et opinionem, esse ex genere suo peccatum mortale, proindeque in individuo esse semper peccatum mortale, quando est plene deliberata de gravi malo proximi. Prob. Illud est peccatum ex genere suo mortale, quod contrariatur justitiae, et charitati ; atqui talis est suspicio temeraria : ergo. Prob. min. 1. Quia, et dicit S. Thomas, non est sine contemptu proximi, et ideo injuriatur ei. 2. Unusquisque habet jus, ut aestimetur ab aliis probus, quamdiu non apparet sufficienter ejus malitia : atqui contra istud jus agit, qui de eo temerarie malum suspicatur, aut de ejus probitate dubitat ; ergo contra justitiam. Etiam contra charitatem. 1. Quia agit contra hoc primum totius vitae socialis principium : *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* 2. Quia vix fieri potest, ut, qui temerarie suspicatur malum de proximo, illi bene afficiatur ; ergo.

Respondent Adversarii, et est praecipuum eorum fundamentum, esse quidem injuriam et contemptum, sed incompletum, quia suspicio est quid incompletum in genere judicii. Sed contra : esto contemptus sit incompletus in genere judicii, inde non probatur, istum contemptum incompletum non esse mortalem ex genere suo ; quia licet sit incompletus in genere judicii, est tamen completus in genere actus perfecte deliberati. Sic v. g. dubitatio plene voluntaria in materia fidei est judicium incompletum, et contemptus incompletus in genere judicii, sed quia est completus in genere actus perfecte deliberati, est sufficiens ad peccatum mortale. Sic iterum detractio de proximo apud unum solum virum probum est contemptus incompletus, et tamen juxta valde probabilem sententiam est peccatum mortale ex genere : aut si vis, detractio apud decem est contemptus minus completus quam detractio apud viginti, et tamen utrobique est peccatum mortale ex genere.

Prob. 2., et magis concutitur hoc praecipuum Adversariorum effugium. Suspicio temeraria de gravissimis malis proximi est in individuo peccatum mortale : ergo suspicio temeraria ex genere suo est peccatum mortale. Patet consequentia : quia quod est veniale ex genere suo quantumvis augeatur intra suam speciem, remanet veniale, nec fit mortale, nisi per aliquam circumstantiam trahatur ad aliam speciem, ut docent communiter Theologi post D. Th. 1. 2. q. 88. a. 5. Prob. ant. Suspicio temeraria in casu graviter contemnit proximum, et gravem ei infert injuriam : ergo. Prob. ant. Primo, nemo est, qui non existimet se graviter contemni, et gravem pati injuriam, si quis de illo sine causa suspicetur, aut etiam dubitet, quod sit Sodomita, incestuosus cum matre, haereticus, magus, sortiarius, etc., ita quod mallet notabilem pecuniae summam perdere, quam talem de se haberi suspicionem : testes ipsos adversarios appello.

Restat difficultas de mente D. Thomae. Probatur ergo conclusio ex D. Thoma, aut potius instauratur argumentum ex eo jam factum in probationibus prioribus. Ideo juxta S. Thomam hic a 3. o. judicium temerarium est peccatum mortale ex genere suo, quia est cum contemptu proximi : atqui juxta eumdem S. Doctorem in Resp. ad 2. et in o. articulo seq. suspicio est etiam cum contemptu proximi : *Ex hoc ipso*, inquit, *quod aliquis malam opinionem habet de alio*

sine causa sufficienti, indebite contemnit ipsum, et ideo injuriatur ei: ita ut eodem prorsus modo loquatur de utroque S. Doctor: ergo.

Respondet Serra S. Thomam. loqui de suspicione in secundo gradu, in quo pro judicio certo accipitur. Sed contra: S. Thomas loquitur de ea suspicione, de qua loquitur in argumento, cui respondet; sed in argumento, cui respondet, loquitur de suspicione prout distinguitur a judicio certo: patet legenti argumentum quod est sic: *Per judicium illicitum fit aliqua injuria proximo; sed suspicio mala in sola opinione hominis consistit, et sic non videtur ad injuriam alterius pertinere: ergo suspicionis judicium non est illicitum.*

Objicies. S. Thomas hic a. 3. o. distinguens tres gradus suspicionis dicit: *Primus quidem gradus est, dum homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipit, et hoc est veniale et leve peccatum; pertinet enim*, inquit Augustinus, *ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur* R. S. Thomam sicut et S. Augustinum, in quo fundatur, loqui de suspicione repentina et non plene deliberata: quod patet primo ex ipsis ejus verbis: *Dum*, inquit, *homo dubitare incipit*: nemo enim dicitur incipere dubitare, qui post plenam advertentiam deliberate dubitat et dubitare pergit maxime de gravi malo proximi. Secundo patet ex ratione, quam affert ex Augustino; scilicet quod talis suspicio *Pertineat ad tentationem humanam, sine qua haec vita non ducitur.* Porro suspicio temeraria plene deliberata de gravi malo proximi non ad humanam sed ad diabolicam tentationem pertinet, ut bene notat Bannes, et falsum est plurium vitam sine talibus suspicionibus non duci.

Notanda pro praxi.

Ut sive suspicio sive judicium temerarium sit peccatum mortale in individuo, tria requiruntur: primum, quod sit perfecte deliberatum: secundum, quod sit plene temerarium: tertium, quod sit de gravi malo proximi; quorum si unum desit, erit tantum peccatum veniale.

Circa primum.

Notat Sylvius post Lessium et alios ad peccatum mortale in suspicione, seu judicio temerario non sufficere qualitercumque deliberate suspicari, aut judicare: sed quod debeas advertere, et scire, aut saltem dubitare te, et ex signis insufficientibus, et de re gravi judicare, aut suspicari; alias, inquit, judicium non erit voluntarium saltem ex parte, qua est temerarium aut de re gravi. Id quidem admitto quoad conditionem rei gravis non solum propter dictam rationem, sed quia tunc non contemnis graviter proximum. Quoad vero insufficientiam indiciorum restringendam puto sic; nisi ex malevolentia, invidia, odio, similive passione voluntarie excaecatus circa insufficientiam indiciorum, ea discutere negligas, et judicium praecipites; tunc enim virtualiter illam advertis, cum debeas, et possis advertere. Et insuper alioquin vix ullum foret judicium temerarium, cum homo male affectus erga alterum facile sibi persuadeat indicia, quae habet de malo inimici, esse sufficientia. Notat bene laudatus Theologus, quod quando quis timoratae conscientiae dubitat, aut non meminit se consensisse judicio temerario, non sit metuendum de peccato mortali, quia potest prudenter existimare, vel se non consensisse, vel habuisse sufficientia indicia. Secus dicendum de iis, qui libenter vitam aliorum carpunt, et de sua salute sunt parum solliciti. Haec regula etiam currit in tentationibus sive contra fidem, sive contra castitatem, quibus frequenter torquentur timoratae conscientiae.

Circa secundum.

Merito dici judicium temerarium non esse peccatum mortale, nisi sit plene temerarium, cum tota ejus malitia ex temeritate oriatur; ita ut si nullo modo esset temerarium, hoc est, si adessent omnino sufficientia indicia, nullatenus foret peccatum; quia tunc esset judicium prudens, et rationabile, neque per illud inferretur injuria proximo: proximus enim amisit jus famae, et bonae existimationis respectu illius, cui ejus crimen sufficientibus indiciis probatur. Quod si indicia non sint quidem omnino sufficientia, proxime tamen accedant ad sufficientiam, non erit etiam peccatum mortale, quia magna probabilitas non multum distat a morali certitudine; unde non erit gravis temeritas, nec proinde gravis injuria. Et quia judicare certo est quid plusquam simpliciter opinari, opinari quam suspicari, et suspicari quam dubitare, ideo majora indicia requiruntur ad judicandum quam ad opinandum, ad opinandum quam ad suspicandum, et ad suspicandum quam ad dubitandum.

Circa tertium.

Nota malum grave in hac materia sicut in materia detractionis esse id omne et solum, quod attenta personarum, et facti qualitate est valde probrosum ac graviter nocivum honori, famae, ac bonae existimationi proximi, sive peccatum sit, sive non, quia malitia hujus peccati consistit in contemptu proximi. Quamvis ergo peccatum mortale secundum se sit materia gravis, et peccatum veniale materia levis; per accidens tamen ex personarum aut facti qualitate contrarium saepe contingit: quidam enim sunt, qui ex certis peccatis etiam mortalibus non diffamantur apud homines, nec ipsi verecundantur, sed quandoque laudi ducunt, v. g. duellum, aut fornicatio respectu militis, ebrietas respectu plebeji in his partibus, de quibus si haec temerarie judices, non peccas mortaliter, quia respectu illorum non est materia gravis: e contra quidam sunt, qui ex peccatis venialibus, aut etiam ex his, quae peccata non sunt, multum contemnuntur: ut si de Episcopo, vel summo Pontifice temerarie judices esse mendacem habitualiter.

Articulus III.

Utrum dubia de malo proximi sint in meliorem partem interpretanda?

Dubium potest dupliciter interpretari in meliorem partem. Uno modo negative non declinando in pejorem: altero modo positive declinando in meliorem.

Dico 1. Dubia de malo proximi sunt in meliorem partem interpretanda negative. Sequitur ex praecedenti articulo et ex eodem principio. Probatur. Hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionem de alio absque sufficienti causa, contemnit ipsum et injuriatur ei, ut dictum est, quod est illicitum: atqui qui dubium de malo proximi non interpretatur in meliorem partem saltem negative, sed declinat in pejorem, habet malam opinionem de proximo absque sufficienti causa, cum rationes dubitandi sint in utramque partem, et ideo insufficientes ad suspicandum aut opinandum in pejorem: ergo. Idem probant omnia, quae diximus contra suspicionem et judicium temerarium.

Dico 2. Dubia de malo proximi non sunt semper in meliorem partem interpretanda positive, sed in certis tantum casibus. Probat. 1. Quia praeceptum

bene judicandi de proximo in dubio est affirmativum sicut praeceptum illum honorandi vel diligendi, quod non obligat pro semper. Probat. 2. Vel sunt sufficientes rationes dubitandi vel non. Si primum, possumus manere dubii suspendentes judicium nec declinantes in alterutram partem ; quia dubium non est temerarium sed rationabile. Si secundum, debet statim excuti dubium, quia est temerarium, sed non est noster casus, agimus enim de dubio fundato et rationabili. Attamen, et est secunda pars conclusionis, supposito, quod re utrimque dubia aliquis actus sit eliciendus de bonitate vel malitia proximi, ille debet fieri in meliorem partem, adeoque dubium positive interpretari in meliorem partem, et id directe probant rationes primae conclusionis. Item si gravis urget tentatio male opinandi vel judicandi de proximo, quam quis vincere non posset nisi positive judicando in bonam partem, ad id etiam teneretur propter eamdem rationem.

Nota diligenter pro praxi. Quando agitur de cautela seu remedio adhibendo malis nostris vel alienis, licitum est interpretari dubia in pejorem partem, non quidem definiendo sive determinando, sed supponendo quod pejus est, aut etiam judicando quod possit esse tale : sic enim expedit, ut securius remedium seu cautela adhibeatur, quia remedium, quod est efficax contra majus malum, multo magis est efficax contra minus malum, nec ulli facis injuriam ; quia non judicas, neque suspicaris aut dubitas tuum proximum esse de facto vitiosum, sed supponis dumtaxat esse talem, aut judicas posse esse talem, quod utique verum est, nec illi injuriosum, et ex suppositione tibi tuisque caves, ac si revera talis esset. Hoc genere suppositionis passim utimur absque peccato : sic pater prohibet prudenter filiae consortium alicujus adolescentis, quia potest ab illo seduci : dominus attentus claudit arcam, custodit pecunias, quia domestici, vel hospites ignoti possunt esse fures : viator expedit arma in occursu hominis ignoti, quia potest esse latro ; vitat occursum vetulae deformis, quia potest esse saga : et sic plura alia. Cave tamen, ut semper rectum de proximo judicium in mente teneas, nec ultra sufficientiam indiciorum dubites, suspiceris, aut judices. Sic etiam tuis cave, ut per nimiam cautelam proximum non diffames aut contristeris.

DISSERTATIO VI.

De actu Justitiae commutativae, nempe de Restitutione.

D. Th. Q. 62.

Articulus I.

De quidditate et necessitate Restitutionis.

Restitutio est rei acceptae redditio, vel damni illati compensatio. Differt restitutio a solutione, et satisfactione. A solutione, quia solutio postulat, ut res, quae solvitur, sit diversa a re, pro qua solvitur, et quod nondum fuerit in possessione illius, cui solvitur. Restitutio autem non postulat, ut res, quae restituitur, sit diversa a re, pro qua restituitur, quin potius postulat, ut sit eadem quantum fieri potest, aut saltem aequivalens, et consequenter postulat quantum est ex se, ut jam fuerit in possessione illius, cui restituitur : unde qui depositum reddit, vere restituit, non tamen solvit : e contra qui dat pecuniam pro tritico empto, proprie solvit, non tamen restituit. A satisfactione distinguitur restitutio : primo quia satisfactio proprie respicit personam, cui fit satis, quamvis non exhibeat aequivalens debito : restitutio autem respicit rem, quae debet ea-

dem reddi, vel aequivalens. Secundo satisfactio respicit injuriam, illatam seu honorem violatum, etsi nullum aliud damnum sit illatum: restitutio autem respicit damnum illatum.

Dico 1. Restitutio est actus justitiae commutativae, quia ad justitiam commutativam pertinet constituere aequalitatem rei ad rem inter datum, et acceptum, inter damnum, et compensationem; atqui hoc fit per restitutionem: ergo.

Dices: Laesio justitiae distributivae obligat ad restitutionem: ergo restitutio est actus justitiae distributivae. Patet consequentia: actus destruens virtutem per oppositum actum resarcitur, ut actus intemperantiae per temperantiam. Prob. ant. Qui bona communia male distribuit, peccat contra justitiam distributivam: atqui tenetur ad restitutionem: ergo: R. N. ant. Ad prob. D. maj. Qui bona communia male distribuit, peccat contra justitiam distributivam tantum, N. simul et contra commutativam saltem regulariter. C. Ad hunc sensum D. min. Atqui tamen tenetur ad restitutionem, qua parte laedit justitiam commutativam, C. min. qua parte laedit justitiam distributivam, N. min. Quae enim debentur particularibus ex justitia distributiva tantum, non sunt ipsis simpliciter debita, sicut propria, et sua; sed secundum quid tantum ratione condignitatis, et communitatis, cujus sunt partes, ut jam dixi supra dissert. 5. Unde ad ea non habent jus in re, neque ad rem, sic ut possint ea in jure repetere ut sua: quapropter si eis fraudentur, non debent, quantum est ex hoc capite, magis illis restitui, quam debeant restitui ea, quae debentur ex religione, vel gratitudine, aliisve partibus potentialibus justitiae.

Verum raro contingit, quod justitia distributiva non habeat annexam commutativam; qui enim bona communia particularibus distribuit, vel est ad justam distributionem stipendio conductus, vel ex officio, aut pacto designatus, ad quam proinde tenetur ex justitia commutativa. Unde si male distribuat, peccat primo contra justitiam distributivam, in quantum non distribuit communia particularibus secundum proportionem meritorum. Secundo peccat contra justitiam commutativam, non equidem damnificando particulares in eo, quod est ipsis proprium, seu retinendo, quod est stricte suum, sed omittendo appropriationem, seu justam secundum merita distributionem, ad quam ex officio, subindeque ex justitia commutativa tenebatur.

Dico 2. Rei injuste ablatae, aut damni injuste illati restitutio in re, ubi possibilis est, sin minus in voto est necessaria ad salutem. Prob. 1. ex Scriptura. Matth. 22. *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari.* Ad Rom. 13. *Reddite ergo omnibus debita.* Prob. 2. ex Aug. epist. 54. quae est ad Macedon., et refertur C. *Si res aliena*, causa 14. q. 6. *Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur poenitentia, sed fingitur; si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum, sed, ut dixi, cum restitui potest.*

Prob. 3. ratione. Conservare seu non violare justitiam est de necessitate salutis: atqui qui non restituit, cum potest, injuste ablatum aut damnum injuste illatum, non conservat, quin imo violat justitiam, quia non servat aequalitatem; ergo. Confirmatur. Non furari est de necessitate salutis: atqui detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta; ergo, Dixi: *Sin minus in voto*; quia, ubi restitutio in re est impossibilis, debet tunc haberi propositum illam faciendi dum erit possibilis, quia est de necessitate salutis quod quis habeat propositum servandi omnia Dei mandata, inter quae reponitur praeceptum restituendi seu non detinendi injuste alienum, quod reducitur ad hoc Decalogi praeceptum: *Non furaberis.* Qua ratione restitutio in voto potest dici necessaria necessitate medii ad salutem.

Petes, utrum praeceptum restituendi sit affirmativum vel negativum? Resp.

esse affirmativum secundum formam, implicare tamen in se negativum, quo prohibemur rem alienam detinere, tamquam rationem sui. Patet prima pars: quia praecepto affirmativo praecipitur actus virtutis, negativo prohibetur actus vitii. Restitutio autem est actus virtutis. Patet etiam secunda pars: ratio enim, cur debeat fieri restitutio, est, quia alienum non est detinendum; non sic de aliis praeceptis affirmativis, quae licet includant negationem ut oppositam affirmationi, non tamen ut rationem sui, sic. v. g. Deus est amandus, non quia non est odio habendus, sed quia est summe bonus, et sic de caeteris.

Articulus II.

Ex quotuplici titulo nascatur obligatio restituendi?

Dico. Communiter assignantur duo tituli inducentes obligationem restituendi, scilicet res accepta, et injusta acceptio. Ratione rei acceptae tenetur restituere, qui rem alienam apud se sine sua culpa habet, ut depositum, commodatum, pignus, inventum, etc. Quia cum habeat quod suum non est, sed alienum, debet ab eo subtrahi, quod habet ultra, quod suum est, et dari ei, cui deest secundum formam commutativae justitiae, ut fiat aequalitas. Insuper quamvis in eo casu non fuerit injusta aeceptio, nec sit injusta detentio: foret tamen injusta, si res suo tempore non redderetur. Sub nomine autem rei non solum intelligitur res in se existens, sed ejus valor, item fructus existentes et id omne, ex quo, qui eam habet, factus est ditior.

Ratione injustae acceptionis tenetur restituere, qui furto, rapina, aut alia via injusta rem alienam abstulit, etsi apud ipsum non remaneat. Item, qui alium injuste damnificavit absque ullius rei acceptione (sub injusta enim acceptione hic intelligitur injusta damnificatio.) Ratio est, quia licet iste non habeat plus, quam debet habere, alter tamen ex ejus injusta actione habet minus, quam debet habere. Unde violavit erga ipsum justitiam, quam tenetur per restitutionem reparare. Quod si res injuste ablata apud ipsum maneat in se, vel in suo valore, aut inde sit factus ditior, tunc tenetur restituere duplici titulo, nempe rei acceptae et injustae acceptionis: porro non raro hi duo tituli conjunguntur, licet alteruter sufficiat.

Nota 1. Inter hos duos titulos magnum intercedit discrimen pro praxi diligenter notandum: scilicet quod illi, qui tenetur restituere ratione injustae acceptionis, maneat obligatio restituendi, etiamsi res debita sine ejus culpa pereat, quia semper manet ratio, seu titulus obligationis, scilicet justitiae violatio, quousque per restitutionem reparetur. Neque rem solam, aut ejus valorem tenetur restituere, sed et omnes fructus etiam consumptos, item omnia damna inde emergentia et lucra cessantia ei, quem injuste damnificavit, quia illorum est causa culpabiliter. Is vero, qui tenetur restituere ratione rei acceptae tantum, non tenetur restituere, si res absque ejus culpa pereat, ut in deposito, v. gr. quia tunc cessat ratio, seu titulus obligationis, quod est habere rem alienam. Neque etiam tenetur restituere fructus, si sint consumpti, et inde non sit factus ditiòr, neque damna emergentia, aut lucra cessantia, quia illorum non est causa. De his fusius iterum in sequentibus, dum de possessore bonae, et malae fidei.

Nota 2. Posset assignari tertius titulus, inducens obligationem restituendi, scilicet contractus: aliquis enim potest obligari ad restitutionem rei, quam nec amplius habet, nec injuste accepit vi solius contractus. Sed quia ex contractu videtur oriri obligatio solutionis potius, quam restitutionis, et duo soli priores tituli omnibus noti communiter assignantur, ut loquamur cum omnibus, nec

pariatur confusio, solos etiam hos duos titulos assignamus. De obligatione tamen solvendi vel restituendi ex contractu dicemus infra.

Articulus III.

Utrum incurratur obligatio restituendi ratione damni illati absque culpa theologica?

Nota. Duplex distinguitur culpa; altera theologica, altera juridica. Culpa theologica est peccatum formale coram Deo sive mortale sive veniale. Culpa juridica est omissio alicujus diligentiae, ex qua alteri sequitur damnum. Talem, inquam, omissionem Juristae vocant culpam, etiamsi forte coram Deo non sit culpa, puta quia vel est involuntaria, vel non est talis diligentiae, quam quis tenetur adhibere. Quod si sit omissio voluntaria talis diligentiae, quam quis potest et tenetur adhibere, erit simul culpa theologica et juridica.

Culpa juridica dividitur in latam, levem, et levissimam. Lata est omissio diligentiae, quam solent homines prudentes adhibere in tali casu, in tali negotio: ut si quis exeat domo non clauso ostio cubiculi interioris. Levis est omissio diligentiae, quam prudentiores adhibere solent, ut si quis exeat clauso quidem ostio cubiculi, sed non obserato. Levissima est omissio diligentiae, quam prudentissimi adhibere solent, ut si quis clausum, et obseratum ostium non tentaverit manu, num bene esset obseratum.

Quaeritur itaque, an in damnificatione simplici, in qua nullum emolumentum obvenit damnificanti, requiratur culpa theologica, seu quod coram Deo peccaverit, ut sit obnoxius restitutioni, an sufficiat causa juridica. Pro quo

Dico. Nemo secluso contractu tenetur ad restitutionem ratione damni illati ante sententiam judicis, nisi in damno inferendo admiserit culpam theologicam contra justitiam commutativam: est communis contra Adrianum et quosdam antiquos. Prob. 1. Damnificans in casu posito non tenetur restituere ratione rei acceptae, quia, ut supponitur, nihil accepit, nec ex damno factus est ditior; neque ratione injustae actionis, quia ubi nulla est culpa coram Deo, non est formaliter injusta actio damnificans; neque ex jure positivo, nullum enim assignari potest extra contractum: ergo ex nullo capite tenetur restituere. Confirm. Si damnificatio materialiter tantum injusta induceret obligationem restituendi, sequeretur, quod amens, aut dormiens, aut casu mere fortuito damnificans proximum teneretur ad restitutionem, quod nemo admittit. Igitur quantumvis ex facto tuo sequatur damnum alterius, si coram Deo revera non peccaveris, vel quia adhibuisti debitam diligentiam, vel quia illam ex inadvertentia naturali aut oblivione inculpabili omisisti, quamvis dicatur culpa lata in jure, non teneris restituere in foro conscientiae ante sententiam judicis. Idque verum est etiam, licet damnificans vacet rei illicitae, modo non sit periculosa et quasi via ad damnum, sic ut nec per se, nec ut in pluribus ex ea sequatur, nec poterit humano modo praevideri secuturum, quia licet causa sit voluntaria, non est tamen voluntaria, ut causa talis damni, quod non potuit humano modo praevideri ex ea secuturum. Unde si venando in loco aut tempore prohibito occidas hominem putans invincibiliter occidere feram, non teneris restituere causa homicidii.

Dixi *ante sententiam judicis*; quia judex, ubi est culpa lata juridica, licet non sit culpa theologica ex inadvertentia naturali aut alio casu, solet condemnare damnificantem ad restitutionem, seu potius solutionem, aut ad deditionem animalis, si per animal damnum sit illatum, nisi aliunde certo constet de ejus innocentia. Atque huic sententiae tamquam justae probabilius tenetur parere in fo-

ro conscientiae damnificans : non enim haec sententia nititur falsae praesumptioni, ut quidam putant ; quia judex te condemnat, non quia praesumit te peccasse interne coram Deo, sed quia peccasti externe, hoc est, quia omisisti diligentiam, quam prudentes solent adhibere, propter quam culpam juridicam etsi non theologicam jura decernunt obligationem restituendi accedente sententia judicis. Et quidem juste, tum quia culpa lata juridica solet provenire ex culpa theologica, licet contrarium quandoque per accidens contingat ; leges autem attendunt ad id, quod plerumque contingit ; tum propter bonum commune, ut nempe homines sint in rebus suis custodiendis attentiores, et in damno proximi vitando cautiores.

Articulus IV.

Utrum culpa theologica venialis inducat obligationem restituendi et qualem ?

Difficultas est de veniali culpa ex imperfectione actus et gravi damno illato, circa quam est sententiarum diversitas. Pro cujus resolutione

Dico 1. Probabilius est eum, qui ex culpa veniali graviter damnificavit proximum, teneri ad aliquam restitutionem : est contra Lessium, et quosdam alios. Ratio est, quia sicut imperfectio actus licet minuat, non tamen tollit omnem rationem injustitiae, sic licet minuat, non tamen tollit omnem obligationem restituendi, quae ex justitia tamquam ex radice oritur.

Dico 2. Minus probabile videtur eum, qui ex culpa veniali grave damnum intulit, teneri sub mortali ad reparationem totius damni : est Sylvestri, Soto, Sylvii, Steyart, et communior contra Henricum a S. Ignatio, et quosdam alios recentiores. Prob. Obligatio restituendi hic attenditur principaliter, non ex parte objecti, seu damni, sed ex parte injustitiae formalis : agimus enim de restitutione ratione injustae acceptionis ; et si nulla esset formalis injustitia, quantumvis foret grave damnum, nulla foret obligatio restituendi, ut dixi artic. praecedenti ; atqui in nostro casu est injustitia imperfecta : ergo debet esse obligatio restituendi imperfecta, effectus enim debet respondere causae, non foret autem imperfecta, si esset ad totum restituendum sub mortali.

Dico 3. Probabile est eum, qui ex culpa veniali damnum grave intulit, teneri sub veniali ad totius damni reparationem. Aeque tamen probabile est ad minus non teneri sub veniali, nisi ad partem damni tantum, pro conditione culpae secundum arbitrium boni viri. Ratio primae partis est, quia totum damnum est voluntarium, licet imperfecte ; ergo videtur, quod sit obligatio totum reparandi imperfecta, scilicet sub veniali. Ratio secundae partis est e contra, quod obligatio reparandi totum sub veniali non videatur imperfecta nec proportionata culpae levi, ex qua oritur : est quidem imperfecta ex parte sui, quia non est adeo stricta ; sed non est imperfecta ex parte objecti, quia est ad totum, nec proinde proportionata culpae, sicut poena gravis non est proportionata culpae levi, quamvis reus ad eam tantum leviter adstringeretur. Et sane durum videtur, quod quis sub peccato veniali teneatur refundere viginti vel quadraginta millia librarum et ultra, et quod non possit ab eo peccato liberari, nisi totam hanc summam refundat : quapropter multis convenientius videtur dicendum, quod teneatur tantum ad partem, puta quinquagesimam, octuagesimam, etc. pro quantitate culpae secundum judicium prudentum. Nota tamen quod si causa damni a me inadvertenter posita adhuc influat in damnum, non diffiteor, me si id plene adverto teneri ex justitia sub mortali impedire, et si non impediam me teneri sub mortali restituere.

Petes an culpa exterior venialis cum interna intentione mortali nocendi graviter, inducat obligationem restituendi sub mortali, sequuto gravi damno? R. probabilius negative, quia obligatio restituendi oritur tantum ex actione externa influente in damnum, quae in casu ex se leviter tantum influit, nec voluntas interna graviter nocendi auget influentiam actionis externae

Caeterum quidquid sit de speculatione hujus quaestionis, communiter advertunt cujusvis sententiae Auctores raro contingere in praxi, quod causetur damnum grave ex culpa veniali, quia licet inconsideratio venialis sit frequens in subreptitiis cogitationibus et internis animi motibus, qui saepe facile et subtiliter oriuntur, et quidem circa objecta naturali inclinationi conformia, raro tamen contingit in operibus externis gravis momenti, quia ordinarie statim suum periculum ingerunt et fortius mentem excitant ad sui considerationem, aut saltem confusam periculi cognitionem. Unde nisi certo constet inadvertentiam fuisse venialem, habenda est in praxi pro mortali, conformis scilicet damno, et inculcanda est obligatio restituendi sub mortali.

Articulus V.

Utrum et quando culpa juridica inducat obligationem restituendi ratione contractus, et quasi contractus, seu officii?

Dico 1. in commodato recipiens tenetur de damno ex culpa levi, et levissima, non tamen ex casu fortuito. In precario tenetur ex culpa lata tantum. In contractibus vero, qui sunt in utilitatem dantis et recipientis, ut in locato, tenetur ex culpa levi. Ita, non quidem ex natura rei, quia stando in jure naturae nemo ex stricta justitia tenetur majorem diligentiam adhibere in conservandis rebus alienis, quam ipse dominus adhiberet; sed ex dispositione Juris tam Canonici, quam Civilis in pluribus locis. Hae leges videntur obligare in foro conscientiae ante sententiam judicis, quia ista obligatio restituendi in his contractibus non tam videtur poena, quam conditio illis apposita ex legum statutis. Neque dicendae sunt fundatae in falsa praesumptione fraudis, sed potius in aequitate et honestate naturali.

Petes, utrum qui rem vel conductam, vel commodatam, vel depositam remittit per nuntium, teneatur ad restitutionem seu solutionem, si res culpa nuntii pereat? Resp. cum Sylvio sub distinctione: si nuntius habeatur communiter fidelis, non tenetur, quia non est in culpa. Si nuntius non habeatur communiter fidelis, tenetur, quia est in culpa. Nec est simile de eo, qui remitteret rem mutuatam, quia res mutuata est mutuatarii, quamdiu non pervenit ad mutuatorem: unde quamvis sine culpa mutuatarii pereat, ipsi ut domino perit: res vero commodata, locata, deposita est commodantis, locantis, deponentis, et non commodatarii, locatarii, aut depositarii, unde si sine hujus culpa pereat, ad nihil tenetur, et perit domino.

Dico 2. Qui agunt ex quasi contractu seu ex officio, ut sunt Tutores, Judices, Advocati, Medici, Chirurgi, etc. non videntur teneri de damno ex quavis culpa juridica, nisi sit simul theologica, quia vel nullae sunt leges, quae de his officiis id clare decernant, sicut diximus esse de veris et apertis contractibus; vel si sint, non videntur receptae in praxi quoad forum conscientiae; id enim suadet communis hominum sensus: nullus est enim, aut vix ullus, qui existimet Medicum, Chirurgum, Advocatum, Tutorem, et similes teneri in conscientia, et coram Deo ad restitutionem, si in conscientia, et coram Deo non peccaverint: et sane si res aliter se haberet, quis vigilantissimus, et peritissimus his officiis fungi vellet, cum saepe contingat vigilantissimis, et peritisssi-

mis ex inadvertentia, oblivione naturali, aliove casu obrepere aliquam levem, aut levissimam culpam juridicam, ex qua tenerentur restituere, quamvis essent coram Deo sine culpa?

Caeterum fateor eos, qui inserviunt ex officio stipendio conducti, teneri stricto jure naturae majorem adhibere diligentiam, quam qui ex charitate gratis inserviunt; et hanc si omittant voluntarie, peccare coram Deo, et teneri ad restitutionem.

Articulus VI.

Quid et quantum sit restituendum a Possessore bonae fidei ratione rei acceptae?

Nota 1. Possessor bonae fidei est, qui bona fide credit rem, quam possidet, esse suam. Possessor malae fidei est, qui sciens, aut dubitans rem esse alienam, eam accipit, aut detinet invito rationabiliter domino. Nota 2. pro praesenti, et sequentibus articulis, quod cum in partem restitutionis veniant, non solum res accepta, sed etiam fructus rei, (fructus autem est utilitas, quae colligitur ex re deductis expensis) distinguendi sunt fructus quadruplicis generis, scilicet mere naturales, mere industriales, mixti, et civiles.

Fructus mere naturales sunt, quos sponte fert natura nullo, aut saltem levi hominum labore cooperante, ut sunt herbae pratorum, fructus arborum, foetus animalium, etc. Fructus mere industriales sunt e contra, quos solus hominum labor, vel industria profert, non rei natura, licet concurrere possit ut instrumentum hominis laborantis, et industrii. Tale est lucrum ex negotiatione pecuniae, vini, frumenti, et similium rerum de se sterilium; similiter opus artificiosum, instrumento alieno elaboratum, non instrumenti sed industriae fructus censetur. Fructus mixti sunt, ad quos producendos natura rei, et hominis industria concurrunt aequaliter, vel fere aequaliter; hic enim quod parum distat, nihil distare videtur, ut sunt segetes, vinum, oleum, butyrum, caseus, etc. Fructus civiles sic dicuntur, non quod sint proprie fructus, sed quia in jure ad instar fructuum reputantur: tales sunt pretia rerum elocatarum, ut domorum, navium, jumentorum, piscationis, venationis, etc. Possunt revocari ad fructus mixtos, quia ad illos non solum concurrit industria, sed res ipsa, equus, domus, etc. Ubi dubium est, cujus generis sint fructus, standum est arbitrio judicis, vel viri prudentis, et docti.

Nota 3. Sed quia in restitutione fructuum solent deduci expensae (fructus enim, ut jam dixi, est utilitas ex re deductis expensis) distinguendae sunt triplicis generis expensae. Aliae sunt necessariae, sine quibus res, aut periisset, aut deterior evasisset: ut reparatio aedificii ruentis, alimenta animalium, etc. Quaedam sunt utiles, quae licet non sint necessariae rei conservationi, conducunt tamen ad ejus meliorationem, et reditum ejus augent, ut plantationes arborum, aquarum adductiones, adjectio pistrini, etc. Aliae sunt voluptuariae, seu voluntariae, quae fructum non augent, sed speciem tantum exornant, ut aquae salientes, incrustationes, picturae, statuae, etc. Ex quibus licet res pluris aestimetur, quia tamen non reddit plures fructus, ideo dicuntur expensae voluptuariae, seu voluntariae; sub ratione autem expensae intelligendus est labor, et industria possidentis.

Nota 4. Tamdem melioratio sicut et deterioratio est duplex, una intrinseca, ut dum res in se mutata fit melior, vel deterior, v. g. si pullus evadat equus, bos macer fiat pinguis, aut e contra pinguis fiat macer: extrinseca, dum res in se immutata pluris tamen, nel minoris aestimatur ob emptorum, vel mer-

cium multitudinem, aut inopiam, sive ex auctoritate legis, v. g. frumentum, quod heri valebat 3., hodie valet 4., vel e contra. His notatis,

Dico 1. possessor bonae fidei in tantum tenetur restituere, in quantum possidet de re aliena, et ejus fructibus, seu emolumento, ita ut quantitas rei possessae, et ejus fructuum extantium, aut emolumenti inde provenientis, sit mensura restitutionis faciendae, quia id requiritur, et sufficit ad restaurandam aequalitatem secundum formam justitiae commutativae. Ex hac generali assertione, et regula deduco sequentes conclusiones, primo circa rem, deinde circa fructus. Unde

Dico 2. Possessor bonae fidei statim ac intelligit rem, quam possidet, esse alienam, tenetur eam adhuc extantem in toto, vel in parte restituere, nisi forte eam legitimo tempore praescripserit. Ratio patet, quia, qui habet ultra, quod suum est, debet ei subtrahi, et dari, cui deest, alioquin non salvatur justitia, et fit iniquus detentor. Quod si rem consumpserit, vel casu, aut etiam ejus culpa perierit, non tenetur quidquam restituere, nisi id, in quo ex ea factus est ditior. Patet prima pars, quia non tenetur ratione rei acceptae, quae amplius non est, neque ratione injustae acceptionis, aut distractionis, quia bona fide possidebat: et quamvis forte peccaverit eam prodige, aut aliter dissipando, non tamen peccavit contra justitiam commutativam, cum disposuerit de re, quam invincibiliter putabat esse suam. Patet etiam secunda pars, quia id, in quo factus est ditior, succedit loco rei, et contra jus naturale est, quod quis ditescat cum alterius injuria, juxta hanc regulam juris 8. in 6. *Locupletari quis non debet cum alterius jactura.*

Inferes 1. Possessorem bonae fidei, qui rem alienam amico donavit, alias nihil daturus, ad nihil teneri, quia non est factus ditior. Si ex suis erat daturus tenetur in quantum suis pepercit; et si occasione aliud donum ab Amico recepit, etiam istud subjacet restitutioni 2. Qui bona fide rem alienam dono acceptam vendidit, tenetur pretium reddere Domino, nisi illud expenderit alias ex suis nihil expensurus. An vero si summo pretio vendiderit, possit sibi retinere, quod superexcedit pretium medium, quasi fructum industriae? R. probabilius negative, quia ubicumque res sit, domini est, et domino valet, quod ibi valet, sive tanti valuisset inter manus domini, sive non; nisi forte contingat auctarium provenire ex singulari, et sola industria Possessoris, tunc enim totum ipsius esset. Inferes 3. Qui vinum furtivum bibit, alias non bibiturus ad nihil tenetur; si suo vino ideo pepercit, tenetur in quantum factus est ditior.

Dico 3. Possessor bonae fidei tenetur restituere omnes fructus naturales, mixtos, et civiles adhuc extantes (nisi forte eos triennio praescripserit) deductis tamen expensis necessariis, et utilibus, atque aestimatione industriae, et laboris. Ratio est, quia sunt fructus rei, res autem fructificat domino suo. Neque obstat quod fructus mixti, et civiles non sint meri fructus rei: hoc ipso enim quod deducitur pars correspondens expensis, et aestimationi laboris, et industriae, totum quod superest, est fructus rei. Neque etiam obstat, quod res forte non ita fructificasset apud dominum, id enim pertinet ad bonam fortunam domini, quia ubicumque res fructificat, domino fructificat. Quod si fructus non amplius extent, quovis modo absumpti fuerint, tenetur tantum ad id, in quo factus est ditior ut patet ex prima conclusione et habetur in jure L. *Item veniunt* §. *Praeter haec ff. de petitione haereditatis* Lib. 5. tit. 3.

Dixi: *Deductis expensis necessariis, et utilibus, atque aestimatione laboris, et industriae*, necessariae scilicet, et utilis. Alioquin dominus haberet plus quam debet habere, et ditesceret ex alieno: et habetur in jure L. *Fructus ff. Soluto matrimonio*, ubi dicitur: *Fructus non intelliguntur nisi deductis impendiis.* Caeterum notandum circa expensas utiles, quae nimirum rem meliorem, et

utiliorem efficiunt, dominum rei non teneri refundere possessori bonae fidei ipsius meliorationis valorem, sed expensarum tantum, si tamen valorem meliorationis non excedant. Ita L. *In fundo ff. de rei vindic.* lib. 3. tit 1.

Quantum ad expensas, seu meliorationes voluptuarias convenit inter Auctores eas a possessore bonae fidei posse auferri, si separari possunt a re absque ejus destructione, aut deterioratione, ut sunt horologia, picturae, portae, fenestrae, etc. vel si non accesserint fundo per implantationem, ut arbores (et hoc etiam verum est de possessore malae fidei). Quod si auferri non possint absque rei deterioratione, aut per implantationem fundo accreverint, videtur probabilius dominum rei ad eas expensas non teneri saltem in foro conscientiae; non enim aequum videtur, quod solvat expensas, quas noluisset facere, et quae ipsi nullam utilitatem afferunt. Favetque L. *Ex duobus* 27. *ff. de negotiis gestis* lib. 3. tit. 5.

Dico 4. Quantum ad fructus mere industriales, nihil quidquam ex iis tenetur restituere possessor bonae fidei (quod etiam verum est de possessore malae fidei) etiamsi inde factus sit ditior. Est communis. Ratio est, quia fructus ad eum pertinent, ad quem pertinet causa fructifera; atqui res aliena utpote sterilis, ut supponitur, non est causa horum fructuum, sed sola possessoris industria: ergo.

Hinc inferes 1. eum qui ex pecunia aliena, sive juste, sive injuste acquisita lucrum facit, non tenetur ad lucri restitutionem, sed solius pecuniae. 2. Thesaurarii quaestores etc. qui pecuniis sibi commissis, et apud se depositis negotiando lucrantur (salva sorte quocumque modo perierit) lucrum sibi faciunt. Possunt peccare contra fidelitatem, et obedientiam, si eis prohibeatur, aut praesumantur inviti Domini, et in poenam delicti lucro privari, sed non peccant contra justitiam.

Articulus VII.

Utrum qui bona fide emit rem furtivam, ubi novit esse furtivam, teneatur eam reddere vero domino?

Quaestio est de emptore bonae fidei, qui rem sibi emit, et quam, si domino reddat, pretium furi datum verisimiliter sit amissurus; et de fure qui rem sibi redditam probabiliter domino non reddet.

Dico. Probabilius est, quod, qui bona fide rem furtivam emit, ubi rescit esse furtivam, teneatur eam reddere immediate vero domino et non furi, etiamsi suum pretium a fure non sit recuperaturus. Prob. 1. Nemo potest rem alienam contrectare seu de ea disponere invito rationabiliter domino; id enim est proprie furtum: atqui dominus est rationabiliter invitus, dum res sua redditur furi sibi peritura: ergo. Prob. min. Dominus non tenetur in id consentire: ergo est rationabiliter invitus. Prob. ant. Tum quia res clamat ad dominum, tum quia dominus habet jus eam repetendi, et ipsi repetenti tenetur emptor reddere, ut modo dicam: ergo non tenetur consentire. 2. Si dominus repetat rem suam sive juridice sive privatim, emptor tenetur ei reddere, et certo ad id a judice condemnabitur, ut fatentur ipsimet adversarii: atqui repetitio non confert domino jus, ut res sua ipsi immediate restituatur, sed supponit, et ex omissione repetitionis propter ignorantiam non amittit tale jus: ergo etiam non repetenti debet restitui. 3. Si fur non compareat, aut ab eo emptor non possit pretium suum recuperare, non potest rem illam alteri vendere aut in suos usus convertere, ut se servet indemnem, ex ipsis adversariis: ergo nec furi restituere.

Probat. 4. Ideo secundum adversarios emptor bonae fidei potest rem furi

reddere, quia in hoc nullam facit injuriam domino, cum rem ejus in eodem statu reponat, in quo antea invenit, et a quo non tenetur extrahere cum aequali suo damno. Hoc est praecipuum contrariae partis fundamentum: verum falsum est, quod assumitur, nimirum in hoc nullam fieri injuriam domino. Primo, quia falsum est rem poni in eodem statu ac ante; fur enim advertens se in suspicionem furti venire, rem diligentius occultabit aut longius distrahet, sicque erit in pejori statu quam ante, quia difficilius recuperabilis. Secundo, dato quod res non ponatur in pejori statu quam ante, saltem ponitur in pejori statu quam sit de facto apud emptorem, ubi est secure: atqui id non fit sine injuria domini ergo. Prob. min. Melioratio rei qualiscumque sit, pertinet ad dominum, ad quem semper et ubique clamat: atqui status securitatis apud emptorem est quaedam rei melioratio: ergo non potest ab illo statu extrahi et in pejori reponi absque injuria domini.

Obj. Nemo tenetur procurare bonum alterius aut impedire ejus damnum cum aequali suo damno, nisi ad id teneatur ex contractu seu quasi contractu seu ex debito: ergo emptor bonae fidei non tenetur reddere rem domino cum amissione sui pretii. R. D. ant. Nemo tenetur procurare bonum alterius cum suo damno, si procuratio alterius boni sit causa damni, transeat antecedens: secus, N. ant. Jam autem hic redditio rei furtivae domino, in qua sita est haec ejus boni procuratio, non est causa tui damni seu amissionis pretii, jam enim ante amissum est, cum illud tradidisti; sed causa fuit vel furis malitia vel tua imprudentia aut infortunium. Haec distinctio diligenter retinenda est pro solutione argumentorum a paritate, quae sunt difficiliora.

Petes, utrum siquis rem furtivam bona fide emit, et eadem bona fide durante alteri vendidit, res illa debeat adhuc reddi domino? R. affirmative: militant enim semper eaedem rationes ac ante.

Sed cujus dispendio? An primi, an secundi emptoris? R. Dispendio primi emptoris, qui debet rescindere contractum cum ejus emptore, reddendo illi ejus pretium, et rem adhuc extantem vero domino: nec sufficit, si cedat secundo emptori actionem, quam habet in furem, quocum secundus emptor nullum habuit negotium. Ratio est, quia esto forte venditor secundum leges civiles, de quibus infra tract. de contract. acquirat dominium pretii, istud tamen dominium est infirmum et vinculatum, quatenus venditor tenetur secundum easdem leges et naturam contractus de evictione rei venditae, hoc est tenetur emptorem indemnem servare, si rem emptam debeat reddere domino, prout debet in casu, consequenter tenetur ipsi refundere pretium.

Verum major est difficultas casu, quo secundus emptor non compareat, aut res sit consumpta, an teneatur primus emptor refundere pretium domino rei? R. probabilius, quod debeat istud pretium reddere domino rei ratione rei acceptae adhuc existentis, non in se quidem, sed in sui valore, quia secundus emptor non intendit transferre dominium pecuniae suae nisi in dominum rei, et nisi in quantum sibi transfertur dominium rei venditae: atqui primus emptor non est dominus rei, neque hujus dominium transfert in secundum emptorem, neque aliqua lege transfertur: ergo primus emptor tenetur istud pretium restituere: et cum non possit restituere secundo emptori, quia non comparet, aut rem in suam utilitatem consumpsit, ex ejus voluntate praesumpta tenetur restituere domino rei, ut sic compensetur et fiat aequalitas.

Articulus VIII.

De Restitutione facienda a Possessore malae fidei.

Petes 1. Quid et quantum restituere teneatur possessor malae fidei? R. Possessor malae fidei ultra quod tenetur restituere ea omnia, ad quae diximus teneri possessorem bonae fidei ratione rei acceptae, nimirum rem extantem, fructus omnes naturales, mixtos, et civiles extantes, aut id, in quo ex his factus est ditior; insuper tenetur ratione injustae acceptionis restituere, 1. valorem rei quocumque modo etiam casu perierit; 2. omnes fructus, exceptis industrialibus, quos ipse percepit, etsi dominus non percepisset, aut quos dominus legitime percepisset, etsi ipse non perceperit, sive extent, sive non, sive ex his sit factus ditior sive non. 3. omnia lucra cessantia, aut damna emergentia domino ex injusta acceptione, aut detentione rei suae, quia iniquus possessor per injustam acceptionem, et detentionem rei alienae horum omnium damnorum est causa voluntaria, et tenetur reparare justitiam, et aequalitatem, quam sic voluntarie violavit; haec autem reparatio fieri non potest nisi per omnium praedictorum restitutionem.

Haec autem intelligenda sunt quamdiu res existit, sive maneat apud iniquum possessorem sive ad alium quocumque modo transeat: quando autem res non amplius existit, non amplius fructificat domino, et tunc non tenetur iniquus possessor restituere fructus, qui perciperentur, si adhuc existeret, nisi casu, quo apud dominum diutius perstitisset, et ex ea fructus ulteriores ipse percepisset; tunc enim etiam illos secundum quantitatem spei iniquus possessor tenetur restituere, quia est etiam causa istius damni seu lucri cessantis.

Petes. 2. Utrum malae fidei possessor teneatur praestare valorem rei, si apud ipsum pereat certo peritura apud dominum? Suppono ut certum apud omnes, quod, si res esset peritura apud dominum per injuriam tertii, fur seu possessor iniquus teneatur restituere: v. g. occidis equum Caji, quem Titius certo occidisset; furatus es, et consumpsisti vinum, quod fur alter pariter surripuisset, si mansisset apud dominum, teneris, quia sicut ille alter furando contraxisset obligationem restituendi, ita tu prius furando prius contrahis obligationem.

Sed difficultas est casu, quo res pereat apud possessorem malae fidei certo peritura eodem modo et eodem tempore apud dominum: v. g. furatus es equum, moritur apud te, eodem modo moriturus apud dominum: navi vectus merces alterius surripuisti, orta tempestate omnes merces cum tuo furto pereunt: tenerisne ad restitutionem valoris equi vel mercium? Alii affirmant, alii negant; ego puto distinguendum. Unde R. Vel res manifeste apparet certo brevi peritura, vel non apparet manifeste: si primum, non tenetur restituere possessor malae fidei; si secundum, tenetur. Primam partem non puto a quoquam esse negandam, quia res in illo casu nullius est valoris, et habetur moraliter perdita; unde ex injusta detentione nullum damnum sequitur domino. Ratio exemplis clarior fiet. Furatus es equum ita manifeste aegrum, ut ante diem elapsum sit moriturus: surripuisti boves, oves, ab irruentibus hostibus jamjam abducendos, suppellectilem ab incendio, merces a naufragio, et haec apud te eodem casu et eodem moraliter tempore abducuntur, aut pereunt, non teneris quidquam restituere, quia res illae tempore ablationis nullius erant valoris, nec coeperunt apud te valere domino, cum semper fuerint in eodem periculo.

Prob. secunda pars, quae magis controvertitur. 1. Possessor malae fidei

duplicem contrahit obligationem, unam ratione rei acceptae, alteram ratione injustae acceptionis seu detentionis; et dominus acquirit duplicem actionem, unam in rem, alteram in personam possessoris. Re pereunte extinguitur quidem prima tam obligatio quam actio, at non secunda; haec enim tamdiu permanet, quamdiu fur non reparat justitiam et aequalitatem, quam violavit, ut patet et ex natura rei et ex communi sensu Theologorum ac Jurisperitorum: atqui haec reparatio non fit nisi per restitutionem: ergo si non fiat restitutio, dominus laeditur in hoc suo jure seu actione.

Dices injustam acceptionem non parere obligationem restituendi in fure, neque actionem domino tribuere, nisi in quantum est damnificativa; atqui non est damnificativa in casu, quo res aeque periisset apud dominum: ergo. R. N. min. Hoc ipso enim, quo dominum rationabiliter invitum re sua non manifeste peritura spolias, quamvis sit illa ex alia causa ignota privandus, efficaciter ipsi damnum infers, quia in tali casu res tanti valet secundum aestimationem hominum, ac si non esset peritura. Quod autem dominus sit cras eadem re ex causa non praevisa privandus, non facit, quod tu illam causam praeveniens damnum ipsi non inferas; sed solum facit, quod damnum, quod cras alteri causae, puta igni vel naufragio foret imputandum, tibi nunc imputetur: sicut quod tu occidas hodie Titium, qui cras esset occidendus a fera, non facit, quod non sis vere homicida, verus damnificator, et vere obligatus restitutioni, sed solum facit, quod haec occisio tibi hodie imputetur, alioquin cras imputanda ferae. Et mirum videtur, quod adversarii haec omnia etiam quantum ad obligationem restituendi concedant, si Titius cras foret injuste occidendus a causa libera, et negent de causa necessaria, siquidem occisio futura per causam necessariam non magis impediat, quin tua praesens occisio sit damnificativa, quam si foret a causa libera.

Prob. 2. Qui inique surripit rem alienam aut eam injuste detinet, juxta hominum apprehensionem et omnia jura suscipit in se omne rei periculum, et ideo dicitur communiter, quod possessor malae fidei teneatur de casu fortuito, ita quod in tali casu res non pereat domino, sed injusto possessori, sicut vi contractus assecurationis res perit assecuratori et non domino, hoc sensu, quod assecurator debeat refundere valorem rei domino: unde in nostro casu eatenus fit melior conditio domini, quod acquirat jus, ut res sua seu ejus valor ipsi reddatur, ad quemcumque statum perveniret: ergo si non reddatur, laeditur in isto jure et damnificatur. Confirm. Si res heri empta et tradita non soluto pretio, pereat hodie apud emptorem, eodem modo peritura apud venditorem, tenetur emptor nihilominus solvere pretium, de quo fuit heri conventum: ergo similiter fur tenetur praestare valorem rei furtivae. Patet conseq. Quia obligatio furis ex delicto parta non magis extinguitur per interitum rei quam obligatio emptoris ex contractu. Et si dicas per emptionem et traditionem fieri dominum rei, rem autem perire domino, dicam ego, ut supra, furem per injustam detentionem suscipere in se omne rei periculum, et sic illi rem perire hoc sensu, quod ejus valorem praestare teneatur.

Petes 3. Ad quid teneatur possessor malae fidei ratione meliorationis et deteriorationis? R. 1 Possessor malae fidei tenetur restituere rem seu ejus valorem secundum statum meliorationis sive intrinsecae sive extrinsecae, quem habuisset apud dominum, si possessor iniquus eam non surripuisset, aut detinuisset, etiamsi apud ipsum in eo optimo statu non fuerit. Est communis, et certa: quia cum per injustam suam ablationem, aut detentionem impediverit hanc optimam rei meliorationem apud dominum, evidens est, quod teneatur eam compensare. Quod si melioratio futura apud Dominum erat incerta, licet quidam existiment restitutionem esse faciendam secundum summam meliorationem, quae sperabatur, ve-

rius tamen videtur esse faciendam secundum valorem spei, seu aestimationem meliorationis ut speratae, quia melioratio incerta non tanti valet, quanti valet certa.

R. 2. Possessor malae fidei tenetur praestare valorem rei secundum optimum statum meliorationis tam intrinsecae quam, extrinsecae, quem apud ipsum habuit quamvis haec melioratio non fuisset apud dominum aut ipsi non profuisset. Sit casus. Furatus es pullum, qui apud te adolevit in equum robustum, et deinde senuit; en melioratio et deterioratio intrinseca: furatus es mense Septembri mensuram tritici valentem tribus aureis, mense Januario apud te servatum valet quatuor aureis, mense Junio vicina messe valet tantum tribus aureis aut minus; en melioratio et deterioratio extrinseca. Teneris, inquam, reddere valorem equi generosi et quatuor aureos pro mensura tritici, etiamsi talis melioratio domino non profuisset, sive quia ante tempus meliorationis equum aut frumentum distraxisset, sive quia usque ad tempus deteriorationis servasset, ita quod si tempore, quo restituis, res adhuc extet apud te in deteriori statu, non sufficit eam ut talem restituere, sed teneris aliquid addere ad compensandam meliorationem praeteritam.

Prob. ex praecedentibus principiis. Primo, res quamdiu permanet, melioratur domino sive intrinsece sive extrinsece, et quanti valet quovis tempore, tanti domino valet: ergo malae fidei possessor domino damnum infert, dum eam ipsi non restituit secundum quod pluris valuit. Neque dicas etiam decrescere domino, id enim falsum esse ostendimus; quia, ut probavimus, possessor malae fidei suscipit in se omne rei periculum, et inde fit melior fortuna domini: unde sicut si res casu apud ipsum furem pereat, etiam certo peritura apud dominum, tenetur eam quasi extantem in suo valore praestare, ut dictum est; ita etiamsi res deterioretur, quamvis apud dominum esset deterioranda, tenetur reddere non deterioratam, sed ut ante melioratam apud se. Secundo, quando possessor malae fidei rem alienam detinuit tempore majoris valoris sive intrinseci, sive extrinseci, tenebatur reddere, ut erat, et ex tunc ratione injustae detentionis contraxit obligationem eam restituendi secundum illum summum valorem, quem habebat, non secus ac si tunc primo accepisset; *Detinere enim id, quod alteri debetur*, inquit S. Thomas, *eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta*: atqui obligatio semel contracta ratione injustae acceptionis seu detentionis, sicut non extinguitur per fortuitum rei interitum, ut dictum est, ita nec per subsequentem deteriorationem, sed per solam restitutionem aut domini condonationem: ergo.

Petes 4. Utrum possessor malae fidei possit deducere expensas in re conservanda, vel melioranda factas? R. Probabilius est expensas necessarias, et utiles posse in foro conscientiae deduci a possessore malae fidei, et dominum teneri secundum justitiam eas ipsi refundere. Est D. Th. in hac parte q. 100. a. 6. ad 3. ubi cum dixisset, quod qui simoniace accepit beneficium, teneatur restituere non solum fructus perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuerunt a possessore diligenti, subdit id intelligendum esse *deductis expensis factis causa fructuum*.

Prob. responsio ratione. Inter possessorem malae fidei, et dominum rei intercedit virtualis, et tacitus contractus, quo dominus adstringit furem, ut si rem non restituat, eam conservet, et in quantum potest, perficiat, faciatque ideo expensas ad haec necessarias: ergo tenetur dominus has expensas, tamquam ex ejus voluntate factas refundere, dum res ipsi restituitur. Prob. ant. Quia jure praesumitur dominum velle, ut res sua maneat integra, imo et in quantum possibile est, augeatur in suum commodum: ergo ad haec intendit obligare furem in suppositione, quod rem retineat. Dico *in foro conscientiae*, quia in foro ex-

teriori possessor malae fidei in poenam delicti privabitur expensis qualibuscumque, cui sententiae utpote justae parere tenebitur.

Petes 5. Utrum et quid sit restituendum a possessore dubiae fidei? R. 1. Qui, antequam rem possideat, dubitat, an sit furtiva, seu an eam possit juste possidere, primo peccat contra justitiam eam possidendo seu acquirendo animo sibi retinendi, quia se exponit periculo rem alienam invito rationabiliter domino detinendi, et hoc ipso injuste possidet. Si autem facta diligenti inquisitione, ad quam tenetur, ut dictum est de rebus inventis, constet esse alienam, debet integram restituere; si remaneat dubium, rationi et aequitati naturali videtur conformius, quod restituat, non totum, ut quidam volunt, forte enim est sua, sed partem pro ratione dubii. Quae restitutio, si non compareat Dominus, debet fieri juxta praesumptam ejus voluntatem pauperibus, aut in usus pios.

R. 2. Qui postquam rem bona fide acquisivit, dubitare incipit dubio fundato, an non sit furtiva: 1. tenetur inquirere veritatem adhibita morali diligentia majori, vel minori pro rei qualitate, ut dictum est de rebus inventis, alioquin se exponit periculo detinendi alienum, et fit possessor malae fidei. 2. Si autem post inquisitionem sufficientem maneat aequale dubium secundum plures, potest rem ut suam retinere, consumere, vendere, etc. quia tunc currit haec regula juris: *In pari dubio melior est conditio possidentis*, juxta quam omnia tribunalia tam ecclesiastica, quam civilia rem possessam in dubio totam adjudicant possidenti. Debet tamen esse animo dispositus reddere domino, si compareat, rem extantem, aut si non extet, id, in quo factus est ditior, et si vendat, monere emptorem de tali dubio, quia est vitium, quo minuitur rei valor.

Petes 6. Utrum aliquid debeat restituere, qui dubitat, an aliquem injuste damnificaverit, v. g. an mandato, vel consilio dato in damnum efficaciter influxerit: an ex vulnere inflicto mors sit secuta, an proles sit nata ex adulterio? R. Probabilius est dubitantem, an alium injuste damnificaverit, teneri ad restitutionem, non totius, sed partis pro rata dubii. Probat. 1. Qui dubitat an damnum causaverit, dubitat consequenter, an teneatur restituere, sicut qui judicat certo se damnum intulisse, certo judicat se teneri restituere: atqui hoc ipso, quo dubitat se teneri restituere, certo tenetur, quia si non restituat, cum forte teneatur, exponitur manifesto periculo committendi injustitiam, et hic currit haec regula juris: *In dubio tutior pars est eligenda*: ergo.

Respondent adversarii, quod qui dubitat, an damnum fecerit, non dubitet nisi forte speculative, an teneatur restituere, quia per judicium reflexum, quod *in pari causa melior sit conditio possidentis*, certus practice manet se non teneri restituere, nisi ipsi certo constet se teneri; possidet enim res suas, quibus ideo se spoliare non tenetur, nisi certus sit, quod debeat, alioquin non foret melior conditio possidentis. Sed contra: possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nec ipsum eximit a restitutione in dubio, nisi in quantum fundat praesumptionem, quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, sicut contingit in his, quae jam diu bona fide possidemus, quatenus non est verisimile, quod homines rerum suarum avidi eas aliis possidendas relinquant, ut dixi de praescriptione. At in nostro casu possessio rerum tuarum non fundat praesumptionem, quod non subsistat ratio obligans ad restitutionem, quae est damnum; de quo dubitas.

Prob. 2. In casu posito praesumptio damni stat contra dubitantem, ita ut ipsi incumbat probare se illud non causasse. Ergo si id non probat, tenetur ad illius reparationem saltem pro parte. Prob. ant. Ubi constat de delicto, praesumptio stat contra delinquentem, sic ut ipsi incumbat probare nullum exinde provenisse damnum ex eis, quae ex tali causa provenire solent; quia secundum omnia in jura, dubia causa magis favendum est innocenti, quam nocenti: atqui

constat de delicto, nempe positam esse injuste causam sufficientem damni: ergo. Confirm. Quando duo concurrunt per accidens ad idem damnum, et dubitatur, a quo sit causatum: v. g. duo explodunt in eumdem hominem, et dubitatur, ex cujus ictu sit occisus; duo moechantur cum eadem muliere, et nescitur, ex cujus concubitu nata sit proles, uterque tenetur ad restitutionem pro parte, ut communiter docent Theologi: ergo a fortiori nocens, dum concurrit cum innocente.

Dices: Proles in dubio potest se reputare legitimam, donec probetur spuria: ergo etiam adulter potest eam reputare legitimam, sicque nihil pro ea restituere. R. N. conseq. Quia jura sic disponunt in favorem prolis innocentis, non in favorem adulteri nocentis.

Articulus IX.

Utrum ille, qui impedit aliquem a consecutione alicujus boni, teneatur ad restitutionem?

Nota. Bonum impedibile vel est debitum proximo ex justitia commutativa, quatenus habet jus perfectum, et in re ad illud, ut ad beneficium post collationem, et confirmationem, nondum adepta possessione, aut jus ad rem, quo possit illud in jure repetere, et facere suum, ut ad beneficium post electionem, aut praesentationem, seu ad rem promissam vel emptam nondum traditam: vel non est ipsi debitum ex justitia commutativa, sed habet tantum ad illud jus quoddam morale, sive ex justitia distributiva, sive ex gratitudine, sive ex bona voluntate illius, a quo dependet. Suppono tamquam certum, quod qui impedit aliquem a consecutione boni ipsi debiti ex justitia commutativa, quovis modo impediat, etiamsi solis precibus aut suasionibus sine vi aut dolo, teneatur ad restitutionem, quia violat justitiam commutativam, et jus strictum alterius.

Dico 1. Qui sine vi, fraude, aut dolo, sed solis precibus, persuasionibus, consiliis, blanditiis, et similibus mediis impedit aliquem a consecutione boni ipsi non debiti ex justitia commutativa, sed vel ex sola justitia distributiva, vel ex gratuita alterius voluntate, etsi jam ad dandum determinata, non est obnoxius restitutioni, quia non peccat contra justitiam commutativam, nec alterius jus strictum violat, non enim illa determinata voluntas collatoris jus strictum confert: unde sicut ille absque donatarii injuria poterat mutare voluntatem, ita alter absque illius injuria potest inducere ad hanc voluntatis mutationem. Dixi: *Boni debiti ex solo justitia distributiva*, ut sunt beneficia, et officia publica, quae cum principaliter ad bonum commune ordinentur, et non in privatum commodum particularium, quibus conferantur, non debentur, nisi ex justitia distributiva: secus de bono publico, quod est principaliter institutum in utilitatem singulorum, cujusmodi sunt aerarium publicum, piae fundationes, proventus ex bonis communibus: haec enim debentur singulis ex justitia commutativa, quatenus unusquisque habet aliquod jus strictum ad suam partem.

Verum major est difficultas, utrum saltem qui id facit animo nocendi, non sit obnoxius restitutioni? Unde dico 2. Qui modis praefatis licitis sine vi, aut dolo impedit aliquem a consecutione boni, ipsi ex justitia non debiti, etiamsi id faciat animo nocendi ex odio, vindicta, etc. non tenetur ad restitutionem. Est communis cum Soto, Navar., Less. Layman., Sylvio, Serra, etc. contra quosdam antiquos, quibus ex recentioribus adhaeret Daelman. Ratio est, quia animus nocendi per opus, quod ex se, et in his circumstantiis non est laesivum stricti juris alieni, non est contra justitiam, sed contra charitatem tantum, nec facit aliunde, quod opus exterius, quod de se, et in his circumstantiis non est

injustum, sit injustum ; haec enim intentio non mutat opus exterius : obligatio autem restituendi oritur ex violatione exteriori justitiae.

Confirm. ab exemplo judicis, qui ex odio animo nocendi condemnans reum secundum ordinem juris non peccat contra justitiam, et non tenetur ad restitutionem.

Dices. Secundum leges si praescindis venas in fundo tuo, per quas derivatur aqua ad puteum alterius, animo nocendi, teneris ad restitutionem : si animo utilitatis tuae, non teneris : item si reveles crimen alicujus ex intentione eum diffamandi, peccas contra justitiam, et obnoxius es restitutioni, secus si ex intentione, ut reus emendetur, aut ut vitetur damnum innocentis : ergo similiter in nostro casu. R. N. consequentiam. Disparitas est, quod in casibus objectis opus ex natura sua, et in his circumstantiis sit laesivum juris alieni, non in nostro casu. Quando vero opus ex natura sua, et in his circumstantiis est laesivum juris alieni, sic tamen ut propter aliquam rationabilem causam nobis liceat illud agere, nos habendo permissive ad alterius damnum ; tunc si adsit intentio nocendi, peccamus contra justitiam, et tenemur restituere ; si absit, non peccamus, nec tenemur de damno. Ratio est, quia ut quis peccet contra justitiam, et teneatur de damno, requiritur et sufficit, quod sit causa voluntaria damni injuste illati. Quando vero quis per opus laesivum juris alieni intendit ejus damnum, et non aliquam utilitatem, ad quam habet jus, nihil deest, ut censeatur causa voluntaria hujus damni sine causa, et injuste illati : quando vero non intendit damnum, sed aliquam utilitatem, ad quam jus habet, non censetur causa voluntaria damni, sed se habere tantum permissive ad illud. Atque ita se habent exempla in objectione.

Dico 3. Qui vi vel metu, fraude, vel dolo, detractionibus, mendaciis, et similibus modis injustis impedit aliquem a consecutione boni, licet ex justitia non debiti, sed ex libera alterius voluntate pendentis, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem damni secundum proportionem spei seu certitudinis tale bonum habendi : ita ut si nondum esset firmatum, quod ei detur, non teneatur ad aequale, sed ad aliquam compensationem pensatis conditionibus personarum, et negotiorum, secundum arbitrium prudentis; si esset firmatum, quod ei detur, tenetur ad aequale supposita tamen omnimoda certitudine ; alias ut dictum est, secundum proportionem certitudinis. Ratio conclusionis est, quia sic impediens infert alteri damnum per veram injuriam : licet enim iste alter non habeat jus strictum ad illud bonum, habet tamen a natura jus strictum illud petendi, prosequendi, et obtinendi. Item habet jus, ab isto priori jure per vim, metum, fraudem, dolum, mendacia, et similia media injusta dejiciatur et impediatur : ergo qui his mediis injustis illum impedit, laedit, ejus jus, et consequenter peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem secundum proportionem dictam certitudinis, seu spei ad bonum illud consequendum.

Sed quare qui precibus, aut suasionibus impedit, non tenetur pariter ad restitutionem, siquidem etiam prosequentem jure obtinendi dejiciat ? R. disparitatem esse, quod positis precibus aut suasionibus tantum collator remaneat in libertate donandi, et donatarius in libertate prosequendi ; posita vero vi, vel dolo tollitur libertas vel donantis, vel donatarii.

Articulus X.

De Restitutione facienda ab his, qui injustae damnificationi cooperantur.

§ I. *Expenduntur quaedam difficultates circa cooperantes in communi.*

I. Praeter eum, qui per se immediate actionem injustam exercet, de quo hactenus, saepe intersunt, qui actioni damnificativae cooperantur physice, vel moraliter, ut qui mandat aut consulit furtum, furi scalas, claves commodat, et similia.

II. Novem modi communiter cum Auctore recensentur, quibus injustae damnificationi quis potest cooperare, his versibus comprehensi.

Jussio, consilium, consensus, palpo, recursus,
Participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Differunt hi modi, quod sex priores concurrant ad damnum positive, et directe, tres ultimi negative et tantum indirecte.

III. Ut cognoscatur, quando, et quantum isti modi obligent ad restitutionem, tenenda est haec regula generalis: *In tantum obligant ad restitutionem, in quantum influunt efficaciter in damnum*: quia tota obligatio restituendi oritur ex influxu in damnum. Quapropter si certo influant efficaciter in totum, obligant ad restitutionem totius, si in partem tantum obligant tantum ad partem; si certo nullatenus influant, ad nihil, si probabiliter influant, obligant pro ratione probabilitatis; si sub dubio, proportionate ad dubium, ut dictum est supra.

IV. Quod si non ad substantiam damni influant, sed in modum tantum, puta ut citius, animosius, atrocius, tali loco, tali tempore, cum tali augmento: dubium est: Nos cum S. Antonino, Paludano, Navarro, Gabriele, Henrico a S. Ignatio, Henno, et aliis probabilius credimus, quod sic influens tantum teneatur restituere, quantum iste modus, seu circumstantia fuit proximo damnosa, quia est tantum causa efficax istius circumstantiae, et non substantiae actus secundum speciem damnosi.

V. Ex dictis inferes 1. Si mandas, consulis, etc. furtum jam parato ad furandum, sive ex se, sive ex alterius mandato, aut consilio, ita ut tuo non magis moveatur ad furandum, sed independenter ab illo furaretur: peccas quidem affectu contra justitiam, sed restituere non teneris; quia non influis efficaciter in damnum. 2. Si parato furari decem, consulas furari viginti, ad decem tantum teneris, et non ad viginti, quia ad decem tantum influis efficaciter; nisi forte tuo consilio firmiorem ad totum furtum reddideris. 3. Si parato furari hodie consulas cras furari, in tantum teneris, in quantum haec circumstantia nocet proximo, quia in illam tantum efficaciter influis. Ad nihil autem teneris, si eo fine consuluisti, ut averteres a furto, sperans fore, ut fur mutaret animum, aut deesset occasio vel alio recto fine. 4. Si parato furari viginti, suadeas tantum furari decem ab eodem, eo animo ut avertas a majori, non peccas, nec teneris quidquam restituere, quia recte suades, et rem domini utiliter geris; non enim hujus consilii sensus est absolutus, Fac hoc minus malum; sed conditionatus. Si hoc genus mali facere decreveris, fac potius id, quod minus est, quam id, quod est majus. Si vero id suadeas pravo animo, puta quia facilius aut tutius decem, quam viginti furabitur, peccas et teneris restituere, pro quanto haec circumstantia nocet proximo.

Dixi *ab eodem*; quia si parato furari a Petro viginti, suadeas furari decem a Joanne peccas, et teneris restituere decem Joanni, quia illi sic efficaciter cau-

sas damnum, ut sine te non damnificaretur; nec habes jus servandi Petrum indemnem cum detrimento Joannis; unde Joannes est rationabiliter invitus. Idem dic, si parato furari ab aliquo indeterminate, suades furari a tali determinate, quia pariter es causa damni illius, quem designas. Secus si suaderes tantum in genere, ut a divite potius quam a paupere furaretur, neminem in particulari designando, nec indicando; quia tunc nulli facis injuriam, sed tantum suades minus malum, ut avertas a majori.

§. II. *Exponuntur singuli modi.*

Jubens.

I. Jubens dicitur, qui suo mandato expresso, vel tacito movet alium, ut suo mandantis nomine damnum alteri inferat; non solum tenetur de damno, quod expresse jussit, sed etiam de illo, quod attentis circumstantiis potuit humano modo praevidere secuturum ex sua jussione: ut si jubeat servo mutilare Petrum, servus autem mutilando occidat. Si vero jussus occidere Petrum, per errorem occidat Paulum, non pauci censent, mandantem teneri de morte Pauli et de damnis, quia, inquiunt, mors Pauli sequitur efficaciter ex mandato. Verum alii non minus probabiliter negant; quia mors Pauli sequitur ex errore Mandatarii.

II. Ubi mandans revocavit mandatum tacite vel expresse, et ea revocatio innotuit mandatario, regulariter non tenetur restituere mandans ut mandans, etiam effectu secuto, quia per revocationem intimatam mandati expirat mandatum, sicque non potest amplius censeri causa damni: neque mandatarius agit tunc nomine, et ex voluntate mandantis, sed nomine, et motu proprio. Dixi quod non teneatur restituere *ut mandans*, quia potest etiam revocato mandato aliis titulis teneri. 1. Ut consulens, si mandando mentem mandatarii pravis artibus et consiliis imbuerit, quorum vim et impressionem non sufficienter elisit. 2. Ut non obstans, si mandatarium non obstante mandati revocatione facinori perpetrando obstinatum, in quantum potest, non impediat, quia in causa est per suum mandatum, cur proximus sit in tali periculo, quod ideo ex justitia tenetur avertere, si potest. Id saltem est probabile. III. Quando mandans non potest revocare efficaciter mandatum, tenetur monere damnificandum ut sibi consulat, etiam cum suo damno aequali, si sit spes hac via mali impediendi, non tamen cum damno suo longe majori, et altioris ordinis.

Petes an mandans teneatur de damno, quod ipsi mandatario obveniat in exequutione mandati? R. Si non subditus libere mandatum suscipiat, maxime mediante pretio, ad nihil tenetur quia sponte se damnorum periculo subjecit. Si autem sit subditus, qui vi mandati quodammodo cogitur, tenetur illi damna resarcire, quia sequuntur ex injuria ipsi illata per iniquum mandatum; nisi forte Mandatarius sponte, et sine necessitate pericula incurrisset.

Consulens.

I. Consulens sumitur dupliciter. 1. Pro eo, qui decernit de bonitate, vel malitia actionis, ut qui dicit contractum esse licitum, cum sit illicitus. 2. Pro eo, qui supposita, et cognita actionis injustitia, illam suadet, sive proponendo utilitatem, voluptatem, honorem, quae ex illa obvenient, sive ad eam precibus, blanditiis, pollicitationibus excitando, sive tandem suppeditando media, et modos, quibus efficaciter, et tuto fieri possit.

II. Consulentes primo modo, ad quos spectat ratione officii, seu professio-

nis consilium dare, quales sunt Parochi, Confessarii, Concionatores, Theologi, Advocati, Medici, etc. item ii, qui pro idoneis consiliariis se gerunt, ac se in tali re peritos profitentur, tenentur ex culpa theologica, et pro quantitate culpae ad restitutionem damni, quod ex falso suo consilio sequitur, tam illi, qui consilium petit, quam illi, contra quem petitur. Quia cum teneantur, et reputentur habere peritiam requisitam, alios decipiunt, qui bona fide eorum consilium sequuntur, sicque per culpam, et deceptionem sunt causa damni. Opposita ratione consulentes, qui ratione officii peritiam non profitentur, nec se pro peritis gerunt, non tenentur de damno illi, qui petit consilium, scienti enim, et volenti non fit injuria; tenentur tamen illi, contra quem petitur consilium, quia ille non est sciens, et volens.

Sed observandum est cum Sylvio, Lessio, et aliis, neminem ad ullam restitutionem respectu cujuscumque teneri, qui in consilio dando indicat se dubitare, aut qui simpliciter aperit suam mentem, dicens ita sibi videri, non tamen suadens, ut alter sequatur; quia cum nihil certo statuat, aut affirmet, aut suadeat, si nihilominus agat, qui petit consilium, non curans habere majorem certitudinem, et inde damnum sibi, aut alteri sequatur, soli ejus voluntati atque temeritati tribuendum est. Idem dic de eo, qui respondet secundum sententiam probabiliorem, non enim tunc peccat, etsi forte decipiatur.

III. Consulentes secundo modo, hi scilicet, qui maleficium suadent sive precibus, blanditiis, laudibus, etc. sive propositis, quae ex eo resultant, commodis, sive indicatis modis, quibus effici potest tutius, et efficacius, ad nihil tenentur respectu illius, qui petit consilium, quia scienti, et volenti non fit injuria; teneri autem respectu illius, contra quem petitur consilium, si ex eo illi sequatur damnum, indubium est ex dictis superius. Ad quid autem teneatur, si jam parato ad maleficii substantiam consulat tantum locum, tempus, incrementum, decrementum, et similia accidentia, etiam dixi loco citato.

IV. Restat itaque difficultas, utrum revocato tempestive consilio antequam damnum inferatur, maneat liber consulens ab onere restituendi, si nihilominus, damnum fiat, Quaestio sub distinctione communiter resolvitur juxta diversum modum consulendi.

Consulens 1. modo revocato tempestive consilio ordinarie ad restitutionem non tenetur, ut si dixeris, et suaseris contractum esse licitum, qui est illicitus, si ante factum declares te fuisse deceptum, non teneris, quia tunc tota ratio agendi cessat.

Inter consulentes 2. modo etiam est distinguendum. Qui solis precibus, promissis, aut falso supposito innixus maleficium suasit, revocato tempestive consilio non videtur teneri de damno, quia tunc etiam cessat ratio agendi ex consilio proveniens. Qui vero maleficium consulit proponendo ejus utilitatem, voluptatem, honorem, etc. aut indicando media, et modos, quibus securius, et efficacius fiat, non absolvitur regulariter ab onere restituendi per talis consilii simplicem revocationem, quia non obstante hac revocatione remanet regulariter tota vis consilii, seu pondus rationum, atque earum impressio facta in mente alterius: quantumvis enim dicas illi, Noli facere, poenitet me tibi id indicasse, aut suasisse; non impedis, quin maleficium appareat ipsi utile, delectabile, etc. nec quin sciat modos, et media illud perpetrandi, quae ipsi suppeditasti. Quapropter si iis motus maleficium exequatur, causa illius es, et restitutioni obnoxius.

V. Quid faciet ergo consulens, ut eximatur ab obligatione restituendi? Debet, quantum in se est, prioris consilii rationes et motiva efficacioribus rationibus et motivis destruere; si id nequeat, debet eum, contra quem dedit consilium, monere, si possit absque suo longe majori detrimento, ut sibi et rebus

suis invigilet, ut dictum est de mandante. Tandem si hoc non obstante fiat damnum vi dati consilii, consulens, quantumvis poenitens imo et justificatus, manet obnoxius restitutioni, quia manet vera causa damni, et si sit mortuus et forte in caelo beatus haec obligatio transit ad ejus haeredes. Et hinc colliges a fortiori non eximi ab onere restituendi, qui suadet malefactori, ut restituat, et non restituit. Addi potest quod siquis revera suo exemplo aliquem ad injustam damnificationem aeque efficaciter (ut contingere potest) inducat ac consilio, pariter videatur teneri de damno. Huic tamen opinioni multi contradicunt

Consentiens.

Distingue cum Cajetano in Summula V. *Restitutio* §. 8. inter consensum, qui est causa, et inter consensum, qui solummodo est consensus, et non causa; v. g. agitur de bello injusto: convocantur Consiliarii, seu ii, ad quos spectat; horum consensus non solum est consensus, sed etiam causa belli injusti, quia ex eorum consensu pendebat negotium, et hos teneri ad restitutionem indubium est. Idem dic de Senatoribus suffragantibus injustae sententiae, de Vocalibus conferentibus vota in electionem indigni ad praelaturam, aut beneficium. Audiunt plerique alii bellum injustum esse decretum, injustam sententiam esse latam, indignum esse promotum, approbant, consentiunt, dicunt, fiat, ita sit. Horum consensus est solummodo consensus, et non causa belli injusti, iniquae sententiae, promotionis indigni, cum ex ipsis voluntas inique suffragantium non pendeat, non mutetur etc. et quamvis peccent graviter consentiendo iniquitati, non tamen tenentur ad restitutionem damnorum. Ita quibusdam additis laud. Card.

Petes utrum liceat suffragari electioni minus digni quando dignior eligi non potest, et periculum est, ne indignus eligatur? R. affirmative, quia sic res Ecclesiae, vel Reipubl. utiliter geritur.

Palpo.

Palpo seu Adulator dicitur, qui laudibus, adulationibus aut etiam exprobrationibus movet aliquem ad inferendum damnum, ut injuriam alteri illatam exaggerando aut exprobrando, a viro nobili non ferendam dictitando, vindictam extollendo, patientiam irridendo, paupertatem vituperando, furti utilitatem praedicando: qui ergo his et similibus modis movent moraliter ad injustam damnificationem, peccant graviter et tenentur ad restitutionem: neque necesse est, quod intendant directe damnum: sufficit quod illud intendant indirecte, quatenus praevident, aut praevidere possunt secuturum ex sua palpatione. Hic cooperandi modus parum differt a consulente. Quid est enim aliud exprobrare alteri ejus ignaviam, aut laudare vindictam, nisi eam illi consulere? quae igitur fusius de consulente dixi, pro dictis hic habeto.

Recursus.

Recursus, hoc est praestans recursum, seu Receptator, dicitur quicumque securitatem, commoditatem, protectionem, custodiam malefactori praebet, ex quo fit quod vel damnum inferat, vel illatum non restituat. Et hunc quoque teneri ad restitutionem manifestum est, cum sit causa injustae, vel acceptionis, aut detentionis. Tales sunt 1. qui vel ante factum offerunt asylum, vel post factum malefactores recipiunt, eorum furta custodiendo et occultando: si autem recipiant ut amicum, vel hospitem transeuntem, aut etiam ut furem quaesitum ad carcerem

sub spe emendationis, non peccant, nec tenentur ad restitutionem, nisi forte ex officio teneantur denunciare, aut noverint fures inde sumpturos occasionem perseverandi in maleficiis, ut si semel, aut bis a vinculis erepti ad vomitum redierint 2. Magnates, qui milites, aut subditos furta, et exactiones exercentes fovent 3. Caupones, qui Filiosfamilias alliciunt, pecunias, aut mobilia a parentibus ablata occultant, et saepe sibi vindicant in pretium compotationum. 4. Interpolatores, seu veteramentarii, qui omnis generis vetera mobilia sibi oblata, indiscriminatim emunt, cum ex hoc ipso suspicari saltem deberent esse furtiva. 5. Advocatus, qui in civilibus patrocinando liti injustae causa est cur Cliens non restituat alienum.

Participans.

I. Participans est duplex, in praeda, et in crimine. Participans in praeda tantum est ille, qui post damnum illatum partem praedae, seu furti accipit : et hic, si dum partem accipit, nesciebat esse furtivam, tenetur tantum illam partem restituere, si extet ; aut si amplius non extet, id solum in quo factus est ditior, quia tenetur solum ratione rei acceptae. Si sciebat esse furtivam, tenetur, si extet, eam reddere ; si non extet, aequivalens, etiamsi inde non sit factus ditior, quia tenetur ratione injustae acceptionis. Unde qui bona fide bibit nesciens vinum furtivum, tenetur tantum, in quantum suo vino vel cerevisiae pepercit ; si sciens, ad ejus valorem, etsi nihil suo vino vel cerevisiae pepercerit.

Participans in crimine non solum est is, qui immediate per se cum alio actionem damnificativam exercet, ut si duo simul occidant hominem, spolient domum, etc. hi enim potius dicendi sunt coexequentes, quam cooperantes : sed etiam illi, qui ad damnum inferendum praebent auxilium, seu instrumenta, ut qui furi scalas commodant, applicant, tenent, ascendentem sustinent, comitantur, ut animum addant, claves adulterinas efficiunt, excubias agunt, venenum, arma furenti in hostem subministrant, praedas factas longius avehunt, etc. Hos porro, dum haec sponte, et nulla urgente necessitate agunt, teneri ad totius damni restitutionem in solidum constat, etiamsi sine eorum ope damnum fuisset illatum, quia de facto in totum efficaciter influunt.

II. Sed quaestio valde implexa est, quae non parum torquet Theologos, utrum qui haec agunt metu mortis aut alterius gravis mali, ut contingit v. g. in Captivis apud Turcas remigantibus adversus Christianos, in rusticis avehentibus praedas furtivas militum, etc. peccent, et teneantur ad restitutionem ?

Dico 1. Exequi metu mortis actionem immediate damnificativam, ut evertere muros, perfodere parietes, pecunias, mobilia alia arripere, ejicere per fenestram, pecora stabulis abigere, ignem in acervum injicere, etc. est illicitum et parit obligationem restituendi, quia tales actiones sunt intrinsece malae ; quid est enim hoc aliud quam furari ? Quod autem est intrinsece malum, nullo bono fine cohonestari potest, et non sunt facienda mala, ut eveniant bona.

Dico 2. Probabilius nobis videtur actiones, quae non sunt immediate per se damnificativae, sed quae praecedunt aut subsequuntur damnificationem, ut commodare scalas, claves, etc. aperire januam, sustentare ascendentem, remigare apud Turcas contra Christianos, aggeres construere, longius avehere praedas jam factas etc. si fiant metu mortis, aut mali alterius longe gravioris, quam sit damnum inferendum, non esse illicitas, nec restitutioni obnoxias. Quia istae actiones sunt secundum se indifferentes, et propter bonum finem fiunt, nempe ad salvandam vitam : non est autem illicitum ponere actionem secundum se indifferentem ad bonum finem, licet ex alterius malitia sequatur malum, maxi-

me quando bonus effectus est majoris momenti, quam damnum, quod ex illa sequitur per accidens.

Si dicas cum adversariis has actiones quamvis secundum se sint indifferentes, tamen prout hic, et nunc fiunt, non esse indifferentes, sed revera concurrere ad damnum: R. Quod non concurrant ad damnum, prout sunt ab agente, sed ex perverso usu, et mala voluntate furis eis abutentis.

Confirm. conclusio ab inconvenienti. Si praefatae actiones sint damnandae, non video, quomodo excusari possint infinitae prope actiones, quae passim ut licitae admittuntur. Sic peccabit, et erit obnoxius restitutioni, qui metu mortis adactus reddet depositum gladium repetenti in internecionem inimici, aut pecunias depositas abusuro ad usuras, ebrietates, scortationes, etc. Similiter peccabit caupo, qui metu mortis subministrat potum se inebriaturis. Item peccabit puella, quae ex honesta, aut etiam utili, et necessaria causa se offert conspectui adolescentis, quem novit inde peccaturum. Item reus erit, qui ex audientia confessionum, aut ex alia honesta actione, quam ponit, praevidet secuturam pollutionem, et sexcenta alia, quae non minus quam praefatae actiones, ut hic, et nunc fiunt, concurrunt ad malum effectum. Imo magis et quae remote influunt, etiam erunt illicitae: sic peccabit et erit obnoxius restitutioni, qui arma, aut venena vendunt promiscue, cum sciant aliquos uti iis in aliorum perniciem; similiter qui fucos, taxillos, cartifolia vendunt, quibus sciunt plures abuti: et sic discurrendo per innumeras prope actiones, quae continuo occurrunt, quia hae etiam actiones suo modo influunt in malum effectum, et licet minus proxime quam praecedentes, influunt tamen.

III. Petes, utrum quando plures immediate concurrunt ad damnum, v. g. spoliant vineam, domum, aerarium, etc. teneantur ad restitutionem totius in solidum. R. sub distinctione. 1. Si mutuo consensu, et consilio se invicem excitantes concurrant, tenentur omnes in solidum, quia tunc unusquisque est causa non solum partialis damni, quod per se facit, sed etiam damni, quod alter facit; sicque omnes per modum unius causae influunt in totum damnum. Ita probabilius Soto, Bannes, Cajet. et alii, quos citat et sequitur Sylvius contra Palud. Sylvest. Navarr. etc. 2. Si plures concurrant ad damnum non communi consensu se mutuo excitantes, sed per accidens, tenetur quisque tantum ad suam partem: ut si pluribus vastantibus vineam, aut spoliantibus aerarium, tu superveniens tuam partem accipias, teneris tantum ad tuam partem et non ad partes aliorum, quia non influis in illas.

IV. Sed ulterior quaestio est, an furando partem levem pecces mortaliter, et tenearis sub mortali hanc levem partem restituere, si scias damnum grave aliunde ab aliis esse inferendum, aut illatum: imo etsi tum nescias, sed postea rescias, tenearis similiter tuam partem levem restituere sub mortali: v. g. itinerando ingrederis vineam: vides eam jam magna ex parte spoliatam, aut scis brevi spoliandam, interim unum, et alterum botrum colligis: peccasne mortaliter; et tenerisne sub peccato mortali istos paucos botros restituere? Item furaris unum, et alterum botrum ex vinea integra nesciens, quid sit deinde futurum, postea rescis a furibus totaliter spoliatam, tenerisne iterum sub peccato mortali restituere tuos paucos botros? R. negative cum Soto, Maldero, Salmanticensibus, Lessio, et aliis, quia nemo peccat mortaliter in ratione furti, neque sub mortali tenetur restituere, nisi grave damnum intulerit, vel fuerit causa gravis damni ab aliis illati: atqui in utroque casu posito grave damnum non intulisti, nec fuisti causa gravis damni ab aliis illati: ergo.

MUTUS, NON OBSTANS, NON MANIFESTANS.

I. Hi tres concurrunt ad damnum negative tantum, in quantum illud non impediunt, cum possunt, et debent impedire; ex quo fit, quod damnum ipsis imputetur. Mutus est ille, qui tacet, cum posset, et deberet loqui, furem prohibendo, dissuadendo, reprehendendo, clamando, etc. ne damnum faciat, aut ut illatum resarciat. Non obstans est ille, qui, cum posset, et deberet ope corporali impedire damnum, aut ejus restitutionem procurare, omittit. Non manifestans est ille, qui, cum posset, et deberet, non denuntiat, non detegit malefactorem, sive ante factum, ut impediatur, sive post, ut restituatur. Itaque mutus omittit operam verbalem erga damnificantem; non obstans, operam corporalem erga eumdem; non manifestans, operam verbalem erga magistratus, aut dominos damnificatos, vel damnificandos.

II. Ut hi tres, dum damnum non impediunt, teneantur ad illius restitutionem, tria requiruntur. Primum, quod impedire culpabiliter omiserint. Secundum, quod sine suo gravi damno potuerint impedire. Tertium, quod impedire teneantur ex justitia.

III. Hi vero tenentur impedire ex justitia, qui tenentur ex contractu aut quasi contractu, hoc est ex officio; quia qui suscipit officium, implicite se obligat ad praestanda ea, quae sunt illius Officii. Hinc 1. Principes, Magistratus, Gubernatores, Praetores, et alii, quibus incumbit ex officio invigilare tranquillitati communi, et indemnitati civium, tenentur ad restitutionem omnium damnorum, quae ex sua negligentia sequuntur, ut si non impediant detrimenta suis Subditis illata a feris, a latronibus, etc. 2. Tenentur Assessores, Consiliarii, Electores, qui vel tacendo, vel non comparendo, cum possunt, non impediunt iniquam sententiam, constitutionem, electionem, etc. 3. Tenentur Tutores, Curatores, Administratores bonorum non impedientes damna illata Pupillis, Minorennibus, Ecclesiis, Xenodochiis, etc. 4. Tenentur famuli, domestici, quibus specialis cura pomus, aut rei familiaris demandata est, quales sunt Praefecti domus, oeconomi, Cellarii, Coqui, Granarii, etc. si non impediant damna rebus sibi commissis illata ab extraneis, sive a Conservis. Idem dic de eo, qui herum comitatur in via, quoad ejus Personam, et res, quas secum defert. Illi autem, quibus specialis rerum cura non est commissa, juxta communem sententiam etiam tenentur de damno, quod hero sive ab extraneis, sive a conservis inferri permittunt; quia hoc ipso quo suscipiunt officium famulatus, tacite se obligant ad invigilandum indemnitati domini. Strictior tamen est obligatio illorum, quibus cura rerum commissa est, quam aliorum. 5. Custodes Urbium, Agrorum, Vinearum, Sylvarum, Fluminum, Gabellarum, Vectigalium tenentur indubie ad restitutionem vectigalium aut damni illati Agris, Sylvis, etc. dum fures, depraedatores, defraudatores, etc. non impediunt.

Quantum ad solutionem mulctae, quam damnificantes solverent, si essent denuntiati aut deprehensi, probabile est ad eam non teneri custodes, dum damnificantes non denunciant aut non apprehendunt, quia custodes non tenentur ex justitia accusare in hunc finem, ut Respublica vel dominus ditescat ex mulctis; sed ut vectigalia solvantur et damna impediantur. Ergo. Prob. ant. Officium illorum non est, neque ad hoc constituuntur, ut procurent mulctas, sed ut recipiant vectigalia, et res sibi commissae serventur indemnes: ergo. Confir. Mulctae non imponuntur, ut ex eis Respublica aut dominus ditescat, sed ut leges serventur, et subditi in officio contineatur: non enim alia ratione mulctae pecuniariae imponuntur, quam corporales, puta carceris, exilii, triremium; in his autem attenditur solum ratio legis servandae: ergo et in illis: ergo custodes

non constituuntur, ut ex mulctis commodum reportet Respublica vel dominus. Si tamen ex suo silentio aut negligentia augeatur fraudatio vectigalium aut damnificatio rerum sibi commissarum, tenentur ad aliquam restitutionem secundum arbitrium viri prudentis.

Petes, utrum testis, qui a judice legitime interrogatus tacet, et recusat ferre testimonium, teneatur de damno, quod ex ejus silentio sequitur? R. probabilius negative cum Banne, Sylvio, Lessio, etc. Quia mandatum judicis aut superioris non imponit obligationem justitiae commutativae, sed legalis tantum et obedientiae: unde testis tacendo non peccat contra justitiam commutativam, sed contra legalem tantum seu obedientiam. Nec obstat, quod judex seu superior tentet illi imponere officium testificandi, quia talis illud non acceptat: obligatio autem justitiae commutativae maxime in actibus nostris liberis magis oritur ex acceptatione obligati quam ex impositione superioris; quatenus acceptando promittit et se obligat, secus si non acceptet. Idem propter eamdem rationem videtur dicendum de illo, qui promulgato monitorio ad revelandum crimen non revelat. Sed iterum de hoc infra, dum de injustitia testis.

IV. Quaeritur specialiter, utrum Confessarius, qui ex ignorantia aut negligentia graviter culpabili non injungit poenitenti restitutionem, ad quam tenetur, fiat ipse obnoxius huic restitutioni? Suppono, quod si poenitenti interroganti, an debeat restituere, nihil responderet Confessarius, certo teneretur ipse restituere, quia silens in his circumstantiis non se habet tantum negative ad non restitutionem, sed censetur ad illam concurrere positive, ut suadens aut consentiens: verificatur enim tunc commune effatum: *Qui tacet, consentire videtur.* Quaestio itaque est de Confessario, qui mere negative se habet tacendo. R. Probabilius est Confessarium qua talem, sive ex officio habeat curam animarum, sive non, non teneri in casu proposito ad restitutionem. Ita ex nostris Ledesma, Serra: ex extraneis Valentia, Sa, Layman, Sporer, Daelman, etc. contra Navar. Sylvium, Auctorem Suppl. Tournely, etc. Probat. 1. Confessarius tenetur 1. ex officio admonere poenitentem obligationis restituendi in ordine ad spiritualia tantum, non in ordine ad temporalia sive ipsius poenitentis sive alterius tertii: officium enim istud totum est spirituale: ergo dum omittit monere, non violat justitiam in ordine ad temporalia, sed in ordine ad spiritualia tantum sola autem violatio justitiae inducit obligationem restituendi: proindeque Confessarius tenetur reparare damna spiritualia, si sequantur ex suo silentio, non temporalia.

Prob. 2. Dato Confessarium vi administrationis Sacramenti poenitentiae obligari ex justitia in ordine ad bonum poenitentis etiam temporale: haec tamen obligatio non extenditur ad bonum temporale alterius tertii, quocumque neque pactum, neque conventionem ullam etiam tacitam inivit vi administrationis hujusmodi praecise: ergo omittendo peccabit quidem contra justitiam debitam suo poenitenti, sed non isti tertio. Subsumo: atqui illi soli facienda est restitutio, cui justitia est debita, et respectu cujus violatur: ergo. Habet quidem jus ille tertius, ut poenitens ipsi restituat, sed non habet jus strictum, ut Confessarius qua talis hac de re poenitentem moneat, cum vi officii sui ad id se non obligaverit: quasi vero Confessarius ratione administrationis Sacramenti poenitentiae foret ex officio procurator bonorum temporalium cujuscumque.

§. III. *Quo ordine cooperatores damni teneantur restituere?*

I. Suppono 1. eum, qui rem adhuc extantem apud se habet, ante omnes teneri eam restituere, quia tenetur ratione rei acceptae, et haec obligatio est omnium maxima, quamdiu enim res extat, clamat ad dominum, ut communiter dicitur,

et ei debetur. Quod si bona fide eam absumpsit, tenetur, in quantum factus est ditior, quia id succedit loco rei : si mala fide, tenetur ad totum aequivalens, alioquin commodum reportaret ex nova sua iniquitate : unde regula juris 36. in 6. *Pro possessore habetur, qui dolo desiit possidere.* Insuper cum sciens, et volens commodum ex ea re prae caeteris perceperit, aequum est etiam, ut prae caeteris subeat onus restituendi. Eo itaque restituente caeteri cooperatores non tenentur restituere ; non domino, quia habet, quod suum est ; non illi, qui restituit, quia non habet minus, quam debet habere. Excipe tamen primo, si mandans concedat executori rem ablatam, aut ejus partem ut mercedem. Secundo, si herus rem furtivam, puta ovem, a suis famulis consumi jubeat ; in his enim, et similibus casibus mandans, et herus videntur in se suscipere onus restituendi prae caeteris.

Suppono 2. quod, quando plures aequaliter concurrunt ad damnum, teneantur aequaliter ad restitutionem, unusquisque pro sua parte : ut si decem communi consilio incendant domum valentem mille aureis, unusquisque tenetur reddere centum : si duo consulant furtum centum aureorum, unusquisque tenetur refundere quinquaginta, quia obligatio restituendi oritur ex influxu in damnum: ergo ubi aequalis est influxus, aequalis est obligatio : ex quo etiam sequitur, quod si inter eodem modo concurrentes, v. g. inter plures consulentes unus magis influat quam alter, teneatur etiam plus restituere. Quod si aliqui deficiant, tenetur quisque in solidum, quia quisque influit in totum damnum, si non totalitate causae, saltem totalitate effectus. Uno autem restituente, alii debent ipsi refundere quisque suam partem ; quia dominus, qui accepit ejus integram restitutionem, censetur ei transmisisse totum jus, quod prius habebat : et alioquin ejus diligentia faceret eum pejoris conditionis, cum culpa, et tarditas aliorum ipsis patrocinaretur. Adde, quod non restituentes sint causa, cur is debeat restituere totum, cum alioquin sufficeret restituere partem, adeoque sint illi causa damni.

II. Quaestio itaque restat de iis, qui diverso modo concurrunt : v. g. concurrunt ad eamdem damnificationem mandans, exequens, et consulens ; quaeritur, utrum inter eos sit aliquis ordo, ita ut quidam prius totum restituere teneantur, et iis deficientibus alii ?

Dico. Primario et principaliter tenetur mandans, secundario exequens, et consequenter alii per ordinem, ita ut restituente mandante caeteri sint liberi a restitutione, restituente vero exequente, mandans teneatur illi restituere, caeteri autem subsequentes sint liberi.

De mandante patet, quia est principalis causa, cujus auctoritate, nomine, et gratia fit, cuique propterea omnes subordinantur, et serviunt ut instrumenta: unde communi omnium sensu censetur in se suscipere primario totius restitutionis onus. Sane, iniquum, quin et ridiculum foret, quod, qui aliis jussit maleficium fieri suo nomine, et in sui gratiam, exigeret ab aliis partem restitutionis.

Mandanti hic accensendus est, qui vi, metu, minis alterum cogit ad maleficium ; item qui sive fraude, sive solis precibus aut consiliis induxit alium, ut in sui gratiam damnum inferret : hi enim aequivalent mandanti, et sunt, sicut ipse, principales in facto, ita ut etiam censeantur in se suscipere onus restitutionis. Imo qui his modis mandantem induceret ad mandandum, prius ipso teneretur, quia foret ipso magis principalis in damno.

De executore, qui absque mandante agit, etiam patet, quia ipse est principalis in facto et proprio nomine damnificat. De executore vero, qui auctoritate, et nomine mandantis agit, quidam dubitant, quia tunc est tantum agen-

secundarius sicut alii cooperatores, proindeque videtur tantum teneri pro sua parte sicut alii.

Nihilominus probabilius est, etiam talem post mandantem teneri ad totum, et eo restituente caeteros cooperatores ad nihil teneri; quia licet non pro se, sed pro mandante agat, est tamen post mandantem principalis inter caeteros, qui ipsi serviunt, et sunt subordinati, sicut ipse est mandanti, ipsum scilicet instruendo, fovendo, animos addendo, armando, etc. idque in ejus gratiam: ex quo sequitur ipsum prae caeteris in se suscipere onus restituendi.

Caeterum id intellige de exequente, qui suo, vel mandantis nomine rem agit: si enim aliorum cooperatorum nomine ageret, non prius, nec plusquam illi teneretur: ut si quinque commune consilium ineant incendendi domum, et unus pro omnibus et eorum nomine ignem injiciat, alii quatuor æque tenentur ac ille, qui non est magis causa principalis quam illi; unde illo restituente, alii tenentur ipsi suam partem restituere.

Inter caeteros vero cooperantes positive videtur probabilius nullum esse ordinem, sed unumquemque teneri ad sua partem majorem, vel minorem pro modo influxus, ita tamen ut aliis deficientibus quilibet teneatur ad totum, et restituenti totum caeteri suas partes restituere debeant. Ratio est, quia nullus alteri est causa principalis, nec ullus alteri subordinatur aut deservit tamquam ejus instrumentum, sed quisque per se in suo ordine agit: sic palpans non est instrumentum consulentis, nec consulens palpantis.

Attamen inter cooperatores positive ex una parte, et cooperantes negative ex altera est ordo, ita ut prius restituere teneantur cooperantes positive; et illis restituentibus sint liberi cooperantes negative: non quia isti sunt illis subordinati, ut dixi de cooperantibus positive respectu mandantis, et exequentis, sed quia cooperantes positive proprie concurrunt ad damnum, cooperantes autem negative improprie tantum, quatenus nempe non impediunt, ut tenentur ex officio: sicque accipiendo officium non censentur communi hominum aestimatione suscipere onus restitutionis nisi post alios; et sane ridiculus foret positive concurrens, qui, cum totum restituisset, diceret concurrenti negative: Redde mihi partem restitutionis, quia me volentem, aut consulentem furari non impedivisti.

III. In hypothesi quod damnificatus remittat ei, qui principaliter debet, caeteri manent liberi, quia non tenentur nisi deficiente principali, ita ut si principalis solvat, alii ad nihil teneantur, remissio autem habetur pro solutione: unde si remittat detentori rei omnes alii manent liberi; si mandanti non liberatur detentor, sed subsequentes, et sic de caeteris subordinate obligatis. Si remittat uni illorum, qui eodem ordine tenentur, puta uni ex his, quorum unus est consulens, alter consentiens, tertius palpo vel uni ex tribus exequentibus, aut ex tribus mandantibus, quorum quisque debeat pro rata decem: per hanc remissionem, qui prius ordine tenentur restituere, in nullo sublevantur, quia tenentur independenter a posterioribus; et intentio remittentis censetur esse liberare eum, cui remittit, casu quo, non restituente principali, ipsi incumbat obligatio restituendi. Alii vero eodem ordine obligati non eximuntur restituere suas partes, quia cum singuli debeant seorsim, remissio facta uni non censetur facta alteri; sed eximuntur restituere id, quod spectabat eum, cui facta est remissio: ita ut in casu posito duo alii debeant restituere quisque decem, et si unus non restituat, alter debet tantum restituere, quindecim, quia alia quindecim censentur condonata a domino per remissionem, nisi forte insinuasset se tantum remisisse ratam, sperans fore, ut alii restituerent.

Articulus XI.

Cui sit facienda Restitutio?

Distinguenda sunt hic bona duplicis generis: alia sunt certa, alia incerta. Certa dicuntur, quorum dominus est certus, et notus: incerta, quorum dominus est ignotus aut incertus.

§. I. *Cui bona certa sint restituenda?*

Bona certa ordinarie sunt restituenda ei, a quo fuerunt accepta, sive sit eorum dominus, sive tantum legitimus possessor. Prob. prima pars. Restitutio adhibetur, ut fiat aequalitas, quae consistit in rerum adaequatione: atqui haec haberi non potest, nisi restituatur illi, qui per ablationem habet minus, quam debet habere: ergo. Prob. secunda pars. Quia dum quis legitimo titulo rem possidet, quamvis non sit verus illius dominus, ut est commodatarius, depositarius, etc. habet tamen jus vel illa utendi, vel illam custodiendi, servandi, etc. quod jus laeditur per rei ablationem, nec reparatur nisi per restitutionem ipsi factam, et non immediate Domino.

Dixi. *Ordinarie*: quia sunt plures exceptiones. Prima: quando res restituenda apparet graviter nociva ei, cui restitutio facienda est, non ei debet tunc restitui, sed vel reservari, ut congruo tempore restituatur, vel alibi tradi tutius conservanda; quia restitutio ordinatur ad utilitatem illius, cui restituitur. Idem dic, si repetat in damnum alterius, tum quia non habet jus repetendi in hunc finem, tum quia ex lege charitatis, secundum quam Deus mandavit unicuique de proximo suo, tenemur impedire malum, sive spirituale, sive corporale proximi, quando commode possumus. Secunda exceptio. Quando nihil interest illius, a quo res fuit accepta, quod reddatur immediate domino, potest uni vel alteri reddi. Tertia exceptio. Quando is, a quo res est accepta, non est capax dominii, vel administrationis, ut est pupillus, filiusfamilias respectu bonorum adventitiorum, uxor respectu bonorum communium, Religiosus, etc. res reddenda est Tutori, Patri, Praelato, Marito, etc. alioquin in foro externo juxta L. *Pupillus* ff. *de actionibus*, teneberis iterato solvere nisi probes rem redditam applicatam fuisse in utilitatem patris, pupilli, familiae, monasterii, etc. Attamen in foro conscientiae non videtur requiri probatio, sed videtur sufficere, ut a secunda restitutione libereris, si prudenter credas eos, quibus restituis, satisfacturos esse suo officio. Ab hac exceptione excipe res concessas Religiosis ad usum; hae enim ipsis, et non Praelatis possunt restitui.

§. II. *Cui bona incerta sint restituenda?*

Bona dicuntur incerta dupliciter. 1. Simpliciter, quando eorum dominus est absolute incognitus. 2. Secundum quid, quando dominus cognoscitur secundum quid et in communi, ignoratur autem, quis sit in particulari, ut si scias te debere uni ex pluribus, nescias vero cui.

Dico 1. Omnia bona simpliciter incerta, sive parta ex delicto, sive non, sive inventa, sunt expendenda in usus pios, si facta diligenti inquisitione non compareat dominus: non enim, ut alii volunt, dici possunt derelicta, cum certo extet eorum dominus, licet ignoretur, ideoque sunt expendenda secundum ejus praesumptam voluntatem; jure autem praesumitur hanc esse ejus voluntа-

tem, ut expendantur in suam vel suorum aut reipublicae utilitatem, ut fusius probavimus Dissert. de dominio.

Dico 2. Bona incerta secundum quid sunt restituenda domino meliori modo, quo fieri potest. Hoc generale dictum patet ex se. Et hinc in particulari. Si scias te debere aliquid uni ex duobus vel pluribus, nescias vero, cui determinate, et facta diligenti inquisitione dubium perseveret, res est ipsis reddenda in communi, ut vel eam inter se dividant in re vel in pretio, vel sortiantur, vel aliter inter se conveniant, iis autem non convenientibus res judicis arbitrio committatur. Si damnum sit illatum ipsi communitati vel civitati, restitutio facienda est non particularibus, sed ipsi civitati vel communitati, quia ipsa communitas in se fuit laesa, non particulares.

Si vero damnum sit illatum immediate particularibus alicujus communitatis aut civitatis, ut fit in bello injusto aut depraedatione oppidorum, agrorum; in venditionibus, quando nempe mercatores, caupones, pistores, et similes defraudant promiscue ementes mercibus adulteratis, mensuris vel ponderibus injustis; et tamen ignoratur in particulari, quibus damnum sit illatum, restitutio fieri debet, non pauperibus, sed in quantum possibile est ipsis personis laesis. Si ergo depraedatus fueris incolas alicujus pagi, restitue summam per Parochum vel virum probum inter ipsos dividendam secundum proportionem et probabilitatem laesionis cujusque. Si vendendo defraudaveris, attende quinam plus vel minus accedere solebant ad tuam officinam, eisque plus vel minus redde, scilicet vendendo vel meliores merces, vel vilio ri pretio, vel meliori pondere aut mensura, vel aliter. Si tamdem uni vel admodum paucis alicujus civitatis damnum intuleris, et absolute ignoretur, cui aut quibus, scitur autem civitas, restitutio facienda est pauperibus hujus civitatis, quia sic praesumitur esse voluntatem domini, si tamen res sit alicujus momenti, quia si sit levis momenti, potest restitui cuivis pauperi.

Articulus XII.

Quando sit facienda Restitutio?

Dico. Quilibet tenetur statim restituere, si potest. Prob. 1. Qui detinet alienum invito rationabiliter domino, actu peccat: atqui non licet, nec per minimum tempus morari in peccato, scilicet quoad actum et affectum. Ergo. Prob. maj. Qui detinet alienum invito rationabiliter domino, privat eum usu rei suae, et sic facit ipsi injuriam: habet enim detentio injusta rei alienae eamdem rationem nocumenti cum acceptione injusta: ergo. Prob. 2. Quamvis praeceptum de restitutione facienda secundum formam sit affirmativum, implicat tamen in se negativum, tamquam rationem suae obligationis, scilicet non detinere alienum; ideo enim teneris restituere, quia non licet detinere alienum: atqui praecepta negativa obligant semper, et pro semper: ergo.

Petes 1. Quomodo illud *Statim* sit intelligendum? R. Si sermo sit de proposito restituendi, intelligitur *Statim* mathematice, hoc est eo instanti, quo reflectis te detinere injuste alienum, teneris nolle amplius detinere seu velle restituere, alioquin peccas contra praeceptum negativum, quo prohibetur detinere alienum; sicut qui concepit propositum furandi, tenetur statim mathematice illud deserere, et nolle furari, alioquin peccat contra praeceptum: *Non furaberis*.

Si vero sermo sit de restitutione exteriori, *Statim* intelligitur moraliter, id est prima opportunitate; quia cum sit actus exterior, necessario requirit moram temporis ad sui executionem, quae variis obstaculis, seu incommodis impediri

potest, ita ut dominus non possit, nec debeat esse rationabiliter invitus, si res sua detineatur, quousque opportuno loco, vel tempore restitui possit.

Petes 2. Utrum, qui alienum injuste detinet, continuo et singulis momentis peccet? R. probabilius affirmative, quia quamdiu quis detinet injuste alienum, continuo transgreditur praeceptum restituendi implicite negativum, continuo laedit proximum, ipsum impediens a possessione, et usu rei suae, vel sui debiti, et hoc libere, quia ista transgressio, seu laesio continuo pendet a libera non restituendi voluntate: ergo continuo peccat.

Petes 3. Utrum sit unum tantum peccatum continuatum, an sint plura numero distincta? R. esse unum tantum peccatum continuatum, nisi primum propositum fuerit moraliter interruptum, quia primum propositum in detentione voluntarie continuata virtualiter perseverat, ita ut dum iteratur, etsi centies, censeatur primum continuari, et ideo unum moraliter peccatum. Censetur autem moraliter interruptum primum propositum, dum revocatur vel formaliter per contrarium propositum, vel virtualiter, quando quis cogitans de detinendo ulterius alienum non assentitur, sed alio mentem distrahit, quasi revocans prius propositum.

Ex his inferes 1. Poenitentem, qui non habet firmam voluntatem restituendi dum potest, aut non restituendi nisi per partes, dum potest totum restituere, etiamsi sit morti proximus, esse incapacem absolutionis, quia est in peccato actuali. 2. Ei, qui semel vel iterum fregit fidem Confessario, esse regulariter denegandam absolutionem, donec de facto restituerit, quia licet forte tunc habeat firmum propositum restituendi, tamen detentio rei alienae est ipsi occasio proxima peccandi, quam proinde debet restituendo deserere, priusquam absolvatur. 3. Similiter non sunt regulariter absolvendi, qui sub mortis articulo nolunt restituere per seipsos, dum possunt, sed id suis haeredibus committunt; tum quia non habent absolutum propositum restituendi, sed conditionatum tantum, *si moriantur*, ita ut non restituerent, si viverent, quod non sufficit, tum etiam quia se exponunt manifesto periculo numquam satisfaciendi, cum plerumque haeredes negligentes sint in faciendis restitutionibus sibi ab auctoribus suis demandatis. Caveant ergo Confessarii ne talibus manus citius imponentes se peccatis alienis implicent.

De debitis vero ex contractu dicendum, quod ea debent solvi tempore per contractum determinato; quod si non sit determinatum, solvenda sunt, quando creditor rationabiliter urget. Caeterum advertunt Auctores, non statim accusandos esse noxae lethalis, neque a sacramenti absolutione repellendos procrastinantes solutionem debiti ex contractu, etiamsi creditor quandoque urgeat, modo ex dilatione nullum, aut leve damnum subeat. Si vero intersint damna emergentia, aut lucra cessantia, certum est procrastinantem solutionem ad ea teneri sub mortali vel veniali, prout mora fuerit mortalis, vel venialis; licet fortasse possint se excusare a solutione interesse, quia creditores illud non exigunt, nec de eo solvendo admonent.

Articulus XIII.

Quo loco, cujus expensis et periculo Restitutio fieri debeat?

Dico 1. Debita ratione injustae acceptionis, detentionis, aut damnificationis restituenda sunt expensis debitoris, in loco, in quo ea possedisset dominus, si ablata non fuissent. Est communis. Prob. Quia dominus ex culpa debitoris non debet pati damnum: atqui pateretur, si propriis expensis rem suam recuperare deberet: ergo. Confirm. Qui tenetur ad finem, tenetur ad media fini consequendo necessaria et proportionata: atqui debitor tenetur ad talem restitutio-

nem, qua dominus servetur indemnis, quod fieri non potest sine expensis : ergo ad eas tenetur. Intellige tamen de expensis, quae non multum superant valorem rei, et ideo dixi *Media proportionata*, quia alioquin restitutio censeretur difficilior, et ideo moraliter impossibilis, ut dicam infra. Excipe, nisi ex omissione restitutionis sequatur domino damnum aliud aequale expensis multum superexcedentibus.

Dico 2. Debita ratione rei acceptae sunt restituenda in loco, ubi habentur, et si ad dominum sint transferenda, id fieri debet ejus expensis, quia nemo sine sua culpa debet pati damnum. Quantum ad debita ex contractu, certum est esse standum conventioni expresse initae per contractum quoad locum, et expensas ; quod si nulla conventio sit expresse inita, colligenda est tacita ex natura contractus, consuetudine loci, et aliis circumstantiis.

Dico 3. Quando dominus ipse designavit nuncium, per quem vellet rem suam sibi restitui, damnum incurrit, si res casu vel culpa nuncii pereat, quovis titulo res ipsi debeatur, et sive sit eadem res reddenda sive alia, quia in tali casu nuncius gerit personam domini, et quod ipsi traditur, censetur domino tradi. Similiter si reliquerit debitori libertatem eligendi quem vellet nuncium, modo eligat, qui fidelis habetur, quia tunc debitor praestitit omne, quod exegit dominus, et consequenter omne, quod ipse debitor debebat.

Dico 4. Res debita solo titulo rei acceptae, si adhibita sufficienti diligentia ex parte debitoris, scilicet si elegerit nuncium, qui habetur fidelis, si remiserit per vias, quae non reputantur periculosae, attamen pereat sive casu, sive culpa nuncii, non perit debitori sed domino ; proindeque debitor ab ulteriori restitutione eximitur, quia res haec est domini, res autem domino suo perit, praesertim cum nulla culpa ex parte debitoris intercesserit. Ex quo colliges a contrario, quod si debitor sit in culpa, quia vel elegit nuncium, qui non habebatur fidelis, vel per vias periculosas remisit, ipsi pereat, et ad ulteriorem restitutionem teneatur.

Dico 5. Res debita ratione injustae acceptionis, detentionis, aut damnificationis quocumque modo pereat extra casum tertiae conclusionis, sive sit eadem reddenda sive non, ipsi debitori perit, qui proinde ad ulteriorem restitutionem adstringitur. Est communior et probabilior, quia si res illa inter manus debitoris casu periret, illi periret, ut diximus supra ex communi sententia, quia injustus detentor tenetur etiam de casu fortuito, cum in se susceperit omne rei periculum ; unde non valet hic commune axioma, *Res perit domino* : ergo etiam ipsi debitori perit, si pereat inter manus nuncii, quem elegit.

Dico 6. Res debita ex contractu, si sit eadem numero reddenda, ut in commodato, locato, deposito, adhibita sufficienti diligentia ex parte debitoris, perit domino. Si sit alia numero reddenda, ut in mutuo, in pretio mercium, etc. perit debitori, etiamsi adhibuerit sufficientem diligentiam, quia in primo casu res est domini et sub ejus dominio manet, in secundo autem casu est debitoris. Porro sicut res clamat ad dominum, ita et domino perit. Unde si remittas equum commodatum cum pecunia mutuata, et utrumque pereat in via, equus perit domino, et pecunia tibi.

Articulus XIV.

Cui ex pluribus creditoribus prius sit restituendum ?

Quaestio procedit, quando debitor non potest omnibus suis creditoribus satisfacere, si enim posset omnibus satisfacere, nihil interesset, utrum uni potius, quam alteri restituat, modo omnibus restituat.

Dico. Primo loco res existens in sua specie , cujus dominium non acquisivit debitor , quovis modo eam habeat, sive juste ut pignus , commodatum , locatum , depositum , inventum , bona fide emptum ; sive injuste, furto , vel rapina , debet reddi domino , posthabitis omnibus aliis creditoribus ; ita ut etiamsi sit ignotus dominus , debeat expendi secundum praesumptam ejus voluntatem in usus pios , quia res clamat ad dominum nec debitor potest restituere suis creditoribus de bonis alienis , sed de propriis.

Secundo loco debita privilegiata sunt solvenda ante omnia alia etiam hypothecata. Sunt autem debita privilegiata. 1. Expensae necessariae et moderatae funerum pro marito , uxore , libero , aut alio , quem sepelire tenebatur debitor , L. *penult. ff. de Relig. sumpti. fun.* 2. Expensae pro conficiendo et aperiendo testamento , pro confieiendo inventario , pro Medicis , Chirurgis , Pharmacopolis, L. *ultima* C. *de jure deliberandi.* 3. Expensae necessariae in conservandis bonis debitoris , seu domus mortuariae. Horum ratio praeter jura citata est partim, quia pleraque sunt in utilitatem creditorum , quia sunt necessaria , nec omittenda , ut satisfiat creditoribus : nullus autem reperiretur , qui ea praestare vellet, nisi de solutione certus esset. Et propter hanc rationem in certis provinciis privilegio praelationis gaudent debita facta ob victum necessarium , item salaria famulorum et ancillarum.

Tertio loco sequuntur debita hypothecata. Pro quo nota. Hypotheca est, cum res datur , aut assignatur in assecurationem debiti. Si sit res mobilis , dicitur pignus : si immobilis , dicitur hypotheca. Est duplex : generalis , cum assignantur , seu obligantur omnia debitoris bona tam praesentia , quam futura in assecurationem debiti: particularis , cum assignatur certa pars bonorum , haec domus v. g. hoc praedium. Item alia est expressa , cum de illa in contractu , et coram magistratu fit expresse stipulatio : alia tacita , quae vi legum inest quibusdam contractibus , etsi in contractu non exprimatur. Sic qui pecuniam mutuo dedit ad construendam , conservandam , aut reparandam domum , navim , etc. domus , navis , etc. remanent obligatae mutuanti ex dispositione juris L. 3. ff. *Qui potiores et* L. *Licet* C. eod. tit.

Igitur debita hypothecata sive expresse sive tacite , sive generaliter , sive particulariter praeferenda sunt debitis simplicibus , seu chirographariis tantum , exceptis privilegiatis , de quibus numero praecedenti : tum quia hypotheca , seu impignoratio a jure est introducta , ut creditor haberet praelationem , seu securitatem sui debiti ; tum quia creditor hypothecarius non solum personam debitoris habet obligatam , sed etiam rem ipsius ; creditores autem non hypothecarii solam personam debitoris habent obligatam. Quando vero sunt plures creditores hypothecarii, attenta natura rei , talis est inter eos ordo. Habentes hypothecam expressam praeferuntur habentibus tacitam ; habentes generalem , habentibus particularem tantum. Inter plures habentes similem hypothecam praefertur prior posteriori : in hoc enim casu maxime valet haec regula juris 54. in 6. *Qui prior est tempore , potior est jure* : et ratio est , quia posterior hypotheca non potest tollere jus alteri prius acquisitum. Dixi *attenta natura rei* : quia ex dispositione juris positivi plures casus excipiuntur , in quibus hypotheca tacita praefertur expressae , posterior priori. De quibus consule majus nostrum opus vel jurisconsultos.

Petes 1. Utrum debita ex delicto , et ex contractu oneroso sint prius restituenda , quam debita ex contractu gratuito , v. g. promissione , donatione , etc. ? R. affirmative. Quia nemo rationabiliter intendit se obligare contractu gratuito in gravamen illorum , quibus ex justitia adstringitur : unde omnis contractus gratuitus hanc tacitam conditionem includit , nisi aliquid obstet , quominus res promissa tradi possit.

Petes 2. Utrum sit aliquis ordo inter debita ex contractu oneroso ex una parte, et debita ex delicto ex altera ? R. probabilius negative, quia jus positivum nullum ordinem ullibi statuit inter haec debita, neque ulla ratio evincit jure naturae esse statuendum ; cum enim utrimque sit aequalis detentio injusta rei alienae, aequalis est utrimque obligatio; obligatio enim oritur ex injusta detentione.

Petes 3. Utrum debita certa sint prius restituenda quam incerta ? R. affirmative, si sit dubium an revera debeantur. Si vero sit certum debitum, et solum ignoretur creditor, puto negativam sententiam esse probabiliorem ; ignotus enim creditor aequale jus habet, ac creditores noti.

Petes 4. Utrum creditor recipiens totum creditum a Debitore, qui ex hoc fit impotens ad aliis aequalibus Creditoribus satisfaciendum, peccet contra justitiam, et teneatur ad restitutionem ? R. probabilius affirmative, si sciat debitorem inde fieri impotentem ad aliis satisfaciendum, cooperatur enim injustae debitoris actioni recipiendo, quod ipse non poterat secundum justitiam solvere. Dixi *si sciat* etc., si enim nesciat non peccat, nec ullo titulo tenetur restituere: non titulo rei acceptae, ut patet, non injustae acceptionis, quia bona fide processit. Hinc inferes a fortiori peccare, et restitutioni esse obnoxios, qui munera, sive lautitias accipiunt ab iis, quos vident inde fieri impares creditoribus satisfacere. Excipe quae debitor dat uxori, et liberis ad victum, et amictum, statumque decenter conservandum.

Petes 4. Utrum qui inter creditores non privilegiatos, nec hypothecarios, primus petit, sit praeferendus ? R. Affirmative, quia secundum jura L. *Pupillus ff. Quae in fraudem creditorum* lib. 42. tit. 8. *diligentia meliorem ejus conditionem fecit*, et acquisivit illi jus praelationis : nam *jus civile vigilantibus scriptum est.*

Articulus XV.

De Causis excusantibus a Restitutione.

Regula generalis, in qua fundantur omnes causae excusantes a restitutione statim vel absolute facienda, haec est : *Quotiescumque dominus rationabiliter consentire debet, quod restitutio differatur vel omittatur, potest differri vel omitti, licet de facto sit invitus* : quia detentio rei alienae non est injusta, nisi sit rationabiliter invitus dominus. Ex hoc generali principio lumine naturali noto assignantur sequentes causae excusantes a restitutione statim vel absolute facienda.

Prima causa excusans a Restitutione.

Est impotentia debitoris sive physica, ut si nihil omnino habeat ad restituendum, ad impossibile enim nemo tenetur : sive moralis, hoc est, magna restituendi difficultas. In moralibus enim illud dicitur impossibile, quod est valde difficile, quodque decenter ac honeste fieri non potest : quia scilicet tunc creditor irrationabiliter vellet sibi fieri restitutionem. Haec autem causa tamdiu excusat a restitutione, quamdiu durat, sic ut quasi sopiatur durante impotentia, et ea cessante reviviscat. Porro impotentia moralis seu magna difficultas restituendi admodum late extenditur : unde primo est impotentia moralis per se et regulariter loquendo, quando quis restituere non potest absque gravi detrimento bonorum superioris ordinis, qualia sunt bona animae, corporis, et famae, seu honoris ad bona fortunae. Ratio est, quia id dominus irrationabiliter exigeret, cum sit contra ordinem charitatis, nec ita secum agi vellet. Insuper non ser-

varetur aequalitas, cum debitor longe plus detrimenti pateretur, quam sit creditoris detrimentum. Dixi, *per se et regulariter loquendo*, quia potest contingere, quod bonum superioris ordinis ita attenuetur, et bonum inferioris ordinis ita augeatur, ut secundum prudentem aestimationem istud pluris valeat, quam illud in ordine ad vitam civilem; sic plura millia aureorum pluris aestimantur hominum judicio, quam levis infirmitas, aut fama vilissimae personae: et tunc restitutio boni inferioris ordinis facienda est cum dispendio boni superioris, alioquin foret rationabiliter invitus creditor. Hinc inferes Patremfamilias excusari a restitutione, si ex ea immineat periculum, ne ex fragilitate filiae prostituantur, Filii fiant Latrones etc. non vero si id minarentur ex malitia. E contra metu infamiae non excusari, qui jam propter priora facta fuit diffamatus, nec si sit vilis, et obscurae famae, ingentem summam furatus sit.

Secundo, impotentia moralis restituendi est non solum extrema, sed etiam gravis necessitas debitoris, vel suorum, quia irrationabilis esset dominus, qui vellet in tali casu sibi restitui. Sed difficultas est, utrum si creditor sit in pari necessitate, debitor tunc teneatur restituere? R. Si agatur de extrema necessitate, debitor non tenetur restituere, nisi per ipsam rei alienae ablationem creditorem in hanc extremam necessitatem conjecerit, quia in extrema necessitate omnia sunt communia, sicque in ea constitutus, quod possidet sibi necessarium, possidet ut suum, et non ut alienum, et consequenter non tenetur abdicare. Si vero agatur de gravi tantum necessitate, debitor tenetur restituere, quia in sola extrema necessitate, et non in gravi omnia sunt communia: unde tunc melior est conditio creditoris, quam debitoris. Exigit etiam aequitas naturalis, ut, si ex rei absentia aliquis debeat pati damnum, illud potius subeat is, ad quem res non pertinet, quam ille, cujus est. Tertio, est impotentia moralis restituendi, quando restitutio fieri non potest absque eo, quod debitor cadat a statu legitime acquisito; quia tunc est gravis necessitas; et insuper fieri non potest talis mutatio absque gravi debitoris, et familiae dedecore. Hinc inferes nobilem, ut male parta restituat, non esse cogendum, ut artem mechanicam exerceat, aliis inserviat, aut ea faciat, quae statum suum dedecent; debet tamen statum minuere, superfluis expensis, et pompis parcere, famulorum, equorum etc. numerum remittere, lautiorem mensae apparatum rescindere. Item Filius adulterinus, qui bona fide pervenit ad statum honorificum, ubi rescivit se esse spurium, non tenetur cum infamia, et totali status jactura omnia simul restituere, sed minuere statum, ut possit paulatim restituere. Excipiunt communiter Casuistae ab hoc beneficio eos, qui ludis comessationibus, aliisque sumptibus superfluis, et illicitis ad eas rediguntur angustias.

Quarto, est impotentia moralis restituendi, quando debitor restituendo pateretur damnum longe majus in suis bonis ejusdem ordinis, quam creditor ex carentia rei suae vel sui debiti: ut si ad restituendum debitum pecuniarium cogeretur vendere domum, praedium, longe minori pretio, quam valeat; si ad rem remittendam expensas longe majores, quam ipsa valeat, debeat facere, ut jam dixi supra.

Aliae causae excusantes a Restitutione.

Secunda causa excusans a restitutione est spontanea et libera remissio facta a creditore, qui habet administrationem suorum bonorum.

Tertia est cessio bonorum, seu, ut alii dicunt, cessio fori, cum nempe debitor omnibus suis debitis solvendis impar, quae ipsi supersunt, bona creditoribus dimittit. Hujus autem cessionis privilegium, si facta sit sine malitia, dolo, fraude, etc. sed solum ex adversa fortuna, qua debitor factus est solvendo im-

potens, valet dumtaxat pro foro externo, ut debitor non possit amplius propter debita conveniri coram judice, nec carceri tradi, et si sit traditus, debeat liberari. Quod si post cessionem aliquid modicum ad decentiam status necessarium acquisiverit, non potest iterum a prioribus creditoribus conveniri, ut haec ejus pauca bona vendantur, secus si multa acquisiverit. Ita L. *Is qui* L. *Qui bonis.* L. *Si debitoris ff. de cess. bon.* tit. 3. lib. 42. Hinc sequitur, quod cedens possit retinere, quae sunt sibi et familiae necessaria secundum decentiam status, si tamen haec sint legitime acquisita; unde non peccat ea occultando, neque qui ipsi ad hoc cooperantur. Sit tamen penes prudentem Confessarium, vel alium virum timoratum haec determinare ex aequo, et bono.

Quantum vero ad conscientiae forum non magis excusat a restitutione hujusmodi cessio, quam excusaret necessitas sine cessione. Unde si debitor cedens bonis postea ad pinguiorem fortunam redeat, tenetur, quod debitorum est solvere, etiamsi forte cum ipsis composuerit, quia ordinarie creditores sic componunt inviti, ex eo, quod non possunt tunc plus habere, et ideo non sunt censendi cedere juri, quod habent ad residuum, si debitor possit aliquando solvere.

Nota Clericos non indigere hoc beneficio, ne propter debita tradantur carceri, sed hoc ipsis a jure privilegium concedi, ut independenter a cessione bonorum, non aliter possint coram Judice conveniri, quam ut solvant quod possunt, et cautionem praestent solvendi caetera, si ad pinguiorem fortunam devenerint, relictis ipsis necessariis secundum decentiam status. Ita communiter Theologi, et Canonistae in cap. *Odoardus de solutionibus.*

Sunt et aliae causae excusantes a restitutione, sed quia raro contingunt, omittimus. Et haec de restitutione in communi: quae spectant restitutionem in particulari ortam ex homicidio, furto, detractione, etc. dicemus, dum de his vitiis agemus secundum ordinem divi Thomae.

DISSERTATIO VII.

De Vitio opposito Justitiae distributivae, quod est Acceptio personarum.

D. Thom. Q. 63.

Articulus I.

Quid sit Acceptio Personarum?

Dico 1. Acceptio personarum est injustitia, qua in rebus communibus ex justitia distribuendis non attenditur ad proportionem meritorum, vel idoneitatem eorum, quibus dantur, sed ad aliquam causam huic rei impertinentem. Dixi *in rebus communibus* sive bonis, ut sunt officia publica, beneficia, honor, judicium, etc. sive malis, hoc est onerosis, ut sunt tributa, vectigalia, operarum contributiones, poenae, etc.

Observandum est autem bona communia esse duplicis generis. Quaedam sunt primario et immediate ordinata ad bonum publicum, et eo mediante tantum, ac secundario in utilitatem particularium, qui ea occupant, ut sunt beneficia, officia publica, dignitates, etc. Alia sunt primario ordinata ad utilitatem particularium, ut sunt aerarium publicum, proventus communes, legatum pauperibus distribuendum, summa pecuniae a Rege tradita distribuenda militibus bene meritis, etc. Igitur utrorumque bonorum mala distributio est acceptio personarum opposita justitiae distributivae, in quantum non attenditur proportio meritorum, sed insuper utrobique reperitur violatio justitiae commutativae,

diversimode tamen. In mala distributione bonorum primi generis violatur justitia commutativa erga Rempublicam vel Ecclesiam; quia haec vel illa habet strictum jus, ut de optimis ministris ipsi provideatur, et provisoribus id incumbit ex officio: unde per se loquendo illi restitutio facienda est, non vero particularibus, in quorum utilitatem haec bona non sunt primario ordinata, quia ideo non habent jus strictum ad illa, sed tantum jus aptitudinis. At vero in mala distributione bonorum secundi generis reperitur violatio justitiae commutativae etiam erga particulares; quia ex hoc, quod haec bona sint ipsis primario destinata, habent ad illa jus strictum, hoc est jus ad rem, et illis restituere tenetur malus distributor.

Dico 2. Acceptio personarum est ex genere suo peccatum mortale, quia omnis injustitia est ex genere suo peccatum mortale: atqui acceptio personarum est injustitia opposita justitiae distributivae, quae est virtus praestantior commutativa, et ex qua non minora damna sequuntur, quam ex commutativa; ergo.

Articulus II.

De Acceptione Personarum in distributione spiritualium.

Per spiritualia hic intelligimus potestatem ecclesiasticam sive ordinis sive jurisdictionis et ejus usum, sed praesertim Beneficia et Officia Ecclesiastica. Suppono ut certum, collationem spiritualium factam indigno, si reperiantur digni, esse peccatum mortale, quia est acceptio personarum in re gravis momenti. Difficultas est itaque, utrum liceat conferre beneficium minus digno, praetermisso digniore. Unde

Dico. Collatio cujuscumque Beneficii aut Officii Ecclesiastici facta minus digno, praetermisso digniore, regulariter loquendo est illicita, sed valida. Idem dic de praesentatione et electione. Est communis post Auctorem. Porro conclusionem sic intellige, non quasi Collator, aut Patronus debeat inquirere in toto Regno, vel Provincia, quis sit dignior, id enim foret onus nimis grave, nec raro deceptioni obnoxium; sed quod ex his, qui in promptu sunt, aut quorum notitiam habet, vel habere potest adhibita morali diligentia, eligat illum, quem digniorem judicaverit.

Probatur prima pars conclusionis. Ex Jure Canonico cap. unico: *Ut Ecclesiastica beneficia.* Extra lib. 3. tit. 12. Innoc. III. dicit: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Officium et Beneficium in persona magis idonea dispensare.* Conc. Trid. Sess. 24. cap. 1. de promotione Episcoporum declarat promoventes et operam praestantes peccare mortaliter, *nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles judicaverint . . . . praefici diligenter curaverint.* Et cap. 18. de Parochorum promotione dicit: *Ex his Episcopus eum eligat, quem caeteris magis idoneum judicaverit.* Prob. 2. ratione. Dum in promotione ad Beneficium, vel Officium Ecclesiasticum praefertur minus dignus digniori, est manifeste acceptio personae injuriosa Ecclesiae, in cujus utilitatem instituta sunt Beneficia Ecclesiastica: ergo.

Verum nota, quod dignitas alicujus possit attendi dupliciter. Uno modo simpliciter, et secundum se: et sic majoris dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiae donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune: contingit enim quandoque, quod ille, qui est minus sanctus, aut minus sciens, possit magis conferre ad bonum commune propter potentiam, vel industriam, vel propter aliquid hujusmodi: debet autem attendi major dignitas non simpliciter, sed comparative ad bonum commune.

Secunda pars conclusionis patet ex variis locis juris, quae requirunt di-

gnum dumtaxat. Quod intelligunt Interpretes cum S. Thoma, ut collatio, seu electio sit valida et impugnari non possit in foro judiciali, quia alioquin omnis electio posset habere calumniam, et non esset litium finis.

Ex dictis sequitur eum peccare mortaliter, qui minus dignum praetermisso digniore promovet, aut promoveri curat, praesentat, aut eligit ad Beneficium, seu Officium Ecclesiasticum habens annexam curam animarum, aut ecclesiasticam gubernationem, aut etiam ad Beneficium simplex, aliunde gravis momenti, puta quod habeat suffragium in electionibus ad dignitates, aut ad officia curam animarum habentia, quia est acceptio personarum in re gravis momenti cum magno Ecclesiae detrimento, aut ex qua saltem potest sequi. Vide propositionem 47. damnatam ab Innoc. XI. Probabilius autem erit veniale dumtaxat, si agatur de Beneficiis simplicibus minoris momenti, ut sunt Capellaniae, Canonicatus modici (modo tamen non conferantur per concursum); quia cum talia Beneficia ordinentur ad officia humilia et valde limitata, ut ad recitandum Officium, ad Missam celebrandam, ad Epistolam seu Evangelium cantandum, etc. non videtur grave damnum inferri Ecclesiae, si quandoque dignus praeferatur digniori.

Dixi in conclusione *regulariter loquendo*, quia sunt quidam casus, in quibus licet promovere dignos ad Beneficia etiam curata praetermissis dignioribus. 1. Si ex institutione Beneficii per Ecclesiam firmata promovendus debeat esse de gremio Ecclesiae, vel de certa familia. 2. Si ipse fundator Beneficii praesentet dignum; hoc enim ipsi privilegium a jure conceditur cap. *Monasterium* causa 16. q. 7. 3. Si in electione votum meum non prodesset digniori. 4. Si patronus laicus praesentet minus dignum, peccat praesentando, sed non peccat Episcopus praesentatum admittens, quia recusare non potest; sicut posset, et deberet, si Patronus esset ecclesiasticus, tunc enim juxta Trident. sess. 24. c. 18. deberet instituere concursum.

Ex conclusione inferes, neminem posse *absolute* petere, aut acceptare beneficium, se dignum, aut digniorem reputans, alioquin foret praesumptio, qua redderetur indignus secundum D. Thom., sed potest petere *conditionate*, si Examinatori, aut Collatori appareat dignus, et dignior; cum autem ipsi confertur, potest acceptare, sibi persuadens, quod Collator, aut Examinatores ipsum dignum, et digniorem ad hoc judicaverint, et in hoc quiescere.

Petes. 1. Utrum qui ad Beneficia seu Officia Ecclesiastica promovet indignum seu minus dignum, praetermisso digniore, teneatur ad aliquam restitutionem? R. 1. Qui promovet indignum tam promovens quam promotus tenetur restituere Ecclesiae omnia damna, quae inde ipsi obveniunt: promovens, quia peccat contra justitiam commutativam erga Ecclesiam, cui ex officio debet praeficere dignos Ministros: promotus, quia cooperatur injustae promoventis actioni, et ab ipso immediate profluunt mala Ecclesiae. Hinc promotus statim dimittat beneficium: si renuat, ad id compellat per Judicem Promotor, qui beneficium dimissum digniori, et dignissimo diligentius conquisito conferat, et uterque Promotor, et indigne promotus damna Ecclesiae, et fidelibus illata per indignum ministrum meliori modo resarcire conentur.

R. 2. Qui promovet minus dignum praetermisso digniore, tenetur etiam, per se loquendo, vi talis promotionis restituere Ecclesiae, quia erga illam violat justitiam commutativam, cum ipsi ex officio, ut dictum est, teneatur praeficere optimos Ministros. Sed videtur, quod Ecclesia neque exigat hanc restitutionem, neque ad eam obliget ad obviandum perplexitatibus, et ita apprehendit sensus communis.

R. 3. Promovens indignum seu minus dignum praetermisso digniore, extra concursum, nihil tenetur restituere digniori praetermisso, quia respectu illius

non violat justitiam commutativam, sed tantum distributivam: non enim dignior habet jus strictum ad Beneficium, sed jus aptitudinis et proportionis tantum. Dixi *extra concursum*; quia vi indictionis concursus quilibet capax habet jus concurrendi, et qui dignior probatus fuerit, habet ex pacto implicito jus strictum ad Beneficium: unde si minus digno conferatur, fit injuria manifeste digniori, sicut pluribus in publico certamine pugnantibus fieret injuria victori, si ipsi denegaretur praemium propositum.

Petes 2. Utrum hucusque dicta in praesenti articulo extendenda sint ad Officia saecularia? R. communius, et probabilius affirmative, quia haec officia sunt pariter primario, et principaliter ordinata ad bonum commune Reipublicae: unde qui illa distribuit indignis, aut minus dignis, peccat contra justitiam commutativam erga Rempublicam, et contra distributivam acceptione personarum erga digniores.

Dices. Qui habet dominium alicujus rei, et ipsam vendere potest, non est acceptor personarum, si illam tradat aut vendat, cui vult: atqui Princeps seu Respublica habet dominium Officiorum saecularium, et ipsa vendere potest: ergo. R. D. maj. Si res illa sit ita propria, ut non sit communi Reipublicae utilitati approprianda. C. Si sit communi Reipublicae utilitati approprianda, ut sunt Officia publica, N. Ad minorem: equidem absolute loquendo, et ex natura rei Officia saecularia possunt vendi, quia dignitas, pingue stipendium, lucri occasio, et similia his officiis annexa sunt pretio aestimabilia. Verum vendenda sunt dignioribus et modico pretio, ne pauperes magis idonei ab iis arceantur, et qui emunt immodico pretio, rapinas et concussiones exerceant, ut se servent indemnes: et quia solent vendi indifferenter plus offerentibus et immodico pretio, non attendendo ad indignitatem, vel dignitatem majorem vel minorem, ideo non expedit ea vendi.

Petes. 3. Quae sint qualitates ad Beneficia rite obtinendi necessariae? R. Prima est probitas vitae. Secunda est scientia, quae talis esse debet, qualem requirit Officium Beneficio annexum. Tertia est aetas legitima, nempe ad Episcopatum annus trigesimus completus, ad Beneficia curam animarum habentia vigesimus quartus completus: ad Canonicatus Ecclesiae Cathedralis requiritur illa aetas, ut qui accepit Beneficium, possit intra annum suscipere ordinem qui huic Beneficio est annexus; ad alios Canonicatus et quaevis Beneficia simplicia annus decimus quartus inchoatus. Quarta torus legitimus, sine quo, aut sine dispensatione collatio est irrita. Quinta Tonsura Clericalis. Sexta Caelibatus, ita quod collatio facta conjugato sit nulla. Septima est immunitas ab excommunicatione majori, suspensione, interdicto, et irregularitate. Octava est immunitas ab Haeresi in se et in parentibus usque ad secundam generationem secundum lineam paternam, et usque ad primam secundum lineam maternam. Nona est determinata intentio suscipiendi officium Beneficio annexum, seu, si nullum sit annexum, perseverandi in statu clericali; unde peccat mortaliter, qui accipit beneficium eo animo, ut ejus fructibus potiatur, donec v. g. absolverit studia, vel uxorem convenientem repererit, postea dimissurus, et si sit Beneficium parochiale, tenetur restituere fructus perceptos. Ultima conditio est, ut habenti unum Beneficium non conferatur aliud sine causa. Hinc

Petes 4. Utrum liceat plura simul Beneficia possidere. R. esse illicitum jure naturali, et positivo nisi in certis casibus infra assignandis: Jure naturali quia unum habere plura simul Beneficia continet in se plures inordinationes. Primo, destituitur Ecclesia numero et obsequio Ministrorum, cum non sit possibile unum in pluribus Ecclesiae deservire, et tamen praebendae sunt ordinatae quasi quaedam stipendia Deo ibidem ministrantium. Secundo, sequitur diminutio cultus divini, dum unus loco plurium instituitur; non enim qui

habet plures praebendas, pluries vel Horas recitat, vel psallit, vel celebrat Missam, etc. Tertio, sequitur defraudatio voluntatis Fundatorum, qui ad hoc aliqua bona Ecclesiae contulerunt, ut secundum numerum Beneficiorum esset numerus Beneficiatorum ibidem Deo ministrantium. Quarto sequitur inaequalitas, dum unus pluribus Beneficiis abundat, et alii aeque aut forte magis idonei nec unum habere possunt. Adde pluralitatem Beneficiorum esse fomentum ambitionis, avaritiae, crapulae, luxuriae, et plurium aliorum vitiorum.

Jure positivo, Cap. *Sanctorum* d. 70. Cap. *Clericus*, et Cap. *Clericum* causa 21. q. 1. quod jus antiquum confirmat et innovat. Trid. Sess. 24. Cap. 17. de reform. his verbis. *Sancta Synodus . . . . praesenti Decreto . . . mandat observari, ut in posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur, quod quidem si ad vitam ejus, cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.*

Dixi, *nisi in certis casibus.* Primus est, quem assignat Trid. Si unum Beneficium non sufficiat ad honestam Beneficiarii et suorum egentium sustentationem. Secundus. Dignitas, v. g. Decanatus aut Praepositura potest possideri cum Canonicatu in eadem Ecclesia. Ita declaravit Congregatio Concilii Trid. 13. Januarii 1594. teste Gallemart in cap. 14. cit. Et bene; istae enim dignitates convenientius et forte ex intentione fundatorum conferuntur uni ex gremio. Tertius est, si Ecclesia Parochialis sit legitime annexa Canonicatui, quia Beneficium alteri perpetuo annexum censetur unum cum alio. Quartus est major Ecclesiae utilitas aut necessitas, ut si quis propter eminentem scientiam vel virtutem possit plus proficere absens, quam alius praesens, vel ratione potentiae et auctoritatis posset efficacius ecclesiam tueri contra Haereticos aut alios, qua ratione SS. Pontifices saepe dispensant cum Principibus Germaniae, ut plures Episcopatus simul possideant. In hoc ultimo casu requiritur dispensatio Pontificis, qui solus potest dispensare in lege Ecclesiae universalis. De Beneficiis plura, dum de Religione.

Articulus III.

De Tributis

Tributum proprie sumptum est pensio, quae super capita vel facultates subditorum imponitur solvenda Principi, ut statum suum tueri, et communibus necessitatibus, et utilitatibus prospicere possit. Hic tamen nomine tributi intelligimus omne id, quod Principi, vel Reipublicae a privatis solvi solet, sive sit tributum proprie dictum, sive vectigal, sive pedagium, sive tallia, et similia onera, in quibus non raro committitur acceptio personarum.

Petes. 1. Quae conditiones requirantur, ut tributa licite imponantur? R. tres communiter requiri. Prima est auctoritas legitima. Secunda est justa causa, quae ordinarie est bonum publicum: potest tamen etiam aliquando esse vindicta in subditos rebelles, vel hostes victos ratione justae punitionis, aut reparationis damnorum. Tertia est debita proportio, sic ut quantum fieri potest unusquisque secundum suas facultates gravetur non magis, nec aeque pauperes ac divites, non magis unus mercator quam alter ejusdem conditionis: onera enim communia sic distribuenda sunt, ut secundum ratam a quolibet tolerentur, et qui plus possunt, plus graventur; alioquin non servatur justitia distributiva, sed est acceptio personarum.

His itaque tribus conditionibus concurrentibus Principes licite tributa imponunt et exigunt, quia, cum Principi ex officio et voluntate populi incumbat

administrare Rempublicam, curare bonum commune, necessitatibus communibus prospicere, etc., nec ad haec suppetant necessaria nisi mediantibus tributis, jure potest Princeps illa imponere et exigere, quantum ad suum et suorum Officialium decentem statum, et necessitates publicas, necessarium est et sufficiens.

Petes 2. Utrum sit licitum defraudare tributa? R. Defraudare justa tributa, sive petantur sive non, est ex genere suo peccatum mortale contra justitiam non solum legalem, sed etiam commutativam, proindeque obligans ad restitutionem. Prob. 1. ex Apostolo Rom. 13. dicente: *Necessitate subditi estote non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, ideo enim et tributa praestatis; Ministri enim Dei sunt in hoc ipsi servientes: reddite ergo omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal.*

Prob. 2. ratione. Tributa sunt debita Principi a populo non solum ex justitia legali, qua partes tenetur concurrere bono totius, sed etiam ex justitia commutativa: ergo defraudare, etc. Prob. ant. Hoc ipso quo populus transtulit in Principem auctoritatem, et Reipublicae administrationem, tacite promisit illi justum functionis stipendium et subsidia rectae administrationi necessaria, ut jam dictum est: ergo posita lege tributi, qua haec totius populi obligatio in singulos distribuitur, assignata cuique sua portione, et determinatis rebus, in quibus est solvendum, singuli tenentur ex justitia ad illam suam quotam. Patet conseq. Quia, qua obligatione tenetur populus in genere ad sumptus necessarios, ea tenentur singuli in particulari ad suam quotam legitime taxatam.

Dixi in conclusione, *sive petantur sive non*: attenta scilicet natura debiti; quia aliter esse potest attenta consuetudine: in certis enim locis consuetudo obtinuit, ut tributa non solvantur nisi petita: in his ergo locis mercator transiens non tenetur solvere vectigal, si nemo adsit qui petat, modo tamen absit fraus, ut accideret, si merces absconderet, fugeret, diverteret a via publica, ne videretur ab exactoribus, aut aliter deciperet.

Nota bene: cum legibus tributalibus non sunt confundendae leges, quae absque impositione vectigalis simpliciter prohibent evehi e provincia, aut in eam invehi certas merces vulgo *Contrebandes*; qui enim has leges transgrediuntur, non tenentur ad restitutionem vectigalis, quia non est; neque ad mulctam ante sententiam judicis, quia est poena.

Utrum vero tales leges obligent in conscientia, et utrum transgressores teneantur de damno, quod inde Reipublicae vel Redemptoribus obvenit, dicant alii. Scio quidem plures asserere has leges esse mere poenales, nec obligare nisi ad mulctam post sententiam judicis, et sic non semel declarasse Principes in Gallia et in Belgio: at id mihi non constat. Fateor tamen sic plerumque homines etiam probos apprehendere, vix enim ullum reperias, qui sibi faciat scrupulum, si vel pecunias, vel telas indicas, vel tabacum, vel alias hujusmodi res de Regno in Regnum transferat, aut saltem eas emat et eis utatur, cum tamen non solum invectio, sed et usus prohibeatur. Quantum ad damna, videntur haec sufficienter compensari per mulctas, quas solvere coguntur transgressores deprehensi, quod non raro accidit. Insuper Redemptores has defraudationes supponunt, dum contrahunt cum Principe, et ideo viliori pretio contrahunt. Caeterum in his omnibus securitatem dare nolim. Id unum affirmo, eos graviter peccare, qui hanc negotiationem exercent, quando prohibetur sub poena mortis, quia non licet se tantae poenae periculo exponere pro lucro temporali. Item quando intendunt se armis offensivis contra custodes defendere.

Petes 3. Utrum tributa, de quorum justitia dubitatur, solvi debeant in conscientia? Est autem ratio dubitandi de justitia tributi, inquiunt graves Auctores, quando nova tributa imponuntur, aut antiqua augentur; item quando

est communis persuasio in populo, maxime in probis, et doctis, ea, quae praetextu necessitatis imponuntur, aut augentur, in non necessarios usus expendi, aut in majori quantitate exigi, quam necessitas requirat: tot enim, inquiunt, conditiones requiruntur ad justitiam tributi imponendi, vel augendi, ut in tanta tributorum multitudine, qua his temporibus gravantur populi, merito praesumatur quaedam esse injusta, plura incerta, et dubia. In cujus rei confirmationem proferunt cap. *Quamquam* supra cit. in quo Bonif. VIII. dicit, *Pedagiorum exactiones tam Jure Canonico, quam Civili regulariter merito esse damnatas*: quia *regulariter* deest aliqua conditio requisita. Quaestio, inquam, valde perplexa est, an in tali dubio tributa sint necessario in conscientia solvenda?

Quidam affirmant, quia in dubio, an lex sit justa vel injusta, praesumendum est in favorem superioris, quod juste praecipiat potius, quam injuste: nec subditorum est eorum praecepta ad examen revocare. Ita Sylvius, Cabassutius, et alii. Quidam negant, quia in dubio est melior conditio possidentis: subditus autem possidet res suas, et immunitatem a tributo. Pro hac sententia citantur Sylvester, S. Antoninus, Cajet. Petrus Navar. Fummus, Arragon, Medina, Gabriel, et alii plures.

Si inter tantos viros sententiam nostram aperire liceat, dicam neutrum fundamentum mihi videri satis firmum: Non primum, quia non est totaliter saltem praesumendum in favorem superioris, quando agitur de interesse ipsius, et de damno subditi. *De interesse ipsius*: quia tunc jure timeri potest, ne sit partialis, et sibi faveat: *De damno subditi*: quia tunc aequum videtur, ut subditus, antequam re sua spolietur, inquirat, an vere debeat: unde cap. *Pervenit* extra. de censibus dicitur: *Oportet ut omnis census, ad quid, et quando persolvi debeat praesciatur.* Id modo magis elucidabitur. Non secundum, quia possessio non reddit meliorem conditionem possidentis, nisi in quantum importat praesumptionem veritatis in favorem illius, ut dixi alibi: quod hic non currit: ex eo enim, quod subditus res suas, et immunitatem possideat, non habetur inde praesumptio, quod tributum sit potius injustum, quam justum. Insuper si subditus possideat res suas, superior possidet auctoritatem praecipiendi, sicque una possessio compensatur per alteram.

Itaque salvo meliori judicio arbitror dicendum de tributis dubiis, quod alias dixi de caeteris debitis dubiis, nempe esse solvenda pro rata dubii: ita quod ab iis solvendis non sint omnino liberi subditi, neque ad haec integre solvenda cogantur, ne ex una parte, si a solutione tributorum dubiorum subditos eximas, noceas Principi, cui forte debentur, et ab obedientia ipsi debita subditos injuste subtrahas; et ex altera ne, si ad integram solutionem cogas, damnum inferas subditis, qui ea forte non debent. Igitur solvendum est tributum dubium, ne incurratur periculum committendi injustitiam; neque tamen est totum solvendum, quia debitum dubium non est tanti valoris, quanti est debitum certum. Vide dissert. de restit. Nolim tamen in hac parte constituere subditum judicem in propria causa, sed consulat viros probos, et doctos, qui attenta ex una parte ratione dubii, et ex altera quantitate bonorum, aut negotiationis dicant ex aequo et bono, quantum solvere debeat, et eorum stet judicio. Quod autem dico de ipsa solutione tributi dubii, idem est dicendum de restitutione non soluti. Neque ab hac sententia videtur alienus doctissimus Sylvius, alioquin stans in dubio pro parte Principis, dum dicit q. 66. a. 8. concl. 7. *Si quis fraudet de illis vectigalibus, quantum bona fide existimat se plus aequo gravari, neque peccat, neque tenetur ad restitutionem: quod meminisse oportet Confessarios, quando agitur de fraudatorum vectigalium restitutione injungenda.*

Petes 4. Utrum, qui merces emit ab eo, quem scit injuste defraudasse vectigalia, teneatur illa solvere? R. negative: quia vectigal non est onus reale,

seu rei affixum, quod transeat cum merce, sed onus personale venditoris, quamvis ex rei transportatione contractum. Caeterum notandum, quod quamvis non peccet praecise ex hoc, quod emat talem mercem, nec teneatur restituere vectigal, si tamen sic emendo moveat alium ad iterum fraudandum, possit peccare et teneri ad restitutionem ut cooperator damni.

Petes 5. Utrum Clerici sint exempti a tributis? R. affirmative regulariter loquendo. Constat 1. ex jure civili L. *Sancimus* C. de sacrosanctis Ecclesiis L. 1. tit. 2. quae est Justiniani Imperatoris, Novella *Item multa* C. de Episcopis et Clericis ibid. tit. 3. quae est Friderici Imperat. item cap. *In qualibet* causa 23. q. 8. quod est Constantii et Constantis Imperatorum. Constat 2. ex jure Canonico cap. *Quamquam de censibus* in 6. l. 3. tit. 20. quod est Bonifacii VIII. cap. *Clericis* tit. 23. de Immunit.

Magnum Concil. Lateran. cui praeter quadringentos et ultra Episcopos, octingentos tam Abbates quam Priores, aderant Legati Imperatoris Constantinopol. Regis Romanorum, Gallorum, Anglorum, Hungarorum, Aragonum, et plurimum aliorum Principum sub Innocentio III. prohibet sub anathemate, ne saeculares exigant ab ecclesiasticis tributa. Concilium Viennense sub Clemente V. cui cum trecentis Episcopis aderat Rex Galliae, jubet Ordinariis locorum, ut publicent sententias excommunicationis et interdicti latas contra eos, qui tributa exigunt a personis ecclesiasticis pro earum rebus, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt. In Bulla *Coenae excommunicantur omnes, qui absque speciali et expressa licentia summi Pontificis imponunt collectas, decimas, talias, praestantias, aut alia onera personis ecclesiasticis aut earum bonis sive ecclesiarum aut monasteriorum ipsorum, aut imposita exigunt, aut a sponte dantibus recipiunt, aut his actibus quoquò modo cooperantur.* Quod dicitur a sponte dantibus, intelligitur, quando exactor recipit ab eo, qui dat antequam petatur, quia impositum est. Concilium. Trid. sess. 25. cap. 2. de reform. praecipit omnes Canones et Decreta in favorem ecclesiasticarum personarum exacte ab omnibus observari, eaque omnia praesenti Decreto innovat.

Dixi, *Regulariter loquendo*, quia sunt quidam casus excepti. Primus est, si Clerici negotiationem exerceant, ut declarat idem Bonifac. cap. *Quamquam* cit. Secundus est, quando facultates laicorum non sufficiunt ad succurrendum necessitati publicae: ut autem in hoc casu exigatur tributum a Clericis, requiritur consensus Papae, ut patet ex cit. Cap. *Adversus*, et ex Bulla *Coenae*. Quod si res non ferat moram videtur sufficere consensus Episcopi et Cleri pro Clericis saecularibus et regularibus non exemptis: pro exemptis vero requiritur consensus suorum Prelatorum.

Tertius casus est secundum Canonistas, et Theologos, quando tributum est aeque primario, et aeque immediate in utilitatem Clericorum et laicorum, ut pro aggere reparando, ne flumen inundet agros Clericorum, et laicorum, pro expellendis praedonibus, qui vastant territorium, in quo Clerici habent multas possessiones: id enim aequitati naturali videtur omnino consentaneum. Secus si contributio spectet immediate, et primario communitatem, et secundario tantum, ac per consequentiam Clericos, quatenus sunt membra communitatis: ut tributa, quae spectant stipendia Principis, bellum gerendum, reparationem arcium aut moenium civitatis, etc. Ita Sylvester V. *Immunitas* 1. n. 2. cum Panorm. et aliis, et post ipsum Less. lib. 2. c. 33. dub. 3.

Quartus casus est, si possessio aliqua habebat aliquod onus annexum perpetuum et invariabile, antequam veniret ad Ecclesiam, Ecclesia tenetur ad illud, quia res transit cum onere suo C. *Cum non sit* 33. et C. *Pastoralis* 28. *de decimis.* Vide eumdem Sylvest. ibid. Non potest tamen novis oneribus gravari.

Petes 6. Quo jure Clerici sint immunes? R. esse immunes jure civili, et canonico, ut patet ex dictis, quod tamen habet aequitatem naturalem.

DISSERTATIO VIII.

De Vitiis oppositis Justitiae commutativae, et primo de Homicidio, Mutilatione, et Restitutione inde debita.

D. Thom. QQ. 64. et 65.

Articulus I.

Plures quaestiones de Homicidio resolvuntur.

Petes 1. Utrum sit licitum occidere malefactores? R. Licitum est occidere malefactores bono communi noxios. Probatur auctoritate Scripturae. Exod. 22. dicitur: *Maleficos non patieris vivere.* Prob. ratione. Omnis pars ordinatur ad totum ut imperfectum ad perfectum, et ideo omnis pars est naturaliter propter totum; et propter hoc videmus, quod si saluti totius corporis humani expediat praecisio alicujus membri, puta cum est putridum, et corruptivum aliorum membrorum, laudabiliter et salubriter abscinditur: atqui quaelibet persona particularis comparatur ad totam communitatem, sicut pars ad totum. Ergo si aliquis homo sit periculosus communitati et corruptivus ipsius propter aliquod peccatum, laudabiliter, et salubriter occiditur, ut bonum commune conservetur.

Petes 2. Qua auctoritate liceat occidere malefactores? R. Sola auctoritate publica, non privata, licitum est occidere peccatores. Intellige ex intentione et in vindictam, non praeter intentionem, et in defensionem propriam, ut patebit ex infra dicendis. Prob. Occidere malefactores licitum et in quantum ordinatur ad salutem totius communitatis: ergo ad illum solum pertinet, cui committitur cura communitatis, hoc est ad personam publicam, sicut ad medicum pertinet praecidere membrum putridum, quando ei commissa fuerit salus totius corporis. Confir. Si cuilibet particulari injuriam passo liceret privata auctoritate ulcisci, omnia caedibus replerentur: et ideo Deus sibi reservavit vindictam per se vel per suos ministros exercendam, Deut. 32. *Mea est ultio et ego retribuam.* et ad Rom. 12. *Mihi vindicta et ego retribuam.*

Petes 3. Utrum liceat occidere seipsum? R. 1. Seclusa auctoritate divina jubente vel permittente, lethale peccatum est occidere seipsum directe et ex intentione. Prob. 1. ex praecepto *Non occides*, de quo Augustinus lib. 1. de Civit. c. 20. *Restat*, inquit, *ut de homine intelligamus illud, quod dictum est, Non occides; nec alterum, ergo nec te: neque enim aliud quam hominem occidit qui seipsum occidit.* Prob. 2. triplici ratione. Prima, quod aliquis occidat seipsum est contra inclinationem naturalem, et charitatem, qua quilibet debet seipsum diligere. Secunda, qui occidit seipsum, injuriam facit communitati, quaelibet enim pars, id quod est, totius est. Tertia, peccat contra Deum, sicut qui alienum servum interficit, peccat in dominum, cujus servus est, et sicut peccat ille, qui usurpat judicium de re sibi non commissa: ergo. Prob. ant. Vita est quoddam bonum divinitus homini datum, et Dei potestati, ac judicio subjectum, qui occidit, et vivere facit juxta illud Deut. 32. *Ego occidam, et ego vivere faciam*: et Sap. 16. *Tu es Domine, qui vitae, et mortis habes potestatem*: Ergo.

R. 2. Non licet occidere seipsum indirecte faciendo, aut omittendo aliquid, un-

de sequatur mors licet non intenta, nisi adsit justa et rationabilis causa illud faciendi, aut omittendi. Prob. prima pars. Quando est illicitum aliquid facere directe, etiam illicitum est illud facere indirecte, aliquid scilicet agendo vel omittendo, unde sequatur, quia tunc est voluntarium interpretative in causa, nisi justa ratio sic agendi, vel omittendi excuset, et voluntarium morale a tali effectu tollat: unde

Prob. Secunda pars. Praeceptum vitam conservandi utpote affirmativum non obligat pro semper, seu in omni casu, sed tantum quando moraliter servari potest: atqui quando occurrit justa ratio aliquid faciendi, vel omittendi, ex quo praeter intentionem sequitur mors, jam vita non potest moraliter conservari: ergo. Confir. Quando adest justa ratio aliquid faciendi, vel omittendi, ex quo sequatur mors praeter intentionem, mors non censetur voluntaria in causa saltem moraliter, et imputabiliter: ergo. Prob. ant. Ut aliquis effectus censeatur voluntarius in causa moraliter, et imputabiliter, requiritur juxta ea, quae traduntur communiter de voluntario, quod possim, et debeam amovere causam talis effectus; si enim nulla lege tenear amovere hanc causam, quin potius habeam justam rationem illam ponendi, non est, cur effectus inde sequens contra meam intentionem mihi imputetur ut voluntarius: ergo. Confer quae dixi de cooperantibus ad injustam damnificationem §. *Participans*, et quae dicam infra de occisione injusti invasoris vitae.

Hinc colliges 1. eos suicidii reos esse, qui levibus de causis se injiciunt in discrimen mortis, ut sunt v. g. funambuli, circulatores, qui se vulnerant, aut venena sumunt, nisi longa experientia, vel experimentis factis in brutis, certi sint de sua dexteritate, aut remediorum suorum efficacia. 2. In eodem genere graviter peccant, qui sibi mortem accelerant per crapulam, ebrietatem, frequentem vini adusti potum, et per immoderatas passiones: plus vel minus, secundum quod plus vel minus morti suae concurrunt; sed priores in hoc maxime culpandi, quod mediis, quae Deus ad conservationem vitae instituit, iis abutantur ad mortem. 3. Rei sunt, qui dum aegrotant, recusant remedia communia, certo seu probabilius profutura, et non nocitura, si ex eorum defectu mors sequatur. Secus si remedia sint insolita, valde difficilia, aut multum pretiosa attentis personarum conditionibus, quia non tenemur vitam conservare nisi mediis ordinariis, neque jubet Deus, ut de vita longiore ita simus solliciti.

4. Non sunt culpandi, sed plurimum laudandi, qui ex motivo virtutis corpus abstinentiis, vigiliis et aliis austeritatibus affligunt, unde valetudo minuitur, et vita breviatur, quia motivum virtutis est ipsis justa causa has macerationes exercendi, quamvis inde praeter intentionem forte aliquantocyus mors adveniat. Intellige tamen austeritates moderatas, et juxta prudentiae regulam assumptas: illicitae sunt enim immoderatae, quae notabiliter sanitati officiunt, et sunt manifeste occisivae; neque in his currit motivum virtutis, quin potius virtutum exercitio obsunt, dum corpore viribus exhausto spiritus impeditur in suis functionibus.

5. Non peccat miles, qui jussus stationem non deserit, primus muros ascendit, ignem pulveri tormentario injicit ad evertendam turrim, quamvis inde videat se certo occidendum; imo ad id tenetur titulo justitiae, sicut Pastor eodem titulo tenetur inservire infectis peste, etsi certo inficiendus. Eadem quicumque praestare potest ex charitate, aut motivo boni communis, quia hoc non est seipsum directe interimere, sed ob justam causam mortem suam permittere.

Petes 4. Utrum liceat in aliquo casu interficere innocentem? R. Nulli umquam nec etiam Reipublicae licet innocentem occidere directe et ex intentione, nisi sit ipsi facta a Deo specialis auctoritas. Prob. 1. ex illo generali Dei mandato Exod. 23. *Insontem et justum non occides.* Prob. 2. Ideo licet malefactores

occidere, quia bono communi sunt nocivi : atqui vita justorum non est nociva bono communi, sed potius illius conservativa, et promotiva, quippe qui sunt principalior pars communitatis : ergo.

Dixi directe, et ex intentione : quia occidere innocentes indirecte, et praeter intentionem quandoque licere videtur extra dubium. Sic jure belli licite expugnatur civitas, aut evertitur turris, in qua multi innocentes includuntur ; similiter licite impetuntur hostes, quamvis innocentes in fronte praelii constituerint, quia, ut jam dixi, et dicam iterum articulo seq. quando unius actus sunt duo effectus aeque immediati, unus bonus, alter malus, potest subsistente justa ratione intendi bonus et permitti malus ; porro eversio turris, explosio tormentorum bellicorum in hostes est immediate defensiva patriae, et occisiva innocentum ; hoc permittitur, illud intenditur propter bonum commune.

Articulus II.

Utrum liceat defendere vitam suam cum occisione injusti invasoris ?

Non instituo quaestionem, ut plerumque fieri solet : *An liceat occidere injustum vitae invasorem* ? Quia τὸ *occidere* proprie importat intentionem mortis, quam abesse volumus a moderata defensione. Et ideo aliter quaero : utrum contra injustum vitae invasorem liceat eam defendere, quamvis ex defensione sequatur mors invasoris praeter intentionem.

Dico. Unicuique licitum est defendere propriam vitam cum occisione injusti invasoris servato moderamine inculpatae tutelae : est communis contra paucos. Prob. 1. ex Scriptura. Exod. 22. dicitur : *Si effringens fur domum, sive suffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere mortuus fuerit, percussor non erit reus sanguinis. Quod si orto sole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipse morietur.* Super quae verba Aug. q. 84. in Exod. dicit : *Intelligitur ergo tunc non pertinere ad homicidium, si fur nocturnus occiditur ; si autem diurnus, pertinere. Hoc est enim quod ait ; Si oriatur sol super eum ; poterat quippe discerni, quod ad furandum, non occidendum venisset* Prob. 2. ex jure canonico. Clementina *si furiosus* L. 5. tit. 4. Clemens V. in Concilio Viennensi sic ait : *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat : nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui mortem aliter vitare non valens suum occidit vel mutilat invasorem.*

Neque dicas cum Henrico a S. Ignatio, et Aurelio Piette, ex eo quod non incurrat irregularitatem, non sequi, quod non peccet coram Deo. Sequitur plane, si loquamur secundum dispositionem juris, juxta quam omnia omnino homicidia peccaminosa habent annexam irregularitatem ; si ergo hoc, de quo agitur, non habeat annexam irregularitatem, bene sequitur, quod coram Deo non sit peccaminosum. Et id ulterius indicat Concilium, cum illud aequiparat homicidio perpetrato a furioso, vel infante, vel dormiente.

Prob. 3. ex hoc principio : *Vim vi repellere licet*, quod jura admittunt : unde Innoc. III. Cap. *Significasti de Homicid.* Extr. lib. 5. tit. 12. loquens de occissione furis percutientis dicit ; *Quamvis vim vi repellere omnes leges, et jura permittant, tamen hoc debet fieri cum moderamine inculpatae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.*

Respondent adversarii omnia jura equidem permittere vim vi repellere, sed cum moderamine inculpatae tutelae : non extenditur autem, inquiunt, istud moderamen usque ad internecionem invasoris. Sed contra 1. eo usque extendi docet Sanctus Thomas hic dicens : *Secundum jura vim vi repellere licet cum*

moderamine inculpatae tutelae. Nec est necessarium ad salutem, ut homo actum moderatae tutelae praetermittat ad evadendam occisionem alterius, audi, *quia plus tenetur homo vitae suae providere, quam vitae alienae.* Contra 2., et instauratur vis argumenti; tunc servatur moderamen inculpatae tutelae, quando posita proportione inter malum avertendum, et malum ex defensione secuturum non adhibetur major vis repellens, quam sit opus ad malum avertendum, ut fusius explicabo infra: vel dicant adversarii, in quo istud moderamen sit positum; atqui sic est in nostro casu. Et primo habetur proportio inter malum et malum, scilicet inter mortem invasi et mortem invasoris; damnatio enim invasoris, ut obiter dicam, non sequitur ex defensione invasi, sed ex propria malitia. Secundo non adhibetur major vis repellens, quam sit opus ad avertendam mortem invasi; quia, ut supponitur, aliter evadere non potest: ergo.

Reponunt: qui occidit, non est defensor, sed invasor; ergo. Sed contra: Ille est merus defensor et non invasor, qui nihil aliud facit, quam id, quod praecise est necessarium, ut vim illatam impediat; atqui qui occidit invasorem, a quo aliter liberari non potest, non facit plus, quam est necessarium ad impediendam vim illatam: ergo.

Ex eodem juris principio eruitur hoc aliud argumentum; licitum est occidere hominem ex legitima auctoritate; atqui qui defendit vitam suam cum occisione injusti invasoris, id facit ex legitima auctoritate, cum id omnia jura permittant: ergo. Quantum ad S. Thom. non solum in praesenti articulo conclusionem asserit, sed eam triplici ratione probat. Prima est, quia secundum jura licet vim vi repellere, de qua jam dixi.

Secunda est, quia plus tenetur homo providere propriae vitae quam alienae, hoc enim exigit ordo charitatis, et dictat jus naturale: atqui si deberet permittere se occidi potius, quam se defendere cum occisione invadentis, plus teneretur vitae alienae providere, quam suae: ergo. Neque dicas inde sequi, quod non solum quis possit se defendere cum occisione invasoris, sed etiam quod teneatur. Equidem tenetur per se loquendo, et caeteris paribus, hoc est si tantum spectetur bonum vitae et vitae, secus si spectetur bonum virtutis, sed de hoc latius infra.

Tertia, et fundamentalis ratio D. Th. est haec. Occisio invasoris in nostro casu non est voluntaria; ergo non est illicita, nec imputabilis. Prob. ant. Est praeter intentionem: atqui voluntarium non est praeter, sed secundum intentionem, seu, ut dicit S. Doctor, actus morales sumunt speciem secundum id, quod intenditur, non ab eo, quod est praeter intentionem, cum sit per accidens: ergo. Probat. maj. Nihil prohibet unius actus esse duos effectus, quorum alter solum sit in intentione, alius vero praeter intentionem: sic v. g. ex expugnatione urbis in bello justo sequitur defensio reipublicae, et occisio plurium innocentum; defensio reipublicae intenditur ab expugnante, occisio est praeter ejus intentionem. Similiter ex potione medicinali sequitur sanatio aegri et ejus debilitatio, primum intendit medicus, non secundum; atqui ex actu se defendentis sequitur duplex effectus, nempe conservatio vitae propriae, et occisio invasoris, quorum primus intenditur, et alter est praeter intentionem, non enim invasus intendit, aut intendere potest mortem agressoris, sed defensionem suam dumtaxat, ut dicam modo ex S. Thoma: ergo.

Dices: Dato occisionem in casu non esse voluntariam directe, est saltem voluntaria indirecte in causa: hoc ipso enim, quo quis vult causam per se alicujus effectus, hunc vult saltem indirecte in causa, ergo qui ponit actionem de se occisivam, ut amputare caput, transfodere pectus, vult saltem indirecte occisionem invasoris. R. 1. N. ant. ad prob. dico eam dumtaxat esse veram,

quando hujus causae est unus tantum effectus, quia tunc agens nihil aliud potest intendere; secus quando est duplex effectus ex S. Thoma, et patet in exemplis. R. 2. Dato occisionem invasoris in casu esse voluntariam indirecte physice, quia actio invasi influit physice in illam; non est tamen indirecte voluntaria moraliter, adeoque nec imputabiliter, quia non tenetur invasus hanc causam omittere, cum eam ponendi habeat justam causam, nempe conservationem propriae vitae, cui debet magis prospicere quam alienae; ad voluntarium autem morale in causa requiritur, quod quis possit, et debeat non ponere causam, ut traditur de actibus humanis. Idque patet in prioribus exemplis. Sic v. g. actio militum explodentium in innocentes positos in fronte praelii, vel evertentium turrim, in qua innocentes cum hostibus sunt inclusi, est de se occisiva innocentum, et tamen eorum mors non est militibus moraliter voluntaria nec imputabilis, quia eam non intendunt et habent justam rationem ponendi hanc actionem. Stat ergo juxta S. Thomam et rei veritatem licitum esse ponere actionem habentem duos effectus, unum bonum, alterum malum, intendendo bonum et habendo se permissive ad malum.

Verumtamen hoc Doctoris Angelici principium, quod late patet et de quo jam saepe, debet intelligi sub duplici conditione. Prima est, quod bonus effectus aeque immediate ex illa actione sequatur ac effectus malus; quia si effectus malus prius sequeretur quam bonus, prius fieret malum quam bonum, et sic fieret malum, ut eveniret bonum, quod non licet. Secunda conditio est, quod effectus bonus, qui intenditur, praevaleat malo, qui permittitur, aut saltem eum compenset. Primo, quia dictat recta ratio potius esse carendum minori bono quam illud obtinere per actionem, ex qua sequitur majus malum, seu, ut communiter dicitur, ex duobus malis minus esse eligendum. Secundo, quia actus, quo quis intenderet vitare minus malum causando majus, non esset proportionatus fini, qualem esse necesse est, ut sit licitus, ut docet S. Doctor et per se patet. Hinc defectu primae conditionis non licet v. g. ponere actionem occisivam matris, puta eam secare, ut baptizetur proles alioquin peritura in aeternum; quia licet salus aeterna infantis praevaleat vitae matris, non tamen sequitur ex illa actione aeque immediate ac mors matris, sed aliunde, nempe ex Baptismo, Baptismus autem ex ablutione, et verborum prolatione; non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona. Defectu secundae conditionis sequitur, quod non liceat ponere defensionem occisivam pro conservatione v. g. unius aurei, quia licet conservatio unius aurei aeque immediate sequatur ex actione mea ac mors furis, privatio tamen unius aurei est longe minus malum, quam mors hominis.

Si dicas damnationem aeternam invasoris, quae sequitur ex mea actione, esse etiam longe majoris momenti quam mortem meam temporalem; jam respondi invasoris damnationem non sequi ex mea actione, sed ex ejus peccato ac propria malitia; de quo iterum infra.

Dixi in conclusione, *servato moderamine inculpatae tutelae*: ut autem servetur istud moderamen, multa requiruntur. 1. Requiritur juxta dictum Innocentii III. a quo ista phrasis est desumpta, ut adhibeatur defensio non ad sumendam vindictam, sed ad propulsandam injuriam. 2. Requiritur, ut invasus non utatur majori violentia, quam sit opus ad avertendam mortem intentatam, alioquin non erit actus proportionatus fini, nec mera defensio, sed vindicta, et ultio. Unde quivis sis, etiamsi nobilis, si possis evadere fugiendo, clamando, verberando, retundendo, excutiendo arma, aut vulnerando, et sit tempus ac commoditas ista tentandi, occidere non potes. Eadem ratione non potes percutere, aut occidere aggressorem fugientem, aut inermem, aut viribus debilitatum, et laedere impotentem, aut quovis alio modo ab aggressione cessantem.

3. Requiritur, ut vera vis actu inferatur, alias non erit defensio, sed ag-

gressio. Hinc non potes praevenire et occidere eum, qui solis minis tibi mortem intentat, aut quem scis quaerere opportunitatem te occidendi, neque latronem tibi obvium, nihil in te actu molientem; nondum enim sunt actu invasores, potestque malum adhuc remotum aliis mediis averti, et forte mutaverunt consilium. Neque etiam eum, qui dolo, insidiis, ac calumnia tibi mortem inferre conatur, puta falsum testem, falsum accusatorem, iniquum judicem; tum quia non est ibi vera vis, quae morte aggressoris debeat repelli, tum quia ista sunt remota, et possunt aliis mediis averti. De quo iterum infra. Caeterum haec non sic intellige, quasi invasus debeat expectare, donec invasor primum ictum dederit: sed sufficit si is aliquid agat, quo censeatur actu moraliter invadens. Hinc si videas latronem, vel inimicum parare catapultam, stringere ensem, potes illum praevenire, quia est actu moraliter aggrediens: similiter eum, qui parat solvere canes feroces, aut leones ut te devorent, qui mandat famulis praesentibus, ut te occidant.

4. Requiritur, ut malum, quod avertere volumus, praevaleat aut saltem adaequet malum, quod ex defensione nostra sequitur, ut dictum est in explicatione tertiae rationis D. Thomae. 5. Requiritur quod, invasus non intendat mortem invasoris, sed solum suam defensionem: quia occidere hominem non licet nisi publica auctoritate propter bonum commune; unde illicitum est, quod homo intendat occidere hominem, ut seipsum defendat. Et aliunde talis intentio non est necessaria ad sui defensionem.

Dices. Mors invasoris est unicum medium invaso ad evadendum: ergo necessario intendit mortem invasoris, si non ut finem suae actionis, saltem ut medium necessarium ad suum finem. R. N. antec. Medium enim necessarium in casu est actio defensiva invasi, ex qua sequitur duplex effectus, salus propria ex intentione, et mors invasoris praeter intentionem

Petes 1. Utrum conclusio nostra sit intelligenda generaliter de quocumque invaso contra quemcumque injustum invasorem vitae. R. affirmative, excepto forte uno, vel altero casu; patet ex rationibus conclusionis, quae generaliter probant de omnibus invasis contra omnes injustos invasores. Casus excipiendus est, si vita invasoris sit summe Reipublicae necessaria, quod raro contingit.

Alter casus dubius est, si me innocenter invadentem certo sciam esse in peccato mortali: puta, est ebrius, qui me catapulta invadit. Ex una enim parte videtur, quod iste sit vere in extrema necessitate salutis aeternae, quam vitae meae corporali teneor praeferre. Ex altera parte videtur, quod mors mea non sit medium efficax ad ejus salutem: nam si occidat, et ipse evadat, non equidem tunc damnabitur, sed non ideo salvabitur, forte enim non aget poenitentiam, et in illo, aut altero peccato morietur. Insuper me cum ejus occisione defendendo, mihi ipsi consulo, dum nescio, ut plerumque accidit, in quo sim statu, aut forte scio me esse in malo statu, absque certitudine, quod ipso actu sim justificandus. Falso enim supponunt ii, contra quos hucusque egimus, certam esse salutem invasi, si pro salute invasoris ponat animam suam, ex male intellectis his Christi verbis Joan. 15. *Majorem dilectionem nemo habet, ut ponat animam suam quis pro amicis suis.* Non enim est, ut putant, horum verborum sensus, quod mortis perpessio pro Deo, aut proximo importet semper, aut maximam charitatem, aut etiam simpliciter charitatem. Non maximam charitatem: certum est enim esse plures Beatos non Martyres, qui majori ferbuerunt charitate, quam quidam Martyres: inter quos eminet sanctissima Virgo Mater Dei. Non etiam simpliciter charitatem; patet ex illo 1. ad Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*: et aliunde constat, quod multi sunt parati mori potius, quam negare fidem Christi, qui tamen nolunt pro Christo pellicem, aut odium fraternum dimittere. Sensus

ergo horum verborum est, quod inter humanos actus nullum sit, quo magis demonstrari possit perfectio charitatis, quando habetur, quam oppetere mortem pro Deo, aut proximo: quasi diceret; majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis. Vide quae dicimus de Martyrio in Tractatu de Fortitudine. Non negandum tamen, quin talis actus, quando ex vera Dei, et proximi dilectione procedit, sit maxime commendabilis, et spem magnam ingerat divinae misericordiae consequendae. His omnibus itaque utrimque perpensis, quamvis nihil ut certum asserere audeam, probabile tamen mihi est, quod si invasus prudenter existimet se non esse in malo statu, teneatur in his circumstantiis mortem oppetere potius, quam occidere invasorem.

Petes 2. Utrum invasus non solum licite possit, sed etiam utrum teneatur defendere vitam suam cum occisione invasoris? R. Jam dixi superius, quod caeteris paribus, seu si spectetur tantum bonum vitae et vitae inter privatos, teneatur per se loquendo, quia juxta Doctrinam S. Thomae plus tenetur homo providere vitae suae quam alienae. Si vero intendatur bonum virtutis, puta si invasus attendat, quod sit in periculo peccandi excedendo moderamen in defensione, quod ex illa secutura sit damnatio aeterna invasoris, his et aliis similibus rationibus potest, licet non teneatur, permittere sui occisionem exemplo Christi, et Martyrum: quia bonum virtutis, etiamsi sit tantum consilii, praeferri potest vitae alicujus particularis: et aliunde nemo tenetur cum tanto detrimento, quale est occisio hominis in aeternum damnandi, vitam suam conservare, ut patet ex supra dictis.

Petes 3. Utrum possis pro defensione vitae proximi, quod potes pro defensione vitae propriae? R. affirmative, nisi forte invasor proximi sit pater tuus, vel mater, vel filius, vel conjux. Ratio est, quia hoc ipso, quo ex charitate debemus diligere proximum sicut nos ipsos, possumus pro ejus defensione facere, quod possumus pro nostra. Ratio autem exceptionis est, quia id videtur nimis repugnare inclinationi naturali, ac dictamini rationis, imo et ordini charitatis, qua magis tenemur diligere parentes nostros quam extraneos.

Si ulterius petas, utrum etiam ad id tenearis, dum potes? R. negative nisi id exigat officium, aut nisi invasus sit pater tuus, vel mater, vel proles, vel conjux, vel persona valde Reipublicae necessaria, cui speciali titulo tenearis subvenire. Ratio est, quia, ubi est mera aequalitas inter invasorem et invasum, cum uterque sit aeque proximus, non est stricta obligatio standi magis pro vita unius, quam pro vita alterius: et si ex una parte urgeat melior conditio innocentis, ex altera aeque ad minus urget pejor conditio nocentis in ordine ad salutem aeternam.

Articulus III.

Utrum liceat defendere bona temporalia cum occisione invasoris?

Nomine bonorum temporalium hic intelligo non solum bona fortunae scilicet divitias, sed etiam pudicitiam, honorem et famam.

Suppono licitum esse defendere aliqua violentia infra occisionem bona fortunae, et pudicitiam. Unde tua bona auferentem potes vi impedire, abigere, rem ablatam violenter auferre, furem percutere, imo si sit res gravis momenti, vulnerare secluso periculo occisionis. Id aperte concedunt jura C. *Olim. de Restitut. Spoliat.* lib. 2. titul. 13. et cap. *Dilecto*, *de Sentent. Excom.* lib. 5. tit. 1. in 6. Ratio est, quia, licet bona fortunae physice loquendo sint inferiora integritati corporis humani; tamen moraliter loquendo majus malum reputatur amissio bonorum gravis momenti, quam levis vulneratio injusti invasoris absque periculo mortis. Similiter foemina non solum potest, sed etiam debet totis cona-

tibus pudicitiae invasorem repellere, clamando, increpando, pugnis, alapis percutiendo, etiam vulnerando absque periculo occisionis, non solum ne se proprio et alieno peccato contaminet, sed etiam ut servet integritatem corporis, quam merito praefert divitiis multis, et consequenter levi laesioni stupratoris.

§. I. *De defensione bonorum fortunae*

Dico. Non est licitum defendere bona fortunae cum occisione invasoris. Prob. 1. ex jam laudato cap. 22. Exod. ubi dicitur reus sanguinis, qui furem diurnum occiderit, eo quod inquit August. c. *Si perfodiens, de Homicidio*, possit discerni, quod veniat ad furandum, et non ad occidendum. Et cap. *Suscepimus.*, de Homicidio Alex. II. subjicit irregularitati, et poenitentiae eum, qui occiderat furem vestium.

Prob. 2. ratione. Non licet vim vi repellere nisi servato moderamine inculpatae tutelae; atqui per defensionem occisivam invasoris bonorum fortunae non servatur istud moderamen: ergo. Prob. min. Ad moderamen non sufficit, quod invasus non faciat plusquam sit opus ad rem suam defendendam, sed insuper requiritur, quod sit proportio inter rem defendendam, et vitam invasoris, ita quod res defendenda non sit minoris aestimationis quam vita invasoris, ut probavimus. art. praecedenti: alioquin, ut illic diximus, ille servaret moderamen, qui occideret invasorem pro aureo, vel pomo, si aliter servari non posset, quod est absurdum et damnatum: atqui non est proportio inter bona fortunae et vitam invasoris, cum haec sit superioris ordinis ad omnia fortunae bona, et semel amissa sit irreparabilis, illa vero reparabilia: ergo. Haec ratio, ut vides, probat pariter quantum ad defensionem pudicitiae, et honoris. Hunc faciunt tres propositiones damnatae ab Innoc. XI. scilicet 31. 32. et 33.

§. II. *De defensione pudicitiae.*

Dico: Non licet defendere pudicitiam cum occisione invasoris. Prob. Vel pudicitia sumitur pro virtute animi; haec ab invita auferri non potest: unde dicebat S. Lucia Tyranno: *Si invitam jusseris violari, castitas mihi duplicabitur ad coronam*: vel sumitur pro integritate carnis, haec autem non secus, ac pulchritudinem, cui posset comparari, constat esse inferioris ordinis ad vitam hominis, et consequenter si pro illius defensione occideretur homo, non servaretur moderamen inculpatae tutelae: ergo.

Dices. Pudica virgo merito mallet subire mortem, quam corpore foedari: unde laudantur quaedam sanctae Virgines, quae, ne violarentur, permiserunt se occidi aut etiam seipsas occiderunt: ergo pudicitia pluris est, quam vita, et consequenter pro illa non minus quam pro vita licet occidere injustum invasorem. R. Dato antecedente, N. conseq. Quod enim possit pudica virgo eligere pati mortem potius, quam foedari per stupratorem, non est quia pudicitia pluris est quam vita, sed quia non tenetur vitam conservare per medium tam odiosum, et periculosum, aliud autem est non conservare vitam, aliud occidere, ut jam notavi: primum licet in multis casibus, secundum numquam licet directe, nisi autoritate publica, nec indirecte nisi servato moderamine. Quapropter laudari possunt sacrae Virgines quae amore virtutis, aut timore peccandi permiserunt seipsas occidi potius, quam corrumpi. Quae autem seipsas occiderunt, laudari non possunt, nisi quatenus censentur id fecisse ex instinctu Spiritus Sancti. Adde, quod facit ad propositum: inter eas, quas Ecclesia colit, nullae leguntur occidisse stupratorem, quamvis indubie aliquae potuissent.

§ III. *De defensione honoris, et famae.*

Dico. Non licet defendere honorem, seu famam cum occisione invasoris. Ante probationes nota honorem posse sumi dupliciter : radicaliter et formaliter. Honor radicalis est excellentia quaedam, propter quam unus aliis praefertur, et honoratur : haec autem excellentia, vel est virtus supernaturalis, vel dos aliqua naturalis animi, vel corporis, ut ingenii praestantia, scientia, fortitudo, pulchritudo, dignitas, divitiae. etc. Honor formalis est bona aestimatio, quam homines concipiunt de alio propter istam excellentiam, aliquo signo exteriori manifestata, si enim in bona aestimatione sistatur, est fama ; si adjungatur testimonium exterius verbis, vel signis, est honor. Hoc notato

Probat. 1. conclusio ex eodem semper principio. Vel honor sumitur radicaliter, vel formaliter. Atqui neutrum licet defendere cum occisione invasoris : ergo. Non radicalem, quia virtus supernaturalis non potest ab invitis auferri. Dotes autem naturales animi, vel corporis non possunt etiam auferri per calumniam, aut contumeliam; quod si quis forte arte, aut veneno deturparet corpus, aut frangeret, redderetque animum suis functionibus minus aptum, haec tamen bona, sicut et dignitates, et divitiae sunt inferiora ad vitam hominis, ita quod occidere hominem pro iis servandis non esset servare moderamen inculpatae tutelae. Non honorem formalem, quia est vanus, ac fragilis, utpote situs in aestimatione hominum, a quibus hodie honoraris cras vituperandus : item periculosus, nempe superbiae, ac vanae gloriae stimulus, ideoque juxta Christi, et Sanctorum oracula, atque exempla potius fugiendus quam quaerendus, sicque nulla ratione conferendus cum vita hominis, nec consequenter per hujus ablationem conservandus.

Probat. 2. Honor aufertur verbis, ut calumnia, detractione, contumelia. etc. vel signis, ut impacta alapa, ictu fustis ; aut aliis signis vituperii, aut contemptus : atqui quovis modo auferatur, non potest, nec debet reparari, aut conservari per occisionem invasoris : ergo. Probat. min. pro prima parte. Si verbis ; primo, quia non est ibi vis, qualem vi simili repellere jura permittunt ; alias liceret repellere calumniam calumnia, contumeliam contumelia, quod est contra Doctrinam Evangelicam, et quod nemo admittit. Secundo, quia tu, qui pateris inhonorationem per calumniam, etc. vel potes probare tuam innocentiam, vel non ; si primum, jam suppetit alia via quam occisio invasoris ad conservandum, vel reparandum tuum honorem : si secundum, occidendo eum, qui de calumnia convinci non potest, tuum non servas, aut reparas honorem, sed incurris majus periculum infamiae in judicio, et extra : ejus enim occisio non te probat innocentem, sed impatientem, et infamem homicidam. Prob. min. pro secunda parte. Si signis : quia falsum est verum honorem inde deperdi, si injuria non repellatur morte invasoris : non enim verus honor reponendus est in aestimatione hominum mundanorum, et secundum saeculi regulas sentientium, nisi velis esse honorabile inebriari cum ebriosis, fornicari cum fornicantibus, contrarium enim agere probrosum judicant mundi sectatores ; sed reponendus est verus honor in aestimatione sapientum, et secundum Christi, ac Religionis regulas sentientium : hi autem non solum non contemnent, sed maxime laudabunt, et vero honore dignum judicabunt, qui ex amore Christi condonabit injuriam, eamque injuriantis morti posthabebit. Denique sententia contraria est damnata ab Innocentio XI. propositione inter damnatas 30. et ab Alex. VII. propositionibus inter damnatas 17. et 18.

Dices. Vir probus et honoratus merito mallet mori quam vivere sine honore et fama : ergo R. D. Ant. Merito mallet, etc. id est merito eligeret potius mori, quam per propriam culpam perdere famam, et honorem, C. ant. sic enim vir probus debet curare bonum nomen : id est, merito eligeret potius mori, quam perdere

famam, et honorem per alterius calumniam, aut injuriam, N. ant, iste enim amor foret inordinatus:

Articulus IV.

De Abortu.

Abortus est ejectio praematura foetus, sive sit animatus, sive non, modo sit conceptus; quod addo, quia ejectio seminum ante conceptionem, ut non raro accidit metu prolis, quamvis sit grave peccatum, non est tamen proprie abortus, nec subjacet poenis latis contra procurantes abortum.

Dico 1. procurare abortum foetus, sive animati, sive inanimati, directe, et ex intentione est gravissimum peccatum, quod nullo bono fine sive famae, sive vitae salvandae cohonestari potest. Prob. 1. Quia si foetus sit animatus, ejus abortus est homicidium corporale, et spirituale; si nondum sit animatus, quamvis non sit proprie homicidium, ad illud tamen reducitur: sicut enim, inquit Estius, qui impedit, ne aliquis lucretur, licet non sit proprie furtum, tamen peccat contra septimum praeceptum, et ad furtum reducitur: ita qui futurum hominem impedit, etsi proprie non occidat, in eodem tamen genere peccat, eo nimirum peccato, quod ad homicidium reducitur: unde vocatur a Tertulliano *Festinatio homicidii*: ergo.

Prob. 2. Procurare pollutionem directe, et ex intentione numquam est licitum propter duo: 1. quia est contra finem seminis a natura per se intentum, scilicet generationem prolis: 2. quia, si aliquo casu liceret sibi procurare pollutionem, homines ejus voluptate illecti, passim fingerent casus similis licentiae, et ea delectatione contenti minus de generanda prole curarent in maximam generis humani perniciem: atqui hanc duplicem malitiam importat procuratio abortus. 1. Est contra finem generationis non solum a natura intentum, ut pollutio, sed jam actu attentatum, et proxime attingendum. 2. Si aliquo casu liceret procurare abortum, quamvis non sit in eo delectatio alliciens sicut in pollutione, sequitur tamen idem inconveniens, quatenus luxuriosi homines eo animo, ac fiducia freti, quod liceret aliquando expellere foetum, et impedire generationem, puta metu infamiae, aut mortis, etc. fingerent passim similes casus, ut possent liberius indulgere fornicationibus, et stupris, a quibus deterrere solet timor prolis, sicque ea delectatione contenti, quae major est quam pollutionis, abstinerent a legitimo matrimonio in magnum speciei humanae detrimentum. In his itaque, et pluribus aliis malitia inexcusabilis repeti debet non tam a damno actuali, quod afferunt semel facta, quam a damno habituali, et consecutivo quod afferrent semel licita: hinc merito confixa est ab Innoc. XI. haec propositio: *Licet procurare abortum ante animationem foetus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.* Est trigesima quarta.

Dico 2. Qui procurant abortum foetus animati aut illi quovis modo cooperantur, effectu secuto, incurrunt irregularitatem et excommunicationem, aliasque poenas in homicidas voluntarios inflictas. Ita Greg. XIV. Bulla *Sedes Apostolica*, qua moderatur alteram priorem et rigidiorem Bullam Sixti V. Declarat insuper laud. Greg. quod ab hoc casu, et censura annexa Episcopus, aut quilibet Confessarius ab Episcopo ad hunc casum *specialiter* deputatus possit absolvere. [Non vero dispensare ab irregularitate.]

Sed petes, quando foetus animatur anima rationali? R. id esse incertum, et hucusque disputatum inter Medicos. Alii enim volunt animari ab ipso conceptionis initio, alii trigesimo, alii quadragesimo die post conceptionem. Quidam non ita pridem docuerunt non animari nisi dum paritur, quorum sententiam repro-

bavit Innocent. XI. in condemnatione propositionis trigesimae quintae. Attamen quantum ad poenas incurrendas, ut quid certum in praxi habeatur, communiter censent Auctores eas incurri a procurante abortum post quadragesimum diem conceptionis, si sit mas, et post octogesimum, si sit foemina, et ubi dubitatur, an sit mas, vel foemina, praesumitur esse mas quoad forum conscientiae, eamque esse praxim sacrae poenitentiariae, testatur Navarrus apud Silvium hic art. 7. *quaeritur* 4.

Dico 3. Etiam illicitum est causare abortum indirecte, faciendo scilicet id, unde praevidetur secuturus, quamvis non intendatur formaliter, nisi in raro casu adsit justa, et gravis ratio tale quid agendi; quia quando est illicitum facere aliquid directe, etiam illicitum est illud facere indirecte ponendo causam unde sequatur, quia tunc saltem voluntarium est interpretative et in causa, nisi gravis ratio ponendi causam exscuset et voluntarium morale ab ejus effectu tollat. Ut dictum est supra.

Hinc est rea abortus coram Deo mulier ferens grave pondus, nimium laborans, violenter irascens, aut quid simile agens, ex quo praevidet, aut praevidere potest secuturum abortum, quamvis formaliter non intendat: idem dic de viro ex ira graviter percutiente mulierem praegnantem, aut eam affectu implendae libidinis cum nimia agitatione cognoscente. Hi tamen, quod diligenter adverte, non incurrunt poenas latas contra procurantes abortum, quia procurare abortum stricte loquendo est studiose, et ex industria agere ad ejectionem foetus, quod isti non faciunt. Secus puella, quae ne diffametur aut occidatur, sumit potionem abortivam; haec enim studiose, et ex industria quaerit abortum, ut vitam, aut famam servet.

Dixi in conclusione: *Nisi in raro casu adsit justa, et gravis ratio*, etc. Et maxime difficultas est, an id liceat ad salvandam vitam matris praegnantis, et periclitantis? pro cujus resolutione Resp. 1. id non licere quando foetus est animatus, aut etiam quando dubitatur, an sit animatus, saltem quamdiu spes est ipsum in lucem edendum et baptizandum, quia tunc agitur de salute aeterna prolis, quam mater suae saluti corporali tenetur praeferre.

R. 2. juxta communiorem opinionem id licere, quando certum est foetum non esse animatum, et aliud non suppetit remedium, quia, ut saepe dictum est ex D. Th., quando unius actus sunt duo effectus immediati, potest intendi bonus, et permitti malus, ubi subest causa, ut patet in defensione propriae vitae cum occisione invasoris, in expugnatione turris, in qua cum hostibus sunt inclusi innocentes, in pollutione causata per actionem aliunde licitam, etc. Mater autem in praesenti casu habet justam causam hoc medicamentum sumendi, nempe conservationem vitae propriae, quam merito praefert conservationi foetus nondum anima rationali donati. At incertum est, ut dixi quando foetus anima rationali animatur, propter hac de re varietatem opinionum; neque omnino depellitur haec incertitudo per hoc, quod Theologi, et Canonistae communiter constituant pro tempore animationis quadragesimum, aut octogesimum diem a conceptione, ut dictum est, id enim fit, non quia ita esse certo constat, sed quia sic fert communis apprehensio, et ut habeatur aliquid certum quantum ad poenas incurrendas: unde huic sententiae vix est locus in praxi.

Articulus V.

Utrum occidens casualiter hominem incurrat homicidii reatum?

Casuale dicitur per oppositum ad voluntarium: unde casuale proprie et simpliciter dictum est id quod neque directe in se, neque indirecte in causa est intentum: quod autem est indirecte intentum in causa, et non directe in se, licet sit

voluntarium, in jure tamen dicitur etiam *Casuale*. Quidam vocant casuale mixtum seu casuale secundum quid; quia non est tale nisi respectu intentionis formalis, et directae. Et hoc contingit dupliciter: uno modo quando dans operam rebus illicitis, quas vitare debebat, homicidium incurrit: alio modo, quando vacans rebus licitis, non adhibet debitam sollicitudinem ad vitandum sequens homicidium.

Dupliciter autem aliquid potest esse illicitum, et prohibitum, uno modo, quia est periculosum, et inductivum mortis, ut percutere mulierem praegnantem, explodere in arcem, etc. 2. Potest aliquid esse illicitum, et prohibitum, non quia est periculosum, sed ob alias causas: ut v. g. venatio certo loco, certo tempore, quo animalia concipiunt.

Certum est eum, qui vacat rei licitae, si adhibeat sufficientem diligentiam, et tamen inde sequatur homicidium, non esse reum homicidii, quia est ipsi involuntarium; si autem non adhibeat sufficientem diligentiam, plus minusve peccat, quo gravior vel levior est negligentia, quae est causa homicidii. Difficultas ergo est de eo qui vacat rei illicitae. Unde

Dico. 1. Qui vacando rei illicitae et prohibitae, non quia est periculosa, et inductiva mortis, sed ob alias rationes, si adhibita sufficienti diligentia occidat hominem, non est reus homicidii. Ita nunc communiter. Prob. 1. ex Jure Canon. cap. *Quantum* 48. dissert. 50. ubi Gelasius Papa consultus de illo, qui abducendo equos furtivos casu occurrit mulieri, quae collisa inter equos abortum fecit: respondet eum esse reum furti, non homicidii.

Prob. 2. ratione: quia talis occisio non est ullo modo voluntaria; non directe in se, ut patet, neque indirecte in sua causa, quae est actio illicita; quia, ut supponimus, non est de se periculosa; et ut caveretur mors, adhibita fuit sufficiens diligentia, ita ut in illa non potuerit praevideri occisio: ergo. Conf. ab absurdis. Ex opposita sententia primo sequitur, quod si duo venentur in eodem loco, unus Clericus, alter laicus, et uterque adhibeat debitam diligentiam, Clericus sit reus homicidii morte secuta, quia vacat rei illicitae; non laicus. 2. Si quis caedat arborem die festo, et casu opprimat aliquem adhibita sufficienti diligentia, incurrit reatum homicidii, quia vacat rei illicitae, et non incurrit, si caedat die feriali. 3. Si quis tempore interdicti pulset campanam, quae cadens occidit aliquem, est homicida, quamvis debitam adhibuerit diligentiam, quia vacat rei illicitae, et non est, si non sit interdictum. Et plura alia similia, quae videntur absurda.

Dico 2. Qui vacando rei illicitae, et prohibitae, quia periculosa est, et inductiva mortis, occidit hominem, reus est homicidii, si non obstante diligentia adhibita remaneat periculosa, quia tunc homicidium est ipsi voluntarium indirecte in causa, siquidem non obstante diligentia actio remaneat periculosa, et inductiva mortis, in qua proinde potuit, et debuit praevidere mortem, et a qua ideo debuit abstinere. Si autem talem diligentiam adhibeat, quae periculum omnino abstergat, existimamus, quod in foro conscientiae saltem non sit reus homicidii, quia tunc homicidium non est ipsi voluntarium in causa, siquidem remoto, ut suppono, periculo non potuit praevidere ex sua actione secuturum homicidium. Attamen in foro exteriori regulariter reputabitur homicida, et irregularis, quia hoc ipso, quo actio est periculosa, praesumitur negligens, qui illam ponit, nisi constet de opposito.

Unde quando S. Th. tum hic tum in 4. Dist. 25. q. 2. innuit sufficere rem esse illicitam, ut quis incurrat reatum homicidii, etiamsi adhibeat diligentiam, vel loquitur de re illicita, quae non obstante diligentia remanet periculosa, vel loquitur in ordine ad forum exterius, et ideo dicit *secundum jura* talem incur-

rere irregularitatem. Eodem sensu intellige quosdam summos Pontifices, qui idem innuunt in jure.

Ex dictis inferes 1. Qui intendit gladio amputare aurem, aut quid simile, qualemcumque adhibeat diligentiam, si occidat, incurrit reatum homicidii, et irregularitatem, quia nulla diligentia periculum ab his actionibus abstergi potest. Idem dicendum de illo, qui graviter percutit mulierem praegnantem, si sequatur abortus. Idem de illo, qui in somno inquietus decumbit in augusto lecto cum tenella prole, si forte suffocetur, secus, in lecto ampliori, prole longe a se posita, et certus sit de sua tranquillitate in somno. 2. Clericus in sacris constitutus exercens chirurgiam per incisionem, vel adustionem, quamvis peccet exercendo actionem prohibitam, morte tamen, vel mutilatione sequuta, non est reus homicidii, si, ne sequeretur, sufficientem diligentiam adhibuit; idem dicendum de Clerico medico. 3. Qui furatur mille aureos a divite avaro, qui ex dolore amissae pecuniae moritur, aut alter, cui furtum imponitur, suspenditur, non est reus homicidii, mors enim prioris sequitur ex voluntario dolore, alterius ex injustitia accusatoris, vel testium. 4. Qui inflixit vulnus non lethale, sed eo loco, et tempore, quo nullus esset, qui curare posset, et vulneratus adhibuit debitam diligentiam, est reus homicidii, si sequatur mors, quia vulnus secundum se non lethale in his circumstantiis censetur lethale. Idem dicendum, si occasione talis vulneris accidat alius morbus mortem inferens, qui enim est causa causae, est causa causati. Si vero mors sequatur ex imperitia, vel negligentia Chirurgi, vel ex incuria aut malo regimine vulnerati, divisi sunt Auctores, aliis vulnerantem excusantibus a reatu homicidii, aliis non improbabiliter oppositum tenentibus.

Petes 1. Utrum homicidium aliudve damnum per servum aut animal causatum imputari debeat domino? R. Si damnum causatum sit ex culpa domini, sic ipsi imputatur, ut debeat in conscientia restituere totum damnum, nec sufficiat servum, vel animal dedere parti laesae. Si autem id sit factum sine ejus culpa, secundum leges tam civiles, quam canonicas tenetur non quidem determinate ad damnum, sed vel ad damnum, vel ad dandum animal, aut servum. Ita in jure civili L. *si servus ff. De noxalibus actionib.* lib. 9. tit. 4. et cap. *Si culpa tua* de injuriis et damno l. 5. tit. 36.

Istae tamen leges, quatenus spectant secundam partem responsionis, non obligant in conscientia ante sententiam judicis, quia etsi forte non sint absolute poenales, sunt tamen quasi poenales, utpote latae ad reddendos homines diligentiores in ejusmodi damnis cavendis. Est autem commune legibus poenalibus, et quasi poenalibus, ut ante sententiam judicis non ligent: vel dicendum eas pertinere dumtaxat ad forum externum, neque aliter esse usu receptas, ut ait Lessius.

Petes 2. Utrum homicidium aliudve damnum causatum a filio sic imputetur Patri, ut pater de damno teneatur? R. negative, si absque ejus culpa factum sit; ita §. ultimo Instit. *de noxal. action.* lib. 4. tit. 8. Ratio est, quia ex una parte iniquum foret, ut nequitia filii esset damnosa patri, et durum nimis dedere corpus filii. Ex alia parte filiusfamilias cum sit liber et capax dominii, potest pro suis delictis conveniri. Ita loco citat. instit.

Articulus VI.

De mutilatione, verberatione, et incarceratione. D. Thom. Q. 65.

Dico 1. Sicut malefactor potest auctoritate publica occidi, ita et mutilari. Item quando membrum est toti corpori nocivum, licitum est privatae personae

illud sibi, vel alteri de ejus licentia amputare; quia cum membrum sit pars totius corporis humani, est propter totum, sic ut imperfectum propter perfectum; unde disponendum est de membro humani corporis, secundum quod expedit toti: atqui unicuique commissa est cura propriae salutis: ergo. Et eadem ratio est, si fiat voluntate ejus, ad quem pertinet cura de salute illius, qui habet membrum nocivum, qualis est pater respectu filii, tutor respectu minorennis, praelatus respectu religiosi.

Extra hos duos casus aliquem membro mutilare est omnino illicitum, proindeque nec pro vita spirituali, aut vitando peccato id licet. Quia 1. homo sicut nec vitae, ita nec membrorum est dominus, sed custos tantum, vita enim totius ex membris constat, et omnibus inest. 2. Quia membrum propter salutem corporalem praescindi non debet, nisi quando aliter toti subveniri non potest: atqui saluti spirituali potest semper aliter subveniri, quam per membri praecisionem, quia peccatum subjacet voluntati: ergo. Confirm. Eviratio, de qua potissimum est quaestio, prorsus inutilis est ad vitandum peccatum, cum non tollat tentationes carnis, sed dumtaxat impediat generationem: quin imo juxta SS. Patres Chrysostomum, Augustinum, Basilium, Cyrillum, et alios evirati facilius incalescunt, et acrius libidine titillantur, et cum aliunde remedio conjugii uti non possint, in majori periculo peccati et salutis versantur: ergo. Hinc merito ab omnibus reprehenditur Origenes, quod metu incontinentiae se castraverit: nec existimamus probandam esse praxim in certis provinciis toleratam, qua parentes filios suos consentientes, evirari curant ut servent sonoram vocem.

Dico 2. Non licet cuique alterum verberare causa disciplinae et correctionis, sed iis tantum, qui habent potestatem in alterum, ut parentes in filios, domini in servos, magistri in discipulos, Praelati in religiosos, quia nemo punit alterum, nisi sit ejus jurisdictioni subjectus.

Petes utrum liceat parentibus verberare filios in sacris constitutos absque eo, quod incurrant excommunicationem Canonis *Si quis*, etc. R. probabilius affirmative, modo tamen moderate fiat juxta usum communiter receptum, quia id in jure conceditur Magistris in Discipulos Cap. *Cum voluntate*, de Sentent. Excomm. et Cap. *Ex tenore* eod. titul. Ergo a fortiori parentibus in filios.

Dico 3. Aliquem simpliciter incarcerare est illicitum, nisi fiat per publicam potestatem secundum ordinem justitiae in poenam vel cautelam peccati. Ratio est, quia aliquem simpliciter incarcerare ad eum solum pertinet, qui habet disponere universaliter de actibus et vita alterius, cum per hoc impediatur non solum a malis faciendis, sed etiam a bonis agendis: atqui disponere universaliter de actibus et vita alterius pertinet ad solam potestatem publicam secundum ordinem justitiae: ergo.

Dixi *incarcerare simpliciter*, quia superiores particulares, ut parentes, et magistri possunt per aliquod tempus domi suae detinere, seu recludere liberos, aut domesticos causa correctionis. Imo detinere hominem ad horam ab opere illicite statim perpetrando licet cuilibet privato, sicut cum quis aliquem detinet, ne se praecipitet, vel ne alium feriat.

Articulus VII.

De obligatione restituendi ex homicidio, mutilatione, et laesione.

Duplex hic distinguitur damnum. Unum personale, quod est privatio vitae, aut membri, seu etiam corporis laesio, ac deformatio. Alterum reale in bonis fortunae sequens ex occisione, mutilatione, aut laesione

§. I. *De Restitutione damni personalis.*

Dico. Quamvis pro damno personali non possit, nec debeat fieri restitutio stricte dicta, quae aequale importat, probabilius est tamen, quod debeat fieri aliqua recompensatio, qualis possibilis est, sive in pecunia, sive in aliquo honore, sive etiam in bonis spiritualibus, puta eleemosynis, precibus, sacrificiis, considerata conditione utriusque personae laesae, et laedentis secundum arbitrium boni viri. Conclusioni favet lex Exod. 21. *Si percusserit quispiam oculum servi sui, aut ancillae, et luscos eos fecerit, dimittet eos liberos pro oculo, quem eruit*: ergo per libertatem potest compensari membrum: quod si per libertatem, quidni per pecuniam, cum libertas pecunia possit vendi, et redimi?

Prob. ratione. Qui alterum injuste occidit, mutilat, aut laedit, seclusis omnibus damnis realibus, facit illi injuriam, infertque damnum contra justitiam commutativam, magis quam si illi auferret bona fortunae: ergo tenetur per aliquam compensationem, in quantum possibile est, hanc injuriam damnumque resarcire, violatamque justitiam reparare. Patet consequentia: tum quia de necessitate salutis est conservare justitiam: tum quia injuriae illatio, et reparationis obligatio sunt correlativa; definitur enim injuria, actio, vel omissio adversus alterum, ratione cujus debetur compensatio, seu satisfactio.

Respondent adversarii consequens esse verum, quando damnum est reparabile, quod hic non currit; unde restituendi cessat obligatio, cum ad impossibile nemo teneatur. Sed contra: quamvis damnum non sit reparabile ad aequalitatem, est tamen aliquo modo compensabile, et ideo quamvis cesset obligatio restitutionis strictae, quae est ad aequalitatem, non tamen cessat obligatio recompensationis, prout est possibilis. Justitia enim commutativa, licet non inclinet per se nisi ad restitutionem aequalis, per accidens tamen, quando aequale reddi non potest, inclinat ad reddendum, quod est possibile, etiam diversi ordinis praesertim inferioris, ut sic, quantum fieri potest, semper salva maneat. Falsum ergo arbitramur hoc principium: Non possum reddere totum; ergo nihil teneor restituere: Non possum restituere in eodem genere; ergo nec in alio. Confirmatur: qui non potest restituere totum, quod debet, tenetur restituere partem, quam potest; ergo qui non potest restituere aequivalens, tenetur reddere, quod possibile est, sive in eodem genere, sive in diverso; modo inde non multo magis gravetur restituens quam laesus.

Instant. Qui debet summam pecuniae, et non habet neque pecuniam, neque aliquid aliud pecunia aestimabile, non tenetur restituere in alio genere, sed liber est ab omni restitutione: ergo similiter in nostro casu. R. N. consequentiam. Disparitas est, quod qui nunc non habet pecuniam, aut aliquid pecunia aestimabile unde restituat, possit habere in posterum: unde non solet exigi restitutio in alio genere. Si autem exigeretur, puta in honore aliquo, aut aliqua submissione, quando nulla est spes restituendi in proprio genere, credimus conformiter ad D. Thomam hic ad 1., et 2. quod deberet eam compensationem, seu satisfactionem praestare.

§. II. *De Restitutione damni realis ex homicidio, et quibus fieri debeat?*

Damna causata ex vulnere lethali quaedam antecedunt mortem, ut impensae in chirurgos, medicamina, alimenta pretiosiora, lucrum cessans usque ad mortem, etc. quaedam sequuntur mortem, et ea sunt, quae non occiso, sed ratione occisionis inferuntur aliis personis ipsi conjunctis, ut uxori, filiis, etc.

Dico 1. Indubium est omnia damna realia, quae ex injusta alicujus occi-

sione, aut laesione obveniunt, sive mortem antecedant sive sequantur, esse ab occidente, aut laedente restituenda, quia est omnium illorum causa efficax. Porro obligatio haec omnia damna realia restituendi transit ad haeredes homicidae, si antequam restituat, moriatur, etiamsi extremo supplicio fuerit addictus, juxta tamen vires haereditatis, quia haereditas transit cum onere.

Dico 2. Omnia damna realia mortem antecedentia sunt restituenda ad aequalitatem, vel ipsi laeso morituro, vel cuivis ejus haeredi sive necessario, sive non necessario, sive ab intestato, sive ex testamento; quia haeres quicumque succedit in omnia jura defuncti: atqui defunctus habebat jus strictum, et acquisitum ad compensationem omnium damnorum realium mortem suam antecedentium: ergo.

Dico 3. Omnia damna realia mortem subsequentia sunt restituenda non secundum aequalitatem, sed secundum moralem aestimationem, solis haeredibus necessariis, scilicet filiis, parentibus, et uxori, non haeredibus voluntariis, quales sunt fratres, aut alii consanguinei. Probat. prima pars. Tunc urget restitutionis obligatio, quando quis injuste laesit alterum in bonis propriis, atqui haeredes necessarii laeduntur in bonis propriis, quando laeditur is, cujus sunt haeredes necessarii: ergo. Prob. min. Pater respectu filii est quoddam totum, filius veluti pars, vir et uxor sunt una caro, ita ut censeantur moraliter una persona: ergo qui injuste laedit unum ex istis, laedit et alterum in propriis. Prob. secunda pars, quae est communis contra Franciscum Henno, quamvis ipse immerito dicat esse paucorum. Si horum damnorum restitutio deberet fieri haeredibus voluntariis, ideo esset, quia succedunt omnibus juribus defuncti: atqui haec ratio nulla est: ergo. Prob. min. Defunctus numquam habuit jus ad istam restitutionem, siquidem ejus obligatio per ipsius mortem tantum orta sit: et ideo neque ea ratione probavimus restitutionem deberi fieri haeredibus necessariis, sed quia laeduntur in propriis per occisionem defuncti; quod non potest dici de haeredibus voluntariis, qui non censentur unum cum illo.

Dices cum laudato Minorita. Defunctus ante mortem poterat pacisci cum homicida de illis damnis, imo et illa condonare: ergo habebat jus ad illa. Insuper per fictionem juris haeredes repraesentant personam defuncti: atqui defunctus si viveret, haberet jus ad illa: ergo habent ejus haeredes. R. ad 1. N. consequ.: quod enim defunctus ante mortem potuerit pacisci de illis damnis et ea condonare, non erat ratione juris, quod habebat in illa; sed quia haec damna non subjicebantur restitutioni nisi ratione injuriae, quam ipse passus erat contra voluntatem; unde hoc ipso, quo ille remittit injuriam, nullum jus restat haeredibus ad hanc restitutionem. Ad 2. Resp. haeredes voluntarios repraesentare personam defuncti quantum ad jura dumtaxat, quae habebat, dum viveret.

Dixi haec damna esse restituenda haeredibus *non ad aequalitatem*: quia certo sciri non potest, quantum occisus vixisset, quantum lucratus fuisset, aut forte perdidisset. Debet ergo haec restitutio fieri secundum moralem aestimationem, attendendo ad conditionem occisi, an esset juvenis, an senex, an robustus, an infirmus, an simplex artifex, an mercator; Jurisconsultus, Medicus, etc. an artis vel negotiationis peritus, vigil aut segnis; an non tantum consumeret, quantum lucraretur; an non familiae onerosus potius quam utilis. Item attendendo, quod lucrum in spe non aequivaleat lucro in re.

Dico 4. Facta sufficienti restitutione haeredibus necessariis homicida nihil tenetur restituere creditoribus occisi, sed tenentur ipsi haeredes. Prob. 1. Creditor non habet jus in debitorem occisum, nisi in quantum se extendunt bona, quae aut actu habet, aut verisimiliter habiturus erat: ergo homicida restituente haeredibus bona, quae verisimiliter habiturus erat, nihil restat restituendum creditori 2. Actio occisi adversus homicidam transit immediate in suos haere-

des, et non in creditorem: ergo homicida directe, et immediate obligatur haeredibus: ergo satisfacit suae obligationi restituendo illis.

Petes, utrum omnis homicida vel injustus mutilator teneatur ad praefatas restitutiones? R. negative; sunt enim quidam casus excepti. 1. Non tenetur, si laesus ante mortem remittat omnia damna, quia haeredibus haec damna non debent restitui, nisi vel quia succedunt juri occisi, quod spectat damna antecedentia mortem, cui juri dum ipse adhuc vivens cedit, nullum remanet haeredibus: vel quia, ut dictum est, haeredes censentur laesi in persona occisi tamquam in parte sui, quod spectat damna sequentia mortem: atqui hoc ipso, quo occisus remisit injuriam, et damna, non censetur amplius laesus, proindeque nec ipsius haeredes censentur amplius laesi: ergo nullum eis remanet jus ad damna. Ut autem remissio intelligatur de damnis realibus, debent a morituro haec exprimi, secus intelligitur de offensa tantum, et injuria. 2. Qui rogantem, aut consentientem laedit vel occidit, ad nullam restitutionem est obnoxius, quia scienti, et volenti non fit injuria.

Qui provocatus laedit, aut occidit provocantem, nihil etiam tenetur restituere; quia provocans censetur cedere juri suo. Nec refert quod intendat occidere, et non occidi; hoc ipso enim, quo provocat alterum concedit illi facultatem agendi contra ipsum quod potest. Similiter si duo se mutuo provocent, et libero consensu descendant in arenam, neuter tenetur alteri restituere, quia uterque censetur renuntiasse juri suo. Idem probabilius existimo de injuste invaso ad mortem, qui occidit invasorem etiam non servato moderamine inculpatae tutelae, quia invasor sciens, et volens se exponit periculo mortis et damnorum; cum probe sciat invasum nihil non tentaturum adversus ipsum, et ipsi difficillimum esse servare moderamen: scienti autem, et volenti non fit injuria.

Appendix I.

De Obligatione restituendi ex homicidio spirituali, seu laesione in spiritualibus.

Bonum spirituale hic sumitur pro eo, quod conducit ad salutem vel immediate ut gratia, et virtus, quae ammittuntur per peccatum, vel mediate ut status religionis.

§. I. *De obligatione restituendi ex inductione ad peccatum.*

Dico 1. Qui solis suasionibus, precibus, aut exemplo absque vi, vel fraude induxit aliquem ad peccatum, quod non est contra justitiam, non tenetur ex justitia ad restitutionem, quia sic inductus sciens et volens peccat, scienti autem, et volenti non fit injuria. Quidam excipiunt Superiorem qui ex officio, proindeque ex justitia tenetur procurare salutem subditi. Quilibet tamen tenetur ex charitate, et praecepto correptionis fraternae.

Dico 2. Qui vi, metu, vel fraude induxit aliquem in peccatum, tenetur ex justitia amovere vim, aut fraudem, et ipsum pristinae libertati restituere: non tenetur tamen ex justitia revocare ad poenitentiam, sed ex charitate tantum, quae equidem strictius eum obligat, quam si non induxisset. Prob. prima pars, quae est communis. Unicuique a natura jus strictum inditum est, ne quis eum circumveniat vi, vel fraude, quia vis, et fraus inducunt aliquid involuntarii, proindeque laedunt libertatem naturalem hominis: ergo qui inducit aliquem ad peccandum vi vel fraude, violat jus illius, et consequenter tenetur ad restitutionem, nimirum restituendo illum libertati, quam laesit. Unde inferes

eos, qui suaserunt aliquid tamquam licitum, quod est illicitum, puta contractum ut justum, cum sit usurarius, sussurrones, qui falsis relationibus discordias inter amicos disseminarunt, qui falsam doctrinam in materia fidei, vel morum tradiderunt, teneri ex justitia sic deceptis falsitatem detegere. Quod etiam verum est, quamvis ex ignorantia invincibili falsum suaserint, quia licet pro tunc non peccaverint et damnum causatum non fuerit ipsis voluntarium, fieret tamen nunc voluntarium, si advertentes causam damni a se positam, eam non revocarent.

Prob. secunda pars. Quando vis aut fraus est sublata, cessat injuria, et inductus suae libertati restitutus potest per Dei gratiam a peccato resurgere: ergo si non resurgat, imputandum est soli ejus voluntati, ac malitiae, non alterius injuriae, quae amplius non est.

Tertia pars conclusionis constat, quia aequitas naturalis exigit, ut qui auctor est mali, adlaboret prae caeteris, ut emendetur: ergo saltem ex lege charitatis specialiter tenetur, qui alium induxit ad peccatum, ipsum revocare ad poenitentiam: non videtur tamen haec obligatio esse sub mortali, quia charitas non obligat sub mortali ad correptionem, nisi in necessitate, quando et alii obligantur: ergo quamvis prae caeteris, non tamen sub mortali obligatur.

§. II. *De obligatione restituendi propter avocationem a Religione.*

Suppono 1. eum nec peccare, nec ad ullam restitutionem teneri, qui justa de causa avocat candidatum, aut novitium a religione, ut si religioni esset ineptus, si ejus ope indigeant parentes, aut Respublica, si majora bona praestaret in saeculo, quam in monasterio, si in eo non vigeat disciplina regularis, etc. Quia nemini facit injuriam, quin potius bonum opus praestat. Suppono 2. eos graviter peccare et *Anathemati subjici, qui sanctarum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine justa causa impedierint.* Ita Conc. Trid. sess. 25. de regular. cap. 18.

Dico 1. Qui solis precibus, aut suasionibus sine vi, vel fraude avocat a religione volentem ingredi, vel profiteri, ad nullam tenetur restitutionem, quia nemini facit injuriam. Non candidato, seu novitio, qui sciens, et volens deserit religionis propositum, scienti autem, et volenti non fit injuria. Non religioni, quia religio ante professionem non habet jus strictum ad candidatum, seu novitium, etiamsi voto simplici ad eam profitendam esset adstrictus. Qui vero vi vel fraude praedictum avocat, tenetur et illi, et religioni restituere, quia utrique facit injuriam. 1. Ipsi candidato, seu novitio, quatenus eum decipit, aut cogit invitum; quapropter debet removere fraudem vel metum, eumque suae libertati restituere. 2. Religioni, quia religio habet jus strictum, ne per vim aut fraudem, aliosve similes modos injustos quis impediatur ab ejus ingressu, vel professione; et ideo avocans tenetur restituere monasterio damna, aut lucra cessantia, quae ex tali avocatione patitur; non quidem secundum aestimationem totius boni sperati, sed secundum aestimationem spei, attentis omnibus secundum arbitrium viri prudentis, v. g. firmitate, vel inconstantia voluntatis in novitio, ejus industria, genio, aliisve talentis, futura haereditate ex familia, et similibus. Imo et avocato, et religioni damna restituere tenetur, si avocatus subsistente vi, vel fraude contraxit impedimentum insuperabile, ut matrimonium, quia illorum causa fuit. Si vero avocatus ratione vis, aut fraudis mutaverit animum, tenetur de damno saltem erga monasterium, secus si ex alia causa mutaverit animum.

Dico 2. Qui vi vel fraude abducit professum a religione tenetur et illi, et religioni restituere. Patet ex dictis pro secunda parte conclusionis praecedentis, et quidem a fortiori, cum religio habeat post professionem jus in suum religiosum: tenetur ergo abducens restituere abducto pristinam libertatem remota vi,

vel fraude ; religioni autem tenetur restituere damna, si quae patitur ex absentia sui religiosi. Quod si ablata vi, vel fraude religiosus non redeat, abducens non videtur amplius teneri ad damna sequentia ; quia non ipse est illorum causa, sed religiosus, qui non vult redire.

Dico 3. Qui vero absque vi, vel fraude abducit professum a religione, non tenetur illi restituere, quia scienti, et volenti non fit injuria : neque probabilius ipsi religioni, saltem quoad damna realia. Prob. Qui cooperatur alterius peccato, quod non est contra justitiam, non tenetur ad restitutionem, si aliunde nihil injustitiae immisceatur in ejus cooperatione : atqui quod professus non operetur in utilitatem monasterii, non peccat contra justitiam, et aliunde abducens seu dissuadens laborare nullam aliam injustitiam committit, cum absit vis aut dolus : ergo. Major videtur evidens; si enim agens principalis et immediatus non peccat contra justitiam, qua ratione agens minus principalis, et mediatus, qualis est consulens, peccaret contra justitiam? Minor est etiam communis, et admittitur ab adversariis, quia religiosus vi voti tantum et religionis, aut etiam ad summum vi justitiae legalis, non tamen ex justitia commutativa tenetur laborare in utilitatem Conventus : non enim religio possidet professum sicut dominus mancipium in bonum suum temporale, sed ut pater, aut mater filium in ipsius bonum spirituale. Unde sicut non laborans in domo patris non tenetur ad restitutionem, ita et professus non laborans in monasterio a nemine obligatur ad restitutionem.

Ut itaque tollatur aequivocatio, concedimus, quod religio habeat jus strictum in operas sui religiosi factas, quia quidquid acquirit monachus, monasterio acquirit, ita ut si abducens consulat eas auferri, teneatur ad restitutionem, at vero non habet jus strictum ut fiant. Sic pater habet jus strictum in bona filii profectitia, cum sunt de facto acquisita, non tamen habet jus strictum, ut filius haec acquirat, sic ut teneatur filius restituere, si non acquirat. Ex his solvuntur praecipuae objectiones.

Dixi : *Saltem quoad damna realia* : quia forte posset concedi, quod ipsa persona religiosi sit bonum proprium monasterii, in quod habet jus strictum ex contractu professionis : unde qui eum etiam absque vi vel fraude abducit, videtur ex hac parte violare justitiam, et teneri restituere : restituet autem conando Apostatam reducere ad monasterium, vel alium bene idoneum disponendo, et hortando ad ejus ingressum.

Quantum ad alia bona spiritualia, sed naturalia, ut sunt potentiae animae, scientiae etc., si quis alteri in istis injuste nocet, tenetur ad restitutionem. Unde qui aliquem philtro, vel veneno privavit usu rationis, vel memoriae, tenetur restituere pro damnis tam realibus inde ortis, quam pro damno personali, ut diximus de homicidio. Item qui ratione stipendii, vel officii tenentur docere scientiam, vel artem, si male, vel negligenter doceant, tenentur resarcire damna inde provenientia. Si vero ex sola benevolentia, vel charitate doceant, non tenentur ex negligentia, nisi forte sint impedimento, ne candidati uberius alibi discant, tenentur tamen si falsa pro veris scienter doceant, aut etiam cum animadvertunt, se ex ignorantia male docuisse.

Appendix II.

De obligatione restituendi ex stupro et fornicatione.

Stuprum est defloratio virginis. Fornicatio est congressus soluti cum soluta corrupta. De malitia utriusque dicemus, dum de temperantia. Sed quia haec injuria, sicut et injuria adulterii quodammodo corpus spectat, nunc quaerimus de obligatione restituendi ex illa contracta.

Dico. 1. Qui puellam sive virginem sive reputatam talem, aut viduam honestam libere consentientem cognovit, in foro conscientiae nihil tenetur illi restituere, quia scienti, et volenti non fit injuria: neque parentibus, si res maneat occulta; non enim tenetur prodere suum crimen. Quod si iis innotescat, propter dolorem inde conceptum, et injuriam irrogatam (habent enim parentes custodiam virginitatis filiae suae) tenetur ille satisfacere per veniae petitionem, aut quid simile. Si tandem palam innotescat, et inde infametur familia, tenetur meliori, quo potest, modo famam familiae restituere. Dixi *in foro conscientiae*: quia in foro externo corruptor puellae etiam consentientis condemnabitur vel ad dotem vel ad mulctam, lege sic statuente pro bono communi ad impediendas corruptiones puellarum, quae natura sua sunt facile seducibiles.

Dico 2. Qui puellam sive virginem sive reputatam talem, aut honestam viduam invitam cognoverit, tenetur ad omnia damna inde sequentia; quia est injusta illorum causa. Censetur invita puella, quando vis infertur aut dolus. Vis autem infertur, 1. quando vera, et reali violentia opprimitur. 2. Quando ad copulam adigitur metu gravi, v. g. mortis, infamiae, atrocium verberum, vel alterius gravis damni a corruptore incusso, vel etiam metu reverentiali, ut si corruptor sit superior, tutor, vir magnae auctoritatis, cui puella nihil audeat recusare. Quidam addunt importunas preces; sed verius videtur, quod preces importunae solae sine minis, aut metu reverentiali, vel nisi eas comitentur amplexus, oscula, tactus, quibus excitata puella prius, invita tandem, consentit, non debeant reputari pro vi: preces enim sine praefatis adminiculis, quantumvis importunas, ingenua mulier non ita difficile excutere potest concepta ira, qualem decet in simili casu.

Censetur autem fraude, et dolo seducta puella, quando corruptor promittit se solis tactibus haesurum; quando ficte promittit matrimonium, magnam dotem, magnam remunerationem; quando se fingit divitem, nobilem, etc. qui enim fingit aliquid, ob quod alter consentit, et sine quo non consensisset, facit ei injuriam, consequenter tenetur de damno, promissa adimplendo, vel si non potest, damna inde secuta compensando.

Dico 3. qui sub promissione matrimonii vera vel ficta extorsit copulam a puella, tenetur regulariter illam ducere. Ita cum S. Thoma consensus unanimis omnium Theologorum, et Jurisconsultorum, imo omnium tribunalium. Ratio est, quia, si promissio sit vera, purificata conditione transit in absolutam, et promittentem obligat, ut fusius explicabitur de contractibus; si sit ficta, promittens decipit puellam cum suo damno: ergo tenetur tollere deceptionem adimplendo promissa. Adde, quod alioquin fraus promittenti patrocinaretur, quod non debet admitti. Neque potest ordinarie in hoc casu uti privilegio primi bimestris ad ingrediendam religionem; quia promissio facta in his circumstantiis intelligitur de matrimonio consummato, cum per matrimonium ratum tantum vix umquam possint compensari omnia damna puellae; si tamen sic contingeret, videtur, quod tunc posset uti dicto privilegio.

Dixi: *Tenetur regulariter illam ducere*: quia varii sunt casus, in quibus non tenetur ducere, licet in quibusdam teneatur aliunde damnum compensare: et sunt fere iidem casus, in quibus licet dirimere sponsalia.

1. Itaque non tenetur, si puella postea cum alio fornicetur, quia frangenti fidem fides frangatur eidem, ut fert adagium commune. 2. Si ipsa stupratorem deceperit, dicendo se virginem, aut divitem, cum nec virgo sit, nec dives; quia tunc fit fraudis compensatio. Et in hoc utroque casu stuprator non tenetur ad aliam compensationem. Idem censet Sylvius, si stuprator proprio errore deceptus putavit virginem, quia talis defectus sufficit ad dirimenda sponsalia; tenetur tamen in hoc casu ad compensationem damni.

3. Non tenetur, si puella voluntarie se decepit, aut potius decipi se finxit, cum potuerit intelligere promissionem esse fictam, ut si ex verbis ambiguis aliisve signis, aut ex conditione stupratoris longe superexcedente suam, facile potuit advertere illum non promittere ex animo; nec in hoc casu tenetur ad aliam compensationem.

4. Non tenetur, si superveniat impedimentum dirimens indispensabile, ut si stuprator cum alia matrimonium ineat, aut religionem profiteatur; in quo casu debet aliunde puellae satisfacere. Si autem superveniat impedimentum dispensabile, ut affinitas contracta ex alia copula cum sorore, aut consanguinea puellae, tenetur petere dispensationem, quia debitor debet adhibere media saltem ordinaria ad solutionem debiti. Similiter si tale impedimentum praecesserit, et ignoraverit puella; aut etiam si sciverit, sed promissio sit facta sub conditione dispensationis obtinendae.

5. Non tenetur, si ex tali matrimonio rationabiliter timeantur gravia mala, et scandala, rixae, discordiae, homicidia, etc. Quia sicut haec ratio sufficit ad dissolvenda sponsalia, ita ad dissolvendam promissionem in nostro casu; debet tamen tunc fieri compensatio damnorum. 6. Non tenetur si puella aut ejus parentes renuant matrimonium, quo casu ad nihil aliud tenetur, quia ut suppono, nihil aliud promisit.

Petes, si nata sit proles ex fornicatione, ad quid teneatur fornicator? R. si libere consentientem cognoverit, mater tenetur alere prolem primo triennio, deinde pater, quousque proles sibi possit providere: si, quod suum est, praestare nequeat mater, aut si invitam violaverit corruptor, tenetur providere proli a partu. Ita in jure et communiter. In foro autem externo praesumitur puellam, quae habetur honesta, fuisse invitam, nisi contrarium probetur. Quod si prolem exposuerint, et translata sit ad Xenodochium, juxta communiorem sententiam tenentur Xenodochio restituere, si non sint pauperes, quia Xenodochia in favorem pauperum dumtaxat sunt erecta, nisi aliud constet. Pontas V. *Restit.* c. 159. post S. Antoninum, Navarrum, etc.

Appendix III.

De obligatione restituendi ex adulterio.

Adulterium est violatio tori alieni: de cujus malitia dicam, dum de temperantia. Nunc de damno: quod per illud causatur, et ejus restitutione.

Dico 1. Si ex adulterio non sequatur proles, nihil restituendum incumbit adultero, et adulterae pro damno reali, quia nullum est.

Dico 2. Si proles sequatur ex adulterio, et ad illud adulter, et adultera communi consensu convenerint, uterque tenetur ad restitutionem damnorum inde sequentium pro rata, uno deficiente alter tenetur in solidum, quia uterque est illorum causa. Secundum dispositionem juris, ut jam dixi, adultera tenetur ad educationem prolis pro primo triennio; hoc completo tenetur adulter, usquequo proles possit sibi providere. Si adulter adulteram provocavit, et induxit, aut contra, censet Sylvius provocantem teneri prius in solidum ad omnia, quia est causa principalis, et inducendo censetur in se suscepisse damna. Illo tamen deficiente, tenetur in solidum adultera, quia fuit voluntarie cooperata ad damnificationem.

Principale autem damnum, quod hic spectatur, est, quando proles supponitur marito, ut fit ordinarie: tunc enim proles educatur expensis patris putativi, dotatur ut proles legitima, et init haereditatem familiae cum aliis legitimis. Por-

ro constat, quod, si utriusque adulteri consensu et fraude supponatur, utrique incumbat haec damna resarcire conformiter ad conclusionem.

Verum si supponatur non consentiente imo dissuadente et renitente adultero, distinguendum est. Vel adultera potuit separare a familia absque dispendio famae aut vitae, et absque periculo rixarum, odiorum, et similium, vel non potuit. Si primum, et nihil omiserit adulter, ut impediret suppositionem, sola adultera tenetur de damno, quia ipsa sola est causa damni. Si secundum, tenetur adulter et adultera juxta explicationem conclusionis, quia adulterando vidit, aut videre debuit et potuit, quod si mulier non posset absque dictis dispendiis et periculis, ut ordinarie contingit, prolem separare, cogeretur supponere.

Petes 1. Quantum et quibus restituet adulter, qui paratus est restituere nunc, antequam pater putativus sit mortuus? Si enim restituat patri putativo, forte iste morietur ante prolem spuriam, et ita haec habebit partem non solum haereditatis, sed etiam restitutionis. Si restituat filiis legitimis, forte proles illegitima morietur ante patrem putativum, sicque haeredes legitimi nullum damnum in haereditate passi habebunt plus quam debent habere. Resp. Adulter debet in primis inquirere, quid hucusque pater putativus expenderit in alimentatione, et educatione prolis illegitimae, aut etiam dotatione, si forte jam statum assumpserit, et haec determinata damna illi patri putativo resarcire. Quantum ad ea vero, quae proles legitimae poterunt pati, si proles illegitima supervivat patri putativo, debet concipere firmum propositum, et res disponere, ut restituat suo tempore cui oportuerit id, quod proles illegitima de bonis patris putativi acquisierit. Sed quid, si forte adulter sit morti proximus, nec possit differri restitutio? R. Non tenetur restituere totum damnum, quod paterentur filii legitimi, si filius illegitimus jam accepisset partem haereditatis, quia forte non accipiet; si nempe moriatur ante patrem putativum, sed proportionate ad dubium, secundum judicium viri prudentis. Ita Navarrus et Soto, quos citat et sequitur Pontas Verb. *Restitut.* c. 157. et 158.

Petes 2. Si adulter dubitet, an proles sit ex suo adulterio, teneturne aliquid restituere? R. teneri pro rata dubii. Vide, quae dixi hac de re supra de restitutione in genere art. 8. pet. 6.

Petes 3. Quomodo restituet adultera? R. 1. Si habeat bona paraphernalia aut alia suae liberae dispositioni relicta, debet illa et marito et filiis legitimis dare usque ad damni compensationem. Si his careat aut non sufficiant, debet diligentius familiam administrare, insolita industria vel labore majorem utilitatem ipsi procurare, parcere sumptibus in his, quae ipsi conceduntur ad cultum corporis, ad recreationes, donationes etc. Si neque his aut similibus modis possit damnum compensare, debet persuadere proli illegitimae statum religionis vel ecclesiasticum, haereditate abdicata, si tamen idoneus sit, et in eo appareant signa vocationis divinae, aut conari, ut addiscat artem, vel officium obtineat, quo vel qua independenter a bonis familiae decenter vivere queat.

Si tandem his omnibus modis satisfacere nequeat, quaestio est, utrum teneatur revelare crimen suum marito vel spurio? Resp. regulariter non teneri. Ita communiter. Prob. ex hoc principio communiter recepto. Bona inferioris ordinis regulariter non sunt restituenda cum dispendio bonorum superioris ordinis; atqui hic esset dispendium bonorum superioris ordinis, ut minimum famae adulterae. Ergo.

Instauratur magis haec ratio. Si revelet marito, 1. incurrit periculum non solum infamiae propriae, ut dixi, sed et prolis, mariti, et totius familiae; non enim absque his inconvenientibus poterit maritus prolem illegitimam, quae hucusque legitima habita est, prodere, et in foro externo exhaeredare. 2. Incur-

rit periculum divortii, odii perpetui ex parte mariti et omnium consanguineorum, imo mortis propriae et adulteri : nemo autem tenetur cum tantis dispendiis restituere bona fortunae : unde si non fiat restitutio in casu, filii legitimi non debent censeri rationabiliter inviti.

Si vero revelet proli spuriae, haec vel credet matri vel non credet. Si non credat, ut probabilius accidet (et forte credere non tenetur, de quo modo) inutilis erit revelatio. Si credat, non tenebitur cum suo et familiae dedecore haereditatem dimittere ut spurius, neque praesumendum est, quod sub alio praetextu dimittet ; rari enim admodum sunt ita perfecti et probi, ut propter solam justitiam in foro conscientiae servandam dimittant haereditatem, quam in foro externo tuto servare possunt ; sicque iterum erit inutilis revelatio : ergo. Dixi, *Regulariter non teneri*, quia quidam casus, sed rarissimi excipiuntur.

Petes tamdem, utrum proles teneatur credere matri asserenti se esse illegitimam? R. Sententia satis communis, quam tenent cum Canonistis Lessius, Sylvius, Layman, et alii, docet, quod non teneatur credere, nisi adultera assertum suum probet manifestis argumentis, ut quod tempore conceptionis maritus abfuerit, quod sit impotens, etc. Quia nemo tenetur credere unius testimonio in sui praejudicium, maxime si ille testis alleget turpitudinem suam, et sic servatur in foro externo, cui quantum ad hoc potest se conformare privatus in foro interiore. Adde quod mulierum genium sit alios amore, alios odio prosequi. Alii tamen respondent equidem non adhiberi fidem secundum jura alleganti turpitudinem suam in praejudicium alterius, quia praesumitur, quod vel ex odio, vel ex amore loquatur ; cessante autem hac praesumptione nihil vetare, quin ipsi fides adhibeatur in foro conscientiae. Unde inferunt, quod, si mater sit rectae conscientiae et probatae fidei, remque sub juramento affirmet, praesertim in articulo mortis, spurius teneatur illi credere ; et hoc est vere probabile.

DISSERTATIO IX.

De Furto et Rapina. *D. Thom. Quaest.* 66.

Articulus I.

Quid sit Furtum? quid Rapina? et quale peccatum?

Petes 1. Quid sit Furtum? R. Furtum stricte, et simpliciter dictum *est occulta rei alienae acceptio invito rationabiliter domino.* Sub acceptione intelligitur etiam detentio, quia detinere id, quod alteri debetur, eamdem rationem nocumenti habet cum acceptione injusta, et qui detinet rem alienam, quam debet, et potest reddere, censetur moraliter accipere. Dicitur *acceptio occulta*, respective scilicet ad dominum, aut illos, quibus rei custodia est demandata. Dicitur *invito rationabiliter domino* ; quia si sit irrationabiliter invitus, non fit ei injuria in ablatione rei. Ideo non committit furtum, qui a saeviente in hostem, quantumvis invito aufert gladium, a blasphemante chartas, a se inebriante potum, qui rem alterius in extrema necessitate accipit.

Ultra furtum simplex, de quo hucusque, sunt quaedam furta qualificata, quorum malitia augetur ex aliqua circumstantia : ab aliis vocantur species furti. Et sunt *Sacrilegium*, quod est furtum rei sacrae, vel profanae in loco sacro, de quo in materia de religione. *Peculatus*, quo quis ex bonis publicis aliquid surripit aut in suos usus privatos convertit. *Plagiatus*, quo quis hominem sive liberum sive servum adducit in servitutem. *Abigeatus*, quo quis furatur pecora in pascuis, ad quem reducitur furtum instrumentorum necessariorum

ad culturam agrorum : in hoc crimen severius animadvertit Respublica , quia cum haec necesse sit saepe relinquere in pascuis , vel in agris , horum furta non possunt nisi severiori poena cohiberi. Idem dic de furtis domesticis.

Petes 2. Quid sit Rapina ? R. Est *injusta et violenta rei alienae ablatio.* Per hanc particulam *violenta* specie distinguitur a furto. Quia furtum , et rapina ex hoc habent rationem peccati , quod sint rei alienae acceptiones involuntariae ex parte illius , cui res subtrahitur : atqui diversa est ratio involuntarii in furto , et rapina : ergo. Prob. min. In furto est involuntarium negative tantum et per ignorantiam , quatenus dominus non consentit ; in rapina vero est involuntarium positive , et per violentiam , quatenus dominus positive resistit , aut si forte ex metu auferentis positive resistere non audeat , saltem positive dissentit : ergo. Ex quo sequitur , rapinam esse peccatum gravius furto , quia majus est involuntarium ex parte illius , cui res aufertur per violentiam , ut est in rapina , quam per ignorantiam , ut est in furto. Insuper per rapinam non solum infertur alicui damnum in rebus , sed etiam infertur injuria personae , quod fraudi , quae pertinet ad furtum , praeponderat.

Ex dictis inferes raptores esse 1. Viarum grassatores. 2. Principes , qui iniquis exactionibus populum opprimunt. 3. qui operariorum mercedem defraudant , vel diutius detinent , vel in parte minuunt. 4. Foeneratores 5. Dinastae , qui bona communitatis , aut privatorum invadunt. 6. Qui debita reddere nolunt nisi interveniente lite , sicque opprimunt pauperes impares liti prosequendae 7. *ex Cath. Rom. ad 7. Prae. Decal.* qui decimas , et vectigalia per potentiam , vel violentiam fraudant. 8. Judices venalia habentes judicia 9. Qui dolose foro cedunt , aut solvere nolunt , cum possint. 10. Qui miseros debitores solutioni impares immisericorditer urgent , et pignora , quae ad tuendum eorum corpus sunt necessaria , auferunt. 11. *juxta SS. Patres* qui in frugum inopia comprimunt frumenta , unde carior sit annona , quod currit in omnibus rebus ad vitam necessariis

Petes 4. Utrum furtum sit ex genere suo peccatum mortale ? R. Affirmative. Constat 1. ex 1. Corint. 6. *Neque fures . . . neque rapaces Regnum Dei possidebunt.* Prob. 2. Peccatum mortale ex genere suo est , quod contrariatur charitati , secundum quod est spiritualis animae vita : atqui furtum contrariatur charitati , item et justitiae , in quantum infert nocumentum proximo in rebus suis ; et si homines passim sibi furarentur , periret humana societas : ergo furtum est peccatum mortale ex genere suo , hoc est sistendo intra limites sui objecti. Non enim , quod bene advertas, furtum dicitur peccatum mortale ex genere suo quasi sit semper peccatum mortale , potest enim fieri veniale ex multis capitibus , ut modo dicam ; sed dicitur mortale ex genere suo (idem dic de aliis peccatis) quia sistendo intra limites sui objecti , absque eo quod transeat ad aliam speciem , potest esse mortale , ut accidit , quando materia furti est notabilis.

Potest ergo furtum , quod est ex genere suo peccatum mortale , fieri veniale ex multiplici capite. 1. ex levitate materiae. 2. Ex indeliberatione actus , quod tamen raro contingit quantum ad furtum exterius. 3. Ex ignorantia leviter culpabili , quod res sit aliena. 4. Ex hoc quod dominus non sit invitus quoad substantiam rei , quae aufertur , sed quoad modum auferendi tantum , puta quod occulte , aut sine licentia auferatur. 5. Ex hoc , quod non sit multum invitus quoad substantiam , sicut enim si nullo modo esset invitus , non foret peccatum , ita si non sit multum invitus , non erit grave peccatum. Ex his duobus ultimis capitibus saepe excusantur a mortali filiifamilias , domestici , Religiosi , qui poculenta , et esculenta surripiunt , de quibus infra. Et e contra furtum , quod est leve ratione materiae , potest fieri mortale. 1. Ex intentione furandi aliquid notabile. 2. Dum praesuppositis plu-

ribus levibus furtis comples licet in re levi materiam sufficientem ad peccatum mortale. 3. Dum ex furto rei levis sequuntur gravia incommoda, quae potuerunt, et debuerunt praevideri, v. gr. quod infametur tua familia, quod Dominus rei in iram, aut blasphemias excandescat, aut moerore conficiatur, quod ob ablatam rem suam non possit sibi necessaria comparare, ut posset contingere, si in navi furareris a sartore acum, ubi aliam reperire non posset. In his tamen ultimis casibus peccatum non est mortale in ratione furti, sed in ratione vel injuriae, vel scandali, vel injustae damnificationis, quae proprio nomine caret.

Articulus II.

Quae quantitas requiratur ad furtum mortale?

Dico 1. Probabilius nobis videtur quantitatem requisitam ad furtum mortale non esse determinandam respective ad paupertatem, vel divitias personarum, a quibus res surripitur, sed absolute. Prob. Quod persona, a qua res surripitur, sit dives, vel pauper, est quid extrinsecum furto; atqui nihil extrinsecum furto illud aggravat, aut minuit in ratione furti: ergo. Prob. maj. Furtum, ut ex ejus definitione patet, est ablatio rei alienae invito rationabiliter domino: atqui quod a divite surripiantur viginti quinque asses, non minus accipitur de re aliena, quam si acciperentur a paupere, neque dives est minus rationaliter invitus quam pauper: quia est invitus secundum proportionem, et exigentiam materiae, sicut ipse pauper: unde sistendo in ratione furti praecise, utrique fit aequalis injuria, et aequale infertur nocumentum. Quod si forte pauper videatur magis invitus, hoc non est ratione nocumenti rei ablatae, quod est intrinsecum furto; alioquin non foret rationabiliter invitus, cum foret invitus ultra proportionem et exigentiam materiae ablatae; sed ratione nocumenti sequentis ex re ablata, quod est extrinsecum furto, puta quod inde debeat esurire, magis laborare, debitis onerari, quod moveatur ad iram, blasphemiam, etc. Ergo. Confirmatur. Si ratione nocumenti sequentis ex re ablata deberet determinari quantitas materiae ad furtum mortale, quinquaginta aurei ablati a Rege, vel opulentissimo non sufficerent ad peccatum mortale, et sex aut septem asses ablati a paupere sufficerent, quia plus nocumenti extrinseci patitur pauper ex ablatione sex, aut septem assium, quam Rex, aut opulentissimus ex furto quinquaginta aureorum: falsum consequens, nec admissum ab adversariis: ergo.

Potest tamen contingere, quod valde dives sit minus invitus respectu aequalis furti, etiam quoad damnum intrinsecum, quam pauper, adeoque quod furtum aequale sit respectu divitis minus peccatum etiam in ratione furti, quam respectu pauperis. Verum id accidit non praecise, quia est dives, sed quia, cum sit dives, non multum curat amissionem viginti, aut viginti quinque assium. Porro dixi supra, furtum ex se mortale posse minui, et fieri veniale, si dominus sit tantum leviter invitus. Verum non sic semper res se habet: experientia enim docemur divites saepe non minori cura suis rebus invigilare, quam pauperes: unde dum sunt inviti pro exigentia materiae ut pauperes, sunt rationabiliter inviti, et furtum respectu illorum non est minus peccatum in ratione furti, quam respectu pauperum.

Ex his colliges non obstante conclusione nostra poenitentem teneri explicare in confessione, an a paupere, vel a divite furatus fuerit. 1. Propter nocumenta extrinseca, quae sequi solent ex furto respectu pauperis. 2. Quia, ut

dixi, divites non sunt semper inviti sicut pauperes etiam respectu furti in se. Ex his bene intellectis solvuntur objectiones.

Dico 2. Probabile est materiam secundum se sufficientem ad peccatum mortale in ratione furti respectu cujuscumque esse id, quod est necessarium sustentationi diurnae honesti viri, seu, ut alii dicunt, et in idem redit, stipendium diurnum boni operarii : hoc est in his partibus 20. aut 25. asses gallici circiter. Prob. Quia cum materia furti non sit determinanda respective ad personas pauperes, vel divites, ut dictum est, sed sit absolute gravis, aut levis, videtur, quod qui acciperet a paupere 20. aut 25. asses circiter in his partibus, peccaret mortaliter : ergo etiam, si a quocumque auferat. Adde quod labor diurnus honesti viri censeatur apud vulgares quid notabile ; ergo et summa alterutri correspondens.

Dixi 1. in conclusione, *Viginti, aut viginti quinque asses in his partibus*: quia ubi frequentior est pecunia, et carior annona, plus requiritur, et e contra minus, ubi rarior est pecunia et vilioris pretii annona. Dixi 2. *Viginti, aut viginti quinque asses circiter*, quia haec materia non potest mathematice determinari, sed moraliter, non secus ac pretia mercium, quae admittunt latitudinem.

Articulus III.

De Furtis minutis.

Dico 1. Qui ex intentione ditescendi, seu notabilem quantitatem surripiendi saepe quid leve furatur, singulis furtis peccat mortaliter ratione mortalis intentionis, cujus quodlibet furtum est executio continuata. Est communis, et certa. Non tamen tot sunt numero distincta peccata mortalia, quot sunt minuta furta, sed unum continuatum, quia in una, et eadem intentione mortali uniuntur, vi cujus fiunt, et cujus sunt, ut dixi, continuata executio : nisi forte fuerit revocata intentio, tunc enim toties peccaretur distincto peccato mortali, quoties revocata intentio resumeretur.

Dico 2. Qui sine intentione notabilem quantitatem surripiendi saepe quid leve furatur, non peccat mortaliter singulis furtis, sed ultimo, quo sciens, et reflectens saltem confuse ad praecedentia furta complet materiam sufficientem ad peccatum mortale. Ita communius. Prob. Quia licet istud ultimum furtum secundum se, et absolute consideratum sit leve, attamen consideratum cum habitudine ad praecedentia, quibus connectitur, est quid grave, gravem nimirum complens materiam, et grave damnum inferens proximo : ergo.

Dices. Plura peccata venialia numquam faciunt mortale : ergo. R. neque in nostra sententia plura peccata venialia facere mortale, sed ultimum furtum, quod secundum se est veniale, ut conjunctum praecedentibus fit mortale : neque id solum verum est in materia furti, sed et in recitatione Horarum, in observantia jejunii, et in omnibus illis materiis, in quibus actus multiplicati habent connexionem in materia, aut in effectu secuto.

Petes, utrum qui completa materia notabili per ultimum furtum, puta per nonum, aliud decimum etiam leve adjicit, peccet adhuc mortaliter hoc decimo furto ? R. Alii negant, alii affirmant ; sed pro praxi omnes conveniunt hunc peccare mortaliter decimo furto, ratione saltem intentionis, quam censetur innovare, detinendi injuste summam notabilem.

Dico 3. Utraque conclusio vera est, etiamsi quis a diversis minuta furetur, quia eaedem rationes militant : major tamen tunc requiritur quantitas ad peccatum mortale, quam si furaretur ab uno tantum ; quia licet illa minuta furta graviter omnibus dominis collective sumptis noceant, quod sufficit ad peccatum

mortale, non tamen graviter nocent singulis, et ideo sunt minus inviti. Similiter plus requiritur, quando quis ab eodem diversis vicibus, et per intervalla furatur, quam si simul, et semel eadem ratione, quod damnum sic interpolatum vix sentiat dominus, ideoque minoris illud aestimat, estque minus invitus. Imo potest tantum esse intervallum inter minuta furta, sive eidem, sive diversis facta, ut moraliter loquendo non censeantur connexa, nec proinde quantumvis multiplicata componant gravem materiam: ut si hoc anno fureris quinque asses, anno sequenti iterum quinque, et sic annis sequentibus usque ad summam notabilem, non ideo peccabis mortaliter ultimo furto, quia propter nimiam interpolationem non censetur moraliter conjunctum cum praecedentibus nec dominus circa totam summam censetur graviter invitus. Ita plures Theologi. Caeterum suppono semper abesse animum per illa minuta furta ditescendi. Quae vero major quantitas requiratur ad furtum mortale, quando minuta surripiuntur a diversis, aut ab eodem per intervalla? quidam requirunt duplum, alii plus, alii minus; nos judicio prudentum remittimus attentis temporum intervallis majoribus, vel minoribus, laesarum personarum multitudine, et aliis circumstantiis.

Petes utrum qui summam notabilem per minuta furta accepit, teneatur sub mortali totam restituere? R. negative, sed ut sit immunis a peccato mortali injustae detentionis, sufficit restituere id, quod complet materiam requisitam ad furtum mortale, quia hoc restituto non est sufficiens materia furti, aut detentionis mortalis.

Articulus IV.

De Furtis Parentum, Filiorum, Conjugum, et Domesticorum.

Dico 1. Furti lethalis rei sunt cum onere restituendi 1. Parentes, qui ex bonis, quorum filii habent dominium, et administrationem, ut sunt castrensia, et quasi castrensia, partem notabilem ipsis invitis surripiunt: quia revera rem alienam surripiunt invito rationabiliter domino. Neque dicas filios numquam esse invitos respectu parentum, id enim plerumque falsum est, licet forte filii ex metu reverentiali contradicere non audeant.

2. Filiifamilias, qui quantitatem notabilem ex bonis familiae surripiunt, aut dilapidant; quia bonorum patris non sunt actu domini, sed in spe tantum, seu, ut dicit S. Doctor, quamvis filiusfamilias sit haeres, non tamen est dominus rerum. Unde Proverb. 18. dicitur: *Qui subtrahit aliquid a patre suo, et matre, et dicit hoc non esse peccatum, particeps est homicidae.* Tenentur ergo filiifamilias sic ablata restituere parentibus; quod si non possint, tenentur ea computare in partem suae haereditatis, nisi constet alios cohaeredes tantumdem surripuisse, aut patrem de facto remisisse; non enim sufficit, ut quidam dicunt, quod rogatus remisisset, sed requiritur, quod reipsa remiserit, et etiam quod remittere potuerit absque injuria aliorum filiorum, hoc est salva eorum portione legitima. 3. Maritus, qui de bonis paraphernalibus aut dotalibus uxoris aliquid notabile detrahit aut dissipat invita uxore, quia paraphernalia sunt uxoris quoad dominium, et administrationem, et dotalia quoad dominium, unde his potest maritus uti, et frui, quia horum habet administrationem, et usum, sed salva eorum substantia. Quantum vero ad bona communia, cum secundum jus commune uxor habeat dominium medietatis, illi injurius est maritus, et restitutioni obnoxius, si illa prodige dissipet.

4. Uxor, quae absque consensu saltem praesumpto mariti aliquid notabile surripit de bonis familiae: quia licet, ut dixi, habeat dominium dotalium, et

medietatis communium, horum tamen omnium administrationem, et usumfructum habet maritus. Sunt tamen plures casus, in quibus uxor disponens de bonis familiae non peccat. 1. Si bona administret, et familiam regat, sive consentiente marito, sive absente, sive aegroto, sive amente, sive inepto, vel alia de causa impedito, quo casu ipsa potest, quod ipse. 2. Si clam accipiat de bonis familiae ad solvenda debita, ad sustentationem, et decentem statum familiae, ad honestas recreationes, eleemosynas, donationes maxime remunerativas suo statui proportionatas, et secundum probatam consuetudinem foeminarum suae conditionis, ad avertendum familiae, vel mariti damnum sive temporale, ut fecit Abigail 1. Reg. 25., vel spirituale, ad succurrendum praeter consuetas eleemosynas parentibus, prolibus ex primo matrimonio, fratribus, et sororibus indigentibus, quia in his omnibus maritus foret irrationabiliter invitus, repugnante nimirum recta ratione, et jure divino, quo mulier data est non in servam, sed in adjutorium viri, atque assumpta in societatem conjugalem, propter quod non de capite, neque de pedibus viri formata est, sed de latere, inquit August. de bono conjugali cap. 1.

5. Religiosi non solum reatum furti lethalis, sed et proprietatis contra votum incurrunt, si de bonis communitatis aliquid grave surripiant, aut ex sibi donatis retineant invito Praelato, quia licet sint monasterii partes, ac membra, sunt tamen per votum paupertatis omnis proprietatis incapaces, et ideo quidquid surripiunt, consumunt, donant, aut retinent invito Praelato, furtum est et actus proprietatis.

6. Tandem domestici furtum etiam mortale committunt, et tenentur ad restitutionem, dum aliquid notabile ex bonis dominorum accipiunt; quia accipiunt alienum invito rationabiliter domino, et eo gravius peccant, quod res domesticae eorum custodiae ac fidelitati sint commissae. Notandum tamen, quod tam domestici quam Religiosi, et filiifamilias regulariter excusantur a mortali, dum modica, et communia esculenta, aut poculenta in proprios usus accipiunt, etiamsi successive perveniant ad summam, quae in rebus permanentibus sufficeret ad peccatum mortale, quia respectu talium furtorum domini, parentes, aut Praelati non censentur regulariter inviti quoad substantiam, sed quoad modum tantum, quandoquidem regulariter concederent, si peterentur.

Dico 2. In furtis quibuscumque parentum, filiorum, et conjugum major requiritur quantitas ad peccatum mortale, quam in furtis extraneorum, quia propter pietatem, vel amorem minus sunt inviti, quam si res suae ab extraneis surriperentur, nec volunt ita stricte jus suum servari respectu talium, quam respectu extraneorum. Porro quae requiratur in his quantitas ad furtum mortale, varii variam assignant. Alii, et bene, remittendum dicunt judicio viri, vel confessarii prudentis, qui attentis omnibus circumstantiis judicare poterit, an et quando rei dominus sit, vel non sit, plus vel minus invitus. Caeterum generaliter loquendo non puto a vero aberrare eos, qui dicunt in his furtis ad peccatum mortale requiri duplum, aut etiam duplo magis quam in furtis extraneorum.

Petes quid censendum de famulis, qui ovibus, bobus etc. plus alimenti tribuunt, quam taxaverit Dominus? R. Si meliorentur pecora proportionate ad damnum, quod patitur Dominus, non esse arguendos peccati mortalis, neque adstringendos ad restitutionem; secus si inde grave damnum patiatur Dominus.

Articulus V.

Utrum liceat accipere alienum propter necessitatem?

Triplex distinguitur necessitas: extrema, in qua vita periclitatur: gravis,

in qua periclitatur sanitas, aut status: communis, quam passim pauperes patiuntur. De hac ultima non est difficultas: propter illam enim non licere surripere alienum omnes conveniunt.

Dico 1. Licet accipere alienum sive occulte, sive manifeste ad subveniendum extremae necessitati propriae, vel alienae. Ita communiter cum Auctore. Prob. Cum jure naturae omnia sint communia, et unusquisque habeat jus conservandi vitam per res temporales, quas Auctor naturae in hunc finem creavit, non censentur homines huic juri naturali renuntiasse per bonorum divisionem, quam ad pacem servandam induxerunt: unde in extrema necessitate, ubi agitur de vita, omnia iterum sunt communia, et qui in ea constitutus accipit de alieno, accipit, quod suum est, seu melius accipit, quod ex communi facit esse suum accipiendo, sicut contingebat ante bonorum divisionem, sicque non committit furtum proprie loquendo: quin imo vi auferre posset, et dominum se opponentem moderata defensione repellere. Excipe tamen casum, quo dominus ipse foret etiam in extrema necessitate; tunc enim melior foret conditio possidentis.

Quod autem hoc etiam sit licitum pro necessitate extrema alterius, patet, quia quod ipse potest per se, potest per me. Suppono quod non possim ex propriis subvenire, alioquin non possem nisi injuste aliena rapere.

Petes, utrum res ablata in extrema necessitate sit restituenda? R. 1. Si res ablata adhuc existat, indubie est restituenda, quia necessitas extrema non confert jus ad rem alienam, nisi in quantum est necessaria ad illam sublevandam. Unde si ad vitandam mortem intentatam usus es equo alieno, transacta necessitate debes illum restituere.

R. 2. Res ablata et consumpta in extrema necessitate, ut panis, vinum, etc. non est restituenda, si indigens erat simpliciter pauper, etiamsi ad pinguiorem fortunam perveniat. Secus si erat tantum pauper secundum quid. Est communis. Voco pauperem simpliciter, qui neque actu habet bona hic, aut alibi, neque est in potentia propinqua ad habendum. Pauperem secundum quid, qui licet non habeat hic bona, quibus juvari nunc potest, habeat tamen alibi, aut est in potentia propinqua ad habendum per artem, aut expectatam haereditatem. Probatur prima pars. Quia iste indigens usus est jure suo, et rei acceptae, quatenus erat sibi necessaria, dominium ea occupando acquisivit: unde non tenetur illam restituere, neque ratione rei acceptae, quia amplius non est; neque ratione acceptionis, quia non accepit per viam mutui, aut alterius contractus onerosi, neque per delictum, sed ut quid commune, quod accipiendo fecit suum: ergo. Probatur secunda pars. Quia in extrema necessitate bona non sunt communia, nisi in quantum sunt necessaria ad subveniendum necessitati: atqui in casu, quo is, qui patitur extremam necessitatem, non est simpliciter pauper, sufficit ejus necessitati, ut accipiat alienum per modum mutui cum obligatione restituendi, nec dives tenetur aliter illi dare: ergo censendus est sic accipere.

Dico 2. Non licet accipere alienum in necessitate indefinite gravi, sed committi debet arbitrio uniuscujusque dispensatio propriarum rerum, ut ex illis subveniat gravem necessitatem patientibus. Est nunc communis post damnatam ab ab Innoc. XI. hanc propositionem: *Permissum est furari non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate.* Prob. ratione, quia ex unanimi Doctorum sententia, et constanti sensu Ecclesiae in sola extrema necessitate, et non in gravi omnia sunt communia. Et hujus ratio est, quod licet homines introducendo divisionem bonorum non renuntiaverint juri naturali ex eis conservandi vitam in extrema necessitate, quia vita est bonum inter naturalia praestantissimum, et iste casus utpote rarus non est obnoxius inconvenientibus, de quibus modo; attamen non potuerunt non renuntiare juri succurrendi ex eis, gravibus necessitatibus propter frequentes, et graves abusus, qui ex illo jure servato sequerentur contra bonum

commune, et pacem inter homines. Cum enim frequentes sint, qui patiuntur gravem necessitatem, et qui non patiuntur facile fingent, aut credent se illam pati, omnia furtis, et furibus replerentur, si in tali casu liceret alienum rapere; ita ut divisio rerum, quae fuit introducta propter tranquillitatem communem, huic fini non solum esset inutilis, sed prorsus exitiosa.

Dixi: *In necessitate indefinite gravi*: quia sunt necessitates adeo graves, alii vocant gravissimas, ut vel extremam proxime attingat, vel in extremam facile desinant, vel extremae moraliter loquendo aequivaleant, ut sunt dura servitus, durus, et diuturnus carcer, gravior morbus, poena triremium, et similia, in quibus probabile est licere sibi per alienum succurrere; quia, cum hae necessitates non sint frequentes nec facilis abusus, ut sunt communiter graves, non est, cur jus gentium inducens divisionem bonorum derogaverit juri naturali his necessitatibus sicut extremis succurrendi per res temporales. Ita Sylvius et Less. post Angel. Navar. Petrum Navar. Sylvest. Vasquem et alios, hancque sententiam refert Perfector Tournely ex Florentio Decoq, nec impugnat. Neque timendum est, ne incurrat in propositionem damnatam: tum quia propositio damnata loquitur de necessitate indefinite gravi; tum quia necessitas, de qua loquimur, moraliter loquendo aequivalet extremae; fateor tamen in his contracto fraeno esse incedendum, ne detur locus abusibus. Caeterum videtur certum, necessitatem quamcumque gravem saltem minuere peccatum, et si non sufficiat ad surripiendum alienum, sufficit tamen ad differendam restitutionem, cum strictius obliget praeceptum negativum non furandi, quam positivum restituendi.

Articulus VI.

Utrum compensationes seu Recuperationes occultae sint licitae?

Compensatio, de qua hic agimus, est recuperatio, quam quis facit rei suae vel debiti sui. Admittimus compensationem occultam per se loquendo esse illicitam, quia, qui eam facit, usurpat rei suae judicium, juris ordine praetermisso, non tamen gravat debitorem, nec peccat peccato furti, et consequenter non tenetur ad restitutionem. Ex hoc autem capite non videtur graviter illicita compensatio occulta; quia tamen interveniunt plerumque aliae graves inordinationes, nimirum scandalum, infamia, perturbatio reipublicae, periculum duplicis solutionis pro eodem debito, etc. ideo regulariter loquendo debet censeri graviter illicita. At quaestio est, utrum per accidens positis certis conditionibus abstergi possint hae inordinationes, et compensatio occulta fieri licita? Pro quo

Dico 1. Recuperationes, seu compensationes occultae positis certis conditionibus sunt licitae, raro tamen exercendae, aut consulendae, quia raro concurrunt omnes conditiones requisitae. Porro hae conditiones sunt 1. ut constet rem esse tuam, aut tibi debitam ex justitia; si enim esset dubium, non posses uti compensatione, quia in dubio melior est conditio possidentis. Similiter si tantum ex gratitudine, vel charitate esset debita. 2. Ut non possis rem tuam, vel debitum recuperare petendo, aut via juris, sive propter nimiam potentiam, aut iniquitatem debitoris, sive propter injustitiam judicis, sive propter defectum probationum, sive propter damnum pacis, amicitiae, aut rerum. 3. Ut absit periculum scandali, vel infamiae tam respectu tui, quam respectu debitoris, ne scilicet alteruter traducatur ut fur. 4. Ut absit periculum duplicem pro eadem re, vel eodem debito solutionem, aut restitutionem accipiendi; pro quo cavendo debet debitor, si debiti sit conscius, convenienti modo moneri esse liberum a restitutione seu solutione. 5. Ut haec omnia constent non proprio compensan-

tis, sed alterius viri prudentis, et partium liberi, judicio, ne propria cupiditas excaccet, et mentiatur sibi iniquitas.

His itaque conditionibus positis dicimus compensationes occultas esse licitas. Ita communiter Theologi, S. Antoninus, Cajetanus, Bannes, Sylvius, Wiggers, et omnes discipuli Divi Thomae, inquit Serra; ex recentioribus, Pontas, Perfector Tournely, Henricus a S. Ignatio, etc. contra paucos recentiores Lovanienses. Prob. Si compensatio occulta esset illicita, ideo esset, quia per eam fieret injuria debitori, vel judici: atqui positis conditionibus assignatis neutrum dici potest: ergo. Probat. min. 1. Non fit injuria debitori, ut docet S. Thomas hic a. 5. ad 3. et patet, quia nonnisi certo meum accipio, aut quod ipse debitor tenetur ex justitia mihi reddere. 2. Non fit injuria judici, quia, ut suppono, judex non vult, aut non potest mihi dicere jus: ergo. Confirm. Juris ordo est institutus ad reddendum cuique jus suum, et ad pacem communem servandam: atqui pax communis, ut suppono, non violatur hic, et si juris ordo servaretur, non possem obtinere meum jus, aut nonnisi cum gravi damno: restat ergo, quod jure naturali utens ipse meum recuperem. Nec in hoc proprie mihi dico jus, ut advertit Cajetanus, sed potius jus meum exequor, cum non utar aliqua auctoritate, sed solum occulta acceptione; sicuti non mihi jus dico, sed jus meum exequor, dum res meas adversus injustum invasorem defendo.

Petes utrum famuli et famulae (idem est de mercenariis) possint uti compensatione occulta, si necessitate coacti convenerint de minore stipendio? R. Negative, quia forte aut dominus non ita indigebat illorum opera, aut noluisset acceptare majori stipendio, aut alios reperisset, qui aequali stipendio inservissent aut laborassent. Adde quod sicut merces ita et operae ultronea vilescant, et tam famuli, quam mercenarii sunt ita comparati, ut semper existiment se infra meritum stipendia accipere.

Hucusque de compensationibus occultis, sed quid de manifestis? Quidam, etiam ex illis, qui tenent occultas esse illicitas, permittunt manifestas, quia, inquiunt, non peccatur in hoc contra ordinem juris: si enim Petrus contendat me inique agere, poterit me via juris aggredi: nec judicium mihi usurpo; cum enim rem Petri detineam in conspectu orbis, judicium Petro relinquo, quo, si possit, ipsi liberum est me ex possessione talis rei deturbare. Ita Doctor Daelman.

R. Sub distinctione. 1. Recuperare manifeste rem suam in flagranti furtivae actionis, aut quando nondum est et in tuto loco reposita, licitum est, quia habet rationem justae defensionis. 2. Recuperare manifeste rem suam adhuc in specie extantem, etiam postquam ablata est et in tuto reposita, vi moderata adhibita non videtur illicitum saltem graviter. 1. Quia usu receptum est, ut ubicumque quis rem suam invenit, eam accipiat. 2. Quia relinquitur locus judici, ut dictum est. Quod si contendas nihilominus hic esse aliquam praetermissionem ordinis juris, dum quis primo rem suam occupat inconsulto judice; hoc dato haec inordinatio non videtur gravis, cum relinquatur locus judicio, et ideo dixi talem compensationem non videri illicitam *saltem graviter*. Dixi *vi moderata adhibita*, ex qua scilicet non sequatur mors, vulneratio, grave scandalum, aut reipublicae perturbatio, licet forte sequatur furis ipsius aut ejus familiae quaedam turbatio.

3. Recuperare manifeste simplex debitum non licet. 1. Quia id fieri non potest absque scandalo, et qui sic ageret, haberetur fur, et ut talis puniretur in foro externo. 2. Quia non est dominus rei, quam vult surripere in compensationem sui debiti, unde alter habet jus resistendi. Quae spectant obligationem restituendi ex furto, abunde discussa sunt de restitutione in genere: require ibi.

DISSERTATIO X.

De injustitia Judicis.

Div. Thom. Q. 67.

Articulus I.

De Injustitia Judicis per usurpationem Judicii.

Petes 1. Utrum quis possit judicare alterum sibi non subditum? R. Illicite, et invalide quis judicat alterum sibi non subditum: ita in jure Cap. *Etsi Clerici* de Judiciis, et Cap. *Accusatores* causa 3. q. 8. Hujusmodi judicium dicitur usurpatum, estque ex genere suo peccatum mortale, quia secundum se gravem injuriam facit tam litigantibus quam superiori, cujus usurpat auctoritatem. Judex enim communiter definitur: *Persona publica ad hoc instituta, ut sibi subditis jus dicat secundum legis praescriptum.* Hujus criminis rei sunt Judices saeculares, qui sive in criminalibus, sive in civilibus, pertrahunt ad sua Tribunalia, quae non sunt mixti fori, Clericos, quos judicandi non habent potestatem, [qui praeterea ex Bulla coenae sunt ipso jure excommunicati]. Neque etiam hunc reatum evadunt Episcopi, qui religiosos exemptos judicare praesumunt in iis, in quibus Conc. Trident. eos non subjicit eorum jurisdictioni.

Petes 2. Utrum judex excommunicatus ferendo sententiam peccet usurpatione judicii, et ejus sententia sit irrita? R. Judex non solum occulte, sed etiam publice excommunicatus, jure novo Concilii Constantiensis neque peccat usurpatione judicii ferendo sententiam, neque ejus acta sunt irrita, nisi sit nominatim excommunicatus, et denunciatus, aut notorius percussor Clerici. Ita in Bulla *Ad evitanda scandala.* Martini V. in conc. Constantiensi quam referunt S. Antoninus 3. p. tit. 25. cap. 2. Soto in 4. d. 22. q. 1. a 4. et alii.

Petes 3. Utrum Judex qui ob crimen ipso jure est privatus suo officio, ferendo sententiam peccet usurpatione judicii, et acta ejus sint irrita? Resp. non peccare usurpatione judicii nec acta ejus esse irrita, quia leges humanae importantes poenas etiam privativas (excipe censuras) non obligant ante sententiam Judicis declaratoriam criminis; sic enim usu receptae sunt, nisi aperte constet aliam fuisse mentem legislatoris.

Petes 4. Utrum acta Judicis alteriusve, qui non habet, nisi titulum putativum seu coloratum, sint valida? R. affirmative; si titulo colorato conjunctus sit ex parte populi error communis, et Respublica seu Ecclesia possit supplere defectum. Ratio est, quia alioquin sequerentur gravissima inconvenientia, quae vitari non possent: inde enim variae sententiae, absolutiones, electiones, praesentationes, institutiones essent nullae, et deberent rescindi, resque ab ovo resumi cum magna Reipublicae perturbatione, et gravi tam boni communis, quam particularium detrimento, et ideo Respublica, vel Ecclesia confert talibus jurisdictionem necessariam ad singulos actus. Idque verum videtur propter eamdem rationem, si titulus esset fictus, aut etiam nullus; modo sit error communis: quia posito errore communi etiam sine titulo, aut cum ficto, quod talis sit superior, aut habeat jurisdictionem, si revera non habeat, et acta ejus sint invalida, sequuntur omnino eadem inconvenientia, quibus obviari non est possibile.

Articulus II.

Utrum Judex possit condemnare, quem privata scientia novit innocentem, si juridice probetur nocens?

Inter varias ea de re sententias tres sunt praecipuae. Prima tenet, quod neque in criminalibus, neque in civilibus judex possit condemnare eum, quem certo novit innocentem, quamvis juridice probatum nocentem. Secunda tenet id posse in civilibus, non in criminalibus. Tertia, quod tam in criminalibus, quam in civilibus judex possit, et debeat neglecta privata scientia judicare secundum allegata, et probata, ideoque condemnare probatum juridice nocentem, quamvis certo sciat privatim esse innocentem. Ita S. Thomas cum suis, et plures extranei. Suppono judicem in casu debere omnem diligentiam, industriam, et dexteritatem adhibere, ut liberet innocentem. Verum si haec non prosint.

Dico. Nobis probabilius est judicem sive in criminalibus, sive in civilibus posse imo et debere judicare secundum allegata et probata contra privatam scientiam, licet inde contingat innocentem occidi. Prob. 1. ex Scriptura. Deut. 17. v. 6. dicitur: *In ore duorum aut trium testium peribit, qui interficietur* et cap. 19. v. 13. *In ore duorum aut trium testium stabit omne verbum*: quod repetit Christus tamquam communiter ab omnibus notum et receptum Matth. 18. v. 16. Quibus verbis statuitur forma judiciorum, sensusque est, quod per duorum aut trium testimonia accusatio erit firma, resque stata, ut de illa judex possit ferre sententiam. Et quamvis haec constitutio non vigeat amplius vi legis Mosaicae, viget tamen vi juris gentium, a quo est acceptata tamquam juri naturali consentanea, ut patet ex allegatione Christi.

Prob. 2. ratione. Judicare pertinet ad judicem, secundum quod fungitur publica potestate: ergo informari debet in judicando non secundum id, quod ipse novit tamquam privata persona, sed secundum quod sibi innotescit tamquam personae publicae. Subsumo. Atqui innotescit sibi ut personae publicae et in communi et in particulari: in communi quidem per leges publicas divinas, vel humanas, contra quas nullas probationes admittere debet; in particulari autem negotio per instrumenta, et testes, et alia hujusmodi legitima documenta, quae ideo debet sequi in judicando magis, quam quod ipse novit tamquam privata persona.

Confirmatur. Judex gerit vices Reipublicae et ejus nomine profert judicium: ergo debet judicare, sicut judicaret ipsa Respublica: atqui Respublica judicaret secundum scientiam publicam: ergo. Neque dicas, quod, si Respublica sciret scientia privata innocentiam accusati, ipsum non condemnaret: nego quippe suppositum. Non datur nec dari potest in Republica scientia privata, sed omnis scientia Reipublicae est publica et communis omnibus, et alias non foret scientia Reipublicae seu communitatis. Haec autem si adest, non est necessaria testium discussio.

Respondent adversarii hac ratione S. Thomam nihil aliud intendere aut probare, quam quod judex teneatur sequi allegata et probata, si judicet: at, inquiunt, non tenetur, imo nec potest in casu judicare, quia non potest secundum jura absolvere probatum nocentem, nec damnare, quem novit innocentem; sed tenetur supersedere a judicio; et si urgeatur, debet potius dimittere officium, imo et mortem pati, potius quam condemnare hunc innocentem.

Sed contra. Si judex in praesenti casu non posset judicare, ideo esset, quia peccaret vel absolvendo, vel damnando innocentem: atqui secundum D. Thomam, et rei veritatem non peccaret damnando innocentem secundum allegata,

et probata: ergo potest judicare, si autem potest, tenetur. Quod probo. Judex interpellatus, reo per testes irrejicibiles convicto, et actore, seu Republica instante tenetur ex lege naturae jus dicere et secundum formam judicii unicuique reddere quod suum est, nisi obstet peccatum: ergo tenetur judicare: ergo non potest a judicio supersedere nec proinde dimittere officium; hoc enim esset supersedere. Et dicant velim adversarii. Sit supremus Judex, Princeps, aut Rex, qui ob immanitatem sceleris instante Republica non potest absque ejus scandalo aut perturbatione absolvere probatum nocentem: tenebitur forte cedere Regno, vel Imperio in apertam boni communis perniciem? Nemo putem id asserere audebit. Neque id umquam dixit S. Thomas de quocumque judice, quod tamen fuisset compendio quaestionem resolvere: quinimo contrarium aperte resolvit, dum dixit q. 64. a. 6. ad 3. judicem ferentem sententiam secundum allegata et probata non peccare, et hic o. *Quod si probationes inductas non possit de jure repellere, debet eas in judicando sequi.*

Prob. 3. conclusio ex altero principio D. Thomae. Quando unius actus est duplex effectus aeque immediatus, unus bonus, alter malus, potest quis intendere bonum et se habere permissive ad malum, si bonus sit majoris aut aequalis momenti ac malus: atqui judicii in casu est duplex effectus immediatus, unus bonus, scilicet conservatio ordinis juris, boni communis, et tranquillitatis in Republica, alter malus, scilicet mors innocentis, et bonus est aequalis saltem momenti ac malus: ergo judex potest intendere bonum, et se habere permissive ad malum. Paritas est in eo, qui se defendit cum occisione invasoris, aut in duce, qui in bello justo occidit innocentes cum hostibus.

Haec ratio adhuc magis elucidatur. Ex denegatione sententiae in casu praeter inversionem ordinis juris nata sunt per se sequi scandala in populo, contemptus justitiae, perturbationes Reipublicae, et ansa praebetur judicibus, quos voluerint pro libitu absolvere, vel condemnare: atqui haec mala utpote communia praeponderant morti unius innocentis: ergo nihil prohibet, quin judex ferendo sententiam intendat haec mala cavere, et permissive se habeat ad mortem innocentis. Imo longe satius est justitiam sic firmo semper et eodem pede juxta legum praescripta procedere, et bono communi vitam unius particularis postponi.

Obj. 1. Lege tam naturali, quam divina prohibetur occidere innocentem tamquam quid intrinsece malum, quod nullo bono fine cohonestari potest: unde Exod. 23. v. 1. dicitur: *Non suscipies vocem mendacii* v. 2. *Non sequeris turbam ad faciendum malum, nec in judicio plurimorum acquiesces sententiae*, ut *a vero devies*: v. 6. *Mendacium fugies*; et tamdem *Insontem et justum non occides*: ergo. R. D. ant. dupliciter. 1. Lege tam naturali quam divina prohibetur occidere innocentem ex intentione, C. praeter intentionem vacando rei licitae et fungendo debito officio, N. Patet in occisione invasoris materialiter tantum injusti, aut in eversione turris, in qua includuntur innocentes cum hostibus. 2. Prohibetur occidere innocentem de facto et de jure, C. innocentem de facto, nocentem autem jure, N. Patet ex dictis. Atque in hoc sensu intelligenda sunt verba Scripturae scilicet prohiberi Judici se jungere testibus, quos mendaces in judicio deprehendit.

Petes, utrum judex possit aliquem inauditum condemnare ex privata scientia? R. Judex non potest aliquem condemnare ex privata scientia sine accusatione formali, aut virtuali, sine testibus, et non concesso defensionis loco. Prob. 1. pars. Condemnare aliquem sine accusatore est contra naturam, et rationem justitiae: ergo. Prob. ant. Condemnare aliquem sine accusatore est sibi ipsi reddere justitiam, vel nulli, cum non sit alius, qui petat: atqui hoc est contra rationem justitiae, quae non est ad seipsum, sed ad alterum, et ideo necesse est, quod judex inter aliquos duos judicet: ergo. Et haec ratio probat non solum pro criminali-

bus, sed etiam pro civilibus. Prob. secunda pars ex principiis superioribus. Judex est persona publica, Vicarius Reipublicae, cujus nomine, et potestate judicium profert: ergo debet moveri a scientia publica, et per eam regi; atqui scientia publica habetur per testes: ergo. Prob. 3. pars ex communi hominum sensu, et usu ubique etiam apud Gentiles recepto: unde communia adagia: *Audi alteram partem*: et *Nemo condemnatur inauditus.*

Dixi *sine accusatore formali vel virtuali*, quia non semper requiritur formalis, sed quandoque sufficit virtualis, seu aliquid supplens vices accusatoris. Unde 1. quando crimen est publicum, et simul notorius auctor criminis, potest reus condemnari absque accusatore, imo et absque testibus; quia evidentia publica supplet vices accusatoris, et testium, et clamat pro republica. Eadem ratione non est opus accusatore formali, nec testibus quando crimen committitur coram judice, et aliis, ut cum judex cum suis videt furari, occidere, audit blasphemare, etc. Unde non sunt culpandi judices, qui repertos in flagranti crimine, ut latrones in viis, milites errones extemplo jubent suspendi. 2. Infamia publica, et denuntiatio juridica tenet locum accusatoris, non quidem ad condemnandum, sed ad inquirendum. Insuper notandum, quod si non agatur de crimine patrato, sed patrando, graviter bono communi pernicioso, ut siquis machinetur proditionem patriae, quae proditio nequit nisi morte machinantis impediri, et id certo constet Principi, possit hunc sine accusatore, sine testibus et inauditum jubere occidi; quia tunc non tam agit ut judex, quam ut defensor boni communis suae curae commissi.

Articulus III.

Explicantur varii modi, quibus Judex potest procedere adversus crimina.

Petes 1. Quot sint modi, quibus judex potest procedere adversus crimina? R. tres assignari C. *Qualiter et quando* 2. Extra lib. 5. tit. 1. scilicet per accusationem, per denuntiationem, et per inquisitionem: quia tamen denuntiatio pertinet ad inquisitionem, et aperit viam ad illam, aliqui agnoscunt tantum duos modos procedendi, nempe per inquisitionem, cum judex praecedente infamia vel denuntiatione ex officio inquirit; et per accusationem, cum ad instantiam partis procedit, et ejus probationes admittit. Hic modus nunc est rarus, ut dicam infra de accusatore. Loquimur hic de denuntiatione non evangelica, quae fit superiori, ut patri, in bonum, et emendationem delinquentis; sed de juridica, quae fit superiori ut judici in vindictam criminis, et bonum commune.

Denuntiatio juridica differt ab accusatione. 1. Quod accusator suscipiat onus probandi, non denuntiator. 2. quod accusator se faciat partem, non denuntiator. 3. Quod accusatio fieri debeat in scriptis, non denuntiatio, nisi aliud statuant leges municipales. Inquisitio est triplex, generalis, specialis, et mixta. Generalis, dum Princeps, judex, aut superior inquirit in generali, an leges observentur, an committantur crimina, an sint scandalosi, et similia. Sic inquirunt generaliter Praelati religionum in annuis visitationibus. Specialis, qua inquiritur de persona determinata, et certo crimine. v. g. an Titius hoc homicidium commiserit. Mixta, qua inquiritur generaliter de persona, et specialiter de facto, v. g. quis hoc homicidium commiserit: vel e contra qua inquiritur generaliter de facto specialiter de persona, v. g. an Titius observet ordinationes, an non commiserit aliquod crimen?

Petes 2. Quid requiratur, ut judex licite procedat adversus crimina? R. 1. Si procedat via accusationis, sufficit ipsa accusatio, quia cum judex sit persona publica, et custos juris, hoc ipso quo accusator habet jus accusandi, ex

jura admittunt accusationem, judex potest et tenetur illam admittere, et ex illa procedere ad interrogationem testium.

R. 2. Ad inquisitionem generalem nulla requiritur in judice rei, aut criminis notitia, quia per hanc nulli fit injuria, et bono communi prospicitur, dum vitia corriguntur, et virtutes promoventur. Adverte tamen subditos non teneri, nec posse revelare crimina occulta, quantumvis ipsis praecipiatur etiam sub censuris declarare omnia, quae sciunt, quia tale praeceptum intelligitur salvo ordine correptionis fraternae, charitatis, et juris, ut exprimere solent superiores: nisi forte revelent superiori ut patri, praemissa tamen correptione fraterna, si credatur profutura: aut nisi inde immineat malum, quod nonnisi opera superioris averti potest, ut si quis tractaret de proditione civitatis, aut homines a fide averteret.

R. 3. Ad inquisitionem specialem tendentem ad punitionem requiritur infamia auctoris, aut aliquid aequivalens, supplens vices infamiae. Ita jura in pluribus locis. Ratio est quia, cum inquisitio sit actus publicus, debet procedere ex scientia publica, quae habetur per famam publicam, vel aliquid aequivalens; v. g. per evidentiam facti, per accusationem, et similia; etiam per denuntiationem, si denuntiator fidem faciat, proponatque indicia, aut testes, quibus crimen probari possit. Est autem infamia clamorosa insinuatio seu rumor publicus sparsus per majorem partem viciniae, qui non habeat ortum a malevolis, et maledicis.

Dixi: *Inquisitionem tendentem ad punitionem*: quia si fiat inquisitio ad praecavenda mala impendentia communitati, vel particularibus, ut si agatur de matrimonio contrahendo, de collatione beneficiorum aut officiorum, de admissione ad religionem, vel famulatum, licet inquirere specialiter, absque infamia praecedente; quia malum praecavendum communitatis aut particularis innocentis praevalet diffamationi particularis nocentis. Nota, quae hucusque dixi de inquisitione speciali, dicenda sunt de mixta, quae est specialis ex parte personae. Si autem sit specialis ex parte criminis tantum, idem esto judicium, ac de generali.

Petes 3. Utrum, quando crimen est publicum et auctor ignoratur, possit judex inquirere, quis fecerit? R. probabilius affirmative cum Sylvestro, Navarro, Lessio, et aliis, quia talis est praxis omnium tribunalium: et alias si de crimine publico judex non inquireret, populus offenderetur, et malefici spe immunitatis invalescerent. Insuper nemini fit injuria per talem inquisitionem generalem.

Articulus IV.

Quid requiratur, ut judex possit reum juridice interrogare, subjicere torturae, et tandem condemnare?

Dico 1. Praeter accusatorem formalem, aut supplentem vices ejus, ut judex reum juridice interrogare possit, requiritur vel infamia juridice probata, aut adminiculata aliquo teste minus idoneo, aut indiciis non manifestis, vel expressa indicia, vel semiplena probatio. Haec conclusio magis probatur auctoritate D. Thomae, unanimi Doctorum sensu, et communi tribunalium praxi, quam ullo jure. Favet tamen etiam ratio. Etenim durum nimis et minus consentaneum conditioni humanae ac rationi videtur, cogere reum fateri crimen in sui perniciem, dum adhuc est incertum, et quodammodo occultum, ipsique suppetit ratio probabilis illud celandi, objecta repellendi, sicque evadendi: atqui ubi adest tantum simplex accusatio aut aliquid aequivalens absque ulla proba-

tione, crimen est adhuc incertum, quodammodo occultum, suppetitque reo probabilis ratio illud celandi, objecta repellendi, et sic evadendi: ergo.

Indicia sunt circumstantiae, aut signa, ex quibus prudenter judicari potest talem esse reum, commisisse hoc crimen: et haec debent etiam esse probata per duos testes juratos, item debent esse non levia, non remota, sed manifesta, seu, ut dicit S. Doctor, expressa; ita ut ex his vir prudens, et probus moveatur ad judicandum verisimiliter de crimine, et criminis auctore.

Semiplena probatio est testimonium unius testis omni exceptione majoris, qui juratus, aut sub praecepto formali deponat de visu, si crimen consistat in facto; vel de auditu, si consistat in verbis, ut blasphemia. Haec autem, nimirum vel infamiam probatam, seu adminiculatam, vel indicia, vel semiplenam probationem debet judex notificare reo, ipsique copiam informationis concedere, ut videat rem esse in eo statu, ut teneatur veritatem fateri: alioquin excusabitur ex ignorantia facti, nec tenetur in hoc credere judici.

Dico 2. reum juridice interrogatum non confessum, nec convictum, in gravioribus causis potest regulariter judex subjicere torturae ad extorquendam veritatem. Patet conclusio ex jure C. *Illi qui*, Causa 5. q. 5. et alibi, et ex praxi omnium tribunalium: idque est rationi consentaneum, alioquin malefici, dum putarent se non posse convinci per testes, impune peccarent, pleraque, et gravissima crimina impunita manerent. Nec obest, quod interdum innocentes torqueantur; non enim in rebus humanis omnia incommoda vitari possunt, et si tortura non adhiberetur, graviora forent adhuc incovenientia.

Dixi 1. *Reum juridice interrogatum*: ex quo liquet pro tortura ad minus requiri ea, quae requiruntur pro juridica interrogatione, scilicet vel infamiam juridice probatam aut adminiculatam, vel expressa indicia, vel semiplenam probationem: si tamen crimen aliter probari non possit. Dixi 2. *Regulariter*, quia aliqui torqueri prohibentur a jure ut senes, et impuberes ob debilitatem, praegnantes propter periculum abortus, viri illustres, et dignitate conspicui: excipe ubi agitur de atrocioribus criminibus laesae majestatis, proditionis patriae, et haereseos.

Si petas, utrum semel tortus possit iterum torqueri? Respondent communiter Doctores, quod, si in tortura nihil fuerit confessus, non possit iterum torqueri, nisi sint gravissima indicia, vel nova supervenerint, quia ratione constantiae censentur elisa indicia; quod si in tortura confessus fuerit, et extra negaverit, potest secundo, et tertio torqueri, quia illa revocatio non sufficienter elidit indicia, et alias nullus confiteretur extra torturam, si sciret se non amplius illi subjiciendum. Ut tamen huic atroci supplicio praefigatur aliquis terminus notant iidem Doctores reum non posse torqueri nisi ter, ita ut si tertio in tortura confessus, tertio extra illam revocaverit, debeat absolvi.

Dico 3. Judex in criminalibus non potest condemnare reum ad poenam ordinariam, nisi confessum, vel convictum per duos testes irrejicibiles secundum ordinem juris: alioquin gravissime peccat, et tenetur ad restitutionem damnorum tamquam injusta illorum causa. Patet 1. ex jure causa 2. q. 1. c. 1. ubi dicitur: *Nos in quemquam sententiam ferre non possumus, nisi aut convictum aut sponte confessum.* Idem c. seq. 2. Ex praxi communi tribunalium. 3. Ratione, quia ut judex possit condemnare reum ad poenam ordinariam seu lege taxatam, debet ipsi certo constare et equidem per probationes luce meridiana clariores, ut loquuntur jura L. *Sciant cuncti* C. de probat lib. 4. tit. 19. ipsum admisisse crimen. Dixi *ad poenam ordinariam*, quia, si probationes proxime accedant ad plenam convictionem, etsi non certo convincant, poterit judex condemnare reum ad poenam ordinaria leviorem, si bonum commune ita requirat.

Dico 4. In criminalibus judex potest judicare secundum opinionem minus

probabilem faventem reo. Sequitur ex praecedente: hoc ipso enim, quo jus accusati est probabile, jus accusatoris non est omnino certum nec luce meridiana clarius, proindeque damnari non debet accusatus. Et ita clamant ubique jura.

Dico 5. In civilibus judex non potest judicare secundum opinionem minus probabilem, sed tenetur judicare secundum opinionem, quae omnibus attentis ipsi videtur probabilior, sive agatur de probabilitate juris, vel facti, est enim perinde. Ita nunc communiter. Probatur. Respublica non contulit judicibus auctoritatem pro causis civilibus, nec litigantes se illis subjiciunt, ut pro libitu, cui voluerint, causas adjudicent, sed ea lege ac mente, ut dicant jus secundum id, quod aequius, et verius, aut saltem verisimilius apparet: hic est sensus omnium, qui ideo Advocatos, et Procuratores peritiores, et eloquentiores quaerunt, qui suum jus judicibus verisimilius reddant, et ea ratione in suas partes flectant: atqui judex judicando secundum sententiam minus probabilem relicta probabiliore non dicit jus secundum id, quod sibi aequius, et verius, aut verisimilius apparet, quin e contra secundum id, quod minus verisimile apparet, et pro libitu: ergo praevaricatur. Unde merito Innocent. XI. damnavit hanc propositionem: *Probabiliter existimo judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.* Est secunda. Latius de hac materia, dum de probabilitate.

Sed quid, si jura partium sint aeque probabilia? R. 1. hunc casum videri metaphysicum: vix enim fieri potest, ut rebus omnibus attentius, perspicacius, et saepius perpensis tam de jure, quam de facto maneat absoluta paritas. Sed hoc supposito, R. 2. Judicem non posse in gratiam unius potius, quam alterius sententiam ferre, alioquin esset personarum acceptor, cum in hypothesi non sit ratio, cur uni potius quam alteri faveat: unde Alexander VII. damnavit hanc propositionem: *Quando litigantes habent pro se opiniones aeque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius prae alio.* Debet ergo judex in hoc casu convocare partes *ad concordandum*: si id non succedat, debet abstinere a judicio, aut saltem differre, donec veritas magis elucescat, monendo interim partes jura non liquere, ipsosque debere ulteriores probationes adferre, si possint.

Petes, utrum sententia injusta valeat et obliget? R. 1. Sententia injusta ex animo proferentis, ut si judex servato jure partium et ordine juris ex odio judicet, valet et obligat, quia animus judicis nihil nocet condemnato.

R. 2. Sententia injusta ex ordine juris, ut quando judex judicat non servato ordine juris, puta sine accusatore, sine infamia praecedente, aut aequivalente, sine sufficienti probatione, etc. nulla est, nec obligat, quia non procedit ex potestate publica. R. 3. Sententia injusta ex causa, ut si judex condemnet aliquem propter crimen, quod revera non admisit, vel alicui auferatur, quod vere suum est, si contineat errorem manifestum et intolerabilem, ut si quis damnetur propter recte factum, certo nulla est, et nullatenus obligat. Si vero contineat errorem occultum, in quo fundetur, ut si judex secundum allegata et probata condemnet innocentem, aut re sua spoliet, est etiam nulla nec per se obligat 1. Quia sententia judicis est quaedam lex particularis in aliquo particulari facto, lex autem injusta non est lex, nec habet vim obligandi. 2. Quia tam lex quam sententia fundata in falsa praesumptione secundum omnes non obligat. Per accidens tamen potest quis ea ligari ratione nempe scandali; unde tunc vel est appellandum, vel recurrendum ad superiorem, vel obediendum eatenus saltem, ut vitetur scandalum natum sequi ex renitentia contra sententiam, quae communiter reputatur justa.

Advertendum est tamdem non licere Judici acceptare munera ante latam sententiam, cum id prohibitum sit jure canonico, et civili; munera enim nata sunt corrumpere Judices, et eos a veritate, atque a justitia avertere, ut dicitur *Deut.*

16. *et Eccli.* 20. 31. unde si acceperit, tenetur remittere, imo si sit Judex ecclesiasticus etiam post latam sententiam tenetur restituere, etiamsi remittant ii, qui donaverunt. C. *Statutum* §. *insuper de Rescriptis* in 6. l. 1. tit. 3. Quae videntur extendenda etiam ad munera accepta post latam sententiam, quia potuit Judex moveri intuitu retributionis, quam a ditiore sperabat. Excipe tamen munuscula, maxime in esculentis, et poculentis, quae brevi consumi possunt, quae non censetur sufficientia ad movendum animum Judicis; quia tamen aliquo modo inclinant, integris Judicibus vitanda consulimus. Porro ubi non licet Judicibus acceptare munera, nec licet ligitantibus offerre.

DISSERTATIO XI.

De Injustitia Accusatoris et Testis.

D. Th. QQ. 68. *et* 70.

Articulus I.

De obligatione accusandi et testificandi.

Accusatio definitur: *Delatio rei de crimine ad vindictam publicam facta per eum, qui spondet se probaturum.* Dicitur. *Delatio rei de crimine*, quia si sit de interesse civili, non dicitur accusator, sed actor. Dicitur 2. *Ad vindictam publicam*, quia finis accusationis est, per vindictam seu punitionem publicam scelerum procurare bonum commune et quietem Reipublicae, quatenus metu poenarum populi deterrentur a malo. Dicitur *Facta per eum qui spondet se probaturum* et in hoc maxime accusatio differt a denuntiatione, ut jam dictum est.

Petes 1. Utrum sit obligatio accusandi? R. Quando crimen alienum vergit immediate in detrimentum Reipublicae, ut haeresis, proditio civitatis, compilatio aerarii publici, crimen laesae majestatis et falsae monetae, latrocinia per vias publicas, et similia, tenetur homo ad accusandum, si probare possit, quia unusquisque tenetur succurrere bono communi tamquam membrum suo corpori, et pars suo toti, quando periclitatur, et detrimentum patitur: atqui illi succurritur per accusationem factam judici, quatenus judex puniendo publice crimina accusata continet metu poenae criminosos in officio, conservat, atque procurat tranquillitatem, et bonum Reipublicae: ergo. Si tamen per denuntiationem juridicam posset aequaliter succurri bono communi, sufficeret eam adhibere. Item si ex crimine jam admisso nullum ulterius damnum sit timendum, puta quia est occultum, auctor certo emendatus, ad omnem reparationem promptus, neque ullum est periculum, quod ipse, vel alter ejus exemplo in idem incidat, ita quod non multum intersit Reipublicae illud puniri, videtur, quod in tali casu accusatio non esset necessario facienda. Item quando crimen vergit in detrimentum alicujus privati tantum, laesus potest cedere juri suo, nec tenetur accusare. Alterum autem non laesum nihil cogit accusare. Ita pariter nemo tenetur crimen proprium accusare.

Petes 1. Utrum accusationi vel denuntiationi juridicae praemitti debeat monitio fraterna? R. probabilius negative per se loquendo: quia per accusationem aut denuntiationem juridicam non intenditur emendatio fratris, sed rei punitio ad conservandam justitiam, et in aliorum exemplum, unde videmus reos etiam emendatos a judicibus supplicio affici. Per accidens tamen, si esset spes emendationis et mali avertendi, nec multum interesset boni communis, ut reus nu-

niretur, peccaret saltem contra charitatem, qui non praevia correctione fraterna accusaret.

Petes 3. Utrum homo teneatur testificari? R. 1. Testis interrogatus juridice a suo legitimo judice tenetur per se loquendo respondere secundum veritatem, quam novit, quia unusquisque tenetur obedire suo superiori legitime praecipienti. Tunc autem testis interrogatur juridice, quando interrogatur praevia accusatione, si judex procedat via accusationis, vel praevia infamia, vel aliquo supplente vices ejus, si procedat via inquisitionis, ut diximus dissert. praecedente.

Dixi: *Per se loquendo*, quia per accidens testis non tenetur respondere in certis casibus. 1. Si crimen noverit ex sola confessione sacramentali. 2. Non tenetur testificari, si crimen ipsi fuit sub secreto commissum, etiamsi accedat praeceptum superioris, quia servare secretum est de jure naturali, nihil autem potest superior contra jus naturale. Excipe tamen crimen, quod vergat in corruptionem multitudinis sive spiritualem, sive corporalem, et sit tale, quod quis etiam non interrogatus debeat propalare; contra enim hujusmodi debitum obligari non potest per secreti commissum etiam juramento firmatum, quia secretum non obligat contra bonos mores, nec juramentum est vinculum iniquitatis. 3. Non teneris testificari, si ex testimonio tuo tibi, vel tuis immineat notabile damnum; quia praeceptum superioris non obligat cum tanto dispendio. Excipe tamen, nisi ex silentio tuo immineret Reipublicae grave damnum, aut proximo damnum longe gravius tuo.

Ut autem testis judirice interrogatus teneatur respondere, debet ipsi innotescere se juridice interrogari. Et ideo si procedatur via inquisitionis, judex debet ipsi ostendere, quod praecesserit infamia, aut aliquid aequivalens; si via accusationis, debet ostendere, quod crimen sit probabile per sufficientes testes; alias propter ignorantiam excusabitur, si non respondeat: unde si sit ipse unicus testis juxta Bannem, Ledesma, Serram, et alios, non tenetur respondere, quia accusatio cum uno tantum teste est temeraria et injusta, nec testis vi illius interrogatur juridice.

R. 2. Quando testis interrogatur a non legitimo judice, vel etiam a legitimo judice sed non juridice, si agatur de condemnatione alicujus, non tenetur ferre testimonium, quia nemo tenetur obedire, nisi suo superiori legitime praecipienti. Si vero agatur de liberando homine a quacumque poena, tenetur ex lege charitatis juxta illud Psalmi 81. *Eripite pauperem, et egenum de manu peccatoris liberate.* Et illud Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem.*

R. 3. Quando testis prudenter dubitat, an interrogetur juridice circa ea, quae pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur respondere, nisi forte periclitetur bonum commune, quia in dubiis potius est favendum reo, quam actori, ut fert Reg. juris.

Articulus II.

Utrum qui recusavit ferre testimonium, aut tulit falsum, teneatur ad restitutionem?

Dico 1. Probabilius est eum, qui a judice interpellatus ad ferendum testimonium non comparet, aut si compareat, non vult respondere, non teneri ad restitutionem. Ita Bannes, Sylvius, Serra, etc. contra Soto, Navar. Asor, etc. Prob. Ille non tenetur ex justitia commutativa ferre testimonium, sed ex obedientia tantum, vel ex justitia legali: ergo si non ferat, non tenetur restituere. Patet consequentia, quia obligatio restituendi nascitur ex solius justitiae commutativae violatione. Probatur ant. Ante mandatum judicis non tenetur ex justi-

tia commutativa ferre testimonium, ut fatentur adversarii: atqui mandatum superveniens non imponit obligationem justitiae commutativae, sed obedientiae tantum aut justitiae legalis: ergo. Prob. ant. Mandata superiorum, quae versantur circa actiones nostras liberas, non inducunt obligationem justitiae commutativae, sed obedientiae tantum aut justitiae legalis; sic v. g. qui jussus a Magistratu, ut capiat tutelam, recusat, est inobediens sed non injustus; sic qui jussus ire ad bellum subterfugit, peccat contra obedientiam aut justitiam legalem, non contra commutativam: ergo.

Confirmatur. Mandatum judicis non potest obligare ex justitia commutativa interpellatum ad ferendum testimonium, nisi in quantum tribuit parti jus strictum ad testimonium: Atqui judex non potest tribuere parti jus strictum ad meum testimonium: ergo. Prob. min. Nullus potest tribuere alteri jus strictum in actiones meas liberas, nisi qui habet dominium in illas: atqui nemo praeter me habet dominium in actiones meas liberas: ergo.

Dices. Hoc ipso quo quis legitime citatur, declaratur testis ex officio, ipsique a Republica altum dominium in suos cives possidente imponitur illud munus: atqui qui tacet, dum ex officio tenetur loqui, obligatur ad restitutionem: ergo. R. D. min. Qui tacet, dum tenetur loqui ex officio imposito et acceptato, obligatur ad restitutionem, C. min. ex officio imposito sed non acceptato, N. min. Obligatio enim, qua quis ex justitia commutativa tenetur aliquam functionem obire in gratiam alterius, non nascitur praecise ex praecepto Superioris illud officium imponentis, quia, ut dixi, non habet dominium in functiones liberas sui subditi, ita ut jus strictum alteri ad illas conferre possit, sed nascitur ex acceptatione illius, qui illam functionem obit, acceptando enim officium implicite promittit ejus functiones, sicque tribuit alteri jus illas exigendi.

Dico 2. Qui scienter aut ex ignorantia crassa profert falsum testimonium tenetur sub mortali ad restitutionem omnium damnorum inde secutorum; quia per injustitiam, nimirum per suum mendacium est causa efficax illorum; ita quod si propter tuum falsum testimonium alter sit capite plectendus, tenearis tua dicta retractare, si id profuturum speras, etiamsi inde tibi mors immineat; quia, qui alteri damnum injuste intulit, tenetur illud resarcire cum pari suo damno. Dixi: *Scienter aut ex ignorantia crassa*: quia si ex levi vel ignorantia, vel inadvertentia, vel praecipitatione, quae sit tantum peccatum veniale; tenebitur ad aliquam restitutionem sub peccato veniali, eo modo quo dixi supra art. 4. de restitutione. Si autem postea advertat falsitatem sui testimonii, et inde damna secutura, tenetur ex charitate secundum omnes retractare suum testimonium, si possit sine suo gravi damno; etiam probabile est, quod teneatur ex justitia. Vide art. cit. in solut. object. et quae dicam infra de restitutione famae.

Articulus III.

Utrum requiratur et sufficiat duorum testimonium?

Dico 1. In causis gravioribus, sive civilibus, sive criminalibus, in quibus agitur de condemnatione alicujus praeter accusatorem, aut id, quod supplet ejus vices, requiruntur, et sufficiunt duo testes. Est communis. Requiri duos testes jure gentium ubique est introductum, ut quid omnino consentaneum juri naturali: quia facile est unum perverti, et in suis depositionibus proferre omnia consentanea, et conformia, ita ut non appareat mendax: difficile est autem admodum duos perverti, et in depositionibus suis omnia sic consentanea, et conformia proferre, ut non appareant mendaces, et non probetur falsitas: ergo. Ita enim statuitur in Jure, C. *Veniens* 10. *de testib. et attestat.* lib. 2. tit. 20.

Sufficere autem duos testes pariter statutum est jure gentium, ut quid etiam, naturali rationi conforme, quia in actibus humanis, super quibus constituuntur judicia, et exiguntur testimonia, non potest haberi certitudo demonstrativa, eo quod sunt circa contingentia, et variabilia, et ideo sufficit probabilis certitudo, quae ut in pluribus veritatem attingat, quamvis in paucioribus a veritate deficere contingat: est autem probabile quod a duobus, vel tribus concorditer sub juramento affirmatur: ergo. Ita enim statuitur in jure L. *Ubi murus* ff. *de test.* Lib. 2. C. *Licet universis* 23. *de test.* et alibi.

Dixi 1. *In causis gravioribus*: quia in causis levioribus quandoque sufficit unius testimonium, v. g. in furtis uvarum, lignorum, fructuum, in quibus ex testimonio solius custodis, qui simul est accusator, et testis, leviter puniuntur delinquentes; eo quod ista et similia aliter servari non possent. Dixi 2. *Ubi agitur de alicujus condemnatione*, quia in causis non judicialibus, et nulli tertio praejudicium ferentibus, sufficit unius testimonium, ut dum quaeritur, an infans sit baptizatus? an Ecclesia sit consecrata? sufficit unus testis affirmans, ut infans non rebaptizetur, et Ecclesia non consecretur. Ita C. *Parvulus*, et C. *Cum itaque de consecr.* Similiter sufficit unus testis, quando agitur de peccato impediendo, modo jus nondum sit parti acquisitum, ut si agatur de denuntiatione impedimenti matrimonii, matrimonio nondum contracto, de denuntiatione inhabilitatis ad ordines, vel ad beneficia, electione, seu collatione nondum facta C. *Praeterea*, *de sponsalibus*. Sufficit etiam, ut dictum est, unus testis cum accusatore ad torturam, quia hoc non est condemnare, sed veritatem inquirere.

Dico 2. Ut duo testes plene probent, requiritur. 1. Quod deponant jurati. 2. Quod sint contestes seu deponant de eodem facto. 3. Quod deponant de sensu. 4. Quod sint idonei seu omni exceptione majores. Explicatur. Requiritur 1. quod deponant jurati de dicenda tota veritate, quam in praesenti causa noverunt, nulla permixta falsitate, C. *Nuper* 51. *De Testibus* lib. 2. tit. 20. et C. *Tuis* 39. ibid. et alibi. 2. Quod sint contestes seu deponant de eodem facto; quia discordia testium in aliquibus principalibus circumstantiis, quae variant substantiam actus, puta in tempore, vel loco, vel persona, vel specie actus, aufert efficaciam probationis; discordantes enim in talibus videntur singulares esse in suis testimoniis, et de diversis loqui, puta si unus dicat hoc factum esse tali tempore, vel tali loco, alius alio tempore, vel loco, non videntur de eodem facto loqui, et sic unus alterius dictum non confirmat, sed uterque suum tantum, et sic erit tantum probatio per unum testem. Non tamen praejudicatur testimonio, si unus dicat se non recordari, et alius asserat determinatum tempus. Si vero sit discordia testimonii in aliquibus circumstantiis, non pertinentibus ad substantiam facti, puta quod tempus fuerit nubilosum, vel serenum, quod domus fuerit picta, vel non, aut aliquid hujusmodi, talis discordia non praejudicat testimonio, quia cum testes non soleant multum attendere ad hujusmodi leves circumstantias, facile illarum obliviscuntur.

3. Quod deponant de sensu, nimirum si agatur de facto, se vidisse, v. g. occidentem, si de dicto, se audivisse puta blasphemantem, vel proferentem haeresim C. *Testes* causa 3. q. 9. Et caveat testis, ne pro certo asserat id, de quo non est certus, sed dubium debet sub dubio proferre, et id, de quo certus est, pro certo afferre. 4. Quod sint idonei. Testis idoneus est is, cui nihil jure opponi potest, quominus ipsi fides adhibeatur: dicitur etiam locuples, seu omni exceptione major. Testis minus idoneus, seu inidoneus est is, cui jure aliquid opponi potest, quominus ipsi fides adhibeatur, seu is, quem probabile est non esse firmum in testificanda veritate: et hoc contingit quandoque propter culpam, quandoque sine culpa. Propter culpam repelluntur ut testes minus idonei, infi-

deles contra fideles, infames seu aliquo crimine publico notati. Sine culpa repelluntur defectu rationis pueri et amentes: ex affectu amoris vel odii, consanguinei, et affines usque ad quartum gradum, item familiares, domestici, et inimici. Ex conditione repelluntur pauperes, servi, et illi, quibus imperari potest, et quos probabile est facile posse induci ad testificandum contra veritatem. Porro Mulier Jure Canonico repellitur in criminalibus ob fragilitatem sexus, et ingenii mutabilitatem: Jure Civili admittitur in omni causa civili praeterquam in testamentis L. *Qui testamento* §. *Mulier ff. Qui test. fac. poss.* Similiter in criminalibus repelluntur minores viginti annis: in civilibus autem admittuntur puberes, hoc est masculi 14. annorum, et foeminae 12. Consanguinei et affines admittuntur pro et contra in causis matrimonialibus: admittuntur contra in criminibus exceptis, ut sunt haeresis, proditio patriae, crimen laesae majestatis. Tamdem testes minus idonei admittuntur tamquam idonei, quando crimen est commissum eo loco vel tempore, ubi copia testium haberi non potest. C. *Finali, de test.* Item quando cum pluribus minus idoneis concurrit alter idoneus, faciunt simul plenam probationem.

Hinc inferes Religiosos posse testificari in omni causa civili, cum hac differentia, quod in instrumentariis, ut in testamentis, et aliis contractibus id possint sine licentia sui Superioris, non in judicialibus, quia in his agnoscerent judicem non suum. Utrum vero cogi possint ad testificandum? R. posse non a Judice saeculari, non ab Episcopo, si sint exempti: sed a proprio Praelato, et quidem in suis monasteriis tantum.

DISSERTATIO XII.

De Injustitia Rei et Advocati.

D. Thomas QQ. 69. et 71.

Articulus I.

Utrum Reus a Judice interrogatus teneatur sub peccato mortali fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus?

In confesso est apud omnes, reum juridice interrogatum teneri veritatem fateri, ubi nulla est spes evadendi, dum nempe videt crimen probatum per testes idoneos, aut facile probandum; quia tunc cessat ratio celandi, quam multi defendunt, ut modo dicam. Difficultas est itaque, quando, si neget aut non fateatur crimen, est spes evadendi, eo quod crimen absque ejus confessione non possit sufficienter probari. Non pauci negant reum tunc teneri veritatem fateri, quia videtur nimis durum, et alienum ab inclinatione naturali, quam quisque habet ad vitam: affirmant plures cum Divo Thoma tam intra, quam extra ejus scholam, cum quibus

Dico 1. Reus juridice interrogatus tenetur sub mortali peccato fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus. Si autem non interrogetur juridice, non tenetur respondere, sed potest vel per appellationem, vel aliter subterfugere, mendacium tamen dicere non licet. Quandonam reus interrogatur juridice? Require supra Dissert. 10. a. 4. Prob. prima pars. Unusquisque tenetur sub peccato mortali obedire suo Superiori legitime, et necessario praecipienti in ordine ad bonum commune: atqui judex est Superior respectu ejus, qui judicatur, legitime ipsi praecipit fateri veritatem, quia praecipit secundum ordinem juris, tamdem

necessario praecipit in ordine ad bonum commune, quia cum reus in casu non possit condemnari absque propria confessione, si judex non praecipiat confiteri, ordo juris, legum justitia, et judicum vigilantia erunt inutiles, criminosi plerumque absolventur, scelera manebunt impunita, et ex impunitate invalescent in totam Reipublicae perniciem: ergo.

Confirmatur 1. Hoc judicis praeceptum est verum praeceptum, intendit enim judex pracipere et obligare; est justum et necessarium, ut dictum est: atqui de ratione intrinseca praecepti est, quod ejus trangressio sit inobedientia et consequenter peccatum: ergo. Conf. 2. Judex habet jus inquirendi veritatem a reo propter bonum commune, nemo arbitror id negat, et sane mirum esset, judicem posse torquere reum ad exquirendam veritatem, et non posse illi praecipere, ut eam fateatur; atqui jus, et obligatio sunt correlativa, nec potest esse jus in mandante, nisi sit obligatio in mandatario, alioquin istud jus foret prorsus inutile: ergo.

Secunda pars conclusionis a nemine negatur, quia potestas judicis non eo se extendit ut interroget reum praeter ordinem juris. Non potest tamen reus mentiri, ut bene advertit S. Thomas; quia mendacium est intrinsece malum; sed potest vel appellare, vel ostendere ordinem juris non servari, se non teneri ad respondendum, vel aliquid aliud simile, et tamdem si aliter evadere non possit, potest dicere, *non feci*; quia ista verba licet simpliciter prolata significent revera ipsum esse a crimine immunem, tamen in his circumstantiis prolata significant ex usu et intelligentia communi; *non probor fecisse*; *non feci, quod debeam fateri*, aut quid simile; unde non est mendacium, nec restrictio pure mentalis. Confer, quae latius hac de re dicimus in Tract. de Relig.

Dico 2. Quando reus prudenter dubitat, an judex interroget juridice, non tenetur respondere. Ita Cajet. Soto, Bannes. Serra, et alii plures. 1. Quia secundum jura in dubiis favendum est reo. 2. Quia reus non se habet ut causa instrumentalis respectu judicis in sua responsione, sicut se habet tortor v. g., aut miles in bello, sed ut causa principalis, proindeque debet agere secundum formam suam moralem, nempe suum judicium. 3. Quia non videtur rationi congruum, quod quis cogatur suscipere tam grave onus ab eo, qui forte imponere non potest.

Tenetur ergo judex exponere reo statum causae, et ipsi ostendere ordinem juris esse servatum, ipsumque ideo teneri fateri veritatem. Id etiam debet inquirere Confessarius, antequam rei confessionem excipiat, ne forte cum dispendio vitae corporalis cogat ipsum fateri crimen, quod non tenetur fateri, aut ne cum detrimento salutis animae permittat ipsum negare, quod fateri tenetur. Quod si constet, reum juridice interrogari, et tamen nolit veritatem fateri, non videtur absolvendus, cum in sententia nostra peccet moraliter, quia tamen opposita sententia est etiam probabilis, si forte reo esset probabilior, ipsum fateri renuentem non auderem condemnare.

Petes, utrum, postquam reus juridice interrogatus negavit veritatem, teneatur in nostra sententia retractare dictum, et fateri veritatem, si amplius non interrogetur? Quidam affirmant, alii, ut Sylvius, Serra, Navarrus, etc. probabilius negant, quia tunc praeceptum confitendae veritatis factum reo transiit, proindeque simul et obligatio respondendi: sufficit ergo, ut de culpa praeterita poeniteat, et eam non amplius admittere proponat. Quin imo advertit Serra cum aliis, Confessarium non debere interrogare reum de tali proposito in specie, quia hoc esset ipsum tentare, et ipsum exponere periculo denuo peccandi, habendo propositum non fatendi proprium crimen, cum hoc sit difficillimum, sed sufficere, si hortetur reum poenitentem in genere, ut caveat in posterum peccare, et ipse hoc proponat.

Articulus II.

Utrum accusato liceat se calumniose defendere, et damnato ad mortem vi resistere aut fugere, si possit?

Dico 1. Accusatus sive juste sive injuste non potest calumniose se defendere imponendo falsum crimen accusatori aut testibus, vel etiam adhibendo fraudem, et dolum, fraus enim, et dolus habent rationem mendacii. Patet: ex Decalogo. *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* 2. Quia initio litis exigitur tam a reo, quam ab accusatore juramentum de calumnia scilicet vitanda. 3. Quia hoc est injuste famam alterius auferre, estque ideo mendacium perniciosum. Hinc Innoc. XI. jure damnavit hanc propositionem. *Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, et honorem defendat*: est 44. item hanc 43. *Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere.*

Dico 2. Quando accusatus non interrogatur juridice, aut de eo non constat, si aliter evadere non possit, potest negare crimen, et dicere accusatorem falsum accusare, calumniari, mentiri; quia, ut dicit S. Doctor, reo qui accusatur, licet se defendere veritatem occultando, quam confiteri non tenetur per aliquos convenientes modos, modo non dicat falsitatem. Porro non tenetur hic reus fateri veritatem, et modis convenientibus eam occultat, cum ut suppono aliter evadere non possit, neque dicit falsitatem, quia, quod non potest juridice probari, falsum reputatur in judicio, et accusator praesumitur calumniator, ut docet Glossa in c. 2. *De Calumniatoribus.*

Dico 3. Accusatus potest prodere crimina occulta testium, si prosint ad infirmanda eorum testimonia, nec aliter possit evadere; idque sive verum testentur, sive falsum, sive secundum ordinem juris, sive contra: quia primo accusatus secundum leges habet jus excipiendi contra testes, et testes, contra quos potest fieri legitima exceptio, non sunt testes idonei, cessatque proinde judicis interrogatio esse juridica, et accusatus non tenetur respondere 2. Quia accusatus habet a natura jus ad sui defensionem, nec tenetur cum gravi suo damno alterius peccatum occultare; illud ergo prodendo jure suo utitur intendens suam indemnitatem, et se permissive habens ad diffamationem, seu damnum testis; is autem sibi imputet, cum patrando crimen se huic periculo exposuerit.

Dixi: *Si prosint ad infirmanda testimonia*, item, *si aliter non possit evadere*: quia alioquin in utroque casu esset excedere moderamen inculpatae tutelae, atque injuste, et sine causa proximum diffamare. Hinc testificanti de homicidio accusatus non potest objicere fornicationem, bene tamen perjurium, aut infamiam; quia his, et non illa redditur testis inidoneus.

Dico 4. Juste condemnato ad mortem non licet vi resistere. Quia 1. dicit Apostolus ad Rom. 13. *Qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit, et ipse sibi damnationem acquirit*: sed juste condemnatus se defendendo potestati resistit, quantum ad hoc, in quo est divinitus instituta, scilicet *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum operum*: ergo. 2. Quia licitum est judici resistentem impugnare: ergo ex parte resistentis est bellum injustum, sicque indubitanter peccat. ergo.

Dico 5. Injuste condemnato licet vi resistere; quia tale judicium est simile violentiae latronum.

Dico 6. Innocens condemnatus secundum allegata, et probata per se loquendo potest se defendere, sive judex noverit ejus innocentiam, sive non; per accidens tamen regulariter non potest. Ita Bannes, Sylvius et alii. Ratio primae

partis est, quia haec sententia, licet sit justa in foro exteriori, est tamen injusta secundum rem, et nulla in foro conscientiae, nullum jus conferens actori, aut judici, utpote fundata in falsa praesumptione, ut communiter admittitur: ergo innocens damnatus non tenetur illi obedire in conscientia, sed potest contra illam se defendere. Ratio secundae partis est, quia cum hujusmodi sententia executioni mandetur publice, et populo appareat justa, sequeretur regulariter grave scandalum et commotio in republica si damnatus se defenderet invadendo judicem aut sententiae executores vulnerando, mutilando, occidendo, essetque perversum exemplum nefariis hominibus sic se defendendi.

Dico 7. Reus etiamsi juste damnatus, sive ad mortem, sive ad mutilationem, sive ad triremes, potest fugere e carcere. Prob. Nemo tenetur facere id, unde sequitur mors aut grave damnum, nisi ad id sit damnatus: atqui reus etiam juste damnatus ad mortem, mutilationem, aut triremes non condemnatur, ut sponte maneat in carcere, et si maneret, inde mors, aut grave damnum sequeretur: ergo. Major est certa; secunda pars minoris etiam patet. Prob. 1. pars. Sententia mortis aut mutilationis fert dumtaxat, ut reus subeat mortem, vel mutilationem quando inferetur, non autem quod ipse sponte maneat in carcere, quia id ex una parte non est necessarium ad ejus punitionem, cum respublica possit, et debeat curare, ut sint firmi carceres, et custodes vigiles, ne reus fugere possit: et ex altera parte foret nimis durum, et alienum a jure, quod cuique inest a natura ad sui conservationem, id praecipere absque necessitate: ergo:

Dico 8. Reus juste damnatus ad mortem potest rumpere vincula, et carceres ut fugiat. Est communior, quia cum habeat jus fugiendi, habet consequenter jus tollendi impedimenta fugae, alioquin inane foret ejus jus. Si dicas effractores carcerum legibus civilibus puniri, R. sic statutum esse non propter culpam, sed ad terrorem, ut carcerati securius, et facilius detineantur: quamvis enim nemo sit puniendus sine causa, potest tamen puniri sine culpa, ut fert regula juris 23. in 6, *Sine culpa, nisi subsit causa, nemo est puniendus.*

Petes 1. Utrum aliis liceat reo consulere fugam et carcerum effractionem, praebere instrumenta, et eum adjuvare vel in fuga vel in effractione? R. Seclu-so speciali praecepto aliis privatis licet non solum consulere reo fugam, et carcerum effractionem, sed etiam illi necessaria ad id instrumenta ministrare; non tamen licet eum adjuvare sive eum extrahendo e carcere, sive frangendo cum illo carceres aut vincula. Est Cajet. Bannes., Sylvii, Serra., et satis communis.

Ratio primae partis est, quia licet consulere alicui id, quod licet illi facere; et si liceat consulere illi finem, nihil prohibet illi praebere media ad hunc finem. Confirmatur: reus licite potest uti illis instrumentis: ergo licet ea illi praebere. Ratio secundae partis est, quia jus illud fugiendi et effringendi carceres, quod conceditur reo ut indulgentia juris naturalis propter imminens sibi periculum gravissimi mali, aliis non periclitantibus non conceditur: alias nihil foret tutum in republica, et non satis esset provisum justitiae et judicibus. Neque refert, quod possim consulere fugam, et instrumenta praebere: non enim qui potest opus consulere, potest semper illud exequi; sic possum consulere judici, ut occidat malefactorem, et ad id instrumenta ministrare, non tamen ego possum occidere.

Petes 2. Utrum liceat reo corrumpere custodes, ut possit evadere? R. Non licet muneribus, aut praecibus eos inducere, ut consentiant fugae, quia cum consentire nequeant, esset illos inducere ad peccatum. Licet tamen muneribus, aut aliis modis absque fraude captare eorum benevolentiam; et hac ratione sibi parare viam ad fugiendum: nihil enim mali hic petitur, et custodum est vigilare, ne decipiantur.

Articulus III.

De Advocato.

Quaeritur 1. Utrum Advocatus teneatur praestare gratis patrocinium causae pauperum? R. Quod cum praestare patrocinium causae pauperum ad opus misericordiae pertineat, idem est dicendum ac de eleemosyna et aliis operibus misericordiae. Advocatus autem est, qui in judicio partem alterutrius litigantis defendit.

Quaeritur 2. Utrum Advocatus peccet, si injustam causam defendat? R. 1. Advocatus, qui scienter injustam causam defendit, absque dubio graviter peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem damni, quod per ejus auxilium altera pars incurrit, quia cooperatur iniquitati suae partis, imo eam facit, et est causa damni, quod incurrit altera pars. Quin etiam, si clientem injustitiae suae causae forte ignarum non moneat, pariter peccat respectu illius contra justitiam, et tenetur illi restituere damna inde secuta tamquam illorum causa. Si vero ignoranter injustam causam defendit putans esse justam, excusatur secundum modum, quo ignorantia excusare potest: ita quod si ignorantia fuerit antecedens, excusatur et a peccato, et a restitutione, si concomitans, excusatur a restitutione, sed non a peccato; si consequens, vel fuit affectata, aut crassa, et non excusat a peccato nec a restitutione, vel fuit levis, et excusat a tanto peccato, sed non a toto, neque a tota restitutione. Vide de Restitutione in genere.

R. 2. Quando Advocatus in principio credit causam esse justam, et postea in processu apparet esse injustam, per se loquendo non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, et secreta suae causae illi revelet, hoc enim esset quodammodo agere contra fidem secreti; debet tamen causam deserere, vel clientem inducere ad cedendum, sive ad componendum sine adversarii damno; non videtur autem in hoc casu posse fieri compositio sine adversarii damno, nisi forte circa expensas. Et ideo graviter peccant, et tenentur ad restitutionem Advocati et Procuratores, qui dum vident aperte causam esse injustam, inducunt partes ad transigendum, seu componendum circa rem ipsam, de qua lis est cum damno alterius: hujusmodi enim transactiones non fiunt nisi in causis dubiis.

Quaeritur 3. Utrum Advocatus possit suscipere causam dubiam, aut minus probabilem? R. Quando causa est dubia propter aequalem utrimque probabilitatem, aut etiam quando una est minus probabilis, potest Advocatus utramvis defendere, saltem in civilibus. Est communis. Ratio est, quia Advocatus non profert sententiam, nec judicem proferre cogit, sed tantum proponit, quae sui clientis jus probare et firmare possunt: haec autem proponere in causa probabili, aut etiam minus probabili non est injustum, quin potius utile, ut causa a judice melius expendatur et dirimatur.

Confirmatur. Pars, cujus causa est probabilis, aut etiam minus probabilis, habet jus experiendi in judicio: forte enim, quod ipsi aut Advocato videtur minus probabile, videtur judici probabilius, et aliquando, quod in principio litis erat minus probabile, fit in decursu ex rationibus propositis magis probabile: ergo potest illum adjuvare Advocatus. Si dicas ex hac ratione sequi, quod Advocatus possit defendere causam injustam; quia, quod apparet ipsi injustum, potest judici apparere justum: R. N. illationem, quia quando reputat causam absolute injustam non potest illam defendere nisi per falsitates et mendacia cum injuria partis adversae. Observa tamen, quod teneatur Advocatus monere suum clientem hujus dubietatis, et periculi, quod incurrit; alias foret causa damno-

rum inde sequentium, quorum periculum forte cliens noluisset subire, si illius fuisset conscius.

Dixi *Saltem in civilibus*; quia in criminalibus, quando agitur de vita, membris, honore, non pauci existimant Advocatum peccare contra charitatem, si causam accusatoris dubiam, aut minus probabilem suscipiat, quia inquiunt, ipse actor peccat contra charitatem, vexando reum aeque probabili aut probabiliori juri nixum, ipsumque poenae adeo gravi subjiciendo, cum potius illi, utpote in extrema vel gravissima necessitate existenti, succurrere deberet. Ita Soto, Lessius, Sylvius, et alii.

DISSERTATIO XIII.

De Injuriis verborum, quae inferuntur extra judicium, et obligatione restituendi inde contracta.

D. Thom. QQ. 72. 73. 74. 75.

Postquam egimus de injuriis verborum quae fiunt in judicio, considerandum est de injuriis verborum quae fiunt extra judicium, et 1. de contumelia, 2. de detractione, 3. de sussurratione, 4. de maledictione.

Articulus I.

De contumelia.

Cum contumelia sit contra honorem et detractio contra famam, ante omnia

Petes 1. Quid sit fama, quid honor? R. 1. Fama dicitur a *Fando*. Generaliter sumpta est frequens, et vulgaris sermo de re aliqua: strictius autem sumitur, prout spectat laudem, vel vituperium alicujus, et definitur: *Opinio et sermo multorum de vita et moribus alicujus*. Dicitur: *Opinio, et sermo*; quia licet forte fama theologice sumpta essentialiter consistat in sola opinione, et judicio interno, non videtur tamen esse completa, nisi ista interna existimatio per verba ad extra diffundatur, et manifestetur, fama enim, ut notatum est, dicitur a *Fando*.

R. 2. Honor est *Testificatio de excellentia alicujus*. Et debet fieri praesenti, aut quasi praesenti, per quod differt etiam a fama, quae est de absente. Vid. de virtutibus justitiae annexis §. de Dulia.

Petes 2. Quid sit contumelia? R. Est injusta dehonoratio personae praesentis. Haec autem dehonoratio fit deducendo per verba, vel facta verbis aequivalentia, defectus alicujus in ejus, et aliorum notitiam. Dicitur, *Personae praesentis*: quia contumelia debet fieri palam praesenti, aut quasi praesenti, puta in imagine, in ministro; aut si absenti, ea saltem intentione ut resciat; quia contumelia opponitur honori, seu reverentiae, quam proximo exhibemus: honor autem non exhibetur nisi praesenti, aut absenti quasi praesenti; honorans enim cupit, ut innotescat honorato testimonium, quod reddit de ejus excellentia. Quamvis autem contumelia, convitium, et opprobrium aliquo sensu possint distingui, in ratione tamen dehonorationis sunt ejusdem rationis, et speciei. *Est tamen cum unitate specifica*, inquit Cajet. *diversitas graduum secundum magis et minus, dum unus defectus magis dehonorat, aut infamat, quam alius.* Unde juxta sententiam de confitendis circumstantiis notabiliter aggravantibus, exprimi debet qualitas vitii dehonorantis, quando notabiliter auget dehonorationem, sive ratione ipsius, sive ratione illustris personae contumeliae affectae, ut explicabo infra.

Petes 3. Quantum peccatum sit contumelia? R. 1. Contumelia est ex genere suo peccatum mortale. Prob. 1. ex illo Matt. 5. *Qui dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennae ignis.* Et Apost. ad Rom. 1. Contumeliosos recenset inter illos, quos Deus tradidit in reprobum sensum. Prob. 2. Honor est bonum praestantius quam divitiae: atqui furari, aut rapere divitias est ex genere suo peccatum mortale: ergo et auferre honorem, quod facit contumelia.

R. 2. Contumelia multis modis potest fieri veniale. 1. Ex imperfectione actus. 2. Si aliquid, etiamsi secundum se grave, objiciatur ex levitate, aut joco absque intentione graviter laedendi, et ex quo nemo graviter laeditur: qua ratione plerumque excusatur communissima appellatio *stulti*. 3. Ex levitate materiae; pro qua cognoscenda attendi debet non solum ad ipsam materiam in se, sed respective ad personam laedentem et laesam: contingit enim, quod eadem materia modo sit levis, modo gravis respectu diversarum personarum: sic v. g. si plebeius objiciat suo aequali, vel inferiori, quod sit mendax, est levis materia; si Superiori, Praelato, Praeposito, etc. est gravis; adeo ut eo gravior sit contumelia, quo infertur majori a minore, et e contra eo levior, quo infertur minori a majore; quia cum honor debeatur propter excellentiam, eo gravior est dehonoratio, quo fit majori a minore, et eo levior quo fit minori a majore. Hac ratione Soto, et Toletus, quos sequitur hic Sylvius, excusant a mortali viros infimae sortis, et mulierculas, quae inter rixandum sese invicem convitiis onerant, et quidquid occurrit evomunt, quia quae sic effutiunt, non apprehenduntur vera, nec inde graviter laeduntur, aut laedunt.

R. 3. Ab omni autem peccato excusari possunt verba contumeliosa. 1. Si proferantur causa disciplinae, et correctionis, quomodo Christus vocavit Apostolos stultos Luc. 24., et Apostolus Galatas insensatos ad Galat. 1. Quia sicut licitum est aliquem verberare causa disciplinae, sic eadem de causa licet verbis contumeliosis afficere. 2. Non est peccatum, si per eutrapeliam dicatur aliquod leve convitium non ad dehonorationem vel contristationem ejus in quem dicitur, sed magis causa delectationis et joci: si vero aliquis non reformidet contristare eum, in quem profertur hujusmodi jocosum convitium, dummodo aliis risum excitet, vitiosum est.

Petes 4. Utrum debeamus sustinere contumelias illatas? R. affirmative in praeparatione animi, licet non semper actu. Ratio est, quia praecepta patientiae in his, quae contra nos fiunt, aut dicuntur, sunt in praeparatione animi habenda, sicut Aug. l. 1. *de Serm. Domini in Monte* c. 34, et seq. exponit illud praeceptum *Siquis percusserit te in unam maxillam praebe ei et alteram*, ut homo sit paratus hoc facere, si opus sit. Quandoque tamen oportet contumeliam repellere 1. propter officium charitatis, ut contumeliosi audacia reprimatur, et de caetero talia non attentet juxta illud Prov. 26. *Responde stulto juxta stultitiam suam, ut sibi sapientior videatur.* Numquam tamen propter cupiditatem privati honoris, unde additur loco citato Proverb. *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne ei similis efficiaris.* Eoque minus propter vindictam, quae soli Deo, et ejus Ministris competit, unde qui taceret animo contumeliantem ad iracundiam provocandi esset vindicta, et peccatum. 2. oportet contumeliam repelli propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Quae dicimus de tollerantia, et repulsu contumeliae, dicenda sunt de tollerantia, et repulsu detractionis. Caeterum quamvis haec vera sint, debemus tamen magis adhibere curam circa cultum, et acquisitionem virtutum, quae sunt fundamenta honoris, et famae, quam circa ipsum honorem et famam.

Petes 5. Utrum ex contumelia nascatur obligatio restituendi honorem laesum? R. 1. Contumelia, quae infertur coram aliis, inducit obligationem restituendi,

quatenus minuit, seu tollit apud alios opinionem de excellentia patientis contumeliam, ipsumque exhibet vilem, et contemptibilem, sicque privat honore ab aliis recipiendo, quod est damnum grave restitutioni obnoxium. R. 2. Qui privatim intra quatuor oculos alteri contumeliam infert, tenetur ad satisfactionem, quia est vera injuria contra justitiam commutativam.

Petes 6. Quomodo restitutio, seu satisfactio pro contumelia illata debeat fieri? R. debere fieri per exhibitionem honoris et reverentiae, quia restitutio fieri debet, in quantum possibile est, in eodem genere bonorum: ergo honor laesus debet restitui per exhibitionem honoris, et dehonoratio resarciri per honorationem. Convenienter autem fit haec restitutio, seu satisfactio per petitionem veniae: non tamen semper sufficit, quando nempe est valde enormis contumelia, nec semper est necessaria, cum aliter possit honor restitui. Unde non est necessaria, quando contumelia est levis, neque quando est illata a superiore in subditum, imo nec tunc est conveniens: *Ne*, inquit August. in Reg. *apud eos, quos oportet esse subjectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas.* Et nota bene restitutionem seu satisfactionem debere innotescere iis, quibus innotuit contumelia, vel aliter effici, ut restauretur in eorum animis dignitas imminuta. Quod si quis forte per ignorantiam laesit alicujus honorem, satisfacit fatendo ignorantiam, et exhibendo honorem, quomodo fecit Apostolus Act. 13. Circa contumelias non atroces prolium in parentes, quamvis forte hi summo jure non exigant satisfactionem, expedit tamen ut Confessarii, in quantum possunt, eam injungant prolibus, quia est remedium efficax contra relapsum.

Articulus II.

De Detractione.

§. I. *Quid, quotuplex sit detractio, et quantum peccatum?*

Dico 1. Detractio est *injusta denigratio famae alienae per occulta verba.* Dicitur *injusta*; quia non omnis denigratio, seu laesio famae alienae est detractio, de qua loquimur, sed ea solum, quae fit sine rationabili causa, ut dicam infra, et ideo est injusta. Dicitur *per occulta verba*; non absolute occulta, quo quis enim coram pluribus detrahit, eo pejor est detractio, sed occulta ei, de quo detrahitur, saltem ex intentione detrahentis. Et in hoc differt detractio a contumelia; contumeliosus enim manifeste contra aliquem loquitur, detractor autem occulte; differt etiam quantum ad nocumentum illatum, quia contumeliosus derogat honori, detractor famae. Non raro tamen conjunguntur contumelia, et detractio; ut si quis alteri in faciem coram aliis objiciat falsum crimen, seu verum, sed occultum, est simul contumelia, et detractio.

Dico 2. Duplex est detractio. Una formalis, quando quis per verba, quae profert, intendit formaliter, et explicite denigrare famam proximi. Altera materialis, quando quis per verba, quae profert, non intendit formaliter, et explicite denigrare famam proximi, sed aliquid aliud non necessarium, aut ea profert ex loquacitate, seu animi levitate, et tamen ex his sequitur, aut nata est sequi famae proximi denigratio, quae proinde censetur implicite intendi.

Detractio sive formalis, sive materialis fit dupliciter, directe, et indirecte. Directe quadrupliciter. 1. Falsum imponendo. 2. Peccatum augendo. 3. Occultum crimen revelando. 4. Id quod bonum est, mala intentione factum dicendo. Indirecte fit tripliciter. 1. Negando bonum alterius, ex quo bona aliorum de ipso opinio minuatur. 2. Reticendo, ut si coram te dicatur, quod Petrus fuerit ebrius, et quod tu ipsum videris ebrium (quod suppono falsum) si taceas,

censeris consentire detractori et illum in sua detractione firmare. 3. Minuendo, quod fit non solum veras alterius virtutes extenuando, sed etiam dum enarratis virtutibus immiscentur defectus, vel additur in fine laudum *sed*. Quidam quartum modum addunt, scilicet laudando remisse, sic ut ex hoc concipiant alii, tam frigide laudantem non bene opinari de illo, quem laudat, sed iste modus includitur in secundo et tertio. Hi omnes detrahendi modi continentur his versibus:

Imponens, augens, manifestans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatve remisse.

Dico 3. Detractio est ex genere suo peccatum mortale contra justitiam, levius quidem homicidio et adulterio, gravius tamen furto. Prob. detractio aufert injuste proximo bonum, quod licet sit vita, et fide matrimoniali minus, est tamen majus divitiis, juxta illud Prov. 22. *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae*: et illud Eccl. *Curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni, et pretiosi.* Unde Apost. ad Roman. 1. dicit *Detractores Deo odibiles.* Dixi *ex genere suo*, quia sicut alia peccata, sic detractio potest fieri venialis. 1. Ex imperfectione actus, puta ob ignorantiam, vel inadvertentiam nocumenti, ob subitum passionis impetum, ob praecipitationem mentis, aut linguae: etenim nisi dicamus, inquit Layman, ob has, et similes causas saepe excusari a mortali noxa detractionis peccatum, totum pene genus humanum periclitabitur, adeo vulgare est hoc vitium, siquidem lingua modicum membrum est, sed volubile, et inquietum, *Quod nullus hominum domare potest*, ait S. Jacob. c. 3. Et hoc innuit etiam S. Th. hic qu. 73. a. 3. o., dum dicit, quod per accidens peccati gravitas attenditur ex parte peccantis, qui gravius peccat, si ex deliberatione peccet, quam si peccet ex infirmitate, vel incautela: et secundum hoc peccata locutionis habent aliquam levitatem, in quantum de facili ex lapsu linguae proveniunt absque magna praemeditatione.

2. Detractionem excusat a mortali levitas materiae. Rerum gravitas aut levitas materiae in praesenti quaestione non semper aestimari debet ex gravitate, vel levitate defectus, qui est materia detractionis; potest enim quis imponendo, vel revelando grave peccatum leviter peccare, et e contra graviter peccare imponendo, vel revelando defectum secundum se levem. Aestimanda est ergo hic gravitas, vel levitas materiae ex hoc, quod defectus, qui imponitur vel revelatur, sive sit naturalis, sive voluntarius, sit multum vel parum probrosus, seu gravem vel levem inferat infamiam, quod saepe pendet a judicio prudentum, attenta conditione personae tum detrahentis, tum illius, de qua detrahitur, tum etiam audientium. Item attenta qualitate locorum, morum, et aliis circumstantiis. Ex quo

Inferes. 1. Non esse detractionem mortalem dicere de milite, aut adolescente mundano rixatum fuisse, duellum inivisse, se inebriasse, fornicatum fuisse, quia hi, et similes talia non ducunt probro, sed potius gloriae. Similiter si dicas de Laico in Belgio vel Germania fuisse ebrium, vel alios inebriasse, quia in his partibus ebrietas non est valde probrosa Laicis.

2. Regulariter loquendo non est detractio mortalis dicere de Laico, quod sit mendax, quod amet sexum, secus si talia dicas de Praelato, de gravi Sacerdote, aut Religioso: quia haec istis, non illis censentur graviter probrosa; de istis autem ultimis dicere, quod semel, aut iterum mentiti fuerint, non videtur etiam mortale.

3. Item regulariter loquendo non est gravis detractio, si dicas de aliquo,

quod sit avarus, iracundus, superbus, vitilitigator, litigiosus, quia haec denotant tantum propensionem animi, aut accipi solent ab audientibus pro levibus peccatis; secus si dicas, quod sit luxuriosus, aut injustus, haec enim graviter infamant. Item si dicas, quod laboret morbo venereo, nisi statim exponas causam, ob quam inculpabiliter contraxit hunc morbum. Plerumque excusantur a mortali plebeii et mulierculae, quae inter rixandum graves defectus sibi invicem objiciunt, quia vix est quod fidem illis adhibeant audientes.

4. Detractionis mortalis rei sunt, qui utuntur certis loquendi modis, qui quamvis nullum defectum exprimant, gravium tamen defectuum suspicionem ingenerant; ut si dicas de aliquo: *Si vellem aperire, quae scio, ipsum pudore suffunderem. Novi quod nemo de illo suspicaretur. Multa scio, sed tacere jubet charitas.* His enim ac similibus detrahendi modis magis nocetur famae, quam si singulares defectus exprimerentur.

5. Quantum ad defectus naturales distinguendum est. Dicere de aliquo, quod sit luscus, gibbosus, pauper, stupidus, nullius cerebri, videtur detractio levis, et quandoque nulla, partim quia haec palam innotescunt, partim quia non censentur valde probrosa: dicere autem, quod sit filius Sacerdotis, quod sit illegitimus, quod sit aliqua nota in ejus familia, nisi sit persona vilis, videtur valde probrosum, et consequenter mortale.

§. II. *Variae quaestiones circa praesentem materiam breviter resolvuntur.*

Petes 1. Utrum aliquando liceat revelare crimen occultum alterius? R. Revelare crimen occultum alterius propter aliquod bonum consequendum, aut malum vitandum, sive revelantis, sive audientis, sive delinquentis, sive communitatis, aut etiam alicujus alterius particularis, debitis circumstantiis observatis, non est peccatum, nec dici potest detractio. Excipe, nisi crimen secretum per injuriam cognoveris. Vide appendicem in fine hujus Dissert. de secreti revelatione. Nota, in textu S. Thomae non esse legendum, *Propter bonum necessarium*, ut quidam legunt; sed, *Propter bonum, vel necessarium*, ut habent emendatiores editiones Lugdun. 1507. Colon. 1639. Ratio conclusionis est, quod criminosus non habeat jus conservandi famam cum detrimento alterius innocentis, quia bonum innocentis est praeferendum bono nocentis, maxime cum ille nocens in id consensisse censeatur casu, quo ejus criminis revelatio foret necessaria bono innocentis. Confirm. Nemo tenetur cum gravi suo damno providere famae nocentis, maxime cum haec in errore fundetur, et reipsa sit ea indignus: ergo.

Dices. Revelare crimen occultum alterius non solum est, non conservare famam ejus, sed positive auferre, quod non licet Resp. N. assumptum, quia non intendo diffamationem, sed tantum proferre in lucem, quod apud me occultum est, et nocebat, ex quo sequitur diffamatio, ad quam me permissive tantum habeo, ut me, vel alium servem indemnem: sicut si projicerem depositum, quod mihi noceret, praevidens inde surripiendum a furibus, non censerer positive concurrere ad damnum deponentis, sed permissive tantum; positive autem intendere indemnitatem meam.

Dixi, *Observatis debitis circumstantiis.* Prima est, ut non plus, nec pluribus reveletur quam sit necesse ad evitandum malum, aut consequendum bonum. Secunda, ut probabile sit, quod revelatio habitura sit bonum effectum. Tertia, ut fiat ex recta intentione boni consequendi vel mali avertendi, non ex odio, vindicta, similive passione. Quarta, ut bonum consequendum vel malum avertendum sit alicujus momenti, foret enim injustum atque inhumanum pro levi utilitate prodigere famam proximi: non puto tamen necesse esse, quod bonum

assequendum praeponderet aut etiam aequivaleat bono famae, neque malum avertendum malo infamiae, quia nocens et innocens non sunt jure pares, et alioquin sequeretur, quod pro damno temporali, puta furto avertendo, non liceret revelare domino v. g. furta domesticorum, cum fama praevaleat divitiis, quod tamen nemo admittit.

Hinc inferes 1. licitum esse crimen fratris, praemissa correptione fraterna, si sit profutura, revelare superiori ad emendationem, imo amicis ex charitate compatiente, ut pro ipso orent, aut ejus emendationi adlaborent. 2. Potes crimen te injuste vexantis indicare, si hac via, et non alia possis fidem illius labefactare, et sic evadere jacturam vitae, honoris, et bonorum. 3. Potes instruere eos, qui frequentant alios moribus depravatos, ut sibi vel a seductione, vel a damno temporali caveant, item detegere imperitiam Medici, Advocati etc. iis, quibus aut nocet, aut nocitura est. Non tamen manifestare secretam defloralionem virginis, cui ut virgini dos, aut legatum esset conferendum, quia in foro externo habetur virgo, nec secus qui legavit intendit, aut debuit intendere. 4. Potes aperire iis quorum interest, occultum defectum, per quem redditur ineptus ille qui est promovendus ad beneficium, ordines, religionem, vel matrimonium. Si tamen non obstante defectu sit dignus, non potes ex eo praecise, quod te, aut amicum reputes digniorem. Si noveris auctorem criminis, pro quo innocens trahitur ad mortem, aut injuste torquetur, potes et teneris auctorem prodere. 6. Possunt Conjuges inter se loqui de defectibus liberorum, et domesticorum, in quantum expedit emendationi, et familiae regimini. 7. Potes acceptam injuriam, vel aliud crimen referre uni, vel altero viro prudenti causa petendi consilii, vel auxilii.

Restat dubium, utrum liceat causa consolationis captandae et doloris leniendi, injuriam acceptam referre uni viro prudenti? Equidem fateor perfectius, ac salubrius tibi fore, si recurras ad eum, *Qui consolatur nos in omni tribulatione nostra* 2. Cor. 1. Caeterum probabilius extimo cum Sylvio, Petro Navar. Maldero, Serra, Laymon, Lessio, et aliis, satis communiter contra quosdam recentiores, id esse licitum, modo in narrando non subrepat animus vindictae, non nimium exaggeretur injuria, nec dicatur plus quam sit necesse ad animi sublevamen. Quia valde grave est, et ab humana consuetudine alienum, quod quis solus debeat ferre injuriam absque ulla consolatione, et querela, nec, ut videtur, teneor cum tanto gravamine, et incommodo parcere famae injuste laedentis, qui nec mihi parcere voluit, et qui me injuste vexando se huic diffamationi exposuit, cum sciret id esse in usu: unde sibi debet imputare.

Petes 2. Utrum absque ulla justa causa, sed ex mera loquacitate, vel animi levitate revelare crimen alterius uni tantum viro prudenti, apud quem perinde erit, ac si non esset dictum, ita quod nec alteri male afficiatur, nec ulterior divulgatio, aut aliud incommodum timeatur, sit peccatum mortale? R. sententiam affirmativam esse communiorem, quia famam amittere, et male audire apud unum virum prudentem, et gravem, quod contingit per hujusmodi revelationem, ita censetur quid grave in genere diffamationis, ut vir prudens mallet male audire apud tres, aut quatuor plebeios.

Non est tamen improbabilis sententia negativa Cajetani et aliorum, quia materialis detractio, qualis est haec, non est peccatum mortale, nisi graviter laedat famam proximi: atqui non laedit graviter famam proximi; ergo. Probatur min. Fama est opinio multorum: ergo non laeditur notabiliter per malam opinionem unius, si nempe ille unus talis sit, ut perinde sit apud ipsum, ac si crimen non esset revelatum, ita quod neque male afficiatur ergo illum; cujus crimen revelatur, neque inde sequatur illi aliquod incommodum, sed potius commiseratio et auxilium in occasione sperandum. Et ad fundamentum primae senten-

tiae respondetur ideo virum prudentem malle perdere famam apud tres aut quatuor plebeios, quam apud unum virum gravem; quia inde timet, ne vir ille gravis male illi afficiatur, eum impediat consequi bona, quae alias consequeretur, aut sequatur aliud incommodum: quod si nihil horum timeat, non mallet male audire apud plures plebeios quam apud illum virum gravem, qui ipsi potius commisereatur quam succenseat, et a quo auxilium in opportunitate expectet.

Petes 3. Utrum infamatus de uno crimine possit infamari de alio? R. Infamatum de uno crimine infamare de alio, quod non est affine, aut ordinarie conjunctum cum primo, est ex genere suo peccatum mortale, quia fama est divisibilis, habens quasi partes ab invicem independentes, qui enim est clarus fama justitiae, non semper clarescit fama temperantiae; Ergo potest una pars famae tolli, et non altera, nec ex eo, quod una pars sit ablata, sequitur, quod possit auferri altera, sicut ex eo, quod homo amiserit partem suarum facultatum, non sequitur, quod debeat amittere omnes.

Dixi: *De crimine, quod non est affine cum primo*, quia, qui diffamatum de uno diffamaret de altero, quod est affine et ordinarie conjunctum cum primo, non peccaret saltem graviter, quia non augeret graviter infamiam, ut qui de ebrioso diceret, quod rixetur, quod bona dilapidet. Imo siquis esset suis vitiis tam infamis, ut censeretur omnem Dei timorem abjecisse, non graviter peccaret, qui aliquod ejus crimen non tamen extraordinarium in alio genere non affini revelaret.

Petes 4. Utrum narrare crimen alicujus non assertive, sed tamquam dictum ab aliis, sit peccatum mortale? Casus frequens: *Fertur*, seu *audivi hoc*, *vel illud de tali*, *non affirmo tamen sic esse.* R. Si tales sint circumstantiae, ut verisimilius sit auditores non credituros, nec suspicaturos sinistre, puta quia vel narrans, vel auctor dicti nominatus est garrulus, levis, nullius fidei, vel quia audientes sunt graves et probi, qui non leviter credunt: excusatur narrans a peccato mortali, quia abest periculum notabilis damni. Si e contra ex circumstantiis narratio proprio pondere fidem dicti astruat, aut sinistram suspicionem audientibus generet, puta, quia dicti auctor nominatus est gravis; vel narratur tali modo, qui verum esse indicat; narrans peccat mortaliter, vel venialiter pro ratione materiae contra justitiam cum onere restituendi, quia talis ejus narratio est ex se vera causa damni.

Petes 5. Utrum peccet peccato detractionis, qui narrando crimen occultum alicujus narrat simul ejus poenitentiam? R. regulariter loquendo affirmative, quando nempe crimen est infamatorium, quia ordinarie notitia poenitentiae non abstergit omnino sinistram opinionem et comtemptum, quem peccati narratio ingerit in animo audientium: sic nemo est qui non censeat famam Episcopi aut Monachi graviter laedi, si narres ejus fornicationem, quamvis adjicias ipsum poenituisse. Idem dicendum de eo, qui laudat in uno genere et detrahit in alio, ut, *Est doctus*, *sed*, etc. Modus sane detrahendi frequens et valde perniciosus, quippe quo efficacius suadetur detractio. Si tamen talis ac tanta foret Poenitentia, ut longe superet infamiam criminis, et eam omnino deleret, non peccaretur narrando crimen et poenitentiam. Propter hanc rationem et insuper quia id requirebat singularis Dei gloria, revelantur in Scripturis incredulitas Thomae, negatio Petri, et Paulli persecutio.

Petes 6. Utrum liceat detrahere defuncto? R. Negative, quia defunctus censetur capax gloriosae, vel infamantis memoriae, et non secus ac vivens habet jus ad famam.

Petes 7. Qualiter peccet, qui crimen occultum narrat non nominata persona? R. Si ex narratione persona non possit dignosci, non peccat, secus si pos-

sit dignosci. Item si non nominata persona nominet ejus qualitatem quod sit religiosus ecclesiasticus aut quod pejus est, ex quo ordine, collegio, communitate, plerumque est gravis detractio, et eo gravior, quo totius communitatis famae nocet, nisi forte fieret inter viros prudentes, qui cujuscumque merita, et demerita aequa lance ponderant, nec unius membri naevum toti corpori affigunt.

§. III. *Utrum diffamatum in uno loco, vel tempore liceat diffamare in alio loco, vel tempore?*

Dico 1. Diffamatum in uno loco per sententiam publice latam licet diffamare ubivis locorum absque laesione justitiae: est communis: non tamen absque laesione charitatis, si diffamatio fiat sine justa causa. Videtur probabilior. Prob. prima pars. Sicut judex habet jus spoliandi reum in poenam criminis bonis fortunae, corporis, et vitae, ita famae et honoris: atqui hanc poenam infligere decernit, dum reum punit eo loco et tempore, quo crimen in plurimorum notitiam venire potest, puta in platea publica et die fori, quando plures convenire solent: unde reo aufert jus ad famam respectu hujus criminis, et omnibus tacite confert licentiam ubique divulgandi: ergo.

Prob. secunda pars. Quia, licet sic diffamatus non habeat amplius ullibi jus ad famam, eam tamen in locis, ad quae non est verisimiliter brevi perventura divulgatio, adhuc pacifice possidet, et diu possidebit absque cujusquam injuria; atqui eum tanto bono privare sine justa utilitate videtur omnino contrarium charitati, qua debemus diligere proximos, sicut nos ipsos, et notissimae ejus regulae: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: ergo. Dixi: *Per sententiam publice latam*, quia si sententia foret lata, et executioni mandata secreto, non potest ulterius diffamari, quia per talem sententiam reus non punitur poena diffamationis, nec conceditur cuiquam facultas ubique divulgandi. Similiter sententia lata intra cancellos alicujus collegii aut conventus non potest extraneis propalari, tum quia id non intendit judex, tum quia haec diffamatio redundat in collegium seu conventum.

Dico 2. Qui diffamatum publicitate facti aut rumoris diffamat apud nescientes ejusdem loci, aut in iis locis, ad quae verisimiliter diffamatio brevi est ventura, sive propter locorum viciniam, sive propter mutua incolarum commercia, aut propter alias rationes, non peccat contra justitiam, nec saltem graviter contra charitatem. Est communior quoad utramque partem. Prob. prima pars. Quia crimen alterutro modo publicum in uno loco, moraliter rem aestimando, censetur publicum in alio loco, ad quem brevi perventura est divulgatio: ita ut, qui in illo famam amisit, censeatur etiam in isto famam amisisse. Est insuper ratio specialis de crimine noto notorietate facti, quia qui crimen commisit in loco publico, non curavit, an plures scirent vel non; eo enim loco et tempore commisit, quo quivis possent videre; quod si plures non viderint, per accidens est, quia plures non aderant; unde censetur renuntiasse juri ad famam pro omnibus iis personis et locis, ad quae divulgatio nata est pervenire. Neque refert, quod forte nunc non velit amplius renuntiare, sufficit quod ante voluerit dum crimen publice perpetravit. Secunda pars conclusionis, scilicet quod non peccet saltem graviter contra charitatem, patet; quia supposito, quod fama sit brevi perventura ad illos quibus narro, nullum aut leve damnum diffamato infertur.

Dico 3. Qui in uno loco diffamatum facto, aut rumore diffamat in aliis locis, ad quae verisimiliter non est brevi perventura diffamatio, graviter peccat contra charitatem, imo et probabilius contra justitiam cum onere restituendi. Ratio primae partis, quam omnes admittunt, est, quia sine causa nocet proximo

in re gravi, nempe in fama, quam in alio loco sine cujusquam injuria possidebat, et diu adhuc possedisset, facitque illi, quod non vellet sibi fieri. Ratio secundae partis est, quia sic infamatus in uno loco juste adhuc possidet famam in loco, ad quem notitia criminis non est cito perventura; ergo facit illi injuriam, et peccat contra justitiam, qui eum illic diffamat.

Dico 4. Qui diffamatum uno tempore diffamat alio, quo prius ejus crimen oblivione, aut bona vita est obliteratum, peccat non solum contra charitatem, ut patet ex prima parte praecedentis conclusionis, sed etiam probabilius contra justitiam cum obligatione restituendi. Excipiendum videtur crimen, quod fuit notorium per sententiam publicam. Ratio conclusionis est, quia eadem ratio est de crimine obliterato, ac de crimine occulto; per obliterationem enim crimen reducitur ad statum, quem habebat, antequam esset publicum: atqui peccat contra justitiam, qui revelat crimen occultum: ergo et qui obliteratum. Confir. Per talem diffamationem homo non solum laeditur in fama pro tempore publicitatis, ut vult Lessius, sed etiam saltem indirecte in fama, quam legitime recuperavit et nunc possidet, aut saltem haec fama praesens per talem diffamationem fit ipsi inutilis: ergo fit ipsi injuria. Excipiendum dixi crimen, quod fuit notorium per publicam sententiam, quia cum sententia sit illimitata, tam quoad tempus, quam quoad loca, sicut confert licentiam divulgandi ubivis locorum, ita et quovis tempore. Quod vero fama praesens inde indirecte laedatur, imputari debet culpae praeteritae, cujus partialis poena est, quod possit semper et ubique divulgari absque laesione justitiae: charitatem autem inde graviter laedi mihi probabilius est, dum quis absque justa necessitate nocet alteri aut ejus familiae in fama, quam recuperavit, et legitime possidet absque cujusquam injuria, quaeque est illi utilis ad omnia. De historicis tamen, et nuntiorum Scriptoribus vulgo *Gazetiers* dicendum, ipsis paulo plus esse indulgendum propter integritatem historiae, et communem utilitatem; non tamen ipsis omnia promiscue licere etiam circa ea, quae sunt aut fuerunt publica in certis regionibus; circa vero crimina occulta non plus illis licere, quam aliis.

§. IV. *De Audientibus detractionem.*

Nota. Audiens detractionem peccat, quatenus consentit detractioni. Dupliciter autem consentire potest, directe, et indirecte. Directe quando vel ad detrahendum inducit, vel ipsi placet detractio: indirecte, quando etsi non ipsi placeat detractio, eam tamen non impedit, dum potest, et debet.

Dico 1. Qui consentit directe detractioni, sive quia inducit detractorem ad detrahendum, sive quia ei placet detractio propter odium ejus, cui detrahitur, non minus peccat quam detrahens, et quandoque magis: si enim inducat, peccat contra charitatem peccato scandali erga detrahentem, quem inducit ad peccatum, et contra justitiam erga diffamatum, cum sit causa movens ad ejus diffamationem: et quia plus est culpae in motore quam in moto, tam ex hoc capite, quam ratione scandali magis peccat, quam detrahens. Idem cense de eo, qui detrahenti animum addit, applausu, gestu, interrogationibus, etc. Si vero non inducat, sed placeat tamen detractio propter odium proximi, peccat, ut evidens est, contra charitatem, et etiam affectu contra justitiam, quia ipsi placet opus, quo injuste laeditur proximus, et potest magis peccare, quam detractor ratione majoris odii, non tamen tenetur, ut prior, ad restitutionem, quia non cooperatur externae injustitiae. Dixi *cui placet detractio*, quia si placeret tantum lepiditas narrantis, aut factorum dexteritas, non culpant ex hoc capite communiter auctores gravis peccati, licet ex alio capite possit graviter peccare non impediendo gravem detractionem, dum potest.

Dico 2. Qui consentit tantum indirecte detractioni, quatenus scilicet eam non impedit, dum potest, peccat minus quam detrahens, quia nec inducit ad detrahendum, nec ipsi placet detractio. Peccat tamen et quidem mortaliter ex genere suo ex duplici capite 1. Respectu detractoris, quem peccantem fraterne non corripit. 2. Respectu illius, de quo detrahitur, cujus damnum in fama non impedit; ad utrumque enim tenetur ex lege charitatis, dum commode potest: unde Proverb. 4. *Remove a te os pravum, et detrahentia labia sint procul a te.*

Dico 3. Plerumque tamen contingit, quod sic non impediens detractionem peccet tantum venialiter, aut etiam nullo modo peccet. Explicatur. Peccat tantum venialiter 1. dum ex levi negligentia omittit impedire. 2. Quando ex magna verecundia, timore, aut animi pusillanimitate non audet resistere; quia tunc resistentia, seu correctio est ipsi valde difficilis, ideoque videtur excusari a mortali, siquidem, ut modo dicam, nemo tenetur resistere cum gravi suo incommodo, et hoc inquit S. Thomas, dum dicit, quod *qui ex timore . . . . vel verecundia* omittit repellere detrahentem . . . *peccat* . . . *plerumque venialiter*.

Nullatenus vero peccat 1. si praevideat resistentiam non profuturam, imo quandoque obfuturam, sive quia detractor est talis indolis, ut ex correctione irritatus plura sit dicturus, aut dicta confirmaturus, ut saepe contingit, sive quia audiens est ineptus correctioni faciendae, puta scrupulosus, aut famulus respectu superioris, sive ob alias rationes. 2. Si ex correctione timeat sibi vel aliis grave incommodum, odia, convitia, rixas, verbera, etc. quia nemo tenetur alterius bono providere cum gravi suo incommodo. 3. Quando videt detrahentem non detrahere ex intentione, et auditores non credere, item quando detractio est levis. 4. Quando ei non constat loquentem injuste detrahere, puta quia nescit, an peccatum sit publicum vel non, an narrans non habeat justam causam narrandi; forte enim juste loquitur, nec debet praesumi malus, nisi sint aperta indicia in contrarium; unde audiens faceret ipsi injuriam repellendo et corripiendo de peccato, quod nescit esse peccatum. 5. Si sit scrupulosus, quia cum ob scrupulos non possit satis discernere, an justa vel injusta sit detractio, an gravis vel levis, quando debeat vel non debeat contradicere, exponitur periculo reprehendendi, ubi nihil est reprehendendum, eritque saepe aliis ludibrio potius, quam corrigatur delinquens.

Ex his omnibus potest colligi haec regula generalis: *Nemo tenetur sub peccato saltem gravi corripere male loquentem de proximo, nisi certo moraliter noverit illum injuste et mortaliter detrahere, possitque efficaciter et sine gravi suo incommodo impedire.* Ex quo patet, aequales raro, inferiores rarissime peccare mortaliter non impediendo detractiones. Caeterum ut qui tenetur detrahentem impedire, satisfaciat suae obligationi, non est semper necesse, quod ipsi positive resistat, et verbis contradicat; sed saepe sufficit ostendere, quod detractio displiceat, v. g. tacendo, recedendo, sermonem ad alia divertendo, et praesertim faciem tristem exhibendo, juxta illud Proverb. 25. *Ventus aquilo dissipat pluvias, et facies tristis linguam detrahentem.* Et hic modus maxime convenit inferioribus respectu superiorum, et saepius aequalibus inter se, cum experientia constet hunc corripiendi modum esse plerumque aliis efficaciorem. Non sufficeret tamen regulariter superiori respective ad subditos.

Articulus III.

De Restitutione famae.

§. I. *Utrum fama sit restituenda?*

Dico 1. Fama injuste ablata est statim restituenda. Est communis et certa; quia restitutio boni injuste ablati est necessaria ad salutem, ut probatum est de Restit. in genere: atqui fama est bonum et quidem divitiis praestantius, ut dictum est supra: ergo. Dixi, *statim*: quia, ut dictum est de Restit. in genere, restitutio obligat ad statim moraliter, et quo diutius differtur, eo majus patitur detrimentum infamatus, sive quia famam crescit eundo, sive quia saltem diutius habetur contemptui apud alios.

Dico 2. Item tenetur detractor restituere omnia damna ex detractione secuta, quia per detractionem est causa illorum efficax; est etiam communis et certa. Hinc inferes, quod, qui per suas detractiones causa est, cur aliquis ab officio, aut beneficio, sive adepto, sive adipiscendo repellatur, cur puella amittat conveniens matrimonium, cur famulus, aut ancilla non possit elocare suas operas, cur Medicus, Advocatus, Pauper, Monasterium, etc. priventur lucris aut emolumentis, haec omnia damna restituere teneatur. Quod quamvis sit difficile, et in praxi rarum, verissimum est tamen, et saluti necessarium.

Petes 1. utrum, qui injuste detrahit, sed materialiter tantum, et ex errore, teneatur ad restitutionem ex justitia, ubi errorem advertit? v. g. revelas crimen, quod bona fide putas esse verum et publicum, et tamen est falsum, vel verum quidem, sed occultum: dicis ex inadvertentia Petrum auctorem homicidii publici, et est Joannes. R. probabilius teneri, si commode potest, quia ideo detrahendo injuste materialiter excusatur a peccato, eo quod damnum, quod infert, non sit ipsi voluntarium ratione ignorantiae invincibilis; sed hoc ipso, quod advertit errorem, et non impedit, ut potest, damnum a se causatum et perdurans, detractio redit in suam speciem et damnum fit ipsi voluntarium; sicut si ignem inadvertenter projecisset in segetes, quem serpentem advertens non extingueret, censeretur istud incendium ipsi voluntarium, ut jam alibi diximus: ergo. Non tamen tenetur restituere damna secuta ex diffamatione materiali, quia haec ipsi sunt involuntaria; secus de damnis secutis, postquam errorem advertit et non retractavit, quia haec sunt ipsi voluntaria. Dixi, *si commode potest*, quia non tenetur cum tanto incommodo, ac si voluntarie diffamasset: qui enim voluntarie, et scienter damnificat, se subjicit omnibus periculis et incommodis restitutionis, secus, si inculpabiliter damnificat.

Petes 2. Utrum haeredes diffamatoris defuncti teneantur loco ipsius ad restitutionem? R. teneri ad restitutionem damnorum realium, quia haec obligatio est realis, non autem ad restitutionem famae, quia haec obligatio est mere personalis, et non est ad aliquid dandum, sed ad aliquid agendum. Defuncto autem diffamato restituendam esse famam a diffamatore superstite constat, quia defunctus fama vivit post mortem; imo ejus restitutionem tenetur quandoque haeres urgere, et quam forte remittere non potest, quia in ea non est haeres.

§. II. *Quomodo fama sit restituenda?*

Dico 1. Qui alterum diffamavit falsum dicendo, debet retractare quod dixit, asserere se falsum dixisse, et si opus est ad fidem faciendam, juramentum et testes adhibere, quamvis diffamando non adhibuerit; quia, qui est causa injusta

damni, tenetur illud resarcire omni modo moraliter possibili, iste autem modus est moraliter possibilis : ergo. Non puto tamen diffamatorem teneri dicere se mentitum fuisse, ut multi volunt, quia id est propriae famae noxium et alienae reparandae inutile ; quid enim prodest diffamato, si noverint auditores me scienter et ex intentione fallendi dixisse falsum, modo ipsis constet me falsum dixisse, sive scienter sive ex errore ? Postquam autem diffamator asseruit falsum esse quod dixit, adhibitis etiam, si opus est, juramento et testibus, si qui calumniam audierunt, perceptam malam opinionem deponere nolint, liber erit ab ulteriori restitutione, quia non censetur amplius causa istius pravae opinionis, sed auditorum malitia ac pertinacia. Major difficultas est in modo restituendi famam ablatam per revelationem criminis veri, sed occulti. Pro quo

Dico 2. Qui injuste alterum diffamavit revelando crimen verum sed occultum, tenetur restituere famam, in quantum potest, sine mendacio tamen, utpote quod dicat se male dixisse, vel quod injuste eum diffamaverit, quod hallucinatus fuerit, quod erraverit, aut quid simile ; non enim hi solum errant, qui deviant a vero, sed etiam qui deviant a recto, juxta illud Proverb. 14. *Errant, qui operantur iniquitatem.* Sed quia iste modus, licet forte sufficiat apud simplices, parum prodest apud intelligentes, et astutos, qui potius ex his formulis conjiciunt verum esse crimen, quod non aperte asseritur esse falsum ; ideo ibi non sufficit. Secundus modus reparandi famam in casu conclusionis assignatur a Cajetano hic, quem sequuntur Soto, Navar. Sylvius, et alii plures : nempe, tacendo de priori dicto, saepe laudare, cum veritate tamen, eum, cui detraxisti, singulariter honorare, familiariter cum ipso conversari, frequenter declarare, quod ipsum habeas pro viro probo, etc. Et hoc ita caute, inquit Cajetanus, ne videaris hoc facere pro restitutione, quia hoc esset infamiae conservatio.

Dico 3. Quando fama restitui non potest modis assignatis, debet aliter compensari, nimirum per preces, eleemosynas, aut per alium aliquem modum convenientem, secundum arbitrium boni viri considerata conditione utriusque personae, imo per pecuniam aut aliquid pecunia aestimabile. Confer dissert. 8. art. 7. §. 1. Equidem fateor, quod iste ultimus modus compensandi per pecuniam non sit in usu, non quod absolute non debeatur, sed quia diffamati non solent illam exigere, eo quod probrosum sit inter homines famam suam quasi venalem habere, et pecuniam, aut aliquid pecunia aestimabile pro illa accipere ; quique id faceret, vilissimae, et abjectae famae haberetur.

Dico 4. Detractor tenetur ex justitia restituere famam apud omnes, apud quos detraxit, alioquin fama non sufficienter repararetur ; est communis et certa. Sed utrum etiam apud illos, quibus primi auditores narraverunt ? Respondent communiter Theologi, quod si detractor stipulatus fuerit silentium cum iis, quibus ipse narravit, aut prudenter existimaverit eos non revelaturos, non teneatur restituere apud istos auditores mediatos, quia haec ulterior divulgatio non censetur ipsi voluntaria, sed vel ipso invito, vel fortuito accidisse. Si autem praevidit aut praevidere potuit eos, quibus narravit, aliis narraturos, tenetur auditoribus immediatis non restituentibus restituere apud omnes, ad quos pervenit detractio, quia haec est ipsi voluntaria utpote implicite volita hoc ipso, quo praevidit aut praevidere potuit secuturam ex sua prima detractione.

Dices. Saepe est impossibile scire omnes, ad quos pervenit detractio, et dato quod sciantur, impossibile erit quandoque apud omnes reparationem facere. R. detractorem non teneri ad id, quod revera est impossibile, teneri tamen facere quantum potest. Unde si non possit omnes scire vel adire : faciat reparationem publicam per concionatores aut schedulas locis publicis affixas, maxime si falsum dixerit ; quia si verum, parum plerumque proderit, ut notatum est. Hinc videant, in quantas se conjiciant angustias, qui tam facile aliorum famam dilacerant.

§. III. *Causae excusantes a restitutione famae.*

Huc pertinent plura, quae dixi de causis excusantibus a restitutione in genere: illuc recurre.

Prima causa excusans detractorem a restitutione famae est, quando fama est aliunde recuperata, sive per rei evidentiam, sive per testium inductionem, sive per sententiam Judicis, sive aliter; quia tunc cessat damnum, et consequenter obligatio illud reparandi. Tenetur tamen detractor restituere damna, quae secuta sunt ex priori sua diffamatione, item et sumptus, si quos fecerit infamatus ad recuperandam famam. Ad hanc causam reducitur, si progressu temporis infamia sit prorsus obliterata, ita ut moraliter loquendo non sit periculum, ut reviviscat, quia, posita ista absoluta obliteratione, fama est recuperata perinde, ac si non fuisset ablata. Verum in praxi non ita facile est distinguere, an omnino sit obliterata infamia, an sopita tantum, sitque proinde vel non sit periculum, ne recrudescat. In tali autem dubio magna prudentia opus est, et valde caute incedendum. Si enim tentes restituere, aut interroges auditores, an recordentur talis facti, forte refricabis memoriam peccati prorsus obliti; si omnino taceas, forte species rei tantum sopitae, data occasione, reviviscent. Quid ergo facto opus? Consule te ipsum, et quod velles in pari casu erga te fieri, fac erga alterum. Quod si secundum leges prudentiae taceas, cum tamen infamatus subeat periculum, ne recrudescat infamia, pro illo periculo remanente teneris ad aliquam compensationem, ipsum v. g. coram aliis laudando, honorando, aut aliter.

Secunda causa excusans a restitutione famae est remissio expressa, vel tacita laesi, quia homo est dominus suae famae, sicque est sui arbitrii detrimentum famae suae pati sicut et bonorum fortunae, nisi hoc vergat in detrimentum aliorum. Si enim ab ejus fama, vel infamia pendeat fama, vel infamia aliorum, ut ex fama vel infamia monachi pendet fama vel infamia monasterii, remissio foret injusta et nulla.

Tertia causa est, si peccatum occultum, quod revelasti, fiat aliunde publicum; quia ex illa publicitate qui prius fuerat a te secreto diffamatus, amittit jus ad famam, quantum ad istud crimen. Tenetur tamen diffamator resarcire damna, quae passus est diffamatus ante publicitatem criminis, et injuriam aliquo modo compensare, ut dixi circa primam causam.

Quarta causa est impotentia moralis, quae tunc censetur adesse, quando non potest fieri restitutio absque detrimento longe majori, quam sit illud quod patitur infamatus. Patet ex dictis de causis excusantibus a restitutione in genere. Hinc inferes, quod nemo regulariter teneatur restituere famam cum detrimento vitae, quia vita utpote superioris ordinis est bonum longe praestantius fama. Excipe nisi vita diffamati aut bonum publicum ex tua detractione periclitetur. Tenetur autem detractor restituere cum detrimento bonorum fortunae, quia sunt inferioris aestimationis ad famam, imo et cum detrimento famae propriae, quia in pari causa est potior conditio innocentis quam nocentis.

Quinta causa est compensatio mutua: non quidem hoc sensu, quod liceat diffamato regerere diffamationem suo diffamatori, id enim est vindicta; sed hoc sensu, quod si is, quem diffamasti, te vicissim diffamet, non tenearis illi restituere, si ipse tibi nolit restituere, vel uterque possitis cedere juri vestro.

Articulus IV.

De Susurratione, Derisione, et Maledictione.

§. I. *De Susurratione. D. Th. Q. 74.*

Petes 1. Quid sit Susurratio? R. Susurratio est *Oblocutio mala, et secreta de proximo ad dissolvendam veram amicitiam.*

Dicitur *ad dissolvendam amicitiam*, quod intelligi debet non solum privative, sed contrarie; quamvis enim sit vera susurratio, quae simpliciter tollit amicitiam, non est tamen completa, nisi simul inferat discordiam, et inimicitiam: unde Prov. 26. dicitur: *Susurrone subtracto jurgia cessabunt*: et Eccles. 28. *Vir peccator conturbabit amicos, et in medio pacem habentium immittet inimicitiam.* Dicitur *ad dissolvendam veram amicitiam*, quia dissolvere amicitiam inordinatam et in malo fundatam, quae non est vera amicitia, ut inter fures, inter concubinam et concubinarium, non est susurratio, sed opus charitatis.

Petes 2. Quale peccatum sit susurratio? R. esse ex genere suo peccatum mortale contra charitatem. Prob. ex Scriptura. Rom. 1. Susurrones recensentur inter illos, qui dicuntur *Deo odibiles.* Et Eccl. 28. dicitur: *Susurro et bilinguis maledictus.* Prob. ratione. Peccatum in proximum est tanto gravius, quanto per ipsum majus nocumentum infertur proximo; nocumentum autem tanto majus est, quanto majus est bonum, quod tollitur: atqui inter caetera bona exteriora praeeminet amicus, quia sine amico nullus potest vivere, ait Philosophus 8. Ethic. et ut dicitur Eccli. 6. *Amico fideli nulla est comparatio.* Notandum tamen in individuo posse esse veniale, vel ex imperfectione actus, vel ex levitate nocumenti, quod plerumque accidit, ut si tollatur amicitia absque periculo inimicitiae, nisi forte totaliter dissolveretur amicitia inter eos, quibus est maxime necessaria, ut inter conjugatos, vel inter parentes, et proles.

Petes 3. Utrum susurratio non sit etiam contra justitiam? R. Si fiat vi, dolo, mendaciis, detractionibus, aliisve modis injustis, est contra justitiam; quia unusquisque habet jus strictum, ne a bono etiam gratuito habito vel habendo, per media injusta deturbetur. Si vero fiat absque vi vel dolo aliisve mediis injustis, sed vel narrando defectus notos, vel precibus aut suasionibus, non est contra justitiam, quia amicitia est quid mere gratuitum, in gratuitis autem non laeditur justitia.

§. II. *De Derisione. D. Th. Q. 75.*

Petes 1. Quid sit derisio? R. Derisio est *vitium, quo quis jocando objicit alteri aliquid vitiosum: ut erubescat.*

Petes 2. Quale sit peccatum derisio inordinata? Ante responsionem nota. Derisio non est nisi de aliquo malo seu defectu: malum autem si magnum reputetur, non accipitur pro ludo, sed seriose, et ideo si in ludum, vel risum vertatur (unde dicitur derisio) hoc est, quia accipitur ut parvum. Potest autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter: uno modo secundum se, alio modo ratione personae, quae vilis habetur, sicut defectus puerorum et stultorum, quantumvis secundum se graves, pro parvis habemus ratione personae, parumque ponderare solemus. Hoc notato,

R. Dum aliquis alterius personae malum seu defectum in ludum vel risum ponit, quia secundum se est parvum malum, est veniale et leve peccatum secundum genus suum, quia sic non importat contemptum sed ludum, nec causat gravem erubescentiam nec gravem turbationem.

Dum autem ponit in ludum vel risum aliquod malum secundum se grave, sed quia accipitur parvum ratione personae, est peccatum mortale propter gravem contemptum adjunctum; quia sic aliquem irridere est eum omnino parvipendere, et tam vilem habere, ut de ejus malo quamvis gravi non sit curandum, sed sit quasi pro ludo habendum, sicut habere solemus defectus etsi graves puerorum et stultorum, ut dixi: sicque est gravius peccatum quam contumelia, quae similiter est in manifesto, quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriose, illusor autem in lusum, et ita videtur esse major contemptus. Porro tanto gravius est illud peccatum, quanto major reverentia debetur personae, cui illuditur: unde gravissimum est irridere Deum et ea, quae Dei sunt. Secundum locum tenet irrisio parentum; deinde justorum derisio, quia honor est virtutis praemium, et contra hoc dicitur Job. 12. *Deridetur justi simplicitas*; quae quidem derisio valde nociva est, quia per eam homines a bene agendo impediuntur.

Dixi in petitione, *Derisio inordinata*, quia potest esse derisio ordinata absque peccato. 1. Si fiat ut derisus a peccato resipiscat, sic enim opus est charitatis pertinens ad correptionem fraternam. 2. Ex virtute eutrapeliae, dum amici non animo pudefaciendi, sed recreationis ergo quaedam levia sibi invicem jocando objiciunt; id tamen periculo non caret, sunt enim plerique, qui dum libenter alios derident, ad minimam sui derisionem excandescunt.

§. III. *De Maledictione. D. Th. Q. 76.*

Maledicere, prout hic sumitur, est imprecari et optare malum alicui, ut dum dicitur: *Fulmen te conterat*, *diabolus te auferat*, etc.

Dico. Maledicere seu imprecari malum sub ratione mali alicui creaturae rationali est ex genere suo peccatum mortale, quia 1. excludit a regno Dei juxta illud Apostoli 1. Cor. 6. *Neque maledici*, *neque rapaces regnum Dei possidebunt*: 2. quia secundum se repugnat charitati, quia diligimus proximum volentes bonum ipsius. Et tanto gravius est hoc peccatum quanto personam, cui maledicimus, magis amare et revereri debemus: unde gravissimum est maledicere Deo et pertinet ad blasphemiam, deinde maledicere parentibus et pertinet ad impietatem: idque distinguendum est in confessione; sicut et aperienda est qualitas mali optati, an mortem, an infirmitatem, an jacturam famae vel fortunae optaveris; quia maledictio est ejusdem speciei cum malo, quod optatur, ut si optes mortem, pertinet ad homicidium, si jacturam bonorum, ad furtum; quia velle et facere habent idem objectum, et consequenter sunt ejusdem rationis: et in hoc differt maledictio a contumelia et detractione, quod in his mala, quae dicuntur, non desiderentur, sed potius displiceant, in maledictione autem desiderantur; unde actum specificant. Quod si maledicens nullum malum exprimat, sed in communi optet, ut male sit, pertinet ad peccatum odii, odisse enim est male alicui velle, sicut diligere est bene illi velle.

Ex quo insuper habes, quod, siquis uno irae impetu alicui plura mala, mortem, infamiam, jacturam bonorum, etc. imprecetur, quamvis sit unus actus physicus, sint tamen in genere moris tot species maledictionis, quot specie distincta mala optata, et ideo in confessione accusandae. Item dum quis maledicit toti familiae, debet explicare, quot sint in ea personae, quia vel sunt tot numero distincta peccata, quot sunt personae, juxta aliquos, eo quod unaquaeque persona est capax distinctae injuriae; vel si sit unum tantum peccatum juxta alios, eo quod feratur in omnes collective per modum unius, aequivalet tamen pluribus.

Dixi 1. in conclusione: *Imprecari malum sub ratione mali*, quia impreca-

ri malum sub ratione boni est licitum, nec est maledictio per se loquendo, quia principalis intentio non fertur ad malum sed ad bonum. Sic licet optare aliquem peccatorem pati aliquam infirmitatem, ut vel ipse melior efficiatur, vel ab aliorum nocumento cesset; Turcis, Haereticis, aliisve Ecclesiae vel Reipublicae perturbatoribus imprecari mortem aut alias clades amore boni communis aut religionis. Nec obstat, quod saepe non possimus licite inferre illa mala: non enim optamus inferre aut facere; sed optamus, ut inferantur aut fiant eo modo, quo et a quibus licite inferri aut fieri possunt. Neque tamen hinc inferas licere filio optare mortem patri, ut pinguem haereditatem adeat. 1. Quia vita patris nulli est nociva, ut suppono. 2. Quia, quae diximus, sunt intelligenda, quando malum optatum est minus quam malum, quod vitare intendimus: mors autem patris est pejor malum quam privatio haereditatis, et filius debet plus diligere vitam patris quam privatam suam commoditatem temporalem.

Dixi 2. *Alicui creaturae rationali*, quia, cum creaturae irrationales careant ratione et dominio suarum actionum, non sunt capaces justitiae, vel injuriae, nec eas secundum se tenemur diligere ex charitate; quapropter illis absolute in se consideratis maledicere non est peccatum mortale, est tamen otiosum et vanum, et consequenter peccatum veniale. Maledicere autem illis, quatenus sunt hominis, et ejus usibus deserviunt, ut imprecari sterilitatem vineis aut agris, mortem animalibus, aeris intemperiem, etc. perinde est ac ipsi homini maledicere.

Dixi 3. *Est ex genere suo peccatum mortale*, quia in individuo potest fieri veniale vel ob parvitatem mali, quod quis alteri imprecatur, vel ob imperfectionem actus, ut dum quis absque perfecta deliberatione ex motu irae profert verba maledictionis; aut deliberate quidem, sed sine animo, ut eveniant mala, quae ore proferuntur, ut plerumque contingit iis, qui vel ex ludo, vel ex consuetudine verba imprecatoria proferunt: quia, ut jam dictum est, peccata verborum ex affectu pensantur; et revera, ubi deest mala intentio, maledicens neque animo, neque opere quemquam laedit. Possent tamen hujusmodi maledictiones ex circumstantiis esse mortales, quales putamus maledictiones filiorum in parentes tum ratione scandali, tum ratione gravis irreverentiae: item ratione scandali maledictiones graves et frequentes parentum in filios, dominorum in domesticos.

Observant Theologi non esse signum sufficiens aliquem non maledixisse ex animo, quod cessante motu irae, nollet malum evenire, quod tantum probat, quod animus non persistat in malo; sed venandum esse ex ipso tempore irae. Quod si dubium sit an tunc ex animo voluerit, inspicienda est conditio personae, cui malum est imprecatum. Si amica, et grata, praesumendum est, quod non voluerit, secus si inimica, et ingrata. Si indifferens recurrendum est ad consuetudinem maledicentis, si enim soleat iratus ex animo maledicere, sic in dubio maledixisse judicandum, secus si non soleat ex animo maledicere.

De murmuratione, quae sumpta in malam partem etiam pertinet ad injuriam verborum, et definitur *clancularia oblocutio injuste querulantis* S. Th. non agit, quia ad praecedentia reducitur maxime ad detractionem, et susurrationem.

Appendix

De Revelatione Secreti.

Secretum est, quod clancularie ab aliquo vel a tam paucis scitur, ut neque sit famosum, neque notorium.

Dico. Secreti servandi triplex est obligatio: una eo praecise, quod ejus revelatio noceret proximo; altera ex promissione expressa, vel tacita illud ser-

vandi, tertia ex lege sacramentalis Confessionis. De hac ultima; dum de Poenitentia. Prima fundatur in illa lege naturali de non nocendo proximo, et in tantum obligat, in quantum ex revelatione sequeretur damnum. Sic si scias fortuito, ubi recondatur thesaurus alicujus, et ex revelatione surripiendum; revelando peccas contra justitiam et teneris ad restitutionem.

Secunda fundatur in lege naturali de servanda fidelitate, et praestandis promissis, ita ut qui illam violat absque justa causa, non minus peccet contra fidelitatem, et justitiam, quam qui violat fidem depositi, proindeque mortaliter ex genere suo. Hinc Prov. 13. dicitur: *Qui ambulat fraudulenter, revelat arcana; qui autem fidelis est animi, celat amici commissum.* Erit tamen peccatum veniale, si nullum, aut leve damnum sequatur, aut propter imperfectionem actus, puta si inadvertenter fiat revelatio, si bona fide putetur rem esse levis momenti, aut non esse commissam sub secreto. Porro ex promissione tacita tenentur servare secretum Consiliarii, Officiales belli, quibus secreta reipublicae, vel exercitus committuntur, Advocati, Medici, Chirurgi, Obstetrices, Theologi, et probabilius amici, quibus consilii, auxilii vel solatii accipiendi causa secretum aperitur. Hoc ipso enim, quo talia secreta suscipiunt etiam absque expressa promissione illa servandi, censentur se tacite obligare.

Dixi *absque justa causa*; Justa autem causa est 1. Si opus patrandum vergat in detrimentum boni communis, aut etiam alicujus privati innocentis, ut dum Titius sub secreto tibi dicit se proditionem Civitatis, aut occisionem Caji moliri, si non possis aliter avertere, potes et teneris prodere secretum, etiam juramento firmatum, quia juramentum non ligat contra bonos mores ex Reg. Juris 58. in 6. 2. Si ex secreto immineat committenti, aut recipienti grave damnum. Sic teneris revelare secretum impedimenti dirimentis, cum quo committens iniret matrimonium, ut impedias ejus peccatum, et irreverentiam sacramenti. Item potes prodere auctorem homicidii perpetrati, tibi petendi consilii causa sub secreto revelati, si tu postea hujus homicidii accuseris, quamvis sub juramento secretum promisisses, quia debitum secreti sicut aliud debitum cessat, quando sine dispendio salutis, vitae, famae, aut gravis fortunae servari non potest, et nemo sensatus censetur ad tales casus suam obligationem extendere voluisse. Unde excipe, saltem secundum plures, nisi in ultimo casu promisisses servare secretum etiam cum dispendio vitae, vel famae; et etiam si ex revelatione secreti periclitetur bonum commune. Ex dictis inferes superiori praecipienti revelationem secreti subditum teneri obedire, si agatur de peccato committendo, quod aliter impediri non potest; non teneri autem si agatur de peccato commisso, ex quo nullum amplius cuiquam imminet damnum, aut de aliquo faciendo nemini nocivo.

Quid de aperitione litterarum, et expiscatione secreti? R. Qui litteras, aut scripturas alienas secretas legit absque consensu mittentis, aut recipientis, vel absque legitima auctoritate, seu justa causa, vel aliter per vim, seu fraudem alterius secretum expiscatur, peccat contra justitiam, tum quia unusquisque habet jus ad suum secretum; tum quia qui legit scripturas alienas secretas, utitur re aliena invito rationabiliter domino. Hoc autem peccatum erit mortale, vel veniale pro qualitate, vel damni, vel periculi, vel intentionis graviter, vel leviter damnificandi. Unde peccat venialiter qui aperit litteras, quas certo moraliter scit non continere nisi salutationes, nuncia publica etc., paratus ad secretum, si aliquid occurreret sub secreto servandum. E contra peccat mortaliter si sciat, aut dubitet eas continere, quae alicujus famam graviter labefactant, aut quae secreta manere multum interest illius, qui mittit, aut recipit.

Dixi *litteras aut scripturas secretas*, quales sunt litterae clausae, aut etiam apertae, sed in loco secreto, v. g. super mensam cubiculi repositae, aut etiam

casu amissae, secus si sint projectae, et pro derelictis habitae. Dixi *absque consensu mittentis aut recipientis*, qui propter amicitiam, et familiaritatem quandoque potest praesumi. Dixi *absque legitima auctoritate*, quam habent Praelati Religionum in ordine ad litteras suorum subditorum. Quae facultas jure gubernationis conceditur marito respectu litterarum uxoris, et ad uxorem, et Patri respectu Filiorum. Dixi *vel justa causa* nimirum ad avertendum grave damnum sibi, vel alteri innocenti. Hinc non peccant Gubernatores, Praefecti exercitus, et similes, qui tempore belli aperiunt litteras sive hostium, sive civium, neque privatus, qui fundate timens per epistolam grave damnum sibi, vel alteri parari eam aperit; hi enim utuntur jure defensionis adversus injustos invasores.

TRACTATUS

DE CONTRACTIBUS

D. Thom. QQ. 77. et 78.

DISSERTATIO I.

DE CONTRACTIBUS IN GENERE.

ARTICULUS I.

Quid et quotuplex sit Contractus?

Dico 1. Contractus generaliter sumptus, prout comprehendit contractum late, et stricte sumptum, definitur: *Duorum pluriumve in idem placitum, et consensus signo sensibili manifestus, pariens obligationem, saltem in uno contrahentium.* Dixi *Pariens obligationem*: omnem enim contractum validum parere obligationem saltem naturalem, et in foro conscientiae constat: quia unusquisque tenetur praestare, quod promisit alteri acceptanti, sive promiserit titulo gratuito, sive oneroso: hoc ipso enim, quo quis acceptat promissionem sibi factam, acquirit jus in rem, seu actionem promittentis ex ejus libera voluntate. Dixi, *Saltem in uno contrahentium*, et hinc est differentia inter contractum late, et stricte sumptum. Si enim in uno tantum pariat obligationem, est contractus late dictus, qualis est v. g. promissio simplex, et donatio: promittens enim obligatur ad servandam fidem, donans ad non revocandam donationem: ad nihil autem promissarius, aut donatarius obligatur. Si in utroque pariat obligationem, est contractus stricte dictus, qui definitur in jure. L. *Labeo* ff. de verb. signif. *Ultro citroque obligatio.*

Dico 2. Variae sunt contractus divisiones. Primo dividitur in innominatum, et nominatum. Contractus innominatus est, qui non habet speciale nomen, et est quadruplex, scilicet *Do ut des*, *do ut facias*, *facio ut des*, *facio ut facias*: v. g. Do tibi frumentum, ut des mihi oleum, est contractus, *Do ut des*;

do tibi frumentum, ut labores in agro meo, est *Do ut facias*: sic de caeteris. Ubi adverte, quod id quod datur, aut redditur non debeat esse pecunia, alias foret contractus nominatus, puta, vel venditio, vel locatio, aut alter similis. Si dicas tales contractus recte vocari posse permutationes, respondeo id quidem verum esse, sed permutatio est nomen genericum non minus quam contractus.

Contractus nominatus subdividitur in illum, qui est in utilitatem utriusque contrahentis, et in illum, qui est in utilitatem unius tantum. Primi generis sunt novem, scilicet *Emptio*, cui relative opponitur *Venditio*; *Locatio*, cui relative opponitur *Conductio*; *Census*, *Cambium*, *Emphyteusis*, *Feudum*, *Assecuratio*. Contractus secundi generis subdividitur iterum in eum, qui est in utilitatem solius accipientis, et est quintuplex, scilicet *Mutuum*, *Commodatum*, sub quo continetur *Precarium*, *Pignus*, *Hypotheca*, *Fideijussio*, in eum, qui est in utilitatem solius dantis, et est *Depositum*; et in eum, qui est in utilitatem alterutrius indeterminate, et est *Sponsio* et *Ludus*.

Secundo dividitur contractus in gratuitum, qui etiam dicitur lucrativus, et onerosum. Gratuitus est, in quo nihil rependitur loco ejus, quod datur, ut simplex promissio et donatio. Onerosus est, in quo aliquid rependitur loco ejus quod datur, ut sunt omnes alii contractus jam recensiti.

Tertio dividitur in explicitum, et implicitum. Explicitus est, cum quis sive verbis, sive pactione, expresse, et explicite contrahit hanc, vel illam obligationem: ut si dicas, hoc promitto, vel do, ut hoc facias; vendo hanc mercem pro tali pretio, etc. Implicitus est, dum quis nihil exprimit de obligatione, aliquid tamen agit, ex quo sequitur obligatio, ut dum quis suscipit officium Praepositi, Tutoris, Pastoris, virtualiter, et implicite se obligat Civibus, Pupillo, Parochianis, praestandi ea, quae sunt talis officii.

Brevitatis causa plures alias contractuum divisiones omitto, praesertim celebrem in jure in contractum nudum et vestitum. Contractus nudus est is, cujus obligatio naturalis defectu quarumdam conditionum non est jure civili confirmata, ita quod non conferat actionem in foro externo: vestitus e contra; Sed haec spectant Jurisconsultos.

Articulus II.

De consensu ad contractum requisito.

Quidam existimant sufficere consensum in verba serio prolata absque ullo animo contrahendi, ita ut qui serio profert verba contractus, quamvis intus non consentiat in contractum, et obligationem, imo dicat infra se, Nolo contrahere, nolo me obligare, vere, et valide contrahat, ac se obliget. Excipiunt matrimonium, sponsalia, et votum. Sed negant alii de omni contractu. Fatentur tamen eum, qui sic verbotenus contraheret, absque animo contrahendi, teneri stare contractui in quantum interest alterius contrahentis, non quidem vi contractus, quasi esset validus, sed ex lege generali justitiae, qua tenetur deceptionem tollere, et quem per fictionem laesit, indemnem servare: cum quibus

Dico. non sufficit ad validitatem contractus consensus in sola verba, sed requiritur consensus in ipsum contractum, ita quod contractus verbotenus sine animo contrahendi et se obligandi, sit contractus fictus, et nullus in foro conscientiae. Dico *In foro conscientiae*, quia in foro civili, ubi de interioribus judicatur per exteriora, reputatur validus ex praesumptione, quod contrahens intus senserit, quod exterius expressit. Prob. Per contractum transfertur jus in rem, seu actionem unius contrahentis in alterum, ex quo paritur obligatio, dum alter acceptat: atqui ad id non sufficiunt verba etiamsi serio prolata, sed re-

quiritur, quod contrahentes consentiant in ipsam juris translationem, et acceptationem: ergo. Probatur minor. Verbis etiamsi serio prolatis, non est vis translativa, sive obligatoria; id enim non habent, neque ex sua natura, seu institutione, cum juxta omnes Philosophos sint instituta dumtaxat ad significandum, et non ad obligandum; neque id habent ex constitutione Reipublicae, nullibi enim extat talis constitutio. Unde cum dico, *Promitto*, haec vox non facit obligationem, sed eam significat tantum, in quantum significat animum promittentem, qui est causa obligationis: ergo.

Confirmatur. Contractus ex errore circa substantiam rei est absolute nullus, nec ullam inducit obligationem, quamvis verba, et omnia signa exteriora contractus serio ponantur: atqui id aliunde non provenit quam ex defectu consensus interni: ergo ubi deficit, verba nihil efficiunt.

Dices. Ex nostra sententia sequitur, 1. quod dominia, quae acquiruntur per contractus, sint incerta, incertum est enim, an venditor interius consenserit. Sequitur 2. quod si venditor non consenserit, possit repetere rem suam, dicendo se non consensisse, aut saltem eam occulte recuperare. R. 1. paria inconvenientia sequi ex matrimonio et sponsalibus, si ad haec requiratur, ut requirunt adversarii, consensus in ipsum contractum. R. 2. non obstante veritate sententiae nostrae dominia rerum esse certa, certitudine saltem morali; quia qui serio protulit verba contractus, praesumitur voluisse contrahere, nec ipsi dicenti se noluisse contrahere tenetur alter credere, sicut marito dicenti se noluisse nubere, non tenetur credere uxor, nec Religio dicenti se noluisse vovere. Imo possunt etiam dici certa, certitudine quodammodo absoluta: quia qui ficte contraxit, et alterum decepit, tenetur, ut dictum est, ex lege generali justitiae tollere fictionem, et consequenter ponere verum consensum, ut alterum contrahentem indemnem servet: sicut qui ficte inivit matrimonium, debet ponere consensum, qui defuit. Hinc sequitur quod ficte contrahens non possit rem suam repetere, aut occulte recuperare, sed e contra teneatur vere consentire, nisi forte pars decepta ex fictione nullum damnum pateretur. Sequitur item Regem non posse foedus ficte initum frangere, quia potius teneatur servare.

Articulus III.

Utrum error irritet Contractum?

Nota 1. Error in contractibus potest versari vel circa substantiam rei, ut si emas vitrum putans esse gemmam, si ducas Catharinam putans esse Annam: vel circa rei accidentia, ut si ducas Mariam pauperem, quam putas esse divitem, si emas vinum recens putans esse vetus, equum morbidum putans esse sanum. 2. Error vel est causa contractus, ita ut si abesset, non fieret contractus, et dicitur antecedens; vel non est causa contractus, ita ut si abesset, fieret nihilominus contractus, licet non ita libenter aut non aequali pretio, et dicitur concomitans aut incidens. 3. Error causans seu antecedens, vel est principaliter movens, ita ut versetur circa id, quod primario et pricipaliter intendit contrahens; vel est movens minus principaliter et excitans tantum, ita ut versetur circa id, quod secundario et minus principaliter intendit contrahens. 4. Tamdem vel error provenit ab ipso contrahente decepto, vel ab altero contrahente per dolum decipiente, vel ab aliquo tertio non contrahente. His notatis

Dico 1. Error circa substantiam rei, sive sit antecedens, sive concomitans tantum, et a quocumque proveniat, irritat contractum. Est communis et certa. Ratio est, quia deest consensus in ipsum contractus objectum, cum voluntas non feratur in incognitum: ut si emas vitrum, quod putas esse gemmam, con-

sentis in emptionem gemmae, non vitri ; unde quamvis esses ita dispositus ut etiam contraheres , si error abesset, nihilominus non stat contractus , quia tuus consensus actualis fertur in rem apprehensam et non in aliam, proindeque in gemmam et non in vitrum.

Dico 2. Error circa rei accidentia , etiamsi antecedens et a fortiori concomitans , non proveniens ex dolo alterius contrahentis, neque irritat contractum , neque rescindibilem facit ad nutum decepti. Ratio est , quia cum error versatur tantum circa rei accidentia , habetur consensus voluntarius in objectum principale contractus , scilicet in substantiam rei , quae subjicitur contractui , et consequenter sufficiens ad contractus validitatem : et cum aliunde alter contrahens non sit causa hujus erroris, non videtur cur teneatur consentire in rescissionem contractus. Id tamen indiget explicatione , quam mox dabo. Confirm. Qui explicite consentit in rei substantiam , censetur consentire implicite in ea , quae sunt ipsi annexa. 2. Si ad validitatem contractus requireretur consensus explicitus in omnes rei qualitates, vix ullus contractus esset validus , cum pauci ineantur contractus , in quos non irrepat error alicujus circumstantiae.

Porro pro recta hujus utriusque conclusionis intelligentia , diligenter est observandum , quid hic intelligatur per substantiam rei , quid per accidens. Igitur substantia rei hic spectari non debet physice , sed moraliter et in ordine ad actum voluntarium contrahentis ; ita ut id , circa quod intentio contrahentis primario et principaliter versatur (licet sit accidens physice) substantia rei dicatur , seu juxta communem modum loquendi *redundare in substantiam rei* ; et e contra id , circa quod intentio contrahentis versatur tantum secundario et minus principaliter (licet sit substantia physice) dicatur accidens rei. Cum enim tota contractuum validitas a contrahentium consensu et intentione dependeat , id jure vocatur hujus intentionis objectum substantiale , quod primario et principaliter intendit contrahens , et objectum accidentale quod secundario et minus principaliter intendit.

Verum non ita facile est in praxi discernere , quando accidens primario et principaliter intenditur a contrahente : non enim ad hoc sufficit quod errans sit ita habitualiter dispositus , ut si errorem adverteret , non contraheret ; id enim contingere potest respectu accidentis minus principaliter intenti , et excitantis tantum , ut si ducas Annam principaliter propter ipsam , quam tamen non duceres , si non esset dives. Insuper haec dispositio habitualis facit equidem quod non fuisset consensus , si error abfuisset ; sed non facit , quod de facto non sit ; non autem hic quaerimus quid factum fuisset, sed quid reipsa factum sit. Adde quod alias plerique contractus praesertim matrimoniales forent invalidi, quia pauci sunt conjugati , qui in comparte non deprehendant defectus , quos , si novissent, noluissent illam ducere

Tunc ergo accidens censetur primario et principaliter intentum atque transire in substantiam rei , quando apponitur ut conditio limitans consensum ; ut si dicas interius vel exterius , Duco Annam si sit nobilis , alias non : emo vinum si sit Burgundicum , alias non. Cum enim tunc non praebeas consensum nisi dependenter ab existentia talis accidentis , si non existat , non consentis , et consequenter nullus est contractus.

Item si accidens , circa quod versatur error , sit notabile , ita ut oppositum rem , de qua contrahitur , constituat longe diversam ab ea , quam cogitat et intendit contrahens , quamvis non apponatur formaliter et explicite ut conditio limitans , plerumque tamen censetur principaliter intentum , et transire in substantiam rei , sicque apponi virtualiter , et implicite ut conditio limitans. Hoc autem est intelligendum secundum naturam contractus facile , vel difficile solubilis , et ideo dixi *plerumque*, ita quod in facile solubilibus minor deceptio

sufficiat ut censeatur limitare consensum, et redundare in substantiam rei; major autem requiratur in difficile solubilibus; quia unusquisque judicatur prudenter consentire in contractum secundum naturam, et conditionem illius, nisi constet de contraria ejus intentione.

Porro contractus facile solubiles sunt promissiones, et donationes gratuitae, et vota simplicia. In his promittentem prudenter judicatur noluisse se obligare in omnem eventum, sed rebus in eo statu stantibus, et non notabiliter variatis, ut fert regula *Promissio gratuita desinit obligare, si re adhuc integra notabilis mutatio accidat.* Perinde est autem sive notabilis mutatio accidat, sive notabilis qualitas ignoretur, et postea innotescat. Ad hanc classem revocantur Sponsalia, licet sint promissiones onerosae, quia cum ad perpetuum matrimonii vinculum ex amore mutuo disponant, debent iniri cum magna libertate, et perfecta deliberatione.

Contractus difficile solubiles sunt contractus onerosi, seu reciproci, in quibus si qualitas, circa quam versatur error, prudentum judicio censeatur ingredi intentionem principalem contrahentis decepti, existimamus irritum esse contractum, aut saltem rescindibilem ad nutum decepti, ut emis equum ad gignendam prolem putans juvenem, et potentem, et est annosus, et impotens. Tandem contractus omnium firmissimus, et maxime indissolubilis est contractus matrimonialis praesertim apud Christianos, ita quod ob nullum errorem qualitatis, quamvis causam dederit contractui, sit irritus, nisi certo constet actualem voluntatem contrahentis fuisse non contrahere, nisi posita hac qualitate. Ratio est, quia et hujus Sacramenti institutio, et bonum prolis, ac Reipublicae propagandae, et certitudo status habenda exigunt, ut pro validitate matrimonii semper praesumatur, nisi contrarium certo constet. Hujus naturam proxime sapit votum sollemne Religionis, quod est quasi matrimonium spirituale, et colligitur ex cap. ultimo caus. 20. Q. 3.

Dico 3. Error antecedens circa accidentia, proveniens ab altero contrahente per dolum ejus, aut ab alio tertio, cujus ipse sit conscius, non irritat contractum (modo non redundet in substantiam rei ad sensum conclusionis praecedentis), efficit tamen ipsum rescindibilem ad nutum decepti; secus si sit concomitans. Prob. 1. Pars. 1. Quia dolus ille non tollit consensum circa objectum principale contractus, cum non rei substantiam, sed accidens tantum respiciat. 2. Quia si deceptus velit stare contractui, decipiens tenetur: ergo antea erat validus. 3. Quia in jure dolus et metus aequiparantur, sed metus non irritat ex se contractum, ut modo dicam: ergo nec dolus.

Probatur secunda pars. Decipiens facit injuriam decepto, quam proinde tenetur etiam ante sententiam judicis reparare auferendo fraudem, et deceptum in integrum restituendo: ergo potest etiam deceptus ante omnem judicis sententiam, hanc injuriam sibi illatam a se excutere per contractus rescissionem. Id tamen locum non habet in contractibus, qui semel validi invalidari amplius non possunt, ut est matrimonium jure potissimum divino indissolubile. Praeterea competit decepto actio *In id, quod interest decepti non decipi*; hoc est jus repetendi non solum rem, aut pretium, sed etiam compensationem omnium damnorum, quae ex contractu sunt secuta, ut si dolo vendentis deceptus emeris ovem morbidam, quae tuas infecit, potes repetere damnum inde causatum, et vendens tenetur restituere.

Tertia pars patet. Cum enim error concomitans circa accidentia non auferat consensum substantialem, non irritat contractum, et aliunde cum non sit causa contractus, non est ratio, cur illo errore remoto contractus infirmari debeat. Interim tamen decepto adversus decipientem competit etiam actio, ut solvat quanti interest, dolum non fuisse adhibitum, ut modo dicebam.

Si dicas contra primam partem conclusionis tales contractus in jure dici nullos, et irritos, R. saepius in jure dici irritum, quod est irritandum.

Articulus IV.

Utrum Metus irritet Contractum ?

Quid sit metus? quid metus gravis, quid levis? dixi Dissert. 1. de Actibus humanis art. 4. Vide. Metus oriri potest vel a causa naturali, ut a morbo, incendio, tempestate; vel a causa libera, homine scilicet; et hic vel juste, vel injuste incutitur: item incutitur vel in ordine ad contrahendum, vel ad alium finem.

Suppono 1. omnem contractum initum ex metu gravi a causa naturali incusso, esse validum: idem dic de voto; quia licet sit involuntarius secundum quid, quatenus non fieret si abesset metus, est tamen omnibus consideratis hic et nunc simpliciter voluntarius: contrahens enim voluntarie, atque prudenter eligit contrahere ut minus malum ad evitandum majus.

Suppono 2. omnem contractum initum ex gravi metu a causa libera juste incusso, esse validum: quia non solum talis contractus est simpliciter voluntarius, ut modo dicebam de praecedenti, sed etiam metus, seu periculum, in quo versatur contrahens, est ipsi voluntarium in causa, neque de illo tamquam de injuria conqueri potest. Hinc si quis metu excommunicationis, aut alterius sententiae infamantis ducit, aut dotat puellam, quam sub promissione matrimonii defloravit, valet matrimonium, vel dotis collatio.

Suppono 3. omnem contractum initum ex gravi metu a causa libera injuste incusso, sed non in ordine ad contrahendum, esse validum, saltem si non ineatur cum illo, qui metum incussit; v. g. detentus a sicariis advocas transeuntes in auxilium, et eis promittis summam pecuniae, tenet promissio, non solum quia est simpliciter voluntaria, ut in praecedentibus, sed etiam quia iste metus, licet sit occasio promissionis, non tamen est causa, sed tua libera voluntas, quae prudenter et libere elegit hoc medium ad evadendam mortem praeter intentionem metum incutientis. Adde quod ii, quibus promittis, non faciant tibi injuriam, sed e contra opus utile praestant. Dixi, *saltem si non ineatur cum illo, qui metum incussit*, de quo modo. Restat ergo difficultas de contractu inito ex gravi metu injuste incusso in ordine ad contractum, aut equidem etiam sine ordine ad contractum, si contractus ineatur cum ipso vexante. Et quaestio est de jure naturae.

Dico 1. Contractus, cujus objectum est sola liberatio a vexatione, seu metu injusto, est jure naturae invalidus, sive metus incutiatur in ordine ad contractum, sive non, modo tamen in hoc ultimo casu contractus ineatur cum incutiente metum. Sit casus: mihi minaris mortem, aut incendium, nisi promittam, vel dem tibi, aut alteri centum aureos. En metus in ordine ad contractum. Item: mihi ex odio, et vindicta tentas inferre mortem, vel incendere horreum meum; ut ab hac injusta vexatione cesses, promitto, vel do tibi centum aureos. En metus, qui non fuit incussus in ordine ad contractum, contractus tamen proponitur, et acceptatur ad avertendum illum metum, et injustam vexationem. Dicit itaque conclusio talem contractum in utroque casu esse jure naturae invalidum.

Ratio conclusionis est, quia in hujusmodi contractibus deest materia, de qua possit valide contrahi. Probatur. Vexans contrahens ex sua parte nihil aliud confert, quam liberationem seu cessationem ab injusta vexatione: atqui haec cessatio non est vendibilis, nec vexans potest valide de ea contrahere: ergo. Pro-

batur minor: haec cessatio est ex justitia debita vexato, habet enim jus strictum ne quis eum metu injusto vexet, et vexans tenetur ex justitia cessare a vexatione, imo tenebatur non facere vexationem: ergo haec cessatio seu liberatio a vexatione non est magis vendibilis quam justa sententia sit vendibilis a judice, aut quam meus equus furto sublatus sit mihi a fure vendibilis. Et hoc etiam verum est, quamvis metus sit levis; liberatio enim a vexatione sive gravi, sive levi, est invendibilis. Unde injuste vexans tenetur statim et non expectata judicis sententia restituere quod accepit, cum id nullo titulo retinere possit. Neque enim confugere potest ad titulum spontaneae promissionis aut donationis, cum evidens sit non esse hic spontaneam promissionem neque donationem, quae debet esse liberalis et gratuita, sed esse contractum onerosum innominatum, *do ut facias*.

Dico 2. Contractus, cujus objectum est aliud quam cessatio ab injusta vexatione, initus ex gravi metu injuste incusso, in ordine ad contractum, etiam cum ipso vexante est jure naturae validus. Prob. Talis contractus est simpliciter voluntarius, et aliunde non deest materia, de qua possit contrahi: ergo. Antecedens pro prima parte patet ex dictis; patet etiam pro secunda; dum enim me metu cogis, v. g. commutare meum hortum cum tuo, aut cum horto vicini, non obstante metu, hortus tuus, non secus ac meus est pretio aestimabilis et vendibilis, utpote non ideo mihi debitus ex justitia. Similiter dum Annam metu adigis, ut tibi, vel alteri nubat, corpora contrahentium, non obstante metu, remanent materia apta contractui matrimoniali.

Dico 3. Probabile est contractus, quos praecedente conclusione dixi jure naturae valere etiam jure positivo esse validos, paucis exceptis. Prob. conc. ex variis legibus, inter quas L. 21. ff. *De eo quod metus causa* dicitur: *Si metu coactus adii haereditatem, puto me haeredem effici: quia quamvis si liberum fuisset, noluissem, tamen coactus volui; sed per praetorem restituendus sum, ut abstinendi mihi potestas tribuatur.* Item institut. *de exceptionibus* §. 1. dicitur: *si metu coactus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras, palam est jure civili te obligatum esse.* Et L. ultima C. *De his, quae vi* praecipitur, ut infirmentur contractus per coactionem initi: ergo erant validi. Non me latet plures etiam leges in contrarium opponi, et ideo hanc conclusionem ut probabilem dumtaxat propono.

Dices itaque, ea, quae fiunt ex metu, in jure dici *irrita, carere robore, nullius momenti*, et similia. Cap. *Ad audientiam, De his quae vi*: L. *Qui carcerem* 22. *ff. De eo quod metus causa*, et alibi. R. ut supra de errore, haec dici irrita, carere robore, nullius momenti, quia sunt irritabilia ad nutum metum passi, ut dicam infra, non raro enim in jure dicitur irritum, quod est irritandum.

Dixi, *paucis exceptis*: quia juxta unanimem Theologorum et Jurisconsultorum sententiam quidam absolute per leges irritantur. Hi sunt 1. Matrimonium Can. *veniens* 15. *de sponsalibus*, Extra. lib. 4. tit. 1. cui plures jungunt sponsalia, quia sunt via ad matrimonium. 2. Promissio et solutio dotis L. 21. ff. *De eo, quod metus causa.* 3. Votum solemne, insinuatur C. *Perlatum*, Extra. Libro 1. tit. 4. Et juxta plures quodlibet votum simplex; insinuatur etiam C. *Cum dilectus* ibidem. 4. Traditio aut promissio rerum ecclesiasticarum C. *Pervenit, de Jurejurando.* 5. His addunt multi auctoritatem tutorum per metum extortam, electionem, et jurisdictionem coactam.

Dico 4. Contractus, quos duobus praecedentibus conclusionibus dixi esse validos, tam jure naturali, quam civili sunt rescindibiles ad nutum metum passi, sive metus sit gravis, sive levis, modo det causam contractui, et sit injuste incussus in ordine ad contractum. De metu gravi est communis, et constat

ex juribus citatis pro et contra praecedentem conclusionem. Probatur ratione, quae militat etiam pro metu levi. Qui metum, sive gravem, sive levem injuste incutit ad contrahendum, injuriam facit alteri contrahenti, quam ideo ante omnem Judicis sententiam reparare tenetur reddendo vexatum suae libertati, et omnia in pristinum statum restituendo; ergo id pariter potest vexatus per contractus rescissionem.

Petes, utrum vera sit conclusio, etiamsi contractus ineatur cum aliquo tertio metus injusti nescio? v. g. cogis Titium, ut vendat equum suum Cajo hujus metus inscio? potestne Titius contractum cum Cajo ad nutum suum rescindere? R. Affirmative. Ita expresse in jure L. *Item* 14. §. *In hac actione ff. quod metus causa*, his verbis: *In hac actione non quaeritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecit? Sufficit enim hoc docere, metum sibi illatum, vel vim.* Ratio etiam suadet; quia ratione injuriae contractus est ita infirmus, ut domino maneat jus non tantum in personam, quae intulit injuriam, sed etiam ad rem, ita ut ad quosvis transeat, maneat hoc vitio affecta.

Articulus V.

Quinam possint valide contrahere?

Generaliter loquendo ii omnes soli, qui habent rerum suarum administrationem, possunt valide contrahere; quia in contractibus agendis consistit praesertim administratio. Unde qui sunt incapaces administrationis ut amentes et furiosi, vel ii quibus ex toto aufertur a jure bonorum administratio, ut sunt prodigi, quibus constituuntur curatores, inhabiles sunt ad contrahendum, item et Religiosi sine licentia sui praelati. Difficultas est potissimum circa filiosfamilias, pupillos, minorennes, et uxores. Pro quo

Nota. Infans dicitur, qui nondum complevit septimum aetatis annum, sive sit mas, sive foemina. Impubes dicitur, qui nondum complevit decimum quartum aetatis annum si sit mas, et duodecimum si sit foemina. Uterque vocatur pupillus. Impubes dicitur pubertati proximus, qui magis appropinquat ad terminum, in quo incipit pubertas, quam ad terminum, in quo desinit infantia. Mas ab anno decimo quarto completo, et foemina a duodecimo completo usque ad annum vigesimum quintum completum, dicuntur puberes et minorennes: post vigesimum quintum completum dicuntur majores, sive sit mas, sive foemina. Infanti, vel impuberi, qui dicitur Pupillus, deficiente Patre aut Avo paterno, etiamsi sit invitus, datur Tutor, primario ad regendam Personam Pupilli, secundario ad administranda ejus bona. Minorenni datur Curator, primario ad administranda ejus bona, secundario ad regendam ejus Personam; invito tamen non est dandus, sed si Minorennis curatorem suscipit, vel si Pater testamento Puberi dedit curatorem, tenetur esse sub illo. Filiusfamilias dicitur quamdiu sub patris aut avi paterni potestate existit, etiamsi compleverit vigesimum quintum annum.

Duplex est obligatio: una naturalis, vi legis naturalis et quoad forum poli: altera civilis, vi legis positivae et quoad forum fori. His notatis

Suppono infantem, sive sit filiusfamilias, sive pupillus, nullatenus posse per se contrahere sive in suum incommodum, sive in suum commodum: quia infans praesumitur in jure non habere sufficiens judicium ad contrahendum. Pupilli autem pubertati proximi possunt contrahere in suum commodum.

Circa Filiosfamilias.

Dico. Filiusfamilias pubes, aut pubertati proximus, etiam absque consensu patris obligatur tam civiliter, quam naturaliter ex omni contractu, qui non cedit in praejudicium patris, ut si sit de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, et de locatione operarum propriarum. §. *Item inutilis* Inst. *de inutil. stipulat.* et L. 38. ff. de act. et obligat. Ratio est, quia patria potestas est ad correctionem personae, non ad bonorum ejus curationem. Item de delicto, vel damno dato filiusfamilias per se obligationem contrahit, non pater, si culpa ejus non intervenit: ita saltem de jure communi §. ult instit. *de noxalibus actionibus.*

Hic tamen facienda est exceptio quoad mutuum datum filiisfamilias propter Senatusconsultum *Macedonianum*, L. 1. ff. de Senatusconsulto Macedon. lib. 14. tit. 7. juxta quem mutuanti filiisfamilias sine consensu patris (similiter puberibus sine consensu tutoris, vel curatoris) non competit actio civilis ad repetendum mutuum: tenentur tamen filiifamilias, et minorennes reddere mutuum obligatione naturali, sed secundum quid, et inefficaci; quia uti possunt beneficio legis, ut magis explicabo modo de minorennibus.

Caeterum sunt casus, in quibus praefati tenentur obligatione tam civili quam naturali efficaci reddere mutuum, ut si ex mutuo facti sint ditiores; puta quia ex mutuo solverunt debita, emerunt fundum, aut aliter in eorum utilitatem expensum est, aut saltem ea fuit intentio mutuantis fundata; si habeant peculium castrense, si sciente patre mutuum datum est, si Pater solvere coeperit, quia solvendo ratum habuit; si Filius communiter reputabatur Pater familias, vel factus talis partem debiti solverit.

Circa Minorennes.

Dico 1. Minorennis contrahens etiam cum auctoritate tutoris, vel curatoris, non obligatur neque civiliter neque naturaliter circa alienationem suorum bonorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quae servando servari possunt, hoc est sana custodiri per triennium, nisi Judicis decretum accedat, L. *Si praedia ff. de rebus earum*, Lib. 27. tit. 9. ubi minorennes quoad hoc aequiparantur furiosis.

Dico 2. Pubes, aut pubertati proximus contrahens cum auctoritate tutoris, vel curatoris de aliis quam de immobilibus, aut mobilibus pretiosis, quae servando servari possunt, obligatur tam naturaliter, quam civiliter L. *Impuberes ff. de consens. et auct. tut.* Idem dic de minorenne non habente curatorem, dum solus contrahit de praefatis. L. *Si curatorem* C. lib. 2. tit. 22. et alibi. Excipe quando pupillus contrahit cum suo tutore secundum jura.

Dico 3. Pubes, aut pubertati proximus habens curatorem potest sine consensu tutoris, aut curatoris contrahere in suum commodum, non in suum incommodum, hoc sensu scilicet quod non obligetur civiliter, obliget tamen suum contrahentem aetate majorem §. *Admonendae* Instit. *quibus alienare licet*, §. *Pupillus*, Instit. *de inutil. stip.* L. *obligati*, *ff. de consens. et auct. tut.* et alibi

Dico 4. Pubes, aut pubertati proximus habens curatorem, contrahens de aliis, quam de alienatione suorum immobilium, aut mobilium pretiosorum, quae servando servari possunt, sine consensu tutoris, vel curatoris, incurrit obligationem naturalem, et coram Deo, non tamen firmam, nec quoad omnes suos effectus. Est satis communis. Prob. prima pars 1. Obligatio naturalis oritur ex consensu sufficiente, ut patet ex supra dictis: atqui pupillus pubertati proximus, et a fortiori minorennis habent consensum sufficientem, ut patet ex §. *Pupillus* 9. et

§. *Sed quod* 10. Instit. *de inutil. stipul.* lib. 3. tit. 20. Ergo. Prob. 2. L. *Si pupillus ff. ad legem falcidiam* l. 25. tit. 2. et L. 1. ff. *de novat. et delegat.* lib. 46. tit. 2. expresse habetur pupillum contrahentem, absque consensu tutoris, naturaliter obligari.

Pro intelligentia secundae partis et jurium concordantia, notandum obligationis naturalis plures esse effectus. Primus est, quod tribuat creditori jus accipiendi, et retinendi, si quod ipsi naturaliter debetur, nulla apposita exceptione solvatur. Secundus, quod impediat soluti debiti repetitionem. Tertius, quod licet in foro externo non tribuat actionem, tribuit tamen jus exceptionis, et compensationis.

Primus est praecipuus, et inseparabilis, ubi enim deest, nulla est obligatio naturalis, ut patet in contractu cum infante, aut furioso, in quo contrahenti nullum jus acquiritur accipiendi, aut retinendi, quod sibi datur ab infante, et furioso. Sed nihil implicat, quin subsistente obligatione naturali quoad hunc primum effectum, alii effectus vi legum impediantur.

Itaque quando leges negant pupillum contrahentem sine tutore naturaliter obligari, supposito quod non loquantur de pupillo infante, vel de alienatione immobilium, quod non raro contingit, intelligendae sunt de obligatione naturali, quoad aliquos ejus effectus tantum, non quoad omnes; ita ut secundum variorum effectuum considerationem, modo affirment, modo negent naturalem obligationem. Igitur pupillus sic contrahens obligatur naturaliter, quatenus si id, de quo contraxit, solvat sine exceptione; is quocum contraxit possit tuta conscientia accipere, et retinere, quod non posset, si nulla esset obligatio, ut patet in contractu infantis, aut amentis, ut jam notavi. Non obligatur autem naturaliter, quatenus potest opponere exceptionem ex beneficio legis civilis non compellentis ipsum ad solutionem, et tribuentis jus repetendi solutum, quo casu creditor tenetur restituere. Unde pupillus obligatur, et non obligatur sub diversa ratione; obligatur inefficaciter, non obligatur efficaciter. Et sic manet probata secunda pars conclusionis, atque inde solvuntur argumenta, quae opponi possunt ex variis legibus contra primam partem.

In certis tamen casibus specialibus Pupillum, aut minorennem obligari nedum naturaliter, sed etiam civiliter nemo negat. 1. In quo factus est ditior 2. Si res tradita ejus dolo periit. 3. Si minorennis contractum etiam de alienatione mobilium juramento firmaverit 4. Si sit religionem professurus.

Circa Uxores.

1. Uxor potest contrahere de bonis paraphernalibus, quia horum proprietatem, et administrationem habet de jure communi: non potest de bonis communibus, et dotalibus, quia illorum administratio est penes maritum. Excipe certos casus, de quibus dissert. 2. artic. 2. Vide. 2. Uxor ex Senatusconsulto Velleiano prohibetur fidejubere. 3. Uxor, quam maritus patitur vacare commercio, potest quoad ea, quae illud commercium spectant independenter a marito contrahere. 4. Uxor separata a viro quoad bonorum communionem habet jus administrandi ea, quae ipsi cedunt, non tamen alienandi vivente marito. L. 9. c. de jure dot.

Petes quid sit restitutio in integrum? R. Est *prioris juris reintegratio, et in pristinum statum repositio Judicis auctoritate facta.* Hoc beneficium conceditur Minorennibus, qui nondum 25. Annos compleverunt, dum notabiliter laesi sunt, sive per contractum validum de consensu Tutoris, aut quasi contractum, sive per sententiam, sive per praescriptionem. Hoc privilegio etiam gaudent, qui ut minorennes aliena voluntate reguntur, ut sunt Ecclesiae, loca pia, respublica,

communitas, universitas studiorum, et etiam Principes quoad alienationem bonorum principatus; Pro minorennibus durat quatuor annis post completum annum 25. Pro Ecclesiis, et aliis assignatis quatuor annis ab inito contractu.

Articulus VI.

Utrum Contractus invalidus accessione juramenti valeat et firmetur?

Nota. Aliud est juramentum esse validum, aliud contractum ex juramento valere, et firmari. Juramentum dicitur validum, quando servari debet ex virtute religionis propter reverentiam divini Numinis, quamvis ex eo nullum jus acquiratur ei, in cujus favorem juratur. Dicitur firmare contractum, quando illum in sua specie validum facit, ita ut ei, in cujus favorem juratur, acquiratur jus, et obligationi religionis superaddatur obligatio justitiae. Duo itaque hic discutienda sunt. Primum, utrum, et quando juramentum contractui invalido appositum, sit validum, et servari debeat? secundum, utrum, et quando contractum aliunde invalidum firmet? Prima difficultas proprie spectat tractatum de religione, ubi de juramento; nihilominus breviter

Dico 1. Juramentum contractui invalido appositum, est validum, et servari debet, si absque peccato jurantis servari possit: et id ob reverentiam divini Numinis, ne scilicet testis falsi adducatur. Est vero invalidum, nec servari debet, si sine peccato jurantis servari non possit; quia juramentum, ut dicitur in jure, non est vinculum iniquitatis, nec obligat contra bonos mores; imo foret implicantia, quod quis obligaretur ad id, a quo abstinere tenetur.

Hinc inferes 1. Juramentum appositum contractibus, quos jus positivum irritat, principaliter in favorem jurantis, esse validum, et servandum, quia quilibet potest renuntiare privato suo commodo, seu favori per legem concesso, et consequenter sine peccato juramentum suum servare. Et ideo juramentum de solvendis usuris, aut pecuniis ludo perditis, est validum. Item juramentum appositum alienationi bonorum immobilium factae per minorennem sine consensu curatoris est validum. Quia hi contractus, et similes videntur irritari a jure positivo principaliter, et primario in favorem jurantis, quamvis etiam motivum boni communis secundario, et minus principaliter interveniat. Excipe, nisi lex non solum contractum, sed etiam juramentum irritet; sic irritat renuntiationem etiam juratam novitii ante professionem nisi sub certis conditionibus; Trid. sess. 25. cap. 16. *De Regular.* Item matrimonium metu contractum etiam juratum C. *Significavit* Extra. *De eo qui duxit* lib. 4. tit. 7.

Inferes 2. e contra juramentum appositum contractui jure naturae invalido, et illicito esse nullum, nec indigere relaxatione, ut si promissioni furandi, fornicandi, etc. adjicias juramentum. Item nullum est juramentum, quod apponitur contractui jure positivo irrito primario, et principaliter propter bonum commune, quia quod est contra bonum commune, est contra bonos mores, et consequenter peccatum. Unde non valet juramentum metu extortum, appositum contractui matrimoniali, aut sponsalitio, quia hujusmodi contractus prohibentur, et irritantur a jure primario, et principaliter ob bonum commune, quatenus ex illis oriuntur odia, pugnae, lites, scandala, quibus perturbatur Respublica.

Secunda difficultas, utrum contractus irritus juramento valeat et firmetur, resolvenda est sub eadem ferme distinctione: unde

Dico 2. Contractus jure naturae irriti, et illiciti pro certo non firmantur juramento; quia, ut jam dictum est, juramentum non est vinculum iniquitatis. Item non firmantur juramento contractus, qui sunt rescindibiles propter in-

juriam, ac turpitudinem exigentis, aut acceptantis juramentum ; quia jura in odium, et poenam hujusmodi injuriae, ac turpitudinis talium contractuum firmitati resistunt, quales sunt contractus vi vel dolo initi, Authent. *Sacramenta* C. *Si adversus vendit.* lib. 2. tit. 28. promissio solvendi usuras, juxta Layman, Pontas, et alios, idem dic de similibus. Potest tamen in his juramentum obligare, si sine peccato jurantis possit servari, ut dictum est. Item juramento non firmantur contractus, quos jus positivum prohibet, ac irritat principaliter propter bonum commune ; quia, ut jam dixi, eos observare esset agere contra bonum commune, et consequenter peccare.

Dico 3. Contractus, qui inducunt naturalem obligationem, sed irritantur a jure positivo principaliter in favorem contrahentis, ejus juramento firmantur. Quia cum executio hujusmodi contractus non sit illicita ; non enim, ut suppono, ut talis prohibetur a jure, sed dumtaxat in contrahentis privatum commodum, cui cedere potest, ut dictum est, juramentum de illa praestanda jurantem obligat, et per hoc sibi aufert omnia juris remedia, quibus prior obligatio naturalis poterat elidi, sicque firma manet, et irrevocabilis utroque foro.

Hinc inferes contractus minorennium de alienatione mobilium non pretiosorum, et similes, de quibus articulo praecedenti, juramento absolute firmari. Excipe eos, qui sunt rescindibiles propter injuriam, aut turpitudinem exigentis, aut acceptantis juramentum, de quibus conclusione praecedente ; quia, ut dictum est, jura eorum firmitati resistunt in odium, et poenam criminis.

Dico 4. Contractus qui sic irritantur a jure positivo principaliter ad bonum contrahentium, ut nec etiam naturalem obligationem inducant, quales sunt contractus minorennium de alienatione immobilium et mobilium pretiosorum, contractus prodigorum, etc. etiam juramento firmari tenet communior sententia, et videtur esse praxis omnium tribunalium tam civilium quam ecclesiasticorum, in quibus communiter dicitur juramentum supplere defectum aetatis, et quae sic interpretantur jura, quibus statuitur hujusmodi contractus esse servandos, ut l. 1. et 2. C. *Si contra vendit.* lib. 3. tit. 28. et alibi.

Articulus VII.

De Contractibus qualificatis.

Contractus qualificatus, seu non purus dicitur, cui aliqua circumstantia, aliquod accidens adjicitur, et est quintuplex. Primus est *conditionalis*, quando nempe adjicitur conditio suspensiva consensus, ut promitto tibi centum nummos, si palmam reportaveris ; emo vinum, si sit vetus. Secundus est *modalis* : modus autem exprimitur per particulam *ut*, *pro*, *ea lege*, *ad*, *ne* ; v. g. do tibi centum nummos, ut mihi monumentum aedifices, pro emendis libris, ne famulum expellas. Tertius est *causalis*, quando nempe adjicitur ratio propter quam fit contractus, ut lego tibi hoc praedium quia es meus cognatus. Quartus est *demonstrativus*, cum apponitur signum rem, vel personam demonstrans ; ut do, vel promitto pecunias in tali cista repositas, vel quas mihi debet Titius. Quintus est *ad diem*, dum fit aliqua restrictio quoad tempus futurum, ut promitto dare, vel solvere in festo S. Remigii. De his itaque dicendum, quando, et quomodo obligent.

§. I. *De Contractu conditionali.*

Dico 1. Contractus initus sub conditione de futuro necessario cognito ut tali, non suspenditur : suspenditur autem, si sit de futuro contingenti honesto,

saltem regulariter. Ratio primae partis est, quia conditio necessario futura censetur moraliter praesens propter certitudinem eventus, nec homo serio agens censetur velle consensum suum pendere a conditione, quam scit necessario, et infallibiliter esse ponendam, unde talis contractus redit in absolutum; idque statuitur L. 9. ff. *De Donat.* 161. *Qui sub conditione stipulatur, quae omnino extitura est, pure videtur stipulari.*

Hinc si dicas, duco te in uxorem, do tibi hunc equum, promitto tibi centum aureos, si sol cras oriatur, si pater meus aliquando moriatur, si sit futurum judicium, etc. valent hi contractus perinde ac si existeret conditio: nisi forte contrahentes exprimerent se non velle contractum haberi completum, et absolutum, donec conditio re ipsa ponatur. Observandum enim hic semel pro semper in hac materia validitatis, vel nullitatis contractuum, totum negotium pendere a contrahentium voluntate per legem non impedita, cui proinde, dum innotescit, standum est.

Dixi, *Cognito ut tali*: quia si contrahens bona fide crederet, conditionem esse contingentem, suspensus esset contractus usque ad illius positionem, cum sic intendat contrahens.

Ratio secundae partis est: quia cum conditio contingens possit existere vel non existere, et contrahens velit consensum suum ab ejus existentia pendere; palam est consensum et consequenter contractum suspendi quousque ponatur; ita ut si ponatur, sit validus et transeat in absolutum; si non ponatur, sit nullus. Ex hujusmodi itaque contractu oritur duplex obligatio; una absoluta expectandi eventum conditionis, altera suspensa et conditionata praestandi quod promissum est, si purificetur conditio.

Dico 2. Contractus sub conditione futura contigenti initus, purificata conditione fit purus, et absolutus absque novo consensu, si prior non fuerit retractatus. Est communior et probabilior. Prob. ratione. Tunc perficitur contractus, quando eum perfici volunt contrahentes: atqui contrahentes volunt perfici statim ac impletur conditio, ut patet ex eorum verbis; non enim dicunt, promittam, dabo, vendam, si; sed promitto, do, vendo, si: ergo posita conditione, quam requirunt, volunt rem esse promissam, datam, venditam. Quidam excipiunt contractum matrimonialem, sed, ut nobis videtur, sine sufficienti ratione. De quo dum de matrimonio.

Dico 3. Contractus sub conditione impossibili, sive de praesenti, sive de praeterito, sive de futuro, jure naturae est nullus; sub conditione vero turpi de futuro nullam jure naturae inducit obligationem, antequam conditio impleatur. Prob. 1. pars. Contrahens sub conditione impossibili, ut do, vendo, promitto hunc equum, si manu lunam tetigeris, si sit mons sine valle, si Adam non sit mortuus; vel scit conditionem esse impossibilem, vel non scit. Si scit, non censentur serio contrahere sed nugari, cum enim velit suum consensum pendere ab eo, quod scit esse impossibile, convincitur nullum praebere consensum. Si nesciat, erit quidem consensus, et obligatio non ex parte rei, sed ex conscientia erronea, donec sciat conditionem esse impossibilem, et tunc cessabit omnis obligatio: ergo.

Prob. secunda pars. Omnis promissio, donatio, alterve contractus sub conditione futura turpi, v. g. si corporis copiam facias, si occidas inimicum, si sententiam injustam feras, antequam conditio impleatur, non obligat promittentem sive ad dandum promissum, quia non est impleta conditio, sive ad expectandum eventum conditionis, quia debet non poni; neque promissarium, cui imponitur conditio, quia implicat aliquem obligari ad peccatum quod vitare tenetur: ergo.

Dixi pro utraque parte, *Jure naturae*; quia jure positivo in matrimoniis,

et testamentis conditiones impossibiles, aut turpes, quae non repugnant substantiae matrimonii, habentur pro non adjectis, nec irritant contractum. Ita pro matrimonio statuit Gregorius IX. cap. *finali*, *de condit. appositis* lib. 4. tit. 5. his verbis: *Conditiones impossibiles et turpes contractui matrimonii adjunctas, debere propter ejus favorem pro non adjectis haberi, ac proinde non irritare contractum, exceptis iis, quae sunt contra substantiam conjugii*. Pro testamentis vero habetur L. 1. 4. 6. 8. 9. ff. *De conditionibus*, Institutionum lib. 28. tit. 7. et §. *Impossibilis* 10. Instit. *De haered. instituendis* lib. 2. tit. 14. Idem dicendum de legatis et fideicommissis. Ibid.

Verum intellige Canonem de matrimonio secundum praesumptionem fori externi: quatenus forum externum praesumit in favorem matrimonii, contrahentes non adjecisse conditionem, ut suspensivam, sed ut modalem, modus autem non irritat contractum, ut dicam modo: vel si adjicerent ut suspensivam, non adjecisse serio, nec voluisse suum consensum a re impossibili, aut turpi, quae numquam esset ponenda, pendere. Caeterum si serio voluerint conditionem esse suspensivam, tunc praesumptionem cedere veritati, et irritum esse tale matrimonium in foro interno propter defectum consensus, quem jus supplere non potest, sicut supplet circa bona fortunae.

Sed petes, quid sit conditio turpis? R. Conditio turpis ea censetur 1. quae continet peccatum. 2. Quae nihil boni continet, et aliquod aliud bonum impedit. 3. Quae licet speciem boni praeferat, tamen in jure rejicitur ut turpis; et haec duo ultima in praxi discernere est aliquando difficile. Olim apud Ethnicos haec conditio, *Si non nubas*, habebatur pro turpi et non adjecta, L. *Titiae* 100. ff. *De condit. et demonst.* lib. 35. tit. 1. Quia apud Ethnicos matrimonium erat utile multiplicandae Reipublicae, et ejus omissio nullum bonum continebat. Nunc vero jure recentiori, authent *Cui relictum C. De indicta viduitate* lib. 6. tit. 4. haec conditio habetur pro turpi, et non adjecta tantum pro primis nuptiis, pro secundis autem habet vim, ita ut si secundo nubas, priveris legato sub conditione non nubendi tibi facto. Porro si conditio excludens matrimonium rejiciatur a jure ut turpis a fortiori rejicienda est ut turpis conditio excludens directe statum perfectiorem, nempe: *Si non fias Religiosus aut Sacerdos*.

Si vero dicas, *Si nubas*: haec conditio non videtur rejicienda ut turpis, quia per se, et directe allicit ad statum honestum, licet per accidens excludat perfectiorem: allicere autem per se ad statum honestum non habetur turpe in jure. Nihilominus siquis dicat: *Lego tibi centum si nubas*, nihil addendo de religione, consequeris legatum, etiamsi fias religiosus. Imo si dicat testator: Lego tibi ducenta si nubas, et centum si fias religiosus, communiter tenent Interpretes, te habere jus ad ducenta quamvis fias religiosus. Novella 123. *de S. Episcopis* cap. 37. collat. 9. tit. 6.

§. II. *De caeteris Contractibus qualificatis.*

Dico 1. Contractus proprie modalis non suspenditur quousque impleatur modus, sed statim obligat, neque revocatur, si non servetur modus. Ratio est, quia modus est gravamen adjectum contractui absoluto, et substantialiter completo, ad quem se habet ut accessorium ad principale: si enim modus ingrederetur contractum ut motivum primarium, et principale, jam non foret contractus proprie modalis, sed contractus purus, aut saltem desineret in conditionalem, quatenus contrahens censetur limitare consensum suum ad id, quod primario et principaliter intendit: atqui prius non dependet a posteriori, nec principale ab accessorio: ergo contractus proprie modalis non suspenditur quous-

que impleatur modus, nec corruit, si non impleatur modus. Obligatur tamen stricto jure, sive promissarius, sive donatarius aut legatarius, sive quicumque contrahens, qui ab altero contrahente aliquid sub modo accepit, servare modum; et si non servet, tenetur restituere quanti interest modum non servari, atque ad eum servandum potest cogi a judice, et re accepta privari si non servet. Hinc si des eleemosynam pauperi in sublevamen ejus miseriae, et adjicias ut recitet Rosarium pro te, pauper statim acquirit dominium eleemosynae, et quamvis non recitet Rosarium, non tenetur eleemosynam restituere, secus si primario et principaliter intenderes recitationem Rosarii. Quandonam autem modus est contrahenti motivum primarium aut secundarium? si non exprimatur, venandum est ex circumstantiis secundum judicium viri prudentis, idque saepe in praxi est ambiguum. Caeterum in favorem causarum piarum, sancitum est in jure, ut donatio facta Ecclesiae sub modo, sit proprie modalis, et revocari non possit a donatore, si non servetur modus, nisi id in donatione fuerit expressum. Hinc si leges Ecclesiae praedium, ut celebretur quotannis anniversarium, non exprimens, quod non celebrato anniversario legatum debeat revocari, eo etiam omisso, stat legatum, nec Ecclesia tenetur illud restituere; sed solum illi manet stricta obligatio satisfaciendi oneri, atque ad id potest compelli per Judicem.

Dico 2. Contractus causalis nullus est, si causa primaria, et principalis, ob quam initur, non subsistit; validus est, si causa secundaria et minus principalis non subsistit subsistente primaria. Quia in primo casu excluditur consensus, in secundo non excluditur. Unde qui dat eleemosynam pauperi, v. g. quia pauper est, non subsistit donatio, si non sit pauper; quia paupertas censetur causa primaria et principalis, cur dat eleemosynam: qui vero dat eleemosynam pauperi, quia pius est, valet donatio, etiamsi non sit pius, quia pietas censetur tantum causa secundaria, et minus principalis, ob quam dat eleemosynam. Intellige semper, nisi aliter intendat donator. Confer pro hac et praecedente conclusione quae dixi suprà art. 3. de contractu ex errore, praesertim conclusione secunda.

Dico 3. Si error in demonstratione versatur circa rei substantiam, irritat contractum; si versatur tantum circa accidentia, non irritat. Patet ex dictis de contractu ex errore. Hinc si dicas: lego Titio centum aureos, quos mihi debet Cajus, aut qui sunt in tali cista, et Cajus nihil debeat, aut nulli sint nummi in cista demonstrata, nihil debetur Titio; si Cajus debeat quinquaginta, aut sint quinquaginta in cista, debentur Titio quinquaginta; primus enim error est circa substantiam, secundus circa accidentia nempe circa quantitatem. Si vero in cista demonstrata sint ducenti nummi distinguendum est. Si dispositio incipiat a numero, non debentur Titio nisi centum, quia legans censetur taxasse summam. Si vero incipiat a reipsa, ut lego Titio pecunias, quae sunt in tali cista, quae constant centum nummis, debetur Titio totum quod est in cista, quia legans censetur non taxasse, sed demonstrasse summam. Ità communiter.

Dico 4. Contractus ad diem certo futurum, puta ad Pascha, ad diem mortis, parit obligationem statim, sed non pro statim. Si vero promissio sit ad diem non certo futurum, ut dabo tibi tot, quando consequar beneficium, quando naves appellent ex India, non statim parit obligationem absolutam, sed conditionalem tantum, et suspensam usque ad eventum: quia talis contractus resolvitur in conditionalem de futuro contingenti; perinde est enim ac si diceres, dabo tibi tot, si consequar beneficium, si naves appulerint ex India. L. *Stipulatio ista*, §. *Inter certam* ff. *De verb. obligat.* et alibi.

Articulus VIII.

Utrum Contractus sub conditione futuri operis turpis, purificata conditione, valeant et obligent?

Diximus supra hujusmodi contractus ante conditionis positionem nullam obligationem absolutam parere. Quaestio nunc est, utrum, purificata conditione turpi, stet contractus, proindeque promittens teneatur dare rem pactam, seu promissam, et promissarius eam accipere, et acceptam retinere possit; circa quam variae sunt sententiae.

Dico 1. Contractus sub conditione operis turpis sive repugnantis justitiae, sive alteri virtuti, sive puniendi per leges sive non, purificata conditione jure naturae obligat, sic ut promittens teneatur dare rem promissam, et promissarius possit eam accipere, et acceptam retinere, nec teneatur restituere. Est probabilior, et communior, fatente Henrico a S. Ignatio adversario. Prob. 1. ex jure L. 4. ff. *de conditione ob turpem causam* lib. 12. tit. 3. dicitur: *Quod meretrici datur, repeti non potest . . . . licet enim turpiter faciat, quod sit meretrix, non tamen turpiter accipit cum sit meretrix.* Idem statuitur L. 6. ibid. de injusto judicio. Idem C. tit. eod. L. *Mercalem.* 5.

Prob. 2. ex D. Th. S. Doctor supra Q. 32. a. 7. o. dicit: *Tertio modo est, aliquid illicite acquisitum, non quidem quia ipsa acquisitio sit illicita, sed quia id, ex quo acquiritur, est illicitum, sicut patet de eo, quod mulier acquirit per meretricium. Et hoc proprie vocatur turpe lucrum, quod enim mulier meretricium exerceat, turpiter agit et contra legem Dei; sed in eo quod accipit, non injuste agit, nec contra legem, unde quod sic illicite acquisitum est, retineri potest, et de eo eleemosyna fieri.* Item Q. 62. a. 5. ad 2. q. 87. a 2. ad 2. In 4. d. 15. q. 2. a. 4. Q. 2. et quaestiunc. 3. Idem docet de Histrionatu, Lenocinio, et aliis similibus.

Prob. 3. ratione. Si contractus sub conditione turpi purificata conditione esset jure naturae nullus, nec obligaret, ideo esset, quia lucrum ex actu turpi, est jure naturae prohibitum et injustum, atqui falsum consequens, ergo et antecedens. Major est certa. Prob. minor: si lucrum ex actu turpi esset jure naturae prohibitum, et injustum, ideo esset, quia actus turpis non est vendibilis utpote non pretio, sed aeterno supplicio dignus: atqui haec ratio nulla est: ergo. Major est fundamentum adversariorum, et patet, quia lucrum ex opere turpi non fit invito domino, sicut in rapina, furto, et usura, unde non potest esse jure naturae prohibitum, nisi quia res seu opus turpe non est vendibile ut in simonia. Prob. minor: licet opus turpe ratione culpae et formaliter ut peccatum est, non sit pretio vendibile, attamen materialiter sumptum prout est actio humana, utilis uni, alteri vero laboriosa et periculosa, potest pretio aestimari, et vendi, non secus ac caeterae actiones humanae, quae ad usus humanos accommodantur, et humanae vitae sunt conducibiles; sic v. g. homicidium, quatenus est formaliter injusta hominis occisio, nullatenus est pretio sed supplicio dignum; at quatenus est utile promittenti, puta quia ipsum liberat ab inimico persequente, et est laboriosum et periculosum promissario, potest pretio aestimari, et sic de caeteris: ergo.

Confirmatur ab exemplis. Qui promittit puellae matrimonium sub conditione copulae, hac conditione turpi impleta, tenetur secundum omnia jura illam ducere: ego similiter qui illi promittit pecuniam sub eadem conditione copulae, ea conditione impleta, tenetur pecuniam dare. Item juxta communem sensum, qui promittit mercedem operanti serviliter die festo, tenetur solvere et operarius

potest retinere. Si dicas hoc pactum respicere opus, non ipsam circumstantiam festi, opus autem esse pretio aestimabile. Respondeo pactum respicere opus non in abstracto, sed in individuo, in individuo autem habet annexam hanc circumstantiam, et si non obstante hac circumstantia possit vendi, pariter vendi potest quodvis aliud opus peccaminosum materialiter consideratum, non obstante malitia annexa.

Dico 2. Probabilius nobis est, praefatos contractus, quos diximus purificata conditione valere jure naturali, non irritari jure positivo quoad forum conscientiae, seu quoad obligationem naturalem, quam inducunt, sed tantum quoad actionem fori externi. Pro hac conclusione citantur fere omnes qui laudantur pro prima conclusione. Prob. quia sic jura apparenter contraria conciliantur. Etenim ex una parte jura citata pro prima conclusione clamant datum ob turpem causam, non solum meretricium, ut quidam volunt, sed etiam injustum judicium et generaliter, ut videre est in juribus laudatis, non posse repeti, et possessorem posse retinere. Ex altera parte clamant, *generaliter turpes stipulationes esse nullius momenti*, L. 26. ff. *de verb. oblig.* et alibi similia. Igitur ut haec jura concilientur, dicendum existimamus, quod priora jura astruant obligationem naturalem, quam hi contractus pariunt opere completo: posteriora vero decernant nullam parere obligationem ante opus impletum, et eo impleto denegari actionem in foro externo ad obtinendum pretium pactum; idque expresse statuitur L. *Mercalem* cit. in prima probatione primae conclusionis.

Articulus IX.

Utrum Contractus pro re vel actione jam aliunde debita sit validus?

Dico 1. Contractus de re, vel actione alteri debita ex justitia est nullus, ita ut pretium promissum, vel datum sit obnoxium restitutioni. Haec conclusio est communis, et sequitur ex dictis art. 4. de contractu ex metu, concl. 1. Prob. Res alteri debita ex justitia est invendibilis, cum independenter ab omni pretio sit illi stricto jure debita et quodammodo sua, et pro illa aliquid amplius exigere vel accipere est manifeste violare aequitatem, non secus ac si meum equum furto ablatum mihi venderes: ergo.

Hinc inferes graviter peccare, et obnoxios esse restitutioni judicem, qui exigit, aut accipit pretium pro ferenda justa sententia, Advocatos, et Procuratores, ut non protrahant inique causas. Item qui res inventas aut depositas reddere nolunt, nisi mediante pretio. Item qui exigunt, aut accipiunt pretium ut non occidant, non furentur, non detrahant, non prodant secretum, non ferant falsum testimonium, et similia, quae debentur ex justitia.

Dico 2. Contractus de re, vel actione pretio aestimabili debita ex alia virtute distincta a justitia est validus, sed illicitus. Est communior et probabilior. Ratio est, quia quamvis promissarius, aut donatarius ad hanc rem, vel actionem teneatur, non tenetur tamen ex justitia, nec est in altero jus strictum ad illam, unde pro tali jure, quod ipsi confert, potest aliquid exigere, et accipere, sicque accipiendo non violat justitiam, nec consequenter incurrit obligationem restituendi. Violat tamen charitatem, seu aliam virtutem, ex qua obligatur, quatenus ejus obligationi non vult satisfacere nisi mediante pretio, ostenditque animum vel aversum ab opere praecepto, vel inclinatum in opus prohibitum: ergo. Dixi *de re*, *vel actione pretio aestimabili*, nam de re spirituali, v. g. administratione, vel susceptione sacramentorum etc. contractus foret nullus, et pretium simoniacum. Nisi forte res spiritualis non sit danti uti-

lis, sed soli promissario ut dum Parentes dant Filiis aliquid, ut audiant Missam etc. quia tunc donatio censetur gratuito facta in stimulum virtutis.

Petes, utrum contractus a jure prohibitus, seu cui deest solemnitas, vel conditio a jure requisita, sit invalidus? R. esse validum, si lex tantum prohibeat et non irritet, et forma seu conditio, vel solemnitas quam praescribit sit tantum accidentalis: est autem invalidus, si lex irritet aut forma quam praescribit sit substantialis.

Sed jam petes quandonam lex prohibeat tantum, quandonam prohibeat simul et irritet? Quandonam forma, solemnitas, aut conditio quam praescribit sit substantialis, quando accidentalis? Item quando irritet civiliter tantum, quando civiliter simul et naturaliter? R. haec discernere plerumque esse difficile: aliqui statuerunt regulas, sed, ut observant alii, sunt deficientes. Equidem satis constat, quando lex expresse dicit contractum ipso jure, ipso facto esse nullum, irritum, invalidum, inutilem, nullius momenti seu valoris, non obligare, et similia, esse legem irritantem; sed quando simpliciter prohibet contractum nisi sub tali vel tali forma, res est dubia. Imo et quando utitur prioribus terminis, remanet adhuc dubium, utrum sit irritans civiliter tantum, an etiam naturaliter; nisi adderet, v. gr. esse irritum coram Deo, non parere obligationem naturalem, non posse debitum peti sive in judicio sive extra, acceptum in conscientia esse restituendum et similia. Ad dubium ergo resolvendum quando subest, nihil commodius occurrit quam attendere ad consuetudinem, ad modum, quo communiter lex recepta est, ad ejus materiam et verba. Praecipua difficultas est de testamentis minus solemnibus, de quibus infra Dissert. seq. a. 3. §. 3. Vide, illic enim magis decretorie resolvitur difficultas.

DISSERTATIO II.

De Contractibus gratuitis, scilicet de Promissione, et Donatione.

Articulus I.

De Promissione.

§. I. *Quid sit Promissio?*

Dico. Promissio est *liberalis*, *deliberata*, *et spontanea fidei datio*, *seu obligatio exterius facta*, *et acceptata de re possibili*, *et licita.*

Explicatur. Dicitur 1. *Liberalis*: quia hic non agimus de promissione onerosa, quae in caeteris contractibus intervenire potest, sed de promissione mere gratuita absque ulla obligatione vel onere ex parte promissarii. Dicitur 2. *Deliberata*, ea nempe deliberatione, quae sit perfecta et sufficiat ad peccatum mortale; ita quod si fiat cum semiplena deliberatione, nullatenus obliget, nequidem sub veniali, quia cum obligatio promissionis gratuitae sit onus, quod promittens suscipit sponte et liberaliter, non censetur illud suscipere nisi perfecte consenserit. Dicitur 3. *Spontanea*, ut excludatur promissio ex quovis metu etiam levi. Dicitur 4. *Fidei datio seu obligatio*, per quod distinguitur 1. a donatione, quae non est fidei, sed rei datio, 2. a proposito simplici, quod nihil est aliud, quam simplex voluntas aliquid faciendi absque alia obligatione quam ex virtute constantiae. Et quia vis obligandi non inest verbis independenter ab intentione, ut diximus Dissert. praec. art. 2. si quis utatur verbis promissoriis ut *promitto*, *spondeo*, *polliceor*, *protestor*, et similibus absque intentione vere promittendi, et se obligandi, non est promissio, sed propositum.

Sed quid, si quis intendat promittere, sed non se obligare? R. quod non stet promissio, quia cum haec secunda intentio essentialiter repugnet promissioni, destruit primam, nisi forte voluntas promittendi sit fortior voluntate non se obligandi, quod ordinarie non praesumitur; quia facile est promittere, velle autem se obligare quid grave; Si vero intendat se obligare, sed non adimplere promissum, stat promissio; quia sicut ipsa promissionis adimpletio non est requisita ad veram promissionem, ita nec voluntas adimplendi. Quid autem de dubio, an quis intenderit vel non se obligare? dicam §. sequenti.

Dicitur 5. *Exterius facta*, et idem dicendum de donatione, idque requiritur non solum jure positivo, ut omnes fatentur, sed etiam jure naturali. Quia promissio sive donatio est contractus: atqui contractus non peraguntur inter homines nisi per signa sensibilia: ergo. Adde quod tam promissio quam donatio debeat jure naturali esse acceptata, ut mox dicam; non potest autem acceptari, nisi exterius manifestetur.

Dicitur 6. *Acceptata*: quod item debet intelligi de donatione. De jure positivo constat ex pluribus legibus; de jure naturali probatur, 1. quia promissio est contractus, contractus autem non perficitur nisi duorum consensu. 2. Quia promissio debet esse grata promissario, id autem sciri non potest, nisi per acceptationem. 3. per promissionem jus aliquod acquiritur promissario in rem promissam: atqui tale jus acquiri non potest nisi a volente, idque eo magis quod per illud incurrat obligationem gratitudinis, quam nonnisi volens incurrere potest. 4. Quia promissio est fidei datio, quae non potest esse sine suo correlativo, scilicet acceptatione. 5. Tamdem quia in omni promissione subintelligitur haec tacita conditio, *si placeat*, *si acceptetur*, nullus enim aliter promittit. Vide has omnes rationes etiam militare pro donatione. Acceptatio autem debet fieri statim, aut quasi statim moraliter, quandoque sufficit tacita per silentium promissarii in re, in qua solum commodum sequitur juxta Reg. juris 43. *Qui tacet consentire videtur.* Potest etiam fieri per alium. 1. ab eo, qui habet ad id commissionem 2. ab eo, qui promissarii curam gerit, ut a Patre, Tutore, Magistratu pro suis subditis. 3. ab eo, qui ex promissione commodum reportat, ut ab Uxore pro Marito, a debitore pro creditore, a Religioso pro monasterio a Clerico pro sua Ecclesia. 4. ab eo, qui ita est alteri subjectus ut non sit sui juris, ut a Religioso pro Praelato, a Filio non emancipato pro Patre. 5. a quolibet privato pro causa pia.

§. II. *Quantum obliget Promissio?*

Certum est promissionem tam liberalem quam onerosam non obligare ultra intentionem promittentis, et de hoc non est quaestio; sed quaestio est, quantum promissio liberalis, naturae suae relicta et independenter ab intentione extrinsece promittentis, obliget; sicut si quaererem, quantum contractus onerosus obliget secundum se et independenter ab intentione extrinseca contrahentis: seu quod idem est, quantum obligetur qui intendit se obligare secundum totam vim et naturam promissionis? Quidam dicunt obligare tantum ex fidelitate et consequenter sub veniali ex genere suo, et secluso damno promissarii. Alii dicunt obligare ex justitia; cum quibus

Dico 1. Promissio liberalis acceptata secundum se, et naturae suae relicta, obligat ex justitia, et consequenter sub peccato mortali ex genere. Prob. promissio onerosa acceptata obligat ex virtute justitiae: ergo et liberalis. Probatur consequentia. Promissio onerosa et liberalis secundum se spectatae sunt ejusdem rationis, et quamvis in onerosa sit perfectior obligatio, quia pro obligatione rependitur aequalis obligatio, hoc tamen non facit eas esse diversi gene-

ris, neque ex obligatione reciproca unius praecise oritur obligatio in altero, sed ex ejus promissione et alterius acceptatione seu utriusque consensu.

Confirmatur. Promittens liberaliter potest per suam voluntatem dare promissario acceptanti verum jus in rem promissam, non secus ac promittens onerose; atqui promissio onerosa secundum se confert de facto istud jus, ergo et promissio liberalis secundum se, non enim est ratio, cur una secundum se conferat et non altera; nisi recurras ad intentionem promittentis, sed id, ut jam dixi, est extra statum quaestionis.

Dico 2. Non obstante veritate praecedentis conclusionis, promissiones ordinariae plerumque non obligant ex justitia, nec graviter. Prob. ex principio art. 2. diss. praec. asserto: obligatio in contractibus pendet ab intentione contrahentis: atqui promittentes liberaliter plerumque non intendunt se obligare ex justitia et graviter: ergo. Prob. min. 1. Quae verbotenus videntur promissiones, saepe sunt reipsa simplicia proposita, quatenus non fiunt animo se obligandi, sed testificandi tantum praesentem voluntatem: propositum autem simplex non obligat, nequidem ex veracitate, sed ad summum ex constantia, si nulla sit ratio mutandi, quod rarum est in propositis communibus et liberis.

2. Quia licet promittentes intendant vere promittere, et se obligare, non tamen intendunt ordinarie se obligare graviter, et ex justitia, quasi velint conferre alteri verum jus ad rem, aut actionem suam, sed tantum ex veracitate, quae dicitur fidelitas, aut ex morali quadam, et benevola honestate; id inde patet, quod si interrogarentur, an velint se obligare sub mortali, responderent ut plurimum, se nolle. Obligatio autem veracitatis, seu fidelitatis non est nisi sub veniali secundum se, et secluso damno, ut patet de mendacio secundum se; non enim est major obligatio conformandi facta dictis, quam verba menti.

3. Quia plerique simpliciter promittunt, et se obligare intendunt, sed non reflectunt ex qua virtute, et an graviter, vel leviter; qui modus promittendi est ordinarius. Et hi quoque non videntur obligari graviter et ex justitia, sed ex veracitate tantum. Quia quamvis ex una parte sic promittens possit censeri velle se obligare secundum naturam promissionis, quam diximus obligare graviter, et ex justitia, obstat tamen ex altera, quod tanta obligatio non intendatur ordinarie a promittentibus, quodque plerumque sint in dispositione contraria, ut dictum est: unde jure praesumi potest ex communiter accidentibus noluisse se tam stricte obligare, sed tantum ex fidelitate quae sit veracitas, aut ex quadam morali honestate, ut dixi: nec sane quid amplius expectare solent promissarii ex hujusmodi promissionibus, quin imo imprudens, aut impudens haberetur, qui ex simplici promissione nullis vestita circumstantiis, quae strictam obligationem indicant, de quibus modo, exigeret liberaliter promissum, tamquam ex justitia debitum.

Tunc ergo dumtaxat promittens obligatur ex justitia et graviter pro quantitate materiae, quando sic se obligare intendit: colligitur autem sic intendere, 1. quando promissionem firmat juramento. 2. Quando promittit stipulando. 3. Quando promittit coram notario, aut coram testibus ad id assumptis, vel per scripturam seu chirographum, 4. Si dicat, obligo me quantum possum, quantum fert natura promissionis, aut quid simile. Et talis promissionis obligatio transit ad haeredes promittentis, sicut jus acquisitum promissario transit etiam ad ejus haeredes; atque pro ea datur actio in foro externo.

§. III. *In quibus eventibus cesset obligatio promissionis?*

Dico. Obligatio promissionis cessat 1. libera remissione promissarii. 2. Si res promissa fiat vel impossibilis, vel illicita, vel inutilis promissario. Si tamen pro-

mittens fuerit in mora, dum res erat adhuc possibilis, licita, vel utilis, et urgebat obligatio promissionem adimplendi, tenetur ad compensationem rei promissae, et damni, si quod ex non adimpleta promissione sit secutum, quia tunc non solum est debitor ex promisso, sed etiam ex delicto. 3. Quando duo vicissim sibi gratuito promittunt, et unus non vult implere promissum, alter etiam non tenetur. Quia cum haec jura, et debita sint ejusdem rationis, potest fieri compensatio. Insuper nemo censetur velle benefacere ingrato. 4. Si causa principalis ob quam facta est promissio, non subsistat. 5. Quando talis mutatio supervenit, ut prudenter judicetur promittentem non voluisse se in tali eventu obligare: ratio est, quia promissio non obligat ultra intentionem promittentis. Ergo dum prudenter judicatur, quod promittens non habuerit intentionem se obligandi in tali eventu, non obligatur. Confirmatur: vir prudens non censetur velle se in omnem eventum obligare, sed in his tantum casibus, in quibus solent viri prudentes; unde in omni promissione intervenit haec tacita conditio; *nisi aliquid lateat, aut superveniat, quod virum prudentem a promittendo retraheret*: ergo.

Et nota bene me non dicere, ut quidam dicunt, tunc obligationem promissionis cessare, quando supervenit talis mutatio, quam si praevidisset promittens, noluisset promittere: non enim a voluntate quae fuisset si, sed a voluntate quae de facto fuit, pendet obligatio; et alioquin vix ulla promissio non solum liberalis facta homini, sed et onerosa, aut facta Deo subsisteret: sed dico tunc cessare, aut potius numquam extitisse, quando prudenter judicatur promittentem de facto, dum promitteret, non intendisse, se in tali casu obligare, sicque implicite hunc casum excepisse.

Et haec regula etiam valet pro votis, et pro contractibus, seu promissionibus onerosis, cum hac tamen differentia, quod notabilior mutatio requiratur in votis, et contractibus onerosis ut censeatur excepta, quam in promissionibus liberalibus factis homini. Quia cum promittens homini se obliget ex mera liberalitate, et homines sint in promittendo faciles, prudenter judicatur non voluisse se obligare, nisi rebus in eodem moraliter statu permanentibus, seu, ut dicit S. Thomas, nisi *omnia*, saltem quae sint alicujus momenti, *immutata permaneant.*

Hinc inferes non teneri promissis, 1. qui promisit alimenta pauperi, si promittens fiat pauper, aut pauper fiat dives. 2. Qui promisit amico liberale obsequium, et amicus fiat inimicus. 3. Qui promisit operam vicino in crastinum diem, et filius aut uxor promittentis ejus opera ex casu superveniente indigeat. 4. Qui rem putans vilem promisit, cum sit pretiosa. 5. Qui promisit nuptias puellae, si puella cum alio fornicetur, si fiat vel pauper, vel infamis, vel deformis. Et sexcenta alia.

Et haec etiam vera sunt, quamvis promissio fuerit jurata; quia juramentum censetur adhibitum sub iisdem exceptionibus, sub quibus facta est promissio: juramentum enim juxta principium juris, Cap. *Quemadmodum* Extra. de *Jurejurando* lib. 3. tit. 24. sortitur naturam actus, super quem cadit quantum ad limitationes et conditiones, quas actus habet sive ex natura rei, sive ex jure, sive ex consuetudine, sive ex mente contrahentium; neque adhibetur ut promissio accipiatur aliter quam secundum se habeat aut soleat accipi, sed ut accepta eo modo, quo accipi solet et debet, firmior evadat et revocari non possit.

Neque refert quod diximus supra, juramentum contractui invalido appositum esse servandum, quando servari potest sine peccato jurantis, imo et firmare contractum aliunde nullum: haec enim intelligenda sunt de juramentis et contractibus, quibus adest sufficiens consensus, ut ibidem explicuimus, non vero de iis, quibus per errorem deest consensus, quales sunt promissiones, de qui-

bus hic agimus. Caetera, quae spectant promissionem, repetenda sunt ex dictis de contractibus in genere.

Articulus II.

De Donatione.

§. I. *Quid et quotuplex sit Donatio?*

Dico 1. Donatio quasi doni datio, communiter definitur *datio liberalis*, ita ut in quantum deficit a liberalitate, in tantum deficiat a perfectione, et ratione donationis, id enim *donari videtur*, inquiunt jura, *quod nullo jure cogente conceditur*. Unde donatio stricte sumpta debet excludere ex parte donantis omne debitum, non solum justitiae, sed etiam gratitudinis, et aliud quodcumque.

Ex quo inferes, quod quando in jure donatio declaratur revocabilis propter ingratitudinem donatarii, non sit intelligendum de donatione remuneratoria; quia non est stricte donatio, nec tam facile censeri debet ingratus, qui jam praestitit beneficia, propter quae facta fuit donatio. Similiter quando in jure prohibentur, aut irritantur donationes, ut sunt donationes inter conjuges, donationes Religiosorum, de quibus infra, intelliguntur donationes mere liberales, et non remuneratoriae.

Petes, utrum si donatio excedat beneficium acceptum, debeat censeri mere liberalis et prohibita quoad excessum? R. probabilius negative, nisi excessus sit adeo enormis, ut non possit rationabiliter censeri factus intuitu beneficii prius accepti. Ratio est; quia juxta S. Thomam obligatio gratitudinis exigit, ut plus retribuatur, quam sit acceptum.

Dico 2. Dividitur donatio 1. in completam, seu realem, et in incompletam, seu verbalem. Completa seu realis est, quam comitatur rei donatae traditio; confert dominium, seu jus in re. Incompleta, seu verbalis est, quam non comitatur rei donatae traditio, ut si dicam: do tibi meum equum, qui est in pascuis: confert tantum jus ad rem defectu traditionis. Et id ex jure positivo statuente quod *Traditionibus dominia rerum non nudis pactis transferantur*, L. *Traditionibus* C. de pactis: alioquin ex natura sua est translativa dominii.

2. Dividitur donatio in donationem inter vivos, et donationem causa mortis. Donatio inter vivos est, qua quis sic donat, ut velit rem se vivente esse absolute et irrevocabiliter alterius. L. 1. ff. *De donat.* Donatio causa mortis est, qua quis sic donat ut non velit rem esse absolute et irrevocabiliter alterius nisi post suam mortem: haec debet fieri intuitu et cum mentione mortis, alioquin in foro externo reputabitur inter vivos; potest tamen fieri ab homine sano, sicut donatio inter vivos potest fieri ab homine aegro secundum se et jus commune. De donatione inter vivos agitur in hoc articulo: de donatione causa mortis in sequenti.

Donatio tam inter vivos quam causa mortis debet acceptari a donatario, eo modo quo diximus supra de promissione §. 1. articuli praecedentis. Require. Donatio inter vivos absolute facta, est ex natura sua irrevocabilis, ut patet ex ejus definitione. Item et secundum jus commune lib. 5. et 6. C. *De revocand. donat.* et alibi. Excipiuntur tamen tres casus ex ejusdem juris dipositione. Primus est, si donatio sit inofficiosa, hoc est si facta sit contra officium pietatis debitae filiis a parentibus, aut parentibus a filiis, ut si tot dederit pater, quod filii priventur portione sua legitima. L. 11. C. *De inoffic. donat.* Quod si sit facta extra-

neo, est revocabilis in totum; si autem facta sit filiis aliquibus aut causis piis, est tantum revocabilis quantum ad portionem legitimam.

Secunda exceptio est, si donatori nascatur proles insperata, quia censetur facta sub hac conditione, *si mihi non nascatur proles*, L. *Si numquam*, C. *De revocand. donat.* Tertia exceptio est ingratitudo donatarii erga donatorem, L. *Ultima.* C. eod. ubi assignantur quinque species ingratitudinis, ob quas donatio potest revocari 1. Si donatarius donatorem atrocibus injuriis affecerit. 2. Si manus impias in eum injecerit. 3. Si vitae ejus insidietur 4. Si grave damnum in ejus bonis inferat. 5. Si donationis conditiones non impleat.

3. Donatio dividitur in donationem puram, quae caret modificatione, et in donationem non puram, seu qualificatam, quae fit cum aliqua modificatione; et est quintuplex, scilicet conditionalis, modalis, causalis, demonstrativa, et in diem, de quibus satis late diximus Dissert. praecedenti de contractibus in genere articulo 7. per varios §§. Require ibi.

§. II. *Quis donare potest et quantum?*

De hac materia jam partim diximus Dissert. praecedenti a. 5. ubi expendimus qui possint contrahere: quaedam specialia circa donationes restant explicanda.

3. Dico 1. Per se loquendo, et abstrahendo a dispositionibus legum particularium, is et solus donare potest, qui habet dominium liberum, et administrationem liberam suorum bonorum: si enim habeat tantum dominium, et non administrationem, donare non potest, quia donatio spectat dispositionem, et administrationem bonorum; si tantum habeat administrationem, non potest etiam donare, nisi de consensu saltem praesumpto, aut debito domini. Si tamdem dominium ejus, et administratio non sint libera, sed vinculata pro certis casibus, nihil quoque in his casibus donare poterit.

Hinc 1. defectu administrationis valide donare non possunt, qui carent usu rationis, ut sunt infantes, amentes, etc. Item neque prodigi, quibus a Magistratu constitutus est curator: item neque pupilli, neque minorennes, neque filiifamilias, nisi de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, neque uxores nisi de bonis paraphernalibus.

Circa minorennes observant Auctores eos posse valide donare, et expendere secundum decentiam sui status, prout aliis paris conditionis permitti solet; quod si excedant, peccabunt quidem, sed raro mortaliter, quia neminem damnificant, et ii quibus donant retinere possunt, donec beneficio legis repetatur, ut dixi art. 5. supra citato. Circa uxores etiam observandum est, eas posse in variis casibus donare de bonis communibus, aut dotalibus, sive ex consensu saltem tacito, et praesumpto mariti, ut dum uxor eo consentiente, aut absente, aut impotente, administrat familiam, aut negotiationem exercet; sive etiam ipso invito, sed irrationabiliter, ut si nimis tenax, aut morosus nolit facere moderatas eleemosynas, donationes remunetorias, succurrere parentibus suis, vel uxoris, aut prolibus ex priori matrimonio indigentibus, etc. Haec, inquam, et similia praestare potest uxor: quia non est ancilla viri, sed socia, et domesticae administrationis particeps, ita ut in re tam aequa maritus non possit esse nisi irrationabiliter invitus. Propter eamdem rationem plures Theologi existimant uxores posse dare, quae sibi subtrahunt ex his, quae possunt honeste impendere in largiorem sustentationem, ornatum, recreationes, etc.

2. Defectu dominii Religiosi dicuntur vulgo donare non posse, sed id indiget explicatione. Praelati regulares possunt de bonis communibus qualescumque donationes prudenter et discrete facere in utilitatem Monasterii, juxta tamen constitutiones et consuetudinem in sui Ordinis vel Monasterii. Ita C. *Nullam*

Caus. 18. q. 2. Et ratio est: quia Praelati regulares sunt administratores absoluti bonorum communitatis, consequenter ad eos pertinet dispensare juxta statuta et usus suae Religionis ex consensu praesumpto, aut saltem debito communitatis, penes quam est dominium. Religiosi officiales, ut sunt Procuratores, Oeconomi, et similes, quibus aliqua certorum bonorum administratio committitur, possunt ex tacito consensu Superiorum facere aliquas eleemosynas, aut donationes ex bonis communibus juxta limites suae administrationis, et consuetudinem. Religiosi privati nullam prorsus donationem, etsi remuneratoriam aut eleemosynariam facere possunt, nisi de licentia expressa, vel tacita, aut praesumpta sui Superioris, quia nec dominium, nec administrationem habent. Excipe casum extremae necessitatis, in qua licet furari ad dandam eleemosynam. Quoad donationes religiosorum vide tract. de statu relig. Diss. 1. a. 2. ubi etiam de donatione bonorum immobilium, et ibidem etiam de donationibus Novitiorum Diss. 4. a. 2.

3. Fideicommissarius nihil de fideicommisso donare potest; quia licet sit ejus dominus, caret tamen facultate illud alienandi.

4. Jure communi simplex donatio mere liberalis facta inter vivos marito ab uxore, vel uxori a marito, est invalida, et revocari potest a donante. L. 1. 2. et 3. ff. *De Donat. inter virum et uxorem*, et alibi. Dixi *simplex donatio*, quia juramento firmata valet, item firmatur morte donantis. Dixi *mere liberalis*, quia remuneratoria valet. Hinc valet si Maritus senex det Uxori juveni, si Uxor ignobilis det marito nobili, vel ut fiat Doctor, ut obtineat dignitatem etc. item si donans inde non fiat pauperior, aut donatarius ditior. [Annulus a Sponso datus Sponsae in celebratione matrimonii, nisi antea datus fuerit ut Arrha, (quae acquiritur Sponsae matrimonio sequuto) sicut et vestes pretiosae, aliaque hujusmodi, a sponso missa sponsae ad celebrationem nuptiarum, nisi expresse donentur eidem, non censentur donari. Et est praeterea notandum, quod si mulier vidua transeat ad secundas nuptias quae liberali donatione a defuncto viro acceperat, debet relinquere filiis, quos ex defuncto habuit, nec potest aliter de iis disponere].

Dico 2. Quantum ad quantitatem rei donatae irritatur 1. donatio inter vivos omnium bonorum praesentium, et futurorum. L. *Stipulatio* ff. *de verborum obligat.* Valet tamen hujusmodi donatio si juramento firmetur, aut si fiat ad pias causas.

2. Ex eodem capite jure civili irritatur donatio excedens quingentos solidos aureos, nisi insinuetur judici loci in quo fit, ita quod defectu insinuationis sit irrita, quoad excessum tamen dumtaxat. L. *Penult.* C. *de Donat.* Lib. 8. tit. 54 Porro insinuare est in publicas tabulas aliquod donationis instrumentum referre. Non una autem est opinio circa valorem solidi aurei. Juxta aliquos aequivalet uni ducato aureo, juxta alios duobus, juxta alios pluris, aut minoris. Valet autem hujusmodi donatio ut praecedens, si juramento firmetur, si fiat in pias causas, item si sit remuneratoria, aut facta sit militi a duce belli. Ibid.

Articulus III.

De ultimis Voluntatibus.

§. I. *Explicantur variae species ultimae voluntatis, et alia quaedam huc spectantia.*

Per ultimam voluntatem intelligitur libera dispositio de eo, quod quis statuit fieri post mortem. Dividitur in testamentum, codicillum, legatum, fideicom-

missum, et donationem causa mortis. Inter has quasi species primum locum tenet testamentum, quod ideo dicitur antonomastice ultima voluntas.

I. Testamentum, quasi *mentis testatio*, definitur *voluntatis justa sententia de eo quod quis vult post mortem fieri, cum haeredis institutione.* Dicitur *justa*, id est juri conformis, quia jus ad validitatem testamenti plures requirit conditiones, de quibus infra. Dicitur *cum institutione haeredis*: in hoc enim sita est ratio testamenti secundum jus commune, et a caeteris ultimis voluntatibus distinguitur, quod instituatur haeres personam defuncti repraesentans, in quem omnia ejus bona, jura, et actiones transeunt.

II. Codicillus, quasi parvus codex, dicitur scriptura continens aliquam ultimam voluntatem absque institutione haeredis: est quasi imperfectum testamentum, quo neque datur, neque adimitur haereditas, quin potius fundatur in haeredis institutione, aut successione venientis ab intestato, cui aliquid dandum, vel exequendum, puta Legatum, vel Fideicommissum, commendatur, aut quo testamentum explicatur, vel immutatur, L. *Quod manus* ff. de jure Codicilli. Potest quis plures codicillos facere modo non sint contrarii, plura vero testamenta facere non potest, sed posterius prius infirmat. Haec de jure communi.

III. Legatum quandoque sumitur pro ipsa re legata, proprie autem est donatio facta a defuncto, et ab haerede praestanda. Instit. §. 1. *De Legatis*. Hoc est dispositio alicujus rei particularis, quam defunctus vult per suum haeredem, sive testamentarium, sive ab intestato, dari alicui alteri, qui ideo dicitur Legatarius. Dixi alicujus rei particularis, et hoc secundum jus commune; quia secundum consuetudines provinciarum, in quibus ad testamentum non requiritur institutio haeredis, potest institui Legatarius universalis.

Circa Legatum nota 1. Legata non debentur nisi deducto aere alieno, L. 66 ff. *Ad leg. falcid.* 2. Ea quae necdum sunt, sed futura sunt, legari possunt, ut fructus ex agro proventuri, L. 17. ff. *De Legatis*. 3. Res nominatim legata, ut hic equus, si non reperiatur nec dolo haeredis deesse probetur, peti ex testamento non potest: secus si res, puta equus generatim legetur, L. 32. ff. *De legatis*. 4. Neque legatarius, neque Fideicommissarius utitur legis falcidiae aut trebellianicae beneficio, de quibus modo, L. 47. ff. *Ad leg. falcid.* 5. Res aliena legari potest, ita ut haeres teneatur eam emere, et dare Legatario; vel si non potest, ejus aestimationem, L. *Cum alienam* C. *De legatis.*

IV. Fideicommissum est legatum vel ipsa haereditas ita legatario, vel haeredi commissa, ut alienari non possit, aut relinqui aliter, quam testator ordinavit, ut si dicat, lego mille libellas Titio, fidei ejus committens ut illa det, vel restituat Catharinae: item instituo Titium haeredem omnium bonorum meorum sub onere ea non alienandi, sed relinquendi post mortem Maevio, seu ejus prolibus.

Notandum vero quod haeres nimium gravatus legatis, aut fideicommissis, possit detrahere quartam *Trebellianicam*, aut *Falcidiam*; imo et legitimam, si sit proles.

Trebellianica, vernacule *Quarte Tribellianique*; est quarta pars haereditatis, quam detrahere potest haeres antequam solvere debeat fideicommissa. *Falcidia* similiter est quarta pars haereditatis, quam haeres potest detrahere antequam solvere debeat legata, ne irrita maneat haereditas; itaque tam falcidia quam trebellianica important eamdem partem, scilicet quartam haereditatis, falcidia contra legata, trebellianica contra fideicommissa. His non utuntur, ut jam notavi, legatarii, et fideicommissarii;

Legitima, jure Romano, est tertia pars portionis haereditariae, quae uni proli obveniret ab intestato, ubi non sunt plures proles quam quatuor, ubi au-

tem sunt plures quam quatuor, est medietas portionis. Authent. *de triente et semisse*, et Authent. novissima, C. *de inoffic. testam.* juxta hos versus:

Quatuor, aut infra dant natis jura trientem;
Semissem vero dant natis quinque, vel ultra.

In liberorum numero computatur is, qui haereditati renuntiavit, non tamen qui est legitime exhaeredatus.

V. Donatio causa mortis dicitur, quae neque est testamentum, quia non infert institutionem haeredis, neque codicillus, neque legatum, aut fideicommissum, quia non supponit testamentum, quod explicet, aut a quo dependeat tamquam accessorium a principali. Accensetur tamen ultimis voluntatibus, quia in multis convenit cum illis, maxime cum legato. Nullam parit obligationem ante mortem, sed eo usque est revocabilis, nec transit ad haeredes donatarii praemortui, sicut legatum non transit ad haeredes legatarii praemortui, L. 1. ff. *de condit., et demonstr.*; ita ut si donator donaret irrevocabiliter, aut vellet donationem transire ad haeredes donatarii, quamvis res foret tantum tradenda post mortem, censeretur donatio inter vivos, et e contra si donando rem donatam tradat, sed revocabiliter, est donatio causa mortis. In ea sicut in legato habet locum Falcidia.

§. II. *De variis divisionibus Testamenti, et solemnitatibus ad illud requisitis.*

I. Testamentum, ut sic, dividitur in testamentum solemne, et testamentum privilegiatum. Testamentum solemne est quod vestitur omnibus solemnitatibus a jure requisitis ad ejus validitatem. Testamentum privilegiatum est, cujus validitas ab his solemnitatibus est independens.

Solemnitates requisitae jure Romano ad validitatem testamenti sunt, 1. ut instituatur directe haeres. Verum haec solemnitas in pluribus locis consuetudinariis amplius non requiritur, in quibus ideo si ultima dispositio non valeat ut testamentum defectu hujus solemnitatis, valebit saltem ut codicillus. Unde etiam testatores jam solent apponere hanc clausulam, ut valeat sua dispositio, sive per modum testamenti, sive per modum codicilli, sive per modum donationis causa mortis, aut alio quocumque meliori modo. 2. Requiritur ut nullus liberorum praetermittatur, Auth. *ex causa* C. *de liberis praeteritis.* Lib. 6. tit. 28. 3. Requiritur quod adsint septem testes, masculi, puberes, liberi, ad id vocati, et alias ad id munus non inepti, aut suspecti. Hinc excluduntur foeminae, impuberes, surdi, muti, caeci, amentes, prodigi, jure infames. Item excluditur qui est in potestate testatoris, haeres ipse, et qui est in ejus potestate, pater testatoris, et pater haeredis, quique sunt in eorum potestate; Religiosus non excluditur, neque legatarius, saltem Jure Caesareo, quia non agitur ejus causa principaliter, in Belgio tamen excluditur et plerumque in locis consuetudinariis, sicut omnis qui percipit aliquam utilitatem ex testamento, quia inde fit suspectus.

II. Testamentum solemne est duplex, scilicet scriptum-clausum, et nuncupativum. Testamentum scriptum-clausum, sic dictum quod sola scriptura possit confici, et quod debeat esse clausum, et obseratum, et quod testator sua, vel alterius manu scriptum, clausum offert septem testibus qualificatis ut supra, simul praesentibus, et ipsum testatorem videntibus, non tamen scripturam legentibus, aut legi audientibus, asserens esse suum testamentum, cui ipsemet super involucrum inscribat, vel si non possit, alter octavus testis coram septem aliis, qui et ipsi postea eodem tempore successive inscribant, et quisque appo-

nat sigillum proprium, vel alienum. L. *Hac consultissima*, C. *De testamento* juncto §. *Sed cum paulatim*, et sequent. instit. eodem.

Testamentum nuncupativum, seu apertum est, quo testator coram septem testibus ut supra qualificatis, ipsum videntibus, et audientibus suam ultimam voluntatem voce articulata declarat. L. *Hac consultissima* cit. §. *Per nuncupationem*, et L. *Jubemus*, juncta L. *Quoniam*, C. eod. Potest etiam fieri scripto aperto, et lecto, imo plerumque solet nunc redigi a Notario in scriptis coram testibus, non quidem ad actus substantiam servandam, sed ad efficaciorem ejus probationem, et majorem securitatem; quia potest contingere, quod testes decedant, aut inhabiles fiant, aut obliviscantur eorum, quae dixit testator.

Haec de jure Romano et pro iis provinciis, quae eo utuntur. In provinciis autem consuetudinariis, admodum variae sunt formalitates requisitae ad validitatem testamenti, tam circa testes, quam circa recipientes. In provincia Leodiensi valet, si recipiatur ab uno Notario, vel Parocho, vel Vicario coram duobus testibus ad id advocatis. Debet ergo quisque consulere consuetudines loci, in quo conditur testamentum, hujus enim leges sortitur juxta clarissimum Pontas verbo *testament* in prooemio, quamvis juxta alios possit etiam fieri secundum consuetudines locorum, in quibus sita sunt bona de quibus fit dispositio.

III. Testamentum privilegiatum, cujus validitas, ut dixi, non pendet ab omnibus praefatis solemnitatibus, est multiplex, nimirum testamentum militis, testamentum inter liberos, testamentum rusticorum, testamentum tempore pestis, testamentum coram Principe, et testamentum in pias causas. Testamentum militis est id, quod miles facit, dum versatur in expeditione militari, secus enim si miles sit praesidiarius. Ad hujus validitatem sufficit, quod quovis modo, voce, vel scripto voluntatem suam declaret, modo tamen haec possit probari per duos testes etiam non rogatos. L. *Miles* 35. ff. *de testam. milit.* et L. *Miles* cap. eod. Non manet validum nisi per annum ab ejus dimissione, quod si ob crimen expellatur, statim corruit. Testamentum inter liberos dicitur quod a patre, matre, alterove alterutrius sexus ascendente conditur inter liberos, hoc est in favorem liberorum. Validum est, etsi solemnitate juris destitutum. L. *Ultima* C. *Familiae erciscundae.* Lib. 3. tit. 36.

Testamentum rusticorum est quod fit a rusticis, ad quod sufficiunt quinque testes, ubi plures inveniri non possunt. L. *ultima* C. eod. In testamento, quod fit tempore pestis, non est necesse, quod septem testes simul congregentur, sed possunt separatim adhiberi, requiruntur tamen septem testes. L. *Casus* 8. C. eod.

IV. Testamentum ad causas pias, de quo est aliqua difficultas, est id quod fit praecipue, et directe ad Dei, Sanctorumve honorem, vel spiritualem animae salutem: puta in favorem Ecclesiae, vel alterius loci pii, ad redimendos captivos, ad pauperum, vel Religiosorum sustentationem, in satisfactionem pro peccatis, in mortuorum suffragia, etc. Et hoc dicimus esse privilegiatum, ita ut valeat, quamvis desint formalitates aliquae a jure requisitae. Idem dic de legatis in pias causas. Ita communiter Theologi et Juristae. Prob. ex cap. *Relatum* 11. Extra. *De Testam.* lib. 3. tit. 26. ubi Alexander III. sic statuit: *Mandamus quatenus cum aliqua causa talis* (de relictis Ecclesiae) *ad vestrum fuerit examen deducta, eam non secundum leges; sed secundum decretorum statuta tractetis tribus aut duobus legitimis testibus requisitis, quoniam Deuteronomii 17. scriptum est: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum.* Idem statuit Gregorius X. Cap. *Indicante* 4. ibid.

Dices. Principes saeculares potuerunt irritare hujusmodi testamenta minus solemnia: ergo. Probatur antecedens quia testamentum etiam ad causas pias est contractus civilis, qui subjacet potestati saeculari. : ergo. R. N. Ant. et ad probat. dist. Testamentum ad causas pias est contractus civilis, directe spectans

Ecclesiam, et salutem animae, concedo. Non enim tam debet censeri donatio gratuita, quam remedium ad testatoris salutem, vel utile, vel necessarium, quandoque a confessario praescriptum, quandoque ex justitia debitum. Sistens in civilibus nego similiter et consequentiam: quia jura saecularia causis ecclesiasticis, et supernaturalem finem directe spectantibus obstare non possunt, nisi sint ab Ecclesia approbata, et acceptata, ut definivit Innocentius III. cap. *Ecclesia* 10. Extra. *De Constitutionibus* lib. 1. tit. 2. Haec autem de quibus est mentio, non approbari ab Ecclesia, sed reprobari constat ex probationibus conclusionis.

Petes; an aliqua saltem solemnitas et quae requiratur pro validitate testamenti ad causas pias? R. communior sententia tenet nullam aliam solemnitatem requiri, quam quae requiritur jure naturae et gentium; nimirum potestatem in disponente, libertatem in dispositione, capacitatem in eo in cujus favorem disponitur, et perfectam expressionem voluntatis testatoris quocumque modo manifestatam. Quia ex cap. *Relatum* solemnitas juris non est necessaria. Requiruntur autem ibidem duo testes, non ad substantiam actus, sed ad probationem in foro externo; dum aliunde non constat; ita, quod si aliunde constet, valet et obligat etiam sine testibus, nihilque aliud importari saepe cit. cap. *Relatum*, patet ex his verbis: *Duobus aut tribus testibus legitimis requisitis, quoniam scriptum est: In ore duorum vel trium testium stat omne verbum*; quibus aperte significatur testes requiri ad probationem dumtaxat. Ita communius interpretantur Juristae et Theologi.

Hinc inferes 1. testamentum ad causas pias nutu solo, vel a surdo, et muto, signis sufficienter voluntatem suam manifestantibus factum, esse validum, quia id jure naturae sufficit, quamvis non admittatur jure civili. 2. Si haeredi constet voluntatem testatoris externe manifestatam fuisse, ut aliquid in causas pias expenderetur, quamvis id probari non posset in foro externo, ad id tamen tenetur in foro conscientiae, in quo probatione externa non est opus, quando de veritate constat. 3. Quando testamentum minus solemne est invalidum quoad alia defectu solemnitatis, manet tamen validum quoad legata pia secundario inserta.

Nota. Aliud insuper est genus testamenti privilegiati in locis consuetudinariis introductum, quod dicitur *Olographum*, ad quod nulla alia solemnitas requiritur, quam ut totum a testatore sit scriptum et subscriptum, sintque duo testes, qui cum agetur de ejus approbatione, scripturam testatoris agnoscant: estque omnium optimum, utpote extra omnem suspicionem. Ita inter alias consuetudo Leodien. cap. 10. art. 12.

§. III. *Utrum testamentum ad causas profanas cui deest solemnitas jure civili vel consuetudine requisita, sit validum, saltem in foro conscientiae?*

Dixi §. praecedenti de testamento minus solemni ad causas pias: quaestio nunc est de testamento minus solemni ad causas profanas, supposito quod absint aliunde jure naturae requisita: circa quam sunt tres sententiae. Prima tenet hujusmodi testamentum esse absolute invalidum in foro conscientiae. Secunda huic directe opposita tenet absolute validum in foro conscientiae. Pro explicatione tertiae sententiae inter utramque mediae

Dico. Testamentum minus solemne ad causas profanas est in foro conscientiae partim validum, partim invalidum. Validum quatenus haeres institutus potest vi illius haereditatem adire, et retinere, donec per sententiam Judicis rescindatur. Invalidum quatenus haeres ab intestato potest ex legis beneficio agere in judicio ad illius rescissionem, et ea obtenta tuto haereditatem occupare,

et retinere, Ita docent Soto lib. 4. *de Jure et Just.* q. 5. art. 3. Bannes 2. 2. in Praeambulo ad qu. 62. Sa, Layman, Thomas Sanchez, Ludovicus Bela, Cabassutius Jur. Can. Theor. et prax. lib. 6. cap. 3. n. 5. et seqq. Ad probationem hujus conclusionis revocandum est, quod dixi Dissertatione praecedenti art. 5. §. de contractu pupillorum, et minorennium conclus. 4. obligationem naturalem habere multiplicem effectum. Primum, praecipuum, et inseparabilem, scilicet conferre creditori jus accipiendi, et retinendi. Secundum, jus impediendi repetitionem. Tertium, jus excipiendi, et compensandi.

Prob. 1. Secundum hanc sententiam facilius conciliantur jura in speciem sibi contraria: ex una enim parte §. *Per traditionem* 40. Instit. *de rerum divis.* lib. 2. tit. 1. dicitur: *Nihil tam conveniens est naturali aequitati, quam voluntatem domini volentis rem suam in alium transferri, ratam haberi.* Et Authent. *de nuptiis* Collat. 4. tit. 1. §. 1. dicitur: *Ubique custodire morientium volumus voluntates.* Ex alia parte L. *Hac consultissima* C. *de testament.* dicitur: *Non subscriptum a testibus et non signatum testamentum pro infecto haberi convenit.* Et infra: *Imperfecto testamento voluntatem teneri defuncti* (nisi inter solos liberos habeatur) *non volumus.* Et §. *Ex eo* Instit. *Quibus modis testam. infirm. Imperfectum testamentum nullum est.* Haec inquam jura facilius juxta hanc sententiam conciliantur: voluntas enim domini servatur juxta priora jura, quatenus haeres ab eo institutus vi institutionis jure possidet haereditatem et ejus acquirit dominium, et tamen testamentum est nullum juxta jura posteriora, quatenus haeres ab intestato potest apud judicem ejus rescissionem urgere, ac si nullum fuisset ab initio, et obtenta rescissione tuto haereditatem possidere: itaque vi talis testamenti confertur haeredi instituto dominium, et in hoc impletur domini voluntas; sed istud dominium est debile et revocabile per haeredem ab intestato, et hoc sensu nullum est testamentum. Uno verbo jura, quae talis testamenti validitatem adstruunt, loquuntur de validitate infirma et rescindibili; quae negant, loquuntur de validitate firma et irrescindibili.

Prob. 2. Leges humanae eo modo obligant, quo per usum communem recipiuntur: atqui leges irritantes testamenta minus solemnia non sunt usu receptae quantum ad hoc, ut qui per tale testamentum possidet, spolietur ante sententiam Judicis: similiter leges statuentes custodiendas esse voluntates morientium, non sunt usu receptae quantum ad hoc, ut quod quis obtinet per sententiam Judicis contra dispositionem testamenti minus solemnis restituat: hic est enim, inquit Cabassutius loco citato, communis inter pias et timoratas personas usus, ut qui ex una parte ab altero, qui alienare potest, aliquid cum bona fide accepit, sive gratuita sive onerosa dispositione privata, nullisque adhibitis solemnitatibus, nullis testibus, nulla scriptura, se tutum in conscientia credat: ex altera parte, qui contra dispositionem contractus minus solemnis per sententiam Judicis aliquid obtinuit et possidet, se pariter tutum in conscientia credat: nec alterutri quisquam prudens et eruditus restitutionem suadeat. Hinc

Confirmatur haec sententia ab inconvenientibus aliarum sententiarum. Juxta primam sententiam, qui quod titulo testamenti alteriusque contractus minus solemnis absque vi vel fraude possidet, voluntarie non dimittit, etiam dum a nemine repetitur (quod nemo facit), peccat mortaliter. Juxta secundam sentiam, qui quod contra dispositionem testamenti alteriusve contractus per sententiam Judicis obtinet, non restituit (quod nemo etiam facit) peccat pariter mortaliter. His autem conscientiae perplexitatibus et peccandi periculis obviat nostra sententia.

Nota bene. Quae hucusque diximus de testamentis minus solemnibus, idem dicendum arbitramur cum saepe laudato Cabassutio; de donationibus inter vi-

vos aliisque contractibus, quia eaedem rationes militant, et eo maxime quod leges eos irritantes non videantur aliter usu communi receptae, ut diximus. Excipe tamen eos contractus, ad quos leges reddunt contrahentes inhabiles, vel quos irritant sub his aut similibus formulis *coram Deo*, *in conscientia*, *nullam parere obligationem naturalem*, *non posse peti debitum sive in judicio sive extra*, *acceptum in conscientia esse reddendum*, etc. Supposito tamen quod sic usu communi sint receptae, aequales sunt contractus pupilli cum tutore, alienatio bonorum immobilium pupilli sine auctoritate Judicis, contractus matrimonialis initus cum impedimento dirimente, professio religiosa ante annum probationis completum, seu ante annum aetatis decimum sextum etiam completum, et alii, sed et pro istis ultimis est specialis ratio. Quia contractus matrimonialis semel validus, est irrescindibilis; unde vel est absolute nullus, vel est in omni foro irrevocabiliter validus; idem dic de professione religiosa, quae cum sit quasi spirituale matrimonium, semel valida irritari non potest.

Petes 1. Qui possint testari, aut aliter disponere causa mortis? R. Cuilibet habenti bona liberum est de eis disponere causa mortis, nisi jure naturali, vel positivo prohibeantur. L. 1. C. *de sacrosanct. Eccles.* Jure naturali prohibentur testari qui carent usu rationis, infantes, amentes, quorum tamen ultimae dispositiones factae tempore lucidi intervalli sunt validae §. *Praeterea* Instit. *Quibus non est permiss. testam.* Jure positivo prohibentur testari 1. Impuberes 2. Surdus, et mutus a nativitate 3. Captivus detentus apud hostes, valet tamen testamentum antea factum 4. Damnati ad mortem, ita ut infirmetur etiam testamentum antea factum 5. Usurarius manifestus, nisi prius satisfecerit, aut cautionem dederit. Huc revocari possunt, qui ob crimen prohibentur testari, ut sunt haeretici, eorumque fautores, excommunicati etc. 6. Prodigus, cui bonorum administratio est interdicta 7. Filiusfamilias, nisi de bonis castrensibus, vel quasi. 8. Clericus de bonis ecclesiasticis superfluis, nisi adsit privilegium apostolicum 9. Religiosi, et solum novitius potest facere testamentum, quod per professionem tamquam per mortem spiritualem confirmatur, ita ut amplius revocari non possit. Authent. *Nunc autem C. de Episc., et Cleric.*

Petes 2. utrum testamentum, alterave ultima voluntas possit revocari? R. Testamentum et quaevis ultima voluntas semper revocari potest ad nutum testatoris: *Ambulatoria enim est voluntas defuncti usque ad supremum vitae exitum*; L. 5. ff. De adimpl. legat. et Apost. Ad Hebraeos 9. *Testamentum in morte confirmatur*: atque hic est sensus communis hominum; unde in omni ultima voluntate haec clausula de jure subintelligitur, *nisi revocetur ante mortem.*

§. 4. *De haeredibus, et de executore testamenti.*

Cum haereditas sit successio juridica in jus defuncti ratione propinquitatis, vel legitimae institutionis, hinc duplex haeres; ab intestato scilicet, et ex testamento. *Haeres ab intestato* est, qui ratione propinquitatis succedit in bonis illius, qui nihil, aut invalide disposuit. Et praecipue sunt Descendentes, ita ut proles naturalis etiam non legitimata, quamvis non succedat Patri ab intestato, succedit tamen Matri etiam ex asse, si non habeat proles legitimas, et si habeat, aequaliter succedit cum aliis. Differt autem proles naturalis a spuria, quod prima nascitur ex non conjugatis inter quos tempore conceptionis vel nullum erat impedimentum dirimens, vel per ipsos poterat tolli, ut error, metus etc; vel ignorabatur saltem ab una parte, ex qua tunc fuit simplex fornicatio. Spuria vero, quae nascitur ex parentibus, inter quos tempore conceptionis erat impedimentum dirimens, quod ab ipsis non poterat tolli, ut ligamen, consanguinitas etc. Haec nihil potest accipere a Patre, vel Matre sive per testamentum, sive ab intestato, sive per contra-

ctum praeter necessaria victui, et amictui. Dicitur autem proles legitimari non hoc sensu quod fiat legitime nata, sed in quantum damna, quae illegitima proles ex legis auctoritate incurrit, subtrahantur per legis auctoritatem. Deficientibus descendentibus, succedunt ab intestato ascendentes, deinde ordine servato collaterales, tamdem venit vir ad successionem uxoris, et uxor in omnibus bonis mariti succedit.

Petes qui succedat ab intestato bonis et juribus religiosi, de quibus ante professionem non disposuerit? De jure communi succedere monasterium, nisi suis constitutionibus prohibeatur, et possit possidere bona in communi, in quo casu potest etiam institui haeres ex testamento.

Haeres ex testamento est is, qui ultima voluntate morientis instituitur ad succedendum in suis bonis. Institui potest omnis homo etiam amens, et infans, et etiam Communitas. Prohibentur tamen jure civili institui Civitates hostium, Communitas Judeorum, Apostatae, et generatim qui prohibentur ob crimen testari, prohibentur pariter haeredes institui. Haeres ex testamento vel est *universalis*, et *ex Asse*, et est qui instituitur ad succedendum omnibus bonis, et juribus defuncti, unde ad subeunda omnia ejus onera, et debita realia; Vel est *particularis*, qui instituitur ad succedendum haereditatis parti aliquotae, seu indeterminatae, puta ad tertiam, vel quartam partem, et subit onera defuncti pro rata partis. Quod si instituatur ad determinatam partem non censetur haeres, sed legatarius, ad quem defuncti, neque jura, neque onera spectant.

Petes utrum liceat Parentibus uni proli plus relinquere quam aliis? R. id licere ex justa causa. Si proles de testatore suis obsequiis plus sit merita, si infirma, si pusilla, si propter studia facienda, si consuetudo postulet, ut primogenitus aliis, masculus foeminis praeferatur. Peccant vero, si ex affectu inordinato inter liberos haeredis inaequalitatem constituant, magnumque odiorum fomentum subministrant.

Praeterea haeres vel est *necessarius*, quem testator tenetur instituere in portione legitima, nisi justam exhaeredandi causam habeat, qualis est ingratitudo enormis, et injuria atrox in Testatorem. Et hi sunt omnes ascendentes, et descendentes legitimi, ita ut si omnino praetereantur testamentum est ipso jure nullum quoad institutionem haeredis, non tamen quoad legata; Vel est *non necessarius*, quem testator non cogitur instituere etiam in portione legitima ut collaterales. Omnis autem haeres sive ab intestato, sive ex testamento sive necessarius, sive non, potest acceptare, vel repudiare haereditatem; atque etiam acceptare vel pure, vel sub beneficio inventarii, in quo casu non tenetur ad debita defuncti ultra vires haereditatis. Renunciatio tamen nuda, hoc est non jurata, haereditatis futurae in toto, vel in parte facta ab haerede necessario, jure communi est irrita. Sicut est irritum omne pactum de haereditate certae personae viventis cedenda alteri particulari; Imo est etiam irritum pactum mutuum de successione reciproca, nisi fiat per modum ultimae dispositionis, utrimque revocabilis, ut saepe accidit inter Conjuges.

Executor testamenti est is, quem testator nominavit, quod si nullus nominetur executio testamenti pertinet ad haeredem. Possunt institui etiam plures, et etiam foeminae, imo et Religiosi de licentia sui Praelati. Si intra annum opus non perfecerint, executio devolvitur ad Episcopum, saltem quoad legata pia. Si incerta sit persona legatarii, quia duo eodem nomine appellantur, quidam arbitrantur inter utrumque pro rata dubii in foro conscientiae legatum esse dividendum. Excipe legata ad pias causas, quae in incertitudine loci, vel Ecclesiae, pauperiori cedunt. Si aliquid sit absolute relictum pauperibus, vel Ecclesiae, executio debet fieri in loco domicilii testatoris, nisi forte sit extraneus, cujus domicilium ignoretur, aut nimium distet; tunc enim distributio fit in lo-

co, in quo mortuus est. Quidam volunt nomine pauperum eos solos esse intelligendos, qui victum incertum habent ex eleemosynis Fidelium; non autem Xenodochia, vel Monasteria, quae vel ex fundatione, vel ex eleemosynis collectum victum annuum sufficienter obtinent, sed in his inspicienda est, si potest intentio fundatoris. Si legatum ad pium usum, ad quem Testator destinavit, applicari non possit, non ideo corruit, sed ab Episcopo, et executore applicandum est ad alium pium usum, conformiter tamen in quantum fieri potest, voluntati testatoris, et abnuente executore, id praestare poterit solus Episcopus Cap. *Tua nobis de Testam.* l. 3. tit. 26, et Cap. *Nos quidem* ibid. [Legata subsidiorum dotalium a testatoribus ex lege Confraternitatibus, aut piis locis relicta, ut Virginibus distribuantur, ab his tuta conscientia retineri nequeunt, si vere virgines non sint. Ita tacite declaravit Benedictus XIV. in Const. *Pastor bonus* 2744. § 27, tribuens majori Poenitentiario facultatem cum eis dispensandi super hujusmodi subsidiorum retentione *in occultis et in foro conscientiae tantum quatenus illae imposterum honeste vivant*].

Petes quando Executor debeat exequi voluntatem Testatoris. R. statim moraliter nisi sit justa causa differendi, alioquin peccat non solum contra Legatarios, sed etiam contra Testatorem, ubi agitur de legatis piis, et si differat exequi intra annum, executio saltem quoad legata pia devolvitur ad Episcopum. Plura possent hic discuti, sed quia magis pertinent ad forum externum quam internum, compendio studentes, lectorem curiosum ad prius nostrum opus et ad Legisperitos remittimus.

DISSERTATIO III.

De Contractibus onerosis et primo de Venditione et Emptione *D. Th Q. 77*

Articulus I.

Utrum liceat rem carius vendere aut vilius emere quam valeat?

Venditio definitur in jure, *pactio mercis pro pretio*; et emptio, *pactio pretii pro merce.* Sunt ergo venditio, et emptio duo contractus partiales correlativi unum integrum conficientes, qui dicitur emptio-venditio, et definiri potest *Contractus onerosus mutuo consensu constitutus dandi merces pro pretio determinato, et pretium determinatum pro merce.* Et quia tenet locum permutationis, quidquid dicimus de emptione-venditione, regulariter est applicandum permutationi, quae est contractus innominatus, *do ut des.*

Dicitur: *Mutuo consensu constitutus*; quia substantialiter perficitur mutuo contrahentium consensu, signis externis a lege vel voluntate partium requisitis manifestato, ita ut vi sua transferret dominium etiam absque traditione, nisi obstarent leges civiles, quibus cautum est nonnisi traditionibus rerum dominia transferri. L. 20 C. *De pactis*, et L. 9. ff. *De pub. in rem act.* Ex quo sequitur quod iste contractus integretur, et compleatur per traditionem, et quod ante illam emptor habeat tantum jus ad rem, ita quod si res empta tradatur secundo emptori, valide tradatur, et primo emptori competat tantum actio in venditorem.

Nunc ad quaestionem tituli. Extra dubium est rem vendere pluris, aut emere minoris justo pretio, fraude adhibita, ut frequentissime contingit inter mercatores, esse ex genere suo peccatum mortale injustitiae; quia est decipere proximum in ipsius damnum, quod est aperte contra justitiam ipsi debitam, et consequenter obnoxium restitutioni; sed quid seclusa fraude?

Dico 1. Carius vendere, vel vilius emere rem quam valeat, etiam seclusa fraude, est secundum se illicitum, et injustum, proindeque restitutioni obnoxium. Ratio est, quia emptio-venditio est introducta pro communi utilitate utriusque contrahentis, dum scilicet unus indiget re alterius, et e converso; quod autem pro communi utilitate introductum est, non debet esse magis in gravamen unius quam alterius. Alioquin non servaretur aequalitas inter contrahentes, consequenter nec justitia quae in aequalitate consistit.

Dices. Jure civili. C. lib. 4. tit. 44. L. 2. et 8. ratae habentur venditiones et emptiones, in quibus non servatur justum pretium, modo non sint infra aut supra medietatem justi pretii: ergo. R. D. ant. Ratae habentur hoc sensu quod approbentur, N. hoc sensu quod tolerentur, quatenus ejusmodi venditiones jus civile neque punit, neque contra eas dat actionem in foro exteriori C., et hoc ad vitandas lites, quae continuo nascerentur, tum ex vitiosa propensione, quam quisque habet emendi vili, et vendendi care, tum ex difficultate probandi, quale sit summum, aut infimum pretium vulgare, quod admittit latitudinem, ut dicam modo.

Dico 2. Per accidens res licite potest vendi pluris, aut emi minoris quam secundum se valeat, ratione nempe alicujus circumstantiae, puta si quis in gratiam alterius ipsi vendat rem sibi valde utilem, et ex cujus privatione patitur damnum, potest illi vendere pluris quam secundum se valeat, licet non pluris quam valeat habenti. Verum haec conclusio fusiori indiget explicatione, quam dabimus, postquam discusserimus quis sit justus rerum valor. Unde sit

Articulus II.

Quis sit justus rerum valor seu justum pretium?

Dico 1. Duo sunt, quibus constituitur justum rerum venalium pretium, nempe Reipublicae auctoritas, seu eorum qui ab illa auctoritatem habent, ut sunt Principes et Magistratus; et communis aestimatio fori seu hominum intelligentium. Primum pretium vocatur *legitimum*, quasi a lege taxatum. Secundum vocatur *arbitrarium* seu vulgare. Justum ergo rerum pretium illud est, quod vel ab auctoritate publica, vel communi hominum aestimatione est determinatum. Prob. prima pars. Sicut ad Rempublicam, seu ad eos, qui ejus auctoritate funguntur, spectat leges ac statuta condere ad bonum commune, ita et pretia rerum statuere ad idem bonum commune, ut nimirum cupiditati et fraudibus vendentium ac ementium obvietur, pauperumque expilationes impediantur: ergo sicut alia statuta ac leges Reipublicae sunt servandae, ita et ea, quae pretia rerum statuunt. Conf. Judicium Reipublicae, seu Magistratus in considerandis rerum utilitatibus, et omnibus circumstantiis, est regulariter prudentius, et attentius: ergo standum est illi regulariter. Dico *regulariter*; quia sunt quaedam exceptiones.

Prima exceptio est, si hujusmodi judicium, seu taxa contineat manifestam, et intolerabilem injustitiam, sive ex odio in venditores, sive ex propensione in emptores, sive ex inconsideratione, et ignorantia procedentem. Id tamen non debet facile praesumi, et in dubio huic taxae est standum, ut communiter docent Theologi. 2: est si ex mutatis circumstantiis, quas magistratus praevidere non potuit, taxatum ab iis pretium evadat injustum, ut si inopinato adveniat magna copia mercium. 3. si pretium vulgare usu praevaleat, sciente et non contradicente superiore, quia tunc tacite consentire censetur. 4. si merx aliqua sit aliis communibus longe praestantior (dico *longe praestantior*, hic enim parum pro nihilo reputatur) potest vendi aliquanto pluris supra taxatum pretium, sicut debet vendi infra, si sit longe vilior, quia taxa intelligitur de rebus ordi-

nariae bonitatis. 5: item taxa non obligat illum contrahentium, in cujus favorem est facta, quia nemo favore suo obligatur.

Prob. secunda pars conclusionis 1. ex jure L. *Si servum* 33. *ff. ad legem Aquiliam*. 2. Ratione: quia judicium privatum est saepe caecum et fallax, atque cupiditate facile pervertitur; judicium autem commune regulariter est prudentius, attentius, et minus errori obnoxium: ergo quando non est certior regula, illi standum est circa pretia rerum. Ideoque jure gentium merito statutum est, id habendum esse pro justo rerum pretio, quod communis aestimatio, attenta rerum utilitate et aliis circumstantiis communiter cognitis, ut modo fusius explicabo, constitueret. Dico communiter cognitis; quia communis aestimatio non desumitur ex privata unius alteriusve cognitione circa rerum utilitatem et circumstantias, sed ex communi notitia, ut dicunt jura cit.

Dico 2. Haec duo pretia in eo differunt, quod legitimum consistat in indivisibili, vulgare vero admittat latitudinem. Ratio est; quia legitimum determinatur ab uno, vel a pluribus in unum concurrentibus, et ideo potest determinari in aliquo puncto indivisibili. Posset etiam determinari in aliquo divisibili; si sic vellet Respublica, sed id fieri non solet. Pretium autem vulgare determinatur a judicio plurium, qui cum non omnes idem judicent de valore rei, sed alii paulo plus, alii paulo minus, quod enim unus aestimat novem, alter aestimat decem; necesse est dari aliquam latitudinem, intra cujus limites sistat justitia hujus pretii. Igitur minimus excessus in pretio legitimo est injustus, et obligat ad restitutionem: ut si pretium legitimum modii tritici sit taxatum ad decem libellas, qui vendendo excederet uno, duobus, aut tribus assibus, peccaret contra justitiam, et teneretur ad restitutionem: e contra in pretio vulgari potest esse variatio absque injustitia, modo sistat intra ejus latitudinem.

Hujus autem latitudinis assignantur tres gradus, infimus, medius, et supremus. Ut si pretium medium ulnae panni v. g. sit decem, infimum erit novem, supremum undecim; ita quod unicuique sit licitum illaesa justitia vendere undecim et emere novem: quia haec tria pretia continentur intra latitudinem justi pretii arbitrarii. Dico *illaesa justitia*; quia posset peccare contra charitatem, qui pauperi valde indigenti venderet supremo, aut a paupere prae inopia vendente emeret infimo.

Dico 3. In statuendis rerum pretiis, sive Respublica, sive communis hominum aestimatio, attendit non solum utilitatem rerum secundum se, sed etiam plura alia, quae extrinsece concurrunt ad augendum vel minuendum rerum valorem: nimirum officium mercandi, industriam mercatoris, modum vendendi acervatim vel minutatim, sumptus, labores, et pericula, quae communiter occurrunt in rebus comparandis vel distrahendis: haec enim omnia sunt plus vel minus praetio aestimabilia. Item copiam vel inopiam mercium, pecuniae, vendentium et ementium communiter cognitam. Quando enim merces sunt rarae et plures eas quaerunt, aut pecunia est communis, pluris aestimantur: quando e contra merces sunt copiosae et pauci eas quaerunt, aut pecunia est rara, minoris aestimantur: et haec est causa ordinaria, cur saepe et subito variantur rerum pretia, et modo crescant, modo decrescant, ita ut in iisdem nundinis merces saepe initio carius vendantur, quia tunc fervent multi emptores, in fine vilius, quia languent, aut deficiunt emptores.

Ex dictis inferes, 1. quod quamvis officium mercandi, industria mercatoris, modus vendendi minutatim, sumptus, labores, pericula communiter occurrentia, sint, ut dixi, pretio aestimabilia, non possit tamen mercator illorum ratione vendere majori pretio quam communi, quia et ista omnia fuerunt aestimata in taxatione pretii communis. Advertunt tamen casuum arbitri, quod qui non est mercator, possit eodem pretio vendere, quia est pretium commune. Neque

etiam ultra commune pretium vendere potest, qui ex sua vel inscitia, vel imprudentia, vel casu subiit graviora pericula, seu majores sumptus, aut labores, quam alii communiter subeunt. Quia pretia rerum non crescunt, aut decrescunt ex hoc quod uni, vel alteri contingit, sed ex hoc quod communiter accidit.

Inferes 2. merces ultroneas licite minoris emi, seu, ut communiter dicitur vilescere, non praecise quia sunt ultroneae, sed quia tunc vel est copia hujusmodi mercium, vel inopia emptorum; *Si enim adessent emptores*, inquit hic noster Cajetanus, *tanti, aut quasi tanti emeretur ultronea merx, quanti retenta apud mercatores.* Quapropter contendit eminentiss. Auctor, quod ut merx ultronea vilescat, debeat promulgari, ne, inquit, occulta venditio sit causa penuriae emptorum; ex quo infert noster Serra, quod si quis necessitate compulsus alicui secreto rem suam venalem offerat, non ideo vilescat, nisi constet, etiamsi promulgaretur, raros reperiri emptores, nec esse majus pretium inveniendum. Quod si res foret parum utilis emptori; eamque emeret in gratiam, et ad instantiam venditoris, qui non vult quaerere alios emptores, potest absque scrupulo minoris emi, non solum quia desunt emptores, sed quia minus valet ementi, indeque pateretur damnum, si tanti emeret, quanti valet secundum se.

Petes 1. Quid censendum de illis, qui mendaciis, et perjuriis efficiunt, ut vendant justo quidem pretio, sed summo, aut emant infimo? v. g. jurando falso rem sibi tanti constare, tantum ab aliis esse oblatum, etc. casus quotidianus. R. non videri posse excusari a peccato mendacii et perjurii: quia dato, quod alii ipsis non credant, dicunt tamen et jurant ea intentione, ut credant alii, sicque eos ad summum pretium pertrahant. Quidam eos excusant, si dum jurant rem tanti sibi constare, computent pericula, labores, interesse pecuniarum, stipendia famulorum, et similia. Sed neque hoc verum puto, nisi sic intelligant emptores.

Quantum vero ad injustitiam et obligationem restituendi, a multis excusantur: quia, inquiunt, omnes norunt hos esse astus mercatorum, ut carius vendant, aut vilius emant: unde nemo illis fidem adhibet, neque eorum mendaciis decipitur nisi qui vult decipi: hi ergo, qui nimium creduli fidem illis habent, sibi imputent. Verum quamvis ita plerumque contingat, id tamen universaliter asserere non ausim, maxime dum interponunt juramentum, aut ita mendacium fucant, ut omnino appareant sincere loqui; quod cum accidit, et inde fit quod emptor emat majori pretio quam alias emisset, vendens peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem. Quia emptor habet jus, ne fraude cogatur emere summo pretio, cum posset inferiori: atqui in casu hoc jus violat fraudulentus venditor, sicque est causa injusta, cur emptori cesset lucrum: ergo peccat contra justitiam, et tenetur restituere quod superat pretium, quo sine fraude emisset.

Petes 2. Quid censendum de illis, qui interrogati quanti velint suam mercem vendere, exigunt supra pretium supremum? R. Si non intendant hoc pretio vendere, sed solum dare emptori locum loquendi, ut sic licitando redeatur ad justum pretium, quamvis videantur mentiri, eos tamen aliquatenus excusant graves auctores, si notum, et solitum sit in tali foro mercatores sic loqui dum taxat, ut emptores ad justum pretium reducant.

Petes 3. Utrum res, quae non habent pretium legitimum, aut vulgare, ut sunt gemmae rarae, canes venatici, flores, picturae antiquae, et similia, quae non ad necessitates vitae, sed ad pompam, ornatum, aut oblectationem conducunt, possint vendi, quanti dominus volet aut poterit? R. probabilius negative; sed debere vendi secundum communem aestimationem intelligentium in his materiis, puta gemmas secundum quod a gemmariis, canes a venatoribus, picturae a pictoribus aestimantur. Ratio est, quia quaelibet res debet justo pretio vendi: illud autem censetur justum pretium, quod attentis omnibus prudenter judicatur esse illi rei commensuratum; atqui tale est quod viri intelligentes judicant rei com-

mensurari, non enim potest assignari certior regula in his, quae nec a lege, nec ab opinione fori taxantur: ergo.

Articulus III.

Utrum sint, et qui sint tituli, ratione quorum licet vendere supra, et emere infra pretium commune?

Difficultas est de damno emergente, et lucro cessante, de dilatione, et anticipatione solutionis, de subhastatione, et de chirographis, seu debitis in posterum solvendis, de quibus per singulos paragraphos dicemus.

§. I. *Damnum emergens, et lucrum cessans.*

Dico. Licet ratione damni emergentis, vel lucri cessantis ex venditione, seu emptione, vendere supra, et emere infra pretium commune: et hoc est quod dicebam articul. 2. cum Auctore, rem per accidens posse vendi pluris, quam secundum se valeat. Ratio 1. partis est, quia 1. nemo tenetur cum suo damno consulere alienis commodis. 2. Quia tunc non venditur res nuda, sed etiam utilitas, qua se privat vendens, seu damnum quod incurrit ex privatione rei suae; unde quamvis vendatur res pluris quam valet secundum se, non tamen pluris quam valet habenti.

Ratio secundae partis est 1. Quia lucrum cessans est quoddam damnum emergens; in hoc enim solum differunt, quod damnum emergens sit jactura rei jam habitae, lucrum cessans jactura rei spe proxime hebendae; non autem solum ille dicitur pati damnum qui amittit rem, quam habet, sed etiam ille qui amittit rem, quam proxime erat habiturus. 2. Quia lucrum cessans non secus ac damnum emergens est pretio aestimabile. Hinc si vendas hodie triticum, alioquin illud servaturus in tempus, quo pluris valebit, potes tanti supra commune pretium vendere, quantum necesse est, ut te serves indemnem, deductis periculis et expensis necessariis in tritico servando. Ita cap. *Naviganti*, *De usuris*. Debet tamen moneri emptor de tali lucro cessante vel damno emergente compensando per augmentum pretii, forte enim nollet tanto pretio emere qui posset alibi viliori. Quod si certum sit futurum augmentum pretii, sed incertum quantum sit futurum, potest contrahentium conventione attentis omnibus prudenter definiri; aut quod tutius est, possunt pacisci fore standum pretio quod tunc curret. An summo, an infimo, an medio? Sylvius dicit medio. Alii dicunt, quod possit venditor pacisci de summo, quia sic potuisset vendere, si illuc usque servasset. Item debet venditio, aut emptio esse vere causa damni emergentis vel lucri cessantis. Unde qui sponte rem suam venalem offert, nihil posset accipere pro damno emergente vel lucro cessante, cum illud subeat propria voluntate, et non in gratiam alterius. Verum quia hi duo tituli frequentius occurrunt in mutuo, fusiorem illorum explicationem remittimus ad dissert. sequent. *de usura*: consule.

Petes, an singularis affectus emptoris ad rem emendam, vel singularis ejus utilitas aut necessitas sit titulus legitimus eam vendendi pluris quam secundum se valeat? R. negative, quia 1. ista utilitas, quae accrescit emptori, aut indigentia, qua premitur, non est vendentis, sed ipsius ementis, nemo autem potest absque injustitia vendere quod suum non est. 2. Quia ut dictum est antea, valor seu pretium rerum aestimatur ex communi, et non privata alicujus utilitate vel necessitate; alias posses licite pluris vendere panem egeno fame morienti, quam diviti, quod est absurdum.

§. II. *Dilata et anticipata Solutio.*

Dico. Vendere pluris praecise propter dilatam solutionem, emere minoris praecise propter anticipatam solutionem extra limites justi pretii, injustum est, et restitutioni obnoxium. Est communis cum S. Thoma. Ratio est, quia tam dilata, quam anticipata solutio habet rationem mutui: dum enim vendis dilata solutione aut emis anticipata, perinde est ac si summam pactam dilatam aut anticipatam mutuares ementi vel vendenti: ergo si ratione hujus solutionis dilatae plus pretii postea accipias, vel ratione anticipatae solutionis plus mercis, istud plus accipis ratione mutui, sicque est usura venditione aut emptione palliata, ut dicemus dissertat. seq. Idque habemus aperte decisum saltem quantum ad venditionem cap. *Consuluit. De Usuris.*

Sed dubium est circa emptionem anticipata solutione ad quod pretium sit attendendum, ad illud quod currit tempore emptionis, vel ad illud quod curret tempore traditionis. R. probabilius esse attendendum ad illud, quod curret tempore traditionis, ita quod si tempore emptionis res valeat decem et tempore traditionis valitura sit duodecim, emptor debeat solvere duodecim. Si e contra tempore emptionis res valeat duodecim, et tempore traditionis sit valitura tantum decem, debeat emptor tantum decem solvere. Ratio est, quia, inquit noster Soto, cum res propter usum ematur, id quod non venit in emptoris usu, non debet aestimari praesenti pretio, sed illo, quo valitura est, dum ei tradetur.

Dixi *extra limites justi pretii*: quia si sit licitum salva justitia, ut dictum est, in omni casu vendere supremo pretio et emere infimo, a fortiori id licitum erit, dum venditur dilata solutione aut emitur anticipata, et est praxis communis. Dixi insuper *Praecise*: quia si per accidens ex dilata vel anticipata solutione sequatur damnum emergens, lucrum cessans, periculum mercis aut pecuniae amittendae, expensarum et molestiarum ad eam recuperandam, posse his titulis vendi supra summum et emi infra infimum, patet ex jam dictis, et amplius patebit ex dicendis dissert. seq. Hinc si ad instantiam emptoris vendas nunc credito triticum, quod eras servaturus in tempus, quo pluris erat valiturum, potes pluris vendere alias incurreres damnum, secus si non eras illud servaturus.

§. III. *Chirographa, seu debita postea solvenda.*

Sit casus: debentur Titio centum nummi solvendi post annum, possumne emere nunc hoc debitum praesente pecunia nonaginta nummis? Suppono me id posse, si debitum non sit liquidum, aut sit difficilis solutionis propter inopiam aut improbitatem debitoris, et ideo sit periculum illud amittendi aut faciendi expensas in eo obtinendo: et tanto minoris posse emi, quanto majus est periculum, aut difficilior solutio. Id ab omnibus conceditur et patet ex dictis. Sed quaestio est in hypotesi, quod debitum sit liquidum, et absque ulla difficultate obtinendum.

Dico 1. Probabilius est hujusmodi debita non posse emi minori pretio, quam secundum se valeant. Ita Sylvester, Soto, Delugo, Bannes, Salmanticenses, et communius. Probatur 1. Solvere nunc nonaginta nummos pro centum recipiendis post annum: perinde est ac mutuare nunc nonaginta post annum recipias centum, quod est mera usura contractu venditionis et emptionis palliata. Neque dicas non esse ibi mutuum, sed veram emptionem. R. enim non esse quidem mutuum formale, et explicitum, sed virtuale et implicitum.

Probatur 2. Centum nummi infra annum solvendi, secluso omni periculo damni emergentis aut lucri cessantis, tanti valent, quanti valent centum nummi prae-

sentes : ergo non possunt minoris emi. Prob. antecedens. 1. Si minus valerent, esset ob dilationem solutionis, nulla enim alia causa adferri potest, cum supponamus abesse omne periculum damni emergentis aut lucri cessantis : atqui valor eorum non minuitur praecise ob dilationem solutionis, alioquin usura esset licita ; possem enim, mutuando tibi centum reddenda post annum, exigere aliquod auctarium propter dilationem restitutionis, quod est plane usurarium. Caeterum hodie admodum raro proponuntur hujusmodi debita adeo certa, et liquida, ut excluso omni periculo et periculi metu aequivaleant in securitate pecuniae praesenti, sicque haec sententia, ut plurimum, sistit in sola speculatione.

Superest alia intricatior difficultas : utrum si debitum sit equidem, et communiter reputetur difficilis solutionis, ideoque communiter minus aestimetur, posset minoris emi ab eo, qui potest facile solutionem obtinere sive ob favorem debitoris, sive quia habet alios contractus cum ipso, sive singulari aliqua industria. Pro cujus resolutione

Dico. 2. Qui debitum difficilis solutionis minoris emit quam secundum se valeat quamvis ipse noscat privatim modum obtinendi facile integram solutionem, non videtur peccare contra justitiam. Est probabilior, et communior, quidquid dicat Daelman. Prob. Rei alicujus pretium, quod non est a lege taxatum, quale est pretium debitorum qua dubiorum et difficilium, non ex privato emptoris commodo, sed communi aestimatione definitur : atqui debita dubia et difficilia communi aestimatione minoris valent quam debita certa et facilia : ergo minoris emi possunt etiam ab illo, qui novit privatim aliquam singularem rationem facile obtinendi eorum solutionem : idque ejus industriae aut bonae fortunae est adscribendum. Et inde

Confirmatur 1. Quod hujusmodi emptio sit huic emptori utilior quam alteri, non provenit ex ipsa re, neque per se nocet venditori, sed provenit ex ipsa industria aut bona fortuna emptoris, consequenter est ejus bonum proprium, quod ab alio vendi non potest, aut propter quod res non potest ipsi vendi carius quam caeteris, ut supra dicebamus ex D. Thoma : ergo. Conf. 2. Illa specialis industria emptoris est pretio aestimabilis : ergo potest absque injustitia aliquid exigere pro illa, sicque rem minoris emere. Patet antecedens ; quia posset illam mediante pretio aliis locare.

Petes, utrum si creditor occulte novit suum debitorem non esse solvendo, aut esse difficilis solutionis, possit iis, qui nesciunt, vendere suum debitum secundum totum quod continet? R. id non licere secundum charitatem et legem naturae, qua prohibemur alteri facere quod non vellemus nobis fieri. Probabilius etiam existimo id esse injustum, sicut injustum foret tanti vendere jus ad agrum sterilem, quanti venderetur jus ad agrum fertilem, quia haec solutionis difficultas videtur vitium intrinsecum rei saltem moraliter loquendo, adeoque manifestandum ; quod si non manifestetur, erit fraus et deceptio dans causam contractui, qui proinde poterit rescindi, aut damnum erit compensandum. Neque obstat, quod ille vendat suum debitum, quanti communiter aestimatur ; quia illa communis aestimatio fundatur in errore.

Repones. Qui scit privatim magnam mercium copiam brevi adventuram, potest suas vendere juxta communem et praesentem aestimationem, et tamen ista communis aestimatio pariter fundatur in errore seu ignorantia. R. disparitatem esse, quod copia mercium adventura sit quid mere extrinsecum aliis mercibus ; difficultas autem solutionis in casu sit, ut dictum est, saltem moraliter loquendo, vitium intrinsecum debito solvendo.

§. IV. *Subhastatio.*

Dico. In subhastationibus res potest licite pluris vendi, aut minoris emi quam secundum se valeat, aut quam venderetur, aut emeretur alibi. Ratio est, quia pretium in hoc foro non petitur ab opinione vulgi, sed constituitur per ipsos licitantes absque respectu ad pretium, quod res alibi habent aut haberent, idque pro justo habet Respublica, et ut tale apprehendit communis sensus hominum, ea praesertim ratione, quod vendens et emens aequali periculo lucri et damni se committentes libere consentiunt in pretium, quod per licitationes statuetur. Neque id ita est proprium huic foro, quin simile quid contingat in nundinis, et foris ordinariis, in quibus non servatur semper pretium, quod res extra forum haberet; sed quod in ipso foro, seu nundinis ipsimet emptores constituunt, ita ut modico tempore saepe in eodem foro crescat, aut decrescat secundum majorem, vel minorem copiam, et fervorem emptorum.

Verum ut hujus pretii justitia salvetur, debet abesse omnis fraus, quae variis modis subrepere potest. 1. Si venditor exponat unam rem pro altera, defectuosam pro integra. 2. Si per se vel per fictos emptores licitet, ut pretium augeatur, quia tunc, ultra fraudem, quae nemini favet, nullum periculum vendendi vilius incurret, sed soli emptores incurrerent periculum emendi carius; insuper esset simul vendens et emens, quod admitti non potest. 3. Si emptores monopolium ineant seu statuant inter se pretium, ultra quod nemo illorum possit licitare. Excusatur tamen ab auctoribus emptor, qui simpliciter rogaret alios emptores ne ultra certum pretium licitent, ut ipse justo pretio, licet infimo, obtinere possit. 4. Si praeco citius aut tardius, quam fieri solet, rem uni adjudicet. 5. Si ii, qui constituuntur ad vendendas res aliorum, ut sunt Proxenetae, Curatores, Executores testamentorum, instituant auctionem, quando adhuc sunt pauci emptores, aut sciunt paucos adfuturos, ut ipsi vel eorum amici vili pretio emant. In his, inquam, casibus non salvatur justitia pretii, quia licet justum pretium in his auctionibus constituatur, tamen neque hic, neque alibi fieri potest per fraudem, quae semper justitiae contrariatur.

Sed petes, utrum vendens non possit saltem rem suam retrahere, si videat in decursu licitationum eam esse infra justum pretium ordinarium vendendam? R. id videri secundum se illicitum propter plura. 1. Quia emptor pretium semel oblatum revocare non potest: sic enim fert tacita contrahentium conditio, et sic apprehendit sensus communis hominum, alioquin emptores facile sibi nocerent augendo pro libitu pretium, absque animo emendi: ergo nec venditor potest rem suam retrahere. 2. Potest contingere, quod venditor ultra pretium ordinarium vendat: ergo par est ut subeat periculum vendendi infra. 3. Quia publice, sive voce proclamando, sive affixis schedulis convocantur emptores ad auctionem, ex quo acquirunt jus quoddam ad rem venalem, fitque tacita stipulatio, ut cedat plus offerenti: ergo fit ipsi injuria, si retrahatur. 4. Tamdem quia inchoata licitatio est inchoata venditio, et sic quidem ut emptor teneatur stare verbo suo, ut dictum est, et hinc iterum jus inchoatum habet ad rem, quod jus violatur, si res retrahatur.

Neque dicas, quod in nundinis et foris ordinariis, in quibus etiam concurrentes statuunt pretium, ut diximus supra, venditor possit rem suam retrahere, si videat non offerri justum pretium; disparitas enim patet ex dictis. 1. Quod ad nundinas non vocentur emptores sicut ad auctiones, sed quisque proprio nutu accedit. 2. Quod oblatio pretii in nundinis facta ab emptoribus non ita sit inchoata emptio, ut hoc pretium semel oblatum revocare non possint, sicut in au-

ctionibus. Unde non est mirum, si etiam venditores merces suas retrahere possint.

Haec quidem secundum se et attenta natura hujus contractus videntur omnino vera; verum per accidens et attento usu universali contrario, quid sit resolvendum vix scio. Probe scio non semper aliquid licere, ideo precise quia fit communiter, sed interim durum videtur damnare injustitiae praxim, quam universaliter tenent docti et indocti etiam pii et timorati, et ut ita dicam, universus orbis absque ullo scrupulo et ulla injustitiae suspicione, et quod plus est saepe coram ipsis Judicibus non contradicentibus, sciente et tacente Republica, ex cujus silentio potest erui quaedam tacita hujus praxis approbatio. Nec irrationabiliter; cum enim quae venduntur sub hasta, saepe vendantur prae indigentia, ex silentio Reipublicae potest aestimari eam velle venditoribus favere permittendo ipsis res suas retrahere, non emptoribus pretium oblatum revocare; sicut eadem de causa favet venditoribus censuum, dum permittitur ipsis censum redimere refundendo capitale, quod non permittitur emptoribus repetendo capitale.

Forte ergo non erit a veritate alienum dicere, quod venditores sub hasta res suas juxta praxim communem retrahentes, utantur potestate sibi a Republica, vel jure gentium concessa. Vel, si mavis, quod emptores, qui sciunt ita universim observari, parati ipsimet data occasione idem facere, cedant juri suo, sicque ex inaequalitate conditionis nullam ipsis fieri injuriam. Qui expeditius quid noverit, proferat.

Sed dices forte, iis rationibus etiam excusari posse eos venditores, qui per se, vel fictos emptores licitant, ut augeatur pretium, cum haec sit etiam universalis praxis sciente et non contradicente Republica. Hic haerent aquae, si verum sit quod haec praxis ubique vigeat, sicut revera viget in his partibus. Probare nolo, damnare non audeo, doctioris judicium expecto.

Articulus IV.

Utrum venditio reddatur illicita propter defectum rei venditae?

Nota 1. Circa rem, quae venditur, triplex defectus considerari potest. Unus circa rei speciem seu substantiam, ut si quis vendat aurichalcum pro vero auro, vitrum pro gemma. Alter defectus est circa quantitatem, ut si vendat minori pondere aut mensura. Tertius circa qualitatem, ut si vendat animal infirmum pro sano. Nota 2. Diximus supra Dissert. 1. de Contract. in genere, substantiam rei in contractibus id dici, quod principaliter intenditur a contrahente, sive sit secundum se substantia, sive accidens.

Dico 1. Qui scienter vendit rem defectuosam, sive in substantia, sive in quantitate, aut qualitate tamquam integram, hoc est eodem pretio, ac si esset integra, peccat mortaliter ex genere suo contra justitiam, et tenetur ad restitutionem: quia committit fraudem in damnum proximi, et facit inaequalitatem pretii ad rem.

Dico 2. Qui ex ignorantia inculpabili vendit rem defectuosam, sive in substantia, sive in qualitate, aut quantitate pro integra, non peccat, quia facit injustum materialiter tantum; sed ubi id resciverit, tenetur damnum recompensare emptori, quia fecit inaequalitatem, cum ipse habeat plusquam debet habere, et emptor minus. Quod hic in utraque conclusione dixi de venditore, intelligendum est etiam de emptore, qui emeret rem integram, aut pretiosam pro vili seu defectuosa, v. g. gemmam pro vitro, eaedem enim rationes pro utroque militant.

Ex dictis colliges, eos esse reos injustitiae, et obnoxios restitutioni, qui venduntur hydromeli pro vino Hispanico, vinum adustum, seu vinum mixtum aqua pro puro, medicamenta antiqua pro recentibus, frumentum casu, vel industria madefactum pro sicco, mixtum paleis aut secali pro puro etc. Attamen

Dico 3. Si res habens defectus, sive casu, sive mangonio venditoris sit aeque bona, et aeque valeat, ac res aliae ejusdem speciei, quae communiter venduntur, non videtur injustum eas vendere eodem pretio, quo aliae venduntur: v. gr. aliquis frumento selectissimo miscet secale, aut paleas, vino generosissimo vinum tenue, aut aquam, et nihilominus, sive vinum, sive frumentum remanet omnino aeque bonum, ac alia vina, aut frumenta, quae communiter venduntur, potest absque injustitia illud vendere eo pretio, quo alia venduntur. Idem est, si frumentum tuum, aut vinum sit equidem commune, sed purum, et alii passim non vendunt, nisi mixtum aut adulteratum. Prob. Venditor in casu nec damnum, nec injuriam facit emptori. Ergo. Probatur antecedens: vendit illi rem aequalis bonitatis, et utilitatis ad usus humanos, ac eam quam ab aliis emeret, et aliunde non tenetur illi tradere quae sit majoris bonitatis et valoris quam alii traderent: ergo. Et hoc verum est etiamsi pretium sit taxatum a lege; quia pretia rerum taxantur, ut jam dixi alibi, secundum bonitatem non exquisitam, sed communem quam habent.

Dixi *Non videtur injustum*; quia communiter id est illicitum, nisi fiat ex aliqua causa urgente, id enim communi fidei et sinceritati commercii repugnat, cum emptores intendant emere merces integras; idque odiosum habet Respublica, nec congruit, ut mercatores constituantur Judices in propria causa; multi enim ex cupiditate lucri existimant merces suas adulteratas aequivalere communibus, cum saepe sint diversae, et diversos habeant effectus. Tunc ergo solum arbitramur licere absque ullo peccato merces adulterare et adulteratas ut communes vendere quando certo constat eas aequivalere communibus ad omnes usus, quos intendit emens, et dominus eas non potest justo pretio vendere, ita ut non possit indemnitati suae consulere, nisi aliquid vilius immiscendo usque ad aequipollentiam communium.

Dico. 4. Venditio propter defectum rei illicita, de qua in prioribus conclusionibus, quandoque est valida, quandoque invalida, quandoque rescindibilis, quandoque non. Est invalida, si defectus sit circa substantiam rei totaliter, ex quovis capite promanet ignorantia defectus, et licet non det causam contractui, quia deest consensus in rem, ut si vendas vitrum pro gemma. Idem dic de emptione, ut si emam gemmam pro vitro. Dixi *totaliter circa substantiam rei*; quia si esset tantum partialiter, ut vinum mixtum aqua, id magis pertinet ad defectum qualitatis quam substantiae.

Si defectus sit circa qualitatem aut quantitatem, hoc est circa mera accidentia, valida est venditio, quia est consensus sufficiens in rem; sed si ignorantia defectus sit ex dolo alterius contrahentis, et sit causa venditionis, est rescindibilis ad nutum decepti, qui habet actionem redhibitoriam, propter injuriam sibi factam; si autem ignorantia defectus non sit ex dolo vendentis, etiamsi sit causa contractus, venditio non est rescindibilis, sed deceptus habet actionem *quanti minoris*, hoc est, habet jus ut compensetur pro damno quod patitur. Hanc conclusionem summatim propositam fusius explicatam et probatam habes Disser. 1. de Contract. in genere art. 3. Illuc recurre.

Sed jam difficultas est, quandonam venditor, aut emptor censeatur adhibere dolum? Id facere potest dupliciter: positive et negative. Positive verbis et factis. Verbis, quando mendaciis conatur occultare vitium suae mercis, non equidem si generaliter extollat mercem suam; id enim commune est omnibus vendentibus, et id probe sciunt emptores, neque inde decipiuntur; sed bene

si asserat non habere hunc defectum. Factis si arte, quam dicunt *Mangonium*, faceret, ut suae merces, meliores quam sint, appareant. Id tamen intellige cum isto moderamine, quod dolus non sit communis, nec notus emptoribus, alioquin non censentur illo decipi; sicut omnibus notum est mercatores solere aliquantulum fucare suas merces, et meliora exterius apponere. Negative autem fraudem adhibet qui non aperit defectum rei suae, quando tenetur aperire; sed quaestio est, utrum, et quando teneatur aperire? Pro quo sit

Articulus V.

Utrum venditor teneatur aperire defectum suae mercis?

Dico 1. Venditor interrogatus de vitio suae mercis qualecumque sit, sive occultum, sive manifestum, sive reddat rem inutilem emptori, sive non, sive minuat de pretio, sive non, tenetur illud aperire; alias contractus est nullus et injustus. Est communis: quia 1. dum emptor sic interrogat, satis significat se non velle emere rem defectuosam, ideoque deest ejus consensus. 2. Quia venditor ratione officii tenetur aperire qualitatem suae mercis, quando de ea interrogatur; alioquin innumeris fraudibus sordescerent venditiones, cum nemo ipso melius censeatur mercem suam noscere; et ideo si interrogatus taceat, est venditor dolosus, et ejus dolus dat causam contractui.

Excipiunt tamen plures, si vitium sit ita parvi momenti, ut eo cognito rem nihilominus emisset emptor: quia haec est communis praxis mercatorum, ut etiam interrogati minima taceant, idque sciunt emptores, modo tamen pro ratione vitii etiam minimi pretium minuant. Et hoc maxime verum est inquit Lessius post Victoriam, quando emptor expresse non rogat de vitiis, sed solum petit rem bonam, et utilem. Quidam etiam excipiunt, si venditor emptori interroganti respondeat, se vendere mercem suam prout est in se, utcumque sit; qua declaratione ostendit aliquo vitio laborare. Secus autem esset, si ea arte declararet defectus rei, ut potius credatur nullum habere ut si dicat: Vendo tibi equum ut est, nolens ullo ejus defectu teneri, et ideo vendo tibi ut coecum, claudum, sternacem, morbidum etc. recensens inter defectus, quibus evidenter caret, illum quo vere laborat. Est enim hic aperta fraus nociva Emptori.

Dico 2. Venditor etiam non interrogatus tenetur manifestare vitium occultum rei suae, si reddat rem emptori noxiam vel inutilem ad finem, ad quem emit, etiamsi detrahat de pretio pro ratione vitii: puta si eunti ad praelium vendat equum claudicantem pro veloci, si vendat domum ruinosam pro firma, cibum corruptum, aut venenosum pro sano. Quia cum ipse recipiat pretium bonum, et non defectuosum, sine justa ratione praebet emptori occasionem damni, et periculi, quod est illicitum, et injustum. Insuper deest sufficiens consensus ex parte emptoris, quia error ejus versatur circa substantiam rei, vel circa accidens principaliter intentum, et redundans in substantiam rei; intendit enim principaliter emere rem sibi utilem. Nota bene tamen, rem non censeri emptori noxiam aut inutilem, si quamvis ipse ea uti non possit ad suos fines, potest tamen etiam detecto vitio, facile et sine ullo gravamine eodem pretio vendere aliis, quibus est utilis. Ita aperte indicat S. Doctor.

Dico 3. Si vitium occultum non reddat rem noxiam, vel inutilem emptori, et venditor non interrogatus subtrahat de pretio pro ratione vitii, non tenetur illud manifestare. Est communis cum Auctore: quia positis his conditionibus, justa est venditio, cum sit aequalitas inter rem, et pretium, nec ullum damnum, aut periculum sequatur emptori; et aliunde venditor habet justam rationem hujusmodi vitia tacendi, nimirum ut consulat indemnitati suae; si enim haec ape-

riret, emptor vellet plus subtrahi de pretio quam esset subtrahendum, contendens majus esse malum, dum venditor contenderet esse minus, sicque forent continuae contentiones inter ementes et vendentes, et hi non possent vendere minutatim nisi merces perfectas et integras; cum tamen emant acervatim integras simul et defectuosas; unde cessaret negotiatio in detrimentum Reipublicae. Facta tamen venditione debet emptor moneri de defectu, si sit periculum, ne ipse majori pretio aliis vendat, tamquam integram, aut ne diutius velit servare, cum servari non possit, aut ne suo vitio inficiat alias, ut ovis morbida.

Dico 4. Si vitium sit manifestum, puta si equus sit monoculus, venditor non rogatus non tenetur per se loquendo illud manifestare, quia cum de se pateat, supponitur illud ab emptore deprehendi.

Dixi *per se loquendo*, quia si venditor advertat emptorem prae simplicitate, aut inadvertentia illud non apprehendere, et sit vitium, quo res sit ipsi inutilis aut noxia, tenetur monere non solum ex charitate, ut omnes fatentur, sed ut arbitror etiam ex justitia; quia licet vitium sit secundum se manifestum, est tamen respectu illius emptoris occultum, sicque militant rationes secundae conclusionis.

Quae dixi de venditore respectu rei vendendae, applicanda sunt ut plurimum emptori respectu rei emendae, ut magis patebit ex articulo sequenti, quem pono ad majorem elucidationem praesentis. Unde sit

Articulus VI.

Utrum venditor, qui novit pretium mercium brevi minuendum ob futuram earum copiam, teneatur id manifestare emptoribus, vel subtrahere de pretio?

Dico. Venditor, qui privatim novit pretium mercium brevi minuendum ob futuram earum copiam, non tenetur id aperire emptoribus, sed seclusa fraude, potest illaesa justitia suas vendere pretio currente; si tamen id indicaret, aut de pretio minueret, abundatioris esset virtutis. Similiter emptor, qui privatim novit pretium mercium brevi augendum, potest eas emere pretio currente. Ita post Auctorem Cajetanus, Soto, Bannes, Sylvius, et alii communiter contra paucos. Prob. 1. ex facto Joseph Genes. 41. qui sciens futuram inopiam frumenti et inde pretium augendum, magnam copiam emit pretio tunc currente. Prob. 2. Is, de quo in conclusione, vendit aut emit justo pretio: ergo. Prob. ant. Justum pretium est illud, quod communi aestimatione fori constituitur: ast is, de quo in conclusione, vendit aut emit pretio communi aestimatione fori constituto, non enim ejus privata notitia mutat communem aestimationem: ergo. Neque refert, quod inde sequatur damnum emptori, id enim est praeter intentionem venditoris, cum ipse dumtaxat intendat consulere indemnitati suae utendo jure suo.

Confirmatur 1. Si venditor sciret pretium mercium esse brevi augendum, non posset nunc vendere suas merces pretio majori futuro, sed teneretur vendere pretio nunc currente; ergo eodem pretio nunc currente vendere potest, etiamsi sciat esse minuendum: sicut enim non valet haec argumentatio: *Res cras pluris valebit, ergo possum hodie pluris vendere*: sic non valet ista: *Res cras minoris valebit, ergo teneor hodie minoris vendere.* Conf. 2. ab inconvenientibus. Ex opposita sententia sequeretur 1. quod si ignorans pretium mercium brevi minuendum, venderet nunc pretio currente, teneretur restituere emptori ratione rei acceptae, quia venderet pretio materialiter injusto. 2. Quod qui in animo haberet vendere intra triduum magnam frumenti copiam, non posset hodie

vendere aliquos modios pretio currente, quia sciret ex sua futura venditione pretium fore minuendum: atqui haec a nemine admittuntur: ergo.

Hinc inferes eum, qui scit pretium frumenti, aut monetae ex decreto Principis nondum promulgato esse minuendum posse sua frumenta pretio communi vendere, et suas pecunias commutare. An autem id possint Senatores controvertitur, qui saltem non possunt edicti promulgationem differre ex industria, nec illud suis amicis revelare.

Dixi in conclusione *seclusa fraude*, quia qui fraude, aut mendaciis alliceret venditores ad vendendum, aut emptores ad emendum, puta dicens non esse futuram copiam mercium, cum sit futura, aut esse futuram cum non sit, probabilius peccaret contra justitiam, et teneretur ad restitutionem, quia noceret aliis cum injuria: quilibet enim habet jus, ne per fraudem in damnum suum decipiatur, ideoque est rationabiliter invitus. Dixi *illaesa justitia* quia potest contingere, quod peccet contra charitatem, si magnam mercium copiam uni venderet, ex quo ejus fortuna insigniter everteretur, vel plus solito urgeat emptorem, ut plures, quam solet, merces emat, vel sciens augendum pecuniae pretium, magnas summas mutuo accipiat, alioquin non accepturus; in quibus ultimis duobus casibus subesse injustitiam opinatur Perfector Tourneli, quia communi hominum sensu qui ita se gerunt, pro deceptoribus habentur; an autem omnino vere, non constat.

Articulus VII.

Quae res vendi possint?

Suppono generaliter nos posse valide vendere omnia pretio aestimabilia (non itaque spiritualia, aut spiritualibus annexa) quae nostra sunt in re, spe, jure, credito, seu quaecumque sunt nostri juris, nisi speciali jure prohibeamur. Difficultas est de rebus, quibus emptor creditur abusurus, utrum licite illi vendi possint. Pro quo

Nota 1. res quoad praesentem materiam posse considerari in duplici differentia. Quaedam sunt ex modo, et forma sic determinatae ad malum usum, ut nullum, vel vix ullum bonum habere queant, sic sunt v. g. maleficium, instrumentum libidinis, vestes muliebres ubera nudantes, libelli famosi, picturae lascivae, idola, vestes sacerdotales Paganorum, aut alia ad cultum idololatriae pertinentia. Aliae sunt indifferentes ad bonum et malum usum, ut sunt arma, venena, fuci, aleae, taxilli, chartae lusoriae, et innumera alia, vix est enim aliquid in mundo, quo non possit abuti malitia hominis. Inter haec a quibusdam reponuntur idola, et vestes sacerdotales Paganorum, quae sicut ad idololatriam, ita ad ornatum, aut repraesentationes theatrales inservire possunt. S. Thomas tamen infra citandus ea reponit in prima differentia, quia loquitur de illis respective ad Paganos.

Nota 2. ex eodem S. Doctore, *qu.* 13. *de malo a.* 4. *ad* 17. 18. *et* 19. quod quamvis pro nullo incommodo temporali liceat consentire in peccatum alterius, liceat tamen pro vitando incommodo praebere illi materiam, aut occasionem peccati, non intendendo quidem peccatum ejus, sed nostrum commodum, ideoque nos habendo permissive ad ejus peccatum, ut contingit in eo, qui necessitate compulsus petit mutuum ab usurario: illud autem incommodum vitandum debet esse proportionatum majori, vel minori proximitati, seu influxui occasionis, vel materiae datae; item majori gravitati peccati, quod inde sequitur.

Dico 1. Vendere communiter, et ex professo res, quibus homo vix, aut ne vix uti potest absque peccato, seu quae ex modo et forma sunt determinatae ad

malum usum, quales sunt quas recensuimus in prima nota et similes, est illicitum; quia est directe praebere materiam, et occasionem proximam peccandi, quod numquam licet absque aliqua justa, et proportionata ratione, quae hic non subest: cum enim hic agamus de his, qui communiter, et ex professo talia vendunt, non potest adferri altera ratio quam lucrum ex hujusmodi commercio, quod non est sufficiens, et proportionata ratio, concurrendi tam directe, et propinque peccato alterius. Dixi, *Vendere communiter, et ex professo*; quia si mihi casu habenti maleficium, philtrum, idolum, aut quid simile, quis minaretur mortem aut mutilationem, nisi vendam, possum vendere, quia conservatio vitae aut membrorum est sufficiens ratio negligendi alterius peccatum, sic ut non possit mihi dici voluntarium. Item si mihi certo constaret quod emens petat ad licitum usum, v. g. vestes sacerdotales Paganorum ad tragoediam, libellum famosum ad refutandum aut ad instructionem propter alia utilia in eo contenta, possem absque alia ratione vendere.

Dico 2. Vendere absque justa causa res indifferentes ad bonum, vel malum usum illi, qui verisimiliter creditur abusurus, est etiam illicitum propter eamdem rationem, quia scilicet est sine causa praebere alteri occasionem peccandi, et ad ejus peccatum concurrere, quod non licet. Adde quod unusquisque teneatur ex charitate impedire peccatum proximi, quando commode potest. Subsistente autem justa, et proportionata ratione, id non est illicitum: quia tunc peccatum alterius non potest dici vendenti voluntarium etiam indirecte, seu in causa, cum non teneatur amovere causam; sed e contra habeat justam rationem illam ponendi, et peccatum alterius negligendi; nec tam gravis ratio requiritur quam in prima conclusione, quia res, quae venditur, non est determinata ad malum usum. Sic pergenti ad duellum et mihi mortem aut grave malum minitanti, nisi vendam gladium, possum vendere: sic se inebriaturis aut violaturis jejunium possum cibum et potum vendere, si ex denegatione immineant graves rixae aut blasphemiae, quia hae rationes negligendi peccatum alterius sunt justae.

An vero id etiam mihi liceat, ne emptores deserant officinam meam et inde lucrum speratum amittam? R. Quod pauci deserant officinam, et inde aliquod lucrum amittam, non videtur sufficiens ratio praebendi alteri materiam et occasionem peccandi; secus si ideo omnes vel plurimi desererent, et inde grave lucrum cessans pati deberem. Hac ratione videntur excusandi qui merces in sua provincia venales permissas vendunt iis, quos sciunt eas translaturos in provincias, in quibus sunt interdictae, si recusando vendere hujusmodi emptoribus, eorum commercium penitus, aut magna ex parte corrueret, nec aliud commode exercere possent.

Dico 3. Vendere res, quibus homo potest bene, vel male uti, quando non est legitima ratio suspicandi emptorem abusurum, nulla ratione prohibetur; alioquin, ut jam pluries notavi, nulla res vendi posset, cum nulla sit qua homo abuti non possit; neque scrupulose inquirendum est de intentione emptorum, ubi nullum est indicium malae voluntatis: sic passim venduntur fuci, aleae, chartae lusoriae, arma offensiva, et alia plura similia, quamvis plures sciantur in communi eis abuti.

Petes utrum semper peccet, qui scienter emit rem alienam? R. 1. affirmative si eam emat animo retinendi, quia est possessor malae fidei. 2. negative, si eam emat modico pretio animo reddendi Domino, vel expendendi in usus pios, si facta diligenti inquisitione non compareat. Dominus autem tenetur reddere pretium Emptori, si sit modicum, si enim emerit justo pretio non tenetur refundere totum, quia in hoc emptor non gessit utiliter ejus negotium, sed tantum aliquod modicum arbitrio viri prudentis; nisi forte emptor pretium rigoro-

sum, et etiam excedens solverit, quia sciebat Dominum illud libenter fuisse daturum, eo quod re sua multum indigebat.

Articulus VIII.

Cui res vendita pereat aut fructificet?

Certum est rem venditam et traditam soluto pretio vel assecurato, sive per pignus, sive per fidejussorem, sive per fidem habitam emptori, perire aut fructificare emptori: quia tunc una cum pleno dominio omnia rei commoda et incommoda in eum transferuntur. Dixi *Soluto pretio, vel assecurato, aut fide habita*; quia secundum jura §. *venditae* 41. Instit. *De rerum divisione*, expresse statuitur rei venditae dominium non aliter acquiri emptori, quam si is venditori pretium solverit, aut fidejussore vel pignore assecuraverit, aut nisi venditor fidem emptoris secutus fuerit, hoc est, consenserit vendere credito bene fidens bonae fidei emptoris de pretio postea solvendo. Idque conformiter rationi: quia non transfertur dominium per venditionem nisi volente venditore: venditor autem non censetur velle transferre rei suae dominium, nisi emptor ex parte sua compleverit contractum per pretii solutionem aut assecurationem, aut nisi venditor significaverit se velle credito vendere, alioquin merito rem venditam sibi realiter obligatam tenet in pretii solvendi securitatem. Cui in isto casu res pereat aut fructificet, patebit ex sequentibus. Difficultas ergo est, cui res vendita sed non tradita, aut tradita sed non soluta, pereat, aut fructificet? Et quidem primo intuitu videtur perire, aut fructificare domino; attamen jura aliter statuunt.

Nota. Res vendita, vel est determinata in individuo, ut haec ovis, haeduae oves, hic ager, hoc vini dolium, hic grex ovium; vel est indeterminata in individuo, ut decem modii ex acervo, decem oves ex grege, eas non designando, seu determinando. Iterum res determinata in individuo potest vendi, vel ad corpus, hoc est, prout corpus sensibus objicitur unico pretio sine ordine ad mensuram, pondus, aut numerum, ut si dicam, vendo tibi hoc vini dolium quinquaginta libellis, hoc praedium mille libellis, hunc gregem quingentis libellis: vel vendi potest ad mensuram, pondus, aut numerum: ut vendo tibi hoc vini dolium, quodlibet poculum viginti assibus, hoc praedium quinquaginta libellis pro singulis jugeribus, hunc gregem quinque libellis pro qualibet ove.

Dico 1. Res absolute vendita etiam non tradita, si sit determinata in individuo, et ad corpus vendita, perit, et fructificat emptori, modo tamen non intercesserit culpa, aut mora venditoris, seu aliter non sit conventum. Idem dicendum a fortiori de re tradita, sed non soluta, cujus dominium diximus manere penes venditorem. Est communis. Prob. §. *Cum autem* 3. Instit. *de empt. et vendit.* lib. 3. tit. 23. sic statuitur: *Cum autem emptio contracta sit (quod effici diximus simul atque de pretio convenerit, cum sine scriptura res agatur) periculum rei venditae statim ad emptorem pertinet, tametsi adhuc ea res emptori tradita non sit. Itaque si... aedes totae vel aliqua ex parte incendio consumptae fuerint, emptoris damnum est, cui necesse est, licet rem non fuerit nactus, pretium solvere. Quidquid enim sine dolo et culpa venditoris accidit, in eo venditor securus est. Sed etsi post emptionem fundo aliquid per alluvionem accesserit, ad emptoris commodum pertinet: nam et commodum ejus esse debet, cujus periculum est.* Idem statuitur L. *Quod saepe* 35. §. 4. ff. *de contrah. empt.* lib. 18. tit. 1. et L. *Id quod* ff. *de periculo et commodo rei vend.*

Ratio est, quia venditio absoluta rei determinatae est de se sufficiens ad transferendum dominium; quod autem non transferat, est ex dispositione legum.

quae sic statuerunt; porro leges impediendo translationem dominii ante traditionem, noluerunt impedire, quin omnia rei commoda et incommoda pertinerent ad emptorem, perinde ac si dominium rei in illum esset translatum; ut patet ex citatis juribus.

Dico 2. Res indeterminata, vel etiam determinata, sed vendita ad mensuram, pondus, aut numerum, ut explicatum est, perit venditori, si pereat antequam tradatur, vel mensuretur, ponderetur, aut numeretur, nisi emptor fuerit in mora. Ita communiter. Probat. ex L. *Quod saepe* cit. §. *in his* 5. ubi decernitur talium venditionem *perfici cum adnumerata, admensa, adpensave sint, quia venditio quasi sub hac conditione videtur fieri, ut in singulas metretas, aut in singulos modios, quos quasve admensus fueris, aut in singulas libras, quas appenderis, aut in singula corpora quae adnumeraveris.* Audis rationem; quia nimirum hujusmodi venditio sit sub conditione, si res tradatur, si designetur, si mensuretur, ponderetur vel numeretur; quae designatio, mensuratio, ponderatio, aut numeratio cum debeat fieri coram emptore, aut ejus vices gerente, est quaedam traditio.

Petes, cui debeatur res successive vendita duobus? R. 1. Si neutri sit tradita, debetur priori emptori: tum quia qui prior est tempore, potior est jure, Reg. juris 15. in 6. tum quia non potest tradi secundo emptori sine injuria primi emptoris: ergo ne fiat injuria, ipsi est tradenda. 2. Si posteriori emptori sit tradita, regulariter ipsius est. L. *Quoties* 15. C. *De rei vindic.* Ratio est, quia secundus emptor per traditionem acquirit jus is re, cum primus emptor vi contractus sine traditione habeat tantum jus ad rem, ut saepe diximus ex jure; in utroque autem casu venditor tenetur emptori frustrato de damno, et hic emptor habet actionem personalem in venditorem. Et haec etiam locum habent in donationibus, locationibus, etc. quando res est donata vel locata pluribus.

Dixi *Regulariter*, quia excipiuntur quidam casus. 1. Excipitur, si venditio facta sit civitatibus, Ecclesiis, aut locis piis, quibus ex privilegio transfertur dominium solo contractu absque traditione. L. ult. C. *De Sacrosanctis Ecclesiis.* 2. Si prior emptor solvit pretium et secundus emptor rem habens non solvit, nec assecuravit, aut non sit ipsi fides adhibita; quia, ut diximus prius, venditor non intendit rei suae dominium transferre nisi soluto pretio seu assecurato, aut nisi pro eo fidem habuerit emptori. 3. Si secundus emptor fuerit conscius prioris venditionis alteri factae, tenetur de damno erga priorem emptorem, quia emendo scienter, cooperatus est injustae rei alienae alienationi in damnum primi emptoris, consequenter de eo tenetur ratione injustae acceptionis. Et id etiam locum habet in alienatione facta in fraudem creditorum ab eo, qui solvendis debitis est impar.

Articulus IX.

De variis pactis contractui venditionis-emptionis adjectis.

Nota, et sit regula generalis; omne pactum emptori onerosum venditioni-emptioni adjectum debet compensari diminutione pretii vel aliter; sicut si sit onerosum venditori, debet compensari auctione pretii, quia est onus pretio aestimabile seorsim a justo rei pretio. Pacta autem venditioni adjici solita sunt; pactum retrovendendi, aut redimendi in futurum, contractus, quem Hispani vocant *Mohatra*, pactum legis commissoriae, pactum adjectionis in diem, et retractus.

Pactum retrovendendi, seu redimendi in futurum.

Contractus venditionis cum pacto redimendi, est contractus, quo res venditur eo pacto, ut venditori infra certum tempus, vel quando ipsi placuerit, emptor teneatur rem vendere. Potest etiam fieri in gratiam emptoris, quando scilicet apponitur pactum, ut dum emptor voluerit rem reddere, venditor teneatur refundere pretium. Quaestio est utrum tales contractus sint liciti?

Dico 1. Contractus venditionis cum pacto retrovenditionis in gratiam solius venditoris est licitus. Ita communiter. Colligitur ex Scriptura Levit. 25. ubi Deus vult Judaeis esse facultatem redimendi suas possessiones prius venditas. Prob. ex jure civili L. 2, C. *De pactis* inter *empt. et vendit.* Item ex Jure Canonico approbante census redimibiles. Et ratio est, quia quisque est arbiter rei suae, eique vendendae modum quem vult imponere potest, modo servet justum pretium, nec aliquid faciat contra leges. Hoc contractu sic juste inito, emptor non tenetur fructus rei emptae computare in sortem, sed facit suos, quia vere acquirit rei dominium, quamvis revocabile, res autem fructificat domino.

Dico 2. Contractus venditionis cum pacto retrovenditionis in gratiam solius emptoris, hoc est cum pacto, ut emptor pro nutu possit in posterum rem emptam reddere; et venditor teneatur pretium refundere, metaphysice loquendo, non videtur injustus, at est maxime periculosus, nec in praxi admittendus. Ratio primae partis est, quia in rigore loquendo videtur vera emptio, qua emptor acquirit rei dominium, et ejus subit periculum, licet onere imposito venditori illam redimendi: sicut venditor vere vendit, licet imponat emptori onus revendendi, ut ante dictum est. Propter autem hoc onus impositum venditori res debet emi pluris quam absolute secundum se valeat.

Ratio secundae partis, quia hujusmodi contractus maxime favent usurariis, et eo facile palliantur usurae, quod contingit, quando emptor ex tali emptione intendit lucrari, ut si cogat venditorem redimere majori pretio, quam ipse emit, aut eodem quidem pretio, sed interim percipiendo fructus rei: sic v. g. dum emis a Titio domum mille aureis, ea lege ut infra decem annos Titius a te redimat eodem pretio, et tu interim percipias annuc pretium locationis. Quid est aliud, quam mutuare Titio mille aureos, et pretia locationum instar auctarii supra sortem accipere?

Contractus Mohatra.

Contractus dictus ab Hispanis mohatra seu barata, ab Italis stocco, seu stoccola, sic initur. Petrus indigens centum aureis, petit illos mutuo a Joanne mercatore: is quia lucrari cupit, denegat mutuum, sed offert Petro merces, puta pannum credito vendendum summo pretio, puta centum et decem aureis cum pacto, ut Petrus emptor ipsi Joanni venditori revendat praesente pecunia infimo vel medio pretio, v. g. centum, aureis, quibus de facto indiget Petrus.

Dico. Talis contractus est illicitus. Prob. ex hac propositione damnata ab Innocentio XI. *Contractus mohatra licitus est etiam respectu ejusdem personae, et cum contractu retrovenditionis praevie inito cum intentione lucri.* Est quadragesima. Ratio est, quia talis contractus venditionis cum pacto retrovendendi eidem personae viliori pretio transit in mutuum usurarium: ergo. Prob. ant. Talis est contractus, qualem intendunt contrahentes, est enim contractus plurium in idem consensus, ut dictum est supra: atqui contrahentes in casu intendunt saltem implicite mutuum usurarium sub pallio venditionis: ergo. Prob. ant. Quid enim intendit emens? Non merces, his enim non indiget, sed pecuniam. Quid

intendit vendens? Recipere infra annum summam nunc datam cum auctario, ita ut perinde sit ac si nunc mutuaret centum, ut infra annum recipiat centum et decem. Neque dicas, quod non intendant mutuum, quin potius eum excludant, cum ideo contractum venditionis ineant; ficta est enim illa venditio et reale mutuum, ut patet ex vera illorum intentione.

Quod si contractus fieret absque pacto retrovendendi vilius; sed Joannes mercator simpliciter venderet merces suas Petro summo pretio, et Petrus liber esset eas revendere cui vellet, et quo pretio posset, sed sponte eas offerat Joanni, hic posset absque injustitia redimere viliori pretio, sicut posset quivis alter; quia quod prius vendiderit non est factus pejoris conditionis, et sicut licuit ipsi vendere summo pretio, ita licet ipsi emere infimo. Neque dici potest, quod hae duae venditiones coalescant in mutuum, quia dum prima fiebat, non erat intentio aut obligatio secundae.

Pactum legis commissoriae.

Est dum res eo pacto venditur, ut si emptor intra certum tempus non solvat, res sit inempta. Hoc pactum approbatur in jure toto ferme tit. ff. et C. De Leg. commiss. Neque aliquid injusti continere videtur.

Pactum adjectionis in diem.

Est, cum venditio fit eo pacto, ut si alius intra certum tempus offerat meliorem conditionem, res sit inempta. Approbatur in jure, L. 1. ff. *De in diem adject.* Nec injustum videtur, modo tamen minuatur aliquid de pretio.

Retractus.

Duplex est: gentilitius, et feudalis. Retractus gentilitius est jus concessum consanguineo venditoris rescindendi intra annum et diem contractum venditionis, seu revocandi ad se rem immobilem alicui extraneo, aut remotiori consanguineo venditam, oblato emptori eodem pretio quo fuit empta. Hoc jus concessum est, ne avitae possessiones ad alienas manus transirent, sed in proximiori posteritate permanerent. Retractus feudalis est, qui competit domino directo seu feudali in omnia bona ab ipso moventia et dependentia, excluditque consanguineos retrahere volentes, quia fundatur in proprietate seu dominio, quod non praecessit in consanguineis, ut ait Cabassutius.

Differunt autem hi retractus, quod dominus feudalis possit retrahere in favorem amici, imo cedere, et vendere jus suum cui voluerit; consanguineus vero non potest cedere jus suum alteri, neque in favorem alterius, seu ut ipse postea vendat majori pretio, retrahere, sed sibi soli; et ideo jurare compellitur velle sibi retinere, ut notat Cabassutius Theor. et praxi lib. 6. cap. 9. num. 11. post plures jurisconsultos, et post ipsum Pontas et Perfector Tournely. Hoc autem non impedit, ut arbitror, quin consanguineus retrahens vero animo rem sibi retinendi, possit postea mutata voluntate, et justa de causa occurrente eam vendere aut donare.

Articulus X.

De Monopoliis.

Duplex est Monopolium. Primum cum efficitur, ut unus vel pauci, aliis exclusis, vendant certum genus mercium. Et hoc tripliciter. 1. Ex privilegio

Principis. 2. Coëmendo omnes merces ejusdem generis. 3. Impediendo, ne merces ejusdem generis advehantur. Secundum, dum plures conspirant inter se non vendere aut non emere nisi certo pretio. Quaestio est utrum hujusmodi monopolia sint licita. Pro quo

Dico 1. Privilegium a Principe vel Republica concessum alicui, ut solus certum genus mercium vendat, est licitum si justis causis nitatur : secus, si justis causis non nitatur.

Dico 2. Quando unus vel pauci coëmunt omnes, vel ferme omnes merces ejusdem generis, v. g. omnia frumenta ut inducant raritatem, et aucto pretio vendant pro libitu, graviter peccant contra charitatem proximi, et bonum commune, ut patet : item eos peccare contra justitiam commutativam, et teneri ad restitutionem probabilius sustinemus cum pluribus, si tamen notum sit communiter magnam copiam mercium apud illos detineri.

Ratio est, quia non vendunt justo pretio : justum enim pretium in hoc casu non est illud, quod hi constituunt auctum, sed est illud quo venderentur merces, si apud plures prostarent. Probatur ; justum rei pretium est id, quod communi aestimatione taxatur, attenta quantitate mercium communiter cognita, sive sint plures vendentes sive non (non enim praecise ex paucitate venditorum crescit pretium, sed ex ipsa raritate mercium ; unde etsi forent pauci venditores, sed admodum copiosae merces, non ideo pluris aut saltem multo pluris aestimarentur). Atqui eadem est mercium quantitas in uno aut paucis, quam si foret in plures divisa, et id communiter scitur, ut suppono : ergo. Dixi : *Si tamen notum sit etc.* Id adjiciendum putavi, quia si communiter ignotum foret magnam copiam servari apud monopolas, sed uni tantum vel paucis notum, haec copia non concurreret ad taxationem justi pretii, sed se haberet quasi non esset, quia taxatur justum pretium a communi aestimatione, communis aestimatio nititur communi cognitione.

Petes ; utrum qui non sunt participes monopolii, possint vendere merces suas pretio aucto et statuto per monopolas ? R. probabilius negative : quia est injustum. Caeterum, et his, quae dixi non obstantibus, non sunt culpandi mercatores, qui honestae negotiationis ergo emunt merces, v. gr. frumenta, tempore quo vilioris emuntur, ut ea servent et vendant tempore, quo solent pluris vendi, modo sua emptione et retentione non inducant raritatem, et caritatem.

Dico 3. Qui vi vel fraude impedit, ne aliunde advehantur merces, ut ipse solus, et carius vendat suas, peccat contra justitiam, et tenetur ad restitutionem : quia et alii mercatores habent jus, ne modis injustis impediantur a simili mercatura, et lucro, et cives, ne his pariter modis cogantur emere pluris, quod possent absque vi, vel fraude emere minoris. Si autem id fiat absque vi, vel fraude, peccabit tantum contra charitatem, et utilitatem communem.

Dico 4. Qui inter se conveniunt non vendere nisi pretio supra summum, aut non emere nisi infra infimum vulgare, peccant contra justitiam, et tenentur ad restitutionem. Primo qui vendunt, aut emunt, deinde in eorum defectum alii, qui monopolio concurrerunt. Est communis. Ratio est, quia hoc pretium quod illi constituunt emendo, vel vendendo, est injustum : etenim justum rerum pretium non ex quorumdam cupiditate pendet, sed statuitur vel auctoritate Reipublicae, vel communi aestimatione bona fide et sine conspiratione procedente, attenta rerum copia vel inopia et aliis circumstantiis : ergo.

Qui vero seclusa vi, vel fraude conveniunt non vendere nisi summo pretio vulgari, aut non emere nisi infimo intra limites justi pretii, peccant contra charitatem proximi, qui indebite gravatur, quod debeat semper emere summo, vel vendere infimo ; item contra bonum publicum, quod exigit aliquam pretii latitudinem, qua modo venditoribus, modo emptoribus benefiat : sed probabilius

non peccant contra justitiam, nisi forte in subhastatione. Ratio est, quia hujusmodi pretium est justum, et possunt mercatores absque laesione justitiae nolle vendere nisi summo, aut emere nisi infimo.

Dixi: *Nisi forte in subhastatione*; quia in hoc foro extraordinario justum rerum pretium taxatur per ipsos licitantes independenter a communi aestimatione, et a pretio, quod alibi haberent, ut supra diximus: quando ergo licitantes conveniunt inter se non licitari ultra certum pretium, difficile est dignoscere, an istud pretium contineatur intra limites justi pretii, cum vix dignosci possit quousque secluso monopolio auctum fuisset pretium per licitationes.

Monopolis culpandis annumerati sunt artifices, qui conveniunt inter se non perficere opus ab alio incoeptum, aut non locare operas suas nisi certo pretio. Item qui fictas sterilitates promulgant, aut naves mercibus onustas submersas mentiuntur, ut suas majori pretio vendant.

Articulus XI.

Quaedam quaestiunculae circa venditionem et emptionem breviter resolvuntur.

Petes 1. Utrum is, cui commissum est aliquid vendere, aut emere certo pretio, et vendit supra, aut emit infra taxatum pretium, possit sibi retinere id, quod est supra, vel infra? R. regulariter negative. Ita communiter: quia vel est proxeneta mercede conductus, et is debet esse sua mercede contentus; vel est famulus, et is tenetur ad obsequia ratione stipendii annui: vel gratis suscipit commissionem ut amicus, et is renuntiavit mercedi. Neque refert quod dominus pretium determinaverit: id enim censetur fecisse, ne vel infra venderet, vel supra emeret, non vero ne supra venderet, aut infra emeret, si posset.

Dixi *regulariter*. Quia si dominus explicite, vel implicite concedat proxenetae quod superat pretium determinatum, potest proxeneta retinere: explicite, ut si dicat dominus, Tanti vende, quod erit ultra, tuum est: implicite, si proxeneta, neque sit famulus, neque amicus, qui merito praesumitur servire gratis, neque dominus ullum stipendium assignet, censetur pro stipendio assignare quod excedit pretium taxatum saltem pro rata laboris. Ita Sylvius, et communiter. Tutius tamen foret petere pretium, ne illicitis compensationibus occultis latior janua aperiatur.

Petes 2. Utrum proxeneta non possit sibi emere statuto pretio, atque eam ut suam vendere, et si vendat pluris, illud plus sibi retinere? R. Posse sub duplici conditione. Prima est, ut adhibita morali diligentia non inveniat qui plus offerat, quia praesumitur hanc esse domini voluntatem ut non minoris vendat, sed pluris si possit, nisi aliter exprimat. Secunda, ut rem sibi non ficte, sed vere emat, ita ut subeat ejus periculum, et si forte tanti non vendat, reddat nihilominus domino determinatum pretium.

Petes 3. Utrum emens ex commissione possit sibi retinere ea, quae vendens solo ejus intuitu gratis donat? Sit casus. Sartor emit ex commissione pannum pro veste, aut accessoria ad vestem, et quia solet ejusdem mercatoris officinam frequentare, mercator in grati animi significationem, seu ut illum sibi magis devinciat, confert ipsi quaedam munuscula, aut partem pretii quo venderet aliis, ipsi remittit: potestne Sartor haec munuscula sibi retinere, aut partem pretii sibi remissam computare committenti? Resp. si quod revera mercator propter ista munuscula non vendat carius, aut si cuicumque alteri non remisisset partem pretii, sed majori pretio vendidisset, possit Sartor aut haec munuscula sibi retinere, aut partem pretii remissam computare committenti. Quia his suppositis nemini facit injuriam. Verum saepe mendaciter sic loquuntur mercatores ut alli-

ciant emptores, dum nihilominus munera data majori pretio compensant, aut parati sunt aequali pretio vendere aliis, si se offerret occasio. Et ideo licet factum forte non damnarem, faciendum tamen aegre consulerem.

Articulus XII.

Utrum Negotiatio sit licita?

Definitur negotiatio: *Actio, qua quis rem comparat eo animo, ut eam integram et immutatam cum lucro vendat vel permutet.* Ita Cap. *Ejiciens* 11. dist. 88. Explicatur. Dixi 1. *Eo animo, ut cum lucro vendat*: quia finis negotiationis est lucrum, et ideo ut sit proprie negotiatio, debet res comparari cum et ex intentione ex ea lucrandi, ita ut lucrum principaliter intendatur. Unde si quis emat aliqua, animo utendi, et postea mutata voluntate vendat etiam cum lucro, non est negotiatio. Similiter si emat necessaria familiae, licet emendo intendat quae erunt superflua vendere cum lucro, non videtur proprie dicta negotiatio, quia quamvis emendo intendat aliquo modo lucrum, non tamen primario et principaliter, sed providere familiae.

Dixi 2. *Rem integram et immutatam.* Quia, inquit S. Doctor, si rem in melius mutatam carius vendat, videtur praemium sui laboris accipere. Unde Canon *Ejiciens* cit. dicit: *Quicumque rem comparat, non ut ipsam rem integram et immutatam vendat, sed ut materia sibi sit inde aliquid operandi*, ut faciunt artifices, *ille non est negotiator.* Item qui empto semine colit agros proprios et eorum fructus vendit, non est proprie negotiator; neque qui boves aut porcos macros emit et impinguatos vendit, quia licet ista animalia non sint immutata substantialiter, sunt tamen immutata accidentaliter. Ex his ergo duabus partibus, *animo lucrandi*, et, *rem immutatam*, quae simul requiruntur ad negotiationem proprie dictam, probabis multa habere speciem negotiationis, et non veritatem. Itaque de negotiatione proprie dicta, quaeritur, utrum sit licita? Pro quo

Dico 1. Negotiatio secundum se habet quamdam speciem turpitudinis, potest tamen honestari et fieri licita. Ratio 1. partis est, quia negotiatio non importat de sui ratione finem honestum aut necessarium: habet enim pro fine lucrum: lucrum autem de se non est honestum aut necessarium: ergo. Ratio 2. partis: quia lucrum quod est finis negotiationis, licet in sui ratione non importet aliquid honestum, vel necessarium, nihil tamen importat vitiosum, vel virtuti contrarium. Unde nihil prohibet lucrum ordinari ad aliquem finem necessarium, vel honestum, ex quo negotiatio honestetur, et licita reddatur.

Dico 2. Negotiatio est Jure Canonico prohibita Clericis. Prob. 1. Prohibetur Can. *Decrevit* dist. 88. 2. Can. *Consequens* 2. prohibetur sub poena suspensionis 3. Can. *Episcopus* 3. Ibid. prohibentur etiam curae saeculares sub poena depositionis 4. Cap. *Secundum* 6. *Clerici vel Monachi* Lib. 3. tit. 5. prohibentur negotiationes sub poena excommunicationis. Item alibi. Neque dicas haec jura esse antiquata et amplius non obligare, ea enim confirmat et innovat Concilium Trid. sess. 22. cap. 1. *De reformatione*, his verbis: *Statuit Synodus, ut quae alias a summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita et honestate.... nec non de saecularibus negotiis fugiendis, copiose ac salubriter sancita sunt, eadem in posterum iisdem poenis vel majoribus arbitrio ordinarii imponendis observentur.*

Ex his habes non solum negotiationes proprie dictas esse Clericis prohibitas, sed generatim quascumque curas saeculares, quae, ut interpretantur Canonistae, et innuitur juribus citatis, directe, et principaliter turpis lucri cupi-

ditate assumuntur, ut sunt officia saecularia et artes mechanicae, quae quaestus gratia exercentur.

Rationes itaque hujusmodi prohibitionum sunt. 1. Quia Clerici non solum debent abstinere ab his, quae secundum se sunt mala, sed etiam ab his quae habent speciem mali; quod in negotiatione contingit, tum propter hoc quod est ordinata ad lucrum terrenum, cujus Clerici debent esse contemptores: tum etiam propter frequentia negotiatorum vitia. 2. Quia negotiatio nimis implicat animum saecularibus curis, et per consequens a spiritualibus retrahit: unde Apost. 2. ad Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus.*

Sed petes utrum istae leges graviter obligent?

R. verisimilius obligare secundum se sub mortali. Quia obligant sub gravi poena depositionis, aut excommunicationis. Gravis autem poena supponit gravem culpam. Verumtamen ne statim inde inferas omnem Clericum, aut Monachum curis saecularibus addictum, semper peccare mortaliter, in hac enim materia non secus ac in aliis datur levitas materiae, et possunt esse causae legitime excusantes. Insuper debet attendi, an Clericus vel Monachus cupiditate lucri moveatur, et an propter curas saeculares munia sui status negligat; haec enim duo a Clericis removere praesertim intendunt leges.

Igitur eum Clericum, aut Monachum peccare mortaliter arbitror, qui dum sibi aliunde sufficienter est provisum, solet insistere personaliter negotiationi vel arti mechanicae, aliisve negotiis saecularibus ex mera intentione lucri, et inde impeditur, ne convenienter secundum suum statum Deo militet et debitis officiis fungatur.

Nullatenus autem peccant Clerici, vel Monachi, qui negotiis saecularibus se immiscent in sublevamen pauperum, pupillorum, orphanorum, et viduarum; ut expresse fert Canon *Decrevit* cit. Eadem ratione videtur excusandus filiusfamilias Clericus, qui ex pietate in parentes gerit familiae negotia et res domesticas alioquin perituras. Quia hi non agunt ex cupiditate turpis lucri, sed charitatis affectu. Item excusantur Clerici et Monachi, qui recreationis causa, aut ut propriae inopiae subveniant, aliquas artes honestas excercent; quia hoc non est inhiare lucro.

[Benedictus XIV. in Const. *Apostolicae servitutis* 1741. non solum confirmat poenas in Clericos negotiatores a sacris Canonibus, et ab aliis summis Pontificibus statutas, sed illas quoque ad illos expresse extendit, qui *illicite sub alieno nomine negotiantur, perinde ac si per seipsos aut proprio eorum nomine negotia illa exercerent*; atque decernit 1. ut omnia, et singula bona, sic ab eis alieno nomine illicite acquisita, inevitabili spolii poena subjiciantur. 2. Ut negotia a Laicis inchoata, et ad Clericos delata, statim dimittantur, nec nisi necessitate urgente continuari possint, de licentia tamen Congreg. Concilii, aut etiam Ordinarii extra Italiam, idque ad tempus dumtaxat, ac per interpositam Laici Personam. 3. Ut exempti a spolio ad effectum testandi, aut transmittendi non intelligantur exempti quoad bona per interdictam negotiationem acquisita. Huic accedit Epist. Clemen. XIII. 17. Septembris 1859. ad Patriarchas, Primates Archiepiscopos, et Episcopos in qua confirmatis legibus canonicis, et constitutionibus suorum Praedecessorum, adversus Clericos negotiatores, et saecularibus negotiis se immiscentes editis, duo ipsis magnopere cavenda esse advertit 1. Ne subdolis delinquentium artibus suam diligentiam eludi patiantur 2. ne pravas canonicarum legum interpretationes, quibus earum vigor enervatur, apud se ullo modo valere sinant, ubi Clericorum saecularium, aut regularium negotiationem ad trutinam ipsis Judicibus revocari contingat. Speciatim postea declarat, cambium activum natura sua esse actum verae, et propriae negotiationis. At tamdem decernit excusationes necessitatis, et indigentiae Parentum, aut so-

rorum etc. non esse a Superiore ecclesiastico admittendas, nisi antea constet Clericos eas antea Sedi Apostolicae exposuisse, si in Italia morentur, Insulisque adjacentibus, et si in remotis regionibus Ordinario, dispensationemque obtinuisse. Quas tamen dispensationes non vult esse concedendas, nisi constet praedictas indigentias nulla alia ratione levari posse, quo in casu in ipsis Indultis scribantur honestiores modi, quibus Clericus intra indigentiae mensuram Consanguineis operam praestare valeat, ne negotiatio dedecens ad statum clericalem assumatur.

Juvat hic addere quae de negotiatione a Missionariis exercita refert Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 10. c. 3. n. 4. „ Ad idem praecavendum scandalum, „ Evangeliique praeconum consulendum famae, et dignitati summus Pontifex Cle„ mens IX. sub poena excommunicationis latae sententiae prohibuit quibuscum„ que Ecclesiasticis tam saecularibus, quam regularibus degentibus sive in In„ sulis, Provinciis, et Regnis Indiarum orientalium, sive in partibus Americae „ tam australibus, quam septemtrionalibus, ne umquam cujusvis causae, oc„ casionis, et tituli praetextu, quaestuosam exerceant negotiationem sive per se, „ sive per alios, sive nomine proprio, sive religiosorum ordinum, quorum for„ te sint alumni, voluitque statutas a se in praedictos negotiatores poenas, ne„ que eum evadare, qui semel tantum mercaturam facit „ Hae tamen omnes Constitutiones non prohibent, quin Clerici in terris propriis, non tamen conductis licite agriculturam exerceant].

DISSERTATIO VI.

De Mutuo et Usura.

Articulus I.

Quid sit Mutuum?

Dico. Mutuum, sic dictum quasi ex *meo tuum* definitur *Contractus onerosus, quo quis rem suam sic alteri tradit, ut statim fiat accipientis, cum obligatione reddendi rem eamdem non numero, sed specie, et bonitate.* Colligitur ex §. 1. Instit. *Quibus modis* lib. 3. tit. 15. et ex L. 2. ff. *De rebus creditis.* Explicatur.

Dicitur: *onerosus,* quia in mutuatore est obligatio non repetendi rem mutuatam nisi intra certum tempus, et in mutuatario obligatio reddendi aliam aequivalentem. Caetera sunt in eo gratuita. Dicitur: *Quo quis rem suam alteri tradit.* Secundum jura laudata materia mutui sunt res, quae dantur ad numerum, pondus, aut mensuram, ut vinum, oleum, frumentum, pecuniae, etc. Dicuntur in jure, *res fungibiles*, quia una alterius vice fungitur. In praxi, materia mutui est regulariter res aliqua ipso suo usu principali, et quidem unico comsumptibilis, sive physice, sive moraliter, ut sunt vinum, panis, pecunia; usus enim vini principalis est potari, et dum potatur, consumitur physice; similiter panis dum manducatur: usus principalis pecuniae est distrahi in commutationibus, et dum distrahitur, consumitur moraliter, perit enim distrahenti non secus ac si consumeretur: et sub hac tantum ratione considerat mutuum S. Thomas in tota haec quaestione.

Dicitur, *ut statim fiat accipientis*: quia per mutuum rei proprietas, et dominium transfertur in mutuatarium; *Ita enim a me tibi datur*, inquiunt jura cit. *ut ex meo fiat tuum*; et per hoc distinguitur mutuum a commodato, locato, depo-

sito, pignore, et hypotheca, in quibus non transfertur dominium; et ideo statim, ac res est mutuata, totum ejus commodum, melioratio, aut deterioratio, periculum, et interitus pertinent ad mutuatarium.

Dicitur, *Cum obligatione reddendi postea non eamdem rem numero* hoc est quod non sit obligatio reddendi rem numero cum trasferatur dominium, et usus, ad quem datur; potest tamen eamdem numero reddi. Dicitur *eamdem specie*: quia si esset alterius speciei ut vinum pro oleo, pecunia pro frumento, foret permutatio aut venditio. Debet autem intelligi de specie eadem, sive physice, sive moraliter. Etenim si res mutuata sit alia a pecunia, debet reddi species eadem phisice, ut vinum pro vino, frumentum pro frumento, at si res mutuata sit pecunia, non est necesse ut reddatur species eadem physice, ut aurum pro auro, argentum pro argento, sed sufficit quod reddatur species eadem moraliter, idest idem valor. Ratio disparitatis est, quod in rebus mutuatis, aliis a pecunia, attendatur eorum bonitas intrinseca et corpus, non valor extrinsecus: non enim peto frumentum mutuo propter ejus pretium, sed propter ejus corpus et substantiam; at in pecuniis mutuatis e contra non attenditur regulariter bonitas intrinseca seu corpus pecuniae, sed ejus valor extrinsecus; non enim peto mille libellas mutuo, quia est aurum aut argentum, sed quia tanti valent: et iste valor moraliter loquendo est intrinsecus et essentialis pecuniae, ut pecunia est, hoc est, ut est mensura rerum; unde cum redduntur pecuniae ejusdem valoris, sive sint aureae, sive argenteae, redditur species eadem moraliter.

Sed difficultas est, qualiter sit reddendum mutuum, quando pecuniarum seu aliarum rerum mutuatarum valor extrinsecus crevit aut decrevit? R. ex principiis positis. In rebus mutuatis aliis a pecunia, attenta praecise natura contractus mutui, et si non interveniat alia conventio, debet reddi eadem quantitas, seu mensura quae fuit mutuata, sive creverit, sive decreverit earum pretium, seu valor extrinsecus: v. g. accepisti mutuo absque termino solutionis praefixo quatuor modios frumenti quemlibet valentem viginti libellis, teneris reddere quatuor modios nec plus nec minus, quamvis, cum tunc reddis, quilibet valeat plus vel minus viginti libellis. In pecuniis vero mutuatis, attenta similiter praecise natura mutui, et secluso quovis alio pacto, non debet reddi eadem quantitas materialis, seu idem numerus denariorum mutuatorum, sed idem valor, qui acceptus est: v. gr. accepisti mutuo absque termino solutionis praefixo decem aureos quemlibet valentem viginti libellis, omnes simul ducentis libellis; si dum reddis, quilibet aureus valeat viginti quinque libellis, non teneris reddere decem aureos; si valeant tantum octodecim libellis, teneris reddere plures quam decem: uno verbo, teneris reddere ducentas libellas, sive creverit, sive decreverit valor aureorum. Ratio petitur ex dictis: quia in rebus mutuatis, aliis a pecunia, attenditur corpus, seu bonitas intrinseca et naturalis; in pecuniis vero attenditur valor extrinsecus: et ideo in illis debet reddi tantumdem in bonitate naturali, in istis tantumdem in valore extrinseco. Est communis sententia, sicut et praxis.

Si petas vero utrum, et quomodo possit licite aliter iniri pactum? R. nonnihil difficultatis, et obscuritatis id continere. Habendum prae oculis puto, quae habet S. Thom. in Opusc. 73. *De usuris*, in his mutui, et usurae casibus intentionem accusare, et excusare, ita ut ubi adest intentio lucrandi usura sit, si absit usura non sit; item aliud esse damnum vitare, aliud lucrum intendere. Hinc inferes circa pecunias mutuatas 1. Quod qui mutuatur decem aureos valentes ducentis libellis potest pacisci de praesenti valore, licet sciat, tempore praefixo redditioni, aureorum valorem fore imminuendum, quia habet jus ad praesentem valorem suae pecuniae, et vult tantum vitare damnum. 2. Non potest pacisci de decem aureis in specie reddendis, si sciat eorum valorem augendum in tempore solutio-

nis, quia sic intenderet lucrum, nisi forte eos servaturus erat usque ad illud tempus 3. Si sit aequale dubium de augmento, vel diminutione tempore redditionis, potest pacisci de eisdem in specie reddendis. Idem dicendum de rebus mutuatis aliis a pecunia. Si Mutuator sit dubius an modii frumenti, quos mutuat, pluris, vel minoris valebunt tempore redditionis, potest pacisci de reddendis totidem modiis. Si certo aut probabilius sciat, pretium frumenti imminutum iri, potest pacisci de praesenti pretio, consequenter de reddenda majori quantitate ad aequalitatem pretii praesentis. Si vero certo, aut probabilius sciat, frumentum tempore redditionis pluris valiturum, non potest obligare mutuatarium ad reddendam eamdem quantitatem, sed tantum adaequantem pretium frumenti tempore mutui, nisi forte ratione damni emergentis, vel quia mutuator servasset frumentum usque ad illud tempus, vel quia ob suum mutuatum coactus sit aliud sibi necessarium carius emere.

Articulus II.

Quid et quotuplex sit Usura?

Dico 1. Usura formaliter sumpta communiter definitur. *Injustitia, qua quis ex mutuo aliquid accipit ultra sortem, tamquam debitum vi mutui.* Brevius S. Thomas, *acceptio pretii pro usu rei mutuatae.* Usura objective sumpta communiter definitur: *Lucrum ex mutuo, tamquam debitum vi mutui.* Vel juxta S. Thomam, *Pretium usus rei mutuatae.* In idem redit.

Dicitur: *Tamquam debitum vi mutui*: quia si auctarium in mutuo non proveniat vi, et ratione mutui, sed ratione alicujus alterius tituli mutuo extrinseci, puta damni emergentis aut lucri cessantis, non est usura. Debet ergo lucrum provenire praecise vi mutui, secluso alio titulo extrinseco, et quidem tamquam eo mutui titulo, seu vi mutui *Debitum* ex justitia, seu stricte; in quibus particulis sita est principalis ratio usurae, et quae ideo diligenter debent perpendi, quia ro *vi mutui* potest multipliciter intelligi.

Etenim si lucrum proveniat vi mutui, quatenus mutuum est simpliciter motivum inducens mutuatarium ad dandum aliquid ultra sortem, vel quatenus est quidem titulus accipiendi auctarium, sed ut liberale donum ex gratitudine dumtaxat, et non ex aliqua stricta obligatione, non sufficit ad usuram: quia injustitia usurae in eo sita est, quod mutuatarius non omnino voluntarie, sed quodammodo invitus reddat plusquam debet ex mutuo.

Caeterum dum diximus requiri obligationem justitiae, non intelligimus de vera justitiae obligatione, revera enim non est vi mutui, neque ex injustitia pacti si apponatur, paritur obligatio verae justitiae: et ideo mutuatarius non tenetur in conscientia solvere usuras; sed intelligimus de obligatione justitiae, quantum est ex intentione, et voluntate mutuatoris, qui vel contendit inesse vi mutui, vel pacto inito tentat illam imponere mutuatario; ex quo sequitur in isto quaedam obligatio externa quasi civilis, seu vinculum humanum promissionis, ac fidelitatis externae, cui viri honorati deesse non audent, ne vel male audiant, vel in posterum mutuum non obtineant, cum indiguerint.

Dico 2. Usura dividitur in realem et mentalem. Realis, quando lucrum deducitur exterius in pactum sive explicitum, sive implicitum. Explicitum, ut si mutuans dicat: mutuo tibi centum, eo pacto ut infra sex menses reddas centum et quinque. Implicitum, quando signo, nutu, modo loquendi, idem significat quod pacto expresso: ut si dicat, libenter quidem tibi mutuo, sed scis quid moris est, et quid alii faciunt: vel habeo familiam alendam, spero fore ut pecunia non revertatur vacua: vel, mutuo tibi, quia novi te gratum et ge-

nerosum, alioquin non mutuarem, aut quid simile; et haec dicitur palliata quoad pactum, prima aperta. Est et alia aperta, alia palliata ratione contractus: aperta est, quae fit in mutuo formali et expresso; palliata quae fit in aliquo alio contractu, qui sit tamen mutuum virtuale et aequivalenter, et ideo titulo et nomine talis contractus quasi pallio occultatur usura; unde dicitur palliata.

Usura mentalis hic non accipitur pro mera voluntate exercendi usuras ibi sistendo, sicut voluntas occidendi hominem ibi sistendo absque executione dicitur homicidium mentale. Sed dicitur usura mentalis, quando mutuans non deducit lucrum in pactum exterius, sive explicitum, sive implicitum; intendit tamen illud tamquam sibi debitum vi mutui, et tale illud exigit aut accipit: unde non dicitur mentalis, quasi tota perficiatur in mente, sed quia nullum importat pactum exterius praeter ipsum mutuum, realis autem importat saltem implicitum.

Articulus III.

An et quo jure Usura sit prohibita?

Dico. Usura est prohibita jure divino positivo, canonico, et naturali. Prob. 1. pars ex veteri Testamento: Psalm. 14. quaerit Propheta Regius: *Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo?* Respondet: *Qui pecuniam suam non dedit ad usuram.* Et Ps. 44. inter scelera Judaeorum recensetur: *Non defecit de plateis ejus usura, et dolus.* Ezech. 18. dicitur de usurario: *Non vivet, sed morte morietur.* Ex novo Testamento: *Date mutuum nihil inde sperantes.*

Prob. Secunda pars ex Decreto causa 4. q. 3. et 4. ex decretalibus *De usuris*, ex sexto decretal. et ex Clementina *De usuris*, quorum omnium textus recensere longius foret. Prob. tertia pars contra Abulensem et quosdam Jurisconsultos, qui, ut refert Soto, quamvis admittant usuras esse prohibitas jure positivo, negant tamen esse prohibitas jure naturali. Est contra jus naturae, et specialiter contra justitiam bis vendere idem, vel vendere quod non est, aut quod non est suum: atqui alterutrum facit usurarius. Ergo. Prob. min. Vel accipit lucrum usurarium pro ipsa re mutuata, v. g. pro pecunia, et tunc vendit idem bis seu accipit duplex pretium pro eadem re, nempe summam aequalem restitutam, et auctarium: vel accipit lucrum pro usu rei mutuatae, et tunc vendit quod non est, aut quod non est suum: vendit quod non est, quia si agatur de rebus ipso suo usu consumptibilibus ut pecunia, vinum, triticum, et similia, in quibus communiter fit mutuum, usus absolutus, et independens, qualis conceditur in mutuo, quamvis physice distinguatur a re mutuata, (aliud est enim vinum, physice loquendo, aliud bibere vinum) attamen moraliter, et in ordine ad commutationes non distinguitur, hoc est non aestimatur, nec compensatur seorsim a re ipsa, quia est ipsa rei consumptio; unde sicut plane ridiculus, et injustus foret mercator, qui postquam vendidit vinum justo pretio, vellet iterum seorsim vini usum vendere, quia cum usus vini sit ipsa vini consumptio, nullus est in ordine ad commutationes seorsim a substantia vini, ita in nostro casu. Et hic sistit ratio Divi Thomae; quia procedit de usura, prout solet exerceri in mutuo rerum usu consumptibilium. At jam sive res mutuata sit usu consumptibilis sive non, usurarius accipiens lucrum pro usu rei, vendit quod non est suum; quia vendit usum rei, quae non est sua, utpote cujus plenum ac absolutum dominium, tam utile quam directum, transtulit per mutuum in mutuatarium, non secus ac si illi eam justo pretio vendidisset. Ita expresse S. Th. hic q. 78. a. 2. ad 5., et patet 1. quia rei mutuatae subit periculum mutuatarius, non mutuans. 2. quia Mutuator statim ac rem mutuatus est, non potest eam re-

petere. 3. Quia mutuatarius potest de ea ad quemlibet usum disponere etiam destruendo. 4. tamdem, quia si non transferretur dominium jam non esset mutuum, sed vel commodatum, vel locatum.

Confirmatur. Usura tollit aequalitatem justitiae : ergo est injusta. Probat. ant. Æqualitas justitiae est, dum mutuans recipit tantum quantum dedit, nec plus nec minus : atqui accipiendo usuram, recipit plus quam dedit; dedit puta centum et recipit centum et viginti : ergo.

Dices. In lege veteri erat permissum Judaeis accipere usuram ab extraneis, secundum illud Deuteron. 23. *Non foeneraberis fratri tuo ad usuram pecuniam, fruges, nec quamlibet aliam rem, sed alieno.* Et quod plus est, id in praemium eis repromittebatur pro lege servata secundum illud Deuteronomii 28. *Foeneraberis gentibus multis, et ipse a nullo foenus accipies.* R. Ad primum Judaeis non fuisse concessum, ut licitum accipere usuram ab extraneis, sed permissum dumtaxat et toleratum ad majus malum vitandum, ne scilicet ab ipsis Judaeis verum Deum colentibus usuras acciperent propter avaritiam, cui dediti erant. Locis enim citatis in probatione usura absolute, et universaliter prohibetur, imo cum in loco objecto Judaeis prohiberetur usuram accipere a Fratribus, datur intelligi, quod accipere a quocumque usuram sit semper illicitum, cum omnem hominem debeamus habere ut fratrem praecipue in statu Evangelii, ad quod omnes vocantur. Haec est communior interpretatio post Auctorem. Alio modo etiam interpretatur textus objectus, ut licitum fuerit Judaeis accipere lucrum ex mutuo ab his Alienigenis, contra quos Deo Auctore bella gerebant, Deo illis istud lucrum donante ut videtur dicere S. Ambrosius de Tob. c. 8. *Quis erat tunc alienigena nisi Amalec, nisi Amorrhaeus, nisi hostis? ab illo usuram exige, cui merito nocere desideras etc.* Unde non erat usura formalis, sed materialis, quatenus sub specie mutui recuperatur quod suum est.

Inst. Juxta primam interpretationem lex Deuter. fuisset Judaeis scandalum, cum ex illa usuras sibi licitas credidissent respectu alienigenarum. R. N. Ant. quia legem poterant, et debebant intelligere secundum jus naturae, et voces Prophetarum, quae omnem omnino usuram illicitam proclamant.

R. ad 2. Foenus ibi accipi large pro mutuo, ut Eccli : 29. dicitur *qui facit misericordiam foeneratur Proximo suo*, idest mutuat. Et : *Foenerare proximo tuo in tempore necessitatis illius*, idest mutua. Promittitur ergo Judaeis in praemium tanta abundantia divitiarum, ut possent multis gentibus dare mutuum, ipsi autem non necesse haberent ab ullo petere.

[Obj. 2. Usus pecuniae est pretio aestimabilis ; Ergo moderati lucri exactio pro pecuniae usu justitiam non laedit, sicut licet pro usu domus, equi, agri pretium exigere. Huic objectioni, quae ex posita S. Thomae doctrina jam diluta est, et quam pene iisdem verbis sibi proposuit S. Doctor q. 13. de malo a. 4., sic respondet „ Ad quartum dicendum quod venditur ipse usus domus licite, non autem pecuniae propter rationem supradictam„ (nempe in corpore istius articuli, ubi haec habet) „ Quaedam vero res sunt quarum usus non est consumptio substantiae, sicut usus domus est inhabitatio. Non est autem de ratione inhabitationis, quod domus diruatur .... Et idem dicendum est de equo, veste, et aliis hujusmodi. Quia ergo hujusmodi res non consumuntur per usum, per se loquendo, ideo seorsum potest concedi, aut vendi aut res ipsa, aut usus, aut utrumque .... Sed in illis rebus, quarum usus est consumptio, non est aliud usus rei, quam ipsa res. Unde cuicumque conceditur usus talium rerum conceditur etiam et ipsarum rerum dominium et e converso. Cum ergo aliquis pecuniam mutuat sub hoc pacto, quod restituatur sibi pecunia integra, et ulterius pro usu pecuniae vult certum pretium habere, manifestum est, quod vendit seorsum usum pecuniae, et ipsam pecuniae substantiam. Usus autem pe-

„ cuniae, ut dictum est, non est aliud quam ejus substantia. Unde vel vendit „ id, quod non est, vel vendit idem bis, ipsam scilicet pecuniam, cujus usus est „ consumptio ejus, et hoc est manifeste contra rationem justitiae naturalis. Un- „ de mutuare pecuniam pro usura est secundum se peccatum mortale „.

Inst. cum Salmasio. Licet in mutuo transferatur dominium quoad pecuniae substantiam, non tamen transfertur quoad ejusdem quantitatem, seu valorem, tantumdem enim mutuatarius restituere tenetur. Ergo saltem ex hoc capite licet mercedem exigere; sicut pro domo, vel agro locato. Resp. Distinctionem quantitatis, et valoris ab ipsa substantia quanta locum habere posse in mathematica abstractione, at in ordine ad usum, et convictum humanum inepte nimis proponi. *Pecunia* (ait S. Thom. hic q. 78. a. 1.) *principaliter est inventa ad commutationes faciendas, et ita proprius, et principalis pecuniae usus est ipsius consumptio, sive distractio, secundum quod in commutationes expenditur.* Poterit ne ipsa pecunia distrahi, quin ejus quantitas, aut valor distrahatur, cum pecunia solum ratione quantitatis, et valoris commutationibus inserviat? Non ergo quantitas, et valor possunt moraliter distingui ab ipsa substantia, et usu rei, pro quo (ait S. Th.) *secundum se est illicitum accipere pretium, quod dicitur usura.* At mutuator (inquies) retinet jus tantumdem quantitatis, et valoris repetendi? Hoc quidem verum est, non potest tamen hoc jus cum dominio confundi. Dominium enim est jus in re, et facultas ea utendi pro libitu Domini; Mutuator autem transtulit in Mutuatarium jus de re mutuata disponendi ad quemlibet usum etiam consumptionis, et distractionis, retinendo solum jus, seu actionem ad repetendum tantumdem tempore debito. Quae vera visa sunt ipsis haereticis quamvis usurae patronis, ut refert Bened. XIV. *de Syn. Dioec.* l. 10. c. 4. n. 2. ibi „Verum quamquam plurimi heterodoxi Calvini, Molinaei, Sal- „ masii systemati stabiliendo adlaboraverint, . . . rationem tamen, qua eam „ Salmasius tutatus est, fere omnes refellerunt, recte arbitrantes mutuatae pecu- „ niae dominium transferri in mutuatarium, ac propterea non posse mutuum lo- „ cationi ullo pacto comparari „.

Obj. 3. Qui alienat pecuniam committendo eam Mercatori, vel Artifici, potest de ea lucrum accipere; Atqui magis alienat pecuniam, qui eam mutuum dat. Ergo. Huic etiam objectioni respondet S. Thomas hic a. 2. „ Ad quintum dicen- „ dum, quod ille qui mutuat pecuniam transfert dominium pecuniae in eum, „ cui mutuat. Unde ille, cui pecunia mutuatur sub suo periculo tenet eam, et „ tenetur eam restituere integre, unde non debet amplius exigere ille, qui mu- „ tuavit. Sed ille, qui committit pecuniam suam mercatori, vel artifici per mo- „ dum societatis cujusdam, non transfert dominium pecuniae suae in illum, sed „ remanet ejus, ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel „ artifex operatur. Et ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis ex- „ petere, tamquam de re sua „.

Inst. Non minus mutuatarius quam mercator ex accepta pecunia retrahit emolumentum. Hoc ipso enim habet occasionem lucrandi, suis rebus prospiciendi, easque promovendi, et quandoque etiam ditescendi. Nonne ergo ipsa aequitas clamat, ut sibi mutuanti modicam lucri partem cum mutuo reddat? R. N. Cons. Quia omnis illa commoditas sufficienter compensatur per restitutionem aequalis summae. Si enim mutuatarius ex pecunia mutuo accepta sibi prospicit, resque suas auget, hoc est impertinens mutuo, neque mutuanti, sed accipienti, seu ejus industriae, et labori est imputandum. Sicut si male res cedant, omnia mutuatario pereunt, indemni semper mutuante quoad pecuniam mutuatam, quae in omni casu debet integre reddi. Qui autem in nullo casu sentit incommodum, nec justum est, ut commodum reportet.

Dices. Saltem negari non potest, quod usura moderata, quae propter mu-

tuum datum divitibus, exigatur, non sit utrique contrahenti utilis. Ergo etiam licita. Huic instantiae respondet Bened. XIV. in Encyclica *Vix pervenit ad aures De usuris, aliisque injustis quaestibus* 1. Nov. 1745., ubi n. 2. sic declarat, „ Neque vero ad istam labem purgandam ullum accersiri subsidium potest, vel ex eo, quod illud lucrum non excedens, et nimium, sed moderatum, non magnum, sed exiguum sit, vel ex eo, quod is, a quo id lucrum solius mutui causa deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mutuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas amplificandas, vel novis coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis utilissime sit impensurus. Contra mutui siquidem legem, quae necessario in dati, atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, quisquis eadem aequalitate semel posita plus aliquid a quolibet vi mutui ipsius, cui per aequale jam satis est factum, exigere adhuc non veretur; proinde si acceperit, restituendo erit obnoxius ex ejus obligatione justitiae, quam commutativam appellant, et cujus est in humanis contractibus aequalitatem cujusque propriam, et sancte servare, et non servatam exacte reparare „.

Ne vero cuique daretur hanc declarationem interpretandi, aut in dubium vertendi facultas, idem Pontifex eamdem explicuit, firmavitque in Opere de *Syn. Dioc.* l. 10. c. 4. n. 2. et seq. „ Omne lucrum (*inquit*) ex mutuo praecise *ratione mutui*, ut loquuntur Theologi, hoc est lucri cessantis, damni emergentis, alioque extrinseco titulo remoto, usurarium, atque omni jure, *naturali* scilicet, *divino*, *et ecclesiastico* illicitum esse perpetua fuit, et est *catholicae ecclesiae doctrina*, omnium conciliorum, Patrum, et Theologorum unanimi consensione firmata „ Proponit deinde allatam objectionem, quam vocat errorem a Calvino obiter insinuatum, et a Carolo Molinaeo ex professo propugnatum, deinde num. 3. addit. „ Impiae Calvini, et Molinaei opinioni non veriti sunt subscribere pauci quidam Doctores catholici. Distinguunt et hi duplex genus mutui, unum, quod pecunia, aliaque res datur ad consumptionem, quod plerumque fit cum indigentibus, pecuniam mutuam accipientibus, ut se, suamque familiam sustentent, debita solvant, filiam nuptui tradant etc., alterum quod datur ad negotiationem, ut cum mercatoribus fieri solet, qui acceptam mutuo pecuniam negotiatione augent, ingensque ex ea lucrum reportant. In primo casu usuram esse fatentur quidquid exigitur ultra sortem; At a foenoris labe excusant lucrum, quod in secundo casu ex mutuo percipitur, dummodo sit moderatum, modumque servet a patriis legibus definitum. Hanc porro distinctionem, ab haereticis primum excitatam, praeverterant Ecclesiae Patres, qui uno ore, qui absolute, et indefinite foeneratitium pronunciaverant quidquid ex mutuo ultra sortem exigitur „ Et post allatam longam Patrum seriem prosequitur „ Patribus adhaesere veteres Theologi, qui duce D. Thoma 2. 2. q. 78. a 1. ad 2. adeo districte omne lucrum ex mutuo jure naturali, et divino vetitum asseruere, ut ne munus quidem ab obsequio, aut a lingua, quod certe quid minimum est, nullique onerosum, a mutuatario solius mutui causa exigi posse docuerint. „

„ Neque vero Calvini, et Molinaei asseclis suffragantur aut loca sacrae Scripturae, speciatim prohibentia, ne pauperes usuris opprimantur uti Exod. 22. et 25., et Levit. 25. v. 35., aut sententiae Patrum usuras dumtaxat redarguentium immoderatas, aut canones Conciliorum, puta 36. ex Apostol., 17 Nicaenus, et 12. Concil. Arelat. primi, solos Clericos foeneratores severis poenis subjicientes. Etenim antiqui testamenti pagina in ipsismet in contrarium adductis locis, et adhuc clarius Deuter. 25. v. 19., Ezech. 18, et Psalm. 14. omnem omnino usuram absque ulla Personarum, a quibus exigatur discrimine, prohibet, et detestatur; pauperes autem alicubi expresse nominat, vel

„ tantum exempli causa, quia plerumque contingit, ut illi magis egeant opis „ alienae, et necessitate adacti mutuum accipiant, etiam sub obligatione immo- „ deratum foenus solvendi, quemadmodum ad praedictum Exodi caput adnota- „ vit etiam Hugo Grotius; vel quia usurae, quae a pauperibus extorquentur, „ praeter propriam pravitatem, quamdam redolent saevitiam, et immanitatem, „ speciali nota, et reprehensione dignam „.

„ In novo autem testamento Luc. 6. illis Christi verbis: *Mutuum date*, „ *nihil inde sperantes*: praeceptum tradi, seu verius naturalem legem iterum „ inculcari, nihil prorsus lucri ex mutuo ab ullo sive paupere, sive divite exi- „ gendi, non solum docet D. Thom. 2. 2. q. 78. a 1. ad 4; sed concors fuit „ Conciliorum, Patrum, summorumque Pontificum sententia, praecipue Urba- „ ni III. in cap. *Consuluit de Usuris*, qui praefati textus auctoritate, omnem „ quamtumvis minimam usuram, universim vetitam pronunciavit. Explicans enim „ praefata Christi Domini verba, iis prohiberi ait *omnem usuram et superabun- „ dantiam*. Dicere autem summos Pontifices, et Concilia praedicti textus verum, „ et genuinum sensum non esse assecuta, quod aliquos mussitare non puduit, „ et temerarium et fere haereticum est. Quidquid enim sit, an Ecclesia non so- „ lum infallibili polleat auctoritate in definiendis quaestionibus fidei, aut mores „ respicientibus, quod nullus catholicorum negat, sed etiam in delectu ratio- „ num, quae ad suas definitiones stabiliendas interdum adducit, de quo nonnul- „ li Catholici dubitarunt, certum, et indubitatum est, eam errare non posse in „ interpretanda S. Scriptura, ejusque genuino sensu fidelibus aperiendo „.

„ Haud absimilia reponimus ad testimonia Patrum. Hi siquidem licet vehe- „ mentius invehantur in usuras immoderatas, atque a pauperibus extortas, ve- „ luti culmen sceleris, ad quod homines pertrahit sordida, atque insatiabilis „ avaritia, non idcirco tamen approbant moderatas a divitibus exigendas, quin „ imo etiam istas aliis in locis expresse condemnant. „ Et relatis textibus B. Am- brosii, et Hieronymi, num. 8. summus Pontifex addit „ Ad canones quod attinet, si „ argumentum, quod ex illis instaurant, quidquam haberet roboris, et efficaci- „ tatis, probaret etiam fornicationes, et adulteria esse laicis permissa, quia ple- „ rique canones in solos Clericos fornicarios, et adulteros, nulla facta laico- „ rum mentione animadvertunt; quae sane argumentatio inepta, et ridicula fo- „ ret. Novum quippe non est Ecclesiam severius in Clericis punire delicta, „ quae etiam in Laicis execrantur sicut apposite, et ad rem monuit Concil. Car- „ thagin. I. can. 13. *Quod in laicis reprehenditur, id multo magis in Clericis „ oportet praedamnari*. Caeterum non desunt alii innumeri canones Clericos ae- „ que ac laicos usurarios redarguentes etc. Jure itaque, ac merito Auctores per- „ mittentes moderatum lucrum ex mutuo a divite, et negotiatore exigere, velu- „ ti adversantes communi, et perpetuae Ecclesiae catholicae doctrinae inclama- „ runt, et validissimis argumentis confutarunt Navarrus etc.„ Atque hic Ponti- fex affert longam Theologorum seriem, ac tamdem concludit „ Verum quo- „ niam tot Doctorum auctoritate, et argumentis minime perterriti praedictam „ exoticam opinionem nonnulli iterum refricare non dubitarunt, propterea Nos „ ad Petri Cathedram evecti, ne catholicae doctrinae puritas, cujus depositum „ nobis est a Christo concreditum, hac erroris labe foedaretur, datis ad Italiae „ Episcopos encyclicis litteris sub die 1. Novem. 1745. haec inter caetera *de- „ claravimus*. Primo omne lucrum ex mutuo ratione mutui usurarium, et illi- „ citum esse. Secundo ad usurae labem purgandam nullum arcersiri posse sub- „ sidium vel ex eo, quod id lucrum non excessivum, et nimium sed moderatum, „ non magnum, sed exiguum sit, vel ex eo quod is, a quo id lucrum solius „ causa mutui deposcitur, non pauper, sed dives existat, nec datam sibi mu- „ tuo summam relicturus otiosam, sed ad fortunas suas amplificandas, vel novis

„ coemendis praediis, vel quaestuosis agitandis negotiis, utilissime sit impensu-
„ rus „ Haec Bened. XIV; quae adeo clara sunt, ut nihil videatur contra posse opponi.]

Articulus IV.

Utrum pro mutuo illicitum sit expetere non solum pecuniam, sed aliquam aliam commoditatem ?

Nota. Commoditas alia est non aestimabilis pecunia, ut res spiritualis, amor, benevolentia, et si quid sit aliud hujusmodi: alia est pecunia aestimabilis et est triplex, scilicet munus ab obsequio, munus a lingua, et munus a manu. Munus ab obsequio, ut colere agros alterius, gerere ejus negotia. Munus a lingua, ut ipsum laudare, alloqui Principem in ejus gratiam. Munus a manu, est quodcumque donum, non solum pecunia, sed quodvis aliud pecunia aestimabile, ut equus, annulus, torques. His annumeranda est obligatio civilis seu justitiae, quo quis se in gratiam alterius obligat ad id, quod aliunde non obligatur ex justitia: cum enim sit onerosa, utpote privans hominem sua libertate, et in favorem alterius suscipiatur, est pretio aestimabilis. His notatis,

Dico 1. Qui pro mutuo accipit aliquid, cujus pretium pecunia mensurari potest, tamquam ex obligatione tacita vel expressa debitum, usuram committit. Quia secundum sensum communem, omne illud pro pecunia habetur, cujus pretium potest pecunia mensurari. Si vero accipiat aliquid hujusmodi non quasi exigens, nec quasi ex aliqua obligatione tacita vel expressa, sed sicut gratuitum donum, non peccat. Ratio est, quia mutuans, etiam antequam mutuasset, licite poterat aliquod donum gratis accipere, nec pejoris conditionis efficitur per hoc, quod mutuavit: ergo. Adde, quod lex mutui legem amicitiae et gratitudinis non destruat. Hinc sequitur, quod etiam liceat sperare et intendere donum gratuitum; quia licet sperare et intendere faciendum, quod licet facere. Patebit magis ex modo dicendis.

Sed difficultas est, utrum, sicut licet in mutuo accipere, et expectare, ita liceat exigere aliquid gratuitum titulo gratitudinis et amicitiae, difficultatem parit propositio damnata ab Innocentio. XI. qua quidam neoterici falso arbitrati sunt doctrinam D. Thomae perstringi. Pro cujus difficultatis resolutione

Dico 1. Exigere a mutuatario aliquid non tamquam ullo modo debitum, sed ut mere gratuitum solius amicitiae et gratitudinis titulo liberrime conferendum, ut fieri solet inter amicos, non est secundum se usurarium. Verba D. Thomae sunt haec: *Si vero munus ab obsequio, vel a lingua, non quasi ex obligatione rei exhibetur, sed ex benevolentia, quae sub aestimatione pecuniae non cadit, licet hoc accipere et exigere et expectare.* Item Q. 13. de malo a. 4. ad 13.

Ratio conclusionis est. 1. Quia talis exactio non tollit a mutuo rationem gratuiti, nec libertatem laedit in mutuatario, consequenter nulla fit illi injustitia, ad quam tamen pertinet usura. 2. Quia licet petere faciendum, quod licet facere: atqui mutuatario licet aliquid gratuitum dare ex amicitia et gratitudine, et mutuanti recipere: ergo et huic licet petere. Quia, ut jam dixi, et mutui legem amicitiae et gratitudinis non destruit. 4. Titulus gratitudinis est extrinsecus mutuo, cum innumeri sint mutuatarii ingrati.

Dixi, *secundum se*: quia quantum ad praxim, vix aut ne vix admittendum arbitror, nisi in iis occasionibus et necessitatibus, in quibus solent amici ab amicis obsequium requirere. Quia 1. periculum est, ne mutuatarius hac petitione compulsus rependat beneficium aliquo modo invitus, timens nimirum, ut jam

notavi, ne vel notam ingratitudinis incurrat, vel ne mutuum citius repetatur, aut ne amplius postea reperiat. 2. Quia difficile est discernere, an mutuans exigat ut gratuitum, an non potius ut debitum. 3. Quia haec praxis est scandalosa, et in foro externo praesumeretur usuraria.

Dices. Innocentius XI. damnavit hanc propositionem: *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia et gratitudine debitum, sed solum si exigatur tamquam ex justitia debitum*: atqui videtur ipsissima D. Thomae propositio et nostra: ergo. R. N. min. Neque enim S. Thomas dixit umquam, neque nos dicimus non esse usuram *exigere aliquid tamquam debitum*; sed e contra expressis verbis dicit et nos cum ipso, non posse exigi tamquam debitum, sed dumtaxat tamquam mere gratuitum donum absque ulla obligatione sive tacita, sive expressa. In his ergo terminis: *Exigere tamquam debitum*, latet virus hujus propositionis, neque refert, quod addat *ex gratitudine*, id enim pro pallio adhibetur; etenim obligatio gratitudinis est indeterminata, seu nihil est determinate debitum ex gratitudine, sed obligationi illius quisquis satisfacere potest prout voluerit, sive gratias agendo benefactori, sive memoriam beneficii servando, sive signa honoris aut amicitiae exhibendo, sive aliquod obsequium pro loco et tempore praestando. Et ratio hujus est; quia gratitudo magis considerat affectum dantis quam datum, et ideo satisfacit recipiens per similem affectum benefaciendi indeterminate: quando ergo mutuans exigit aliquid tamquam debitum ex gratitudine, ficte appellat gratitudinem, cum nullum sit tale debitum gratitudinis, sed sub pallio gratitudinis occultat obligationem strictam, quam tentat imponere mutuatario. Hanc ergo fictam obligationem gratitudinis ferit fulmen vaticanum.

Consectaria praecedentis doctrinae.

Colliges 1. ex dictis, mutuantem esse usurarium, qui obligat mutuatarium, ut illi praestet quodcumque munus sive a manu, sive a lingua, sive ab obsequio, prout explicuimus in capite hujus articuli, et sub quibus innumera pene continentur. Et quamvis inter ea sint quaedam, quae non sunt pretio aestimabilia, ut laus, honor, collatio ordinum aut beneficii, etc. obligatio tamen ad haec, qua mutuatarii libertas tollitur, est onus pretio aestimabile, quod saepe vellet pecunia redimi.

Colliges 2. e contra non esse usurarium, qui mutuat cum pacto, ut mutuatarius faciat id, ad quod ex Justitia tenetur, v. g. ut solvat legitimum debitum, ut abstineat ab injusta vindicta, a calumnia, detractione, furto, etc. Quia neque est nova obligatio, sed potius admonitio prioris (nisi forte obligaret mutuatarium ad jurandum, quod satisfaciet, esset enim tunc nova obligatio religionis) neque mutuans aliquid lucratur, sed injustam vexationem redimit. Si vero mutuatarius teneatur tantum ex charitate, vel ex alia virtute distincta a justitia, ut ad faciendum eleemosinam voto promissam non est eadem Doctorum sententia, qui tamen videntur posse conciliari dicendo, quod si mutuans intendat tantum gloriam Dei, et utilitatem mutuatarii, liceat, si propriam utilitatem non liceat.

Colliges 3. esse usurarium, qui mutuando obligat mutuatarium, ut frequentet suam officinam, aut suum molendinum, ut locet suas operas ad culturam agri, vel ad messem, et similia; quamvis non plus exigat pro mercibus venditis, aut molitura quam alii, et justam mercedem operariis solvat. Ita communiter. Ratio semper eadem, quia talis obligatio adimit libertatem mutuatario emendi, molendi, laborandi, ubi et a quo, vel pro quo voluerit, sicque est onus pretio aestimabile.

Sed petes, quid sit restituendum pro illa obligatione imposita mutuatario

de qua jam saepe, praesertim quando mutuans nihil aliud lucri reportat ex mutuo quam istam obligationem, ut contingit in exemplis hujus consectarii. R. In primis mutuans debet pactum dissolvere, et mutuatarium reddere suae libertati; deinde obligatione jam executioni mandata, non equidem tenetur mutuator restituere, vel justum pretium mercium, quas mutuatario vendidit, vel justum stipendium moliturae; sed tenetur restituere quantum damni in illius obligationis executione passus est, ut si v. g. meliores merces, vel viliori pretio alibi invenisset, si facilius ad aliam officinam, vel aliud molendinum accessisset, si majori pretio alteri operas suas locasset; pro rata, inquam, illorum damnorum restituendum est. Quod si mutuatarius nullum aliud damnum quam onus impositum per talem obligationem passus sit, generaliter loquendo non videtur restituendum nisi aliquid modicum, sed certo determinari non potest nisi ex circumstantiis secundum judicium viri prudentis.

Colliges 4. usuram esse si mutuator obliget mutuatarium ad remutuandum in posterum; quia talis obligatio est onerosa et pretio aestimari potest. Ita communiter cum Auctore. Sed difficultas est, utrum possit obligare mutuatarium ad statim remutuandum in alio genere? Suppono, quod si utrimque esset obligatio, non ficte suscepta, sed aeque onerosa, nulla foret usura, quia nulla foret inaequalitas, sed obligatio pro obligatione. Id communiter admittitur. Sed si mutuans non sit obligatus mutuare, aut sponte et ficte se obliget ad mutuandum, ut habeat titulum obligandi mutuatarium ad remutuandum currit difficultas, et quod hic resolvemus de mutuatione, idem resolvendum est de obligatione statim praestandi aliquod obsequium, aut conferendi officium, quod gratis solet conferri. R. verisimilius esse usurarium obligare mutuatarium ad statim remutuandum in alio genere; aut ad statim praestandum aliquod obsequium aliunde gratuitum. Quia haec obligatio est aeque, imo quandoque magis onerosa mutuatario, et potest esse aeque utilis mutuanti, quam obligatio mutuandi in posterum: ergo est aeque et quandoque magis pretio aestimabilis. Ita Soto et plures apud Sylvium.

Caeterum plures, qui nobiscum hac in parte consentiunt, admittunt nihilominus non esse usuram, si mutuans non obliget, sed simpliciter roget mutuatarium ad nunc remutuandum, vel aliquid gratuitum nunc praestandum, alioquin non mutuaturus: quia, inquiunt, possum ab eo, qui a me petit officium amicitiae, par officium vicissim petere, quod si deneget, potest repelli ut ingratus, nec ideo imponitur ulla obligatio, sed est tantum declaratio, quod non vis alteri gratificari nisi vicissim tibi gratificetur: quasi diceres, peto a te remutuationem, non equidem quod eam mihi debeas ratione mutui accepti aut accipiendi, quin imo sit in tuo arbitrio hanc mihi praestare vel denegare, tamen si non praestes quod peto gratis et non teneris facere, sic ego nec faciam quod gratis petis, et non teneor facere. Itaque quod petitur nullatenus deducitur in pactum, sed est mera conditio cum qua et sine qua mutuandi. Ita Lessius, Layman, Perfector Tournely, Daelman, Henno, et alii. Idque Lessius, Layman, Sporer, et quidam alii extendunt ad obsequia in futurum praestanda: quia, inquiunt, sicut quis juste potest negare mutuum illi, quem nunc experitur, aut antea expertus est ingratum, ita et illi quem praevidet postea fore ingratum. Recte tamen monent quidam ex laudatis Theologis hujusmodi conventiones quamvis speculative admittantur ut justae, in praxi tamen esse periculosas, ne subsit usuraria intentio: unde ante factum non sunt consulendae, post factum accurate discutiendae.

Colliges 5. Usurarium esse, qui accepto pignore fructifero, v. g. agro in assecurationem sortis, illius fructus retinet, non computando in diminutionem sortis. Iste contractus in jure vocatur *Anthicresis*, id est usus contrarius, quia

mutuator utitur re aliena loco rei mutuatae. Colliges. 6. usurarium esse mutuari cum pacto ut Mutuatarius vel totam summam pecuniae, vel partem exigat a debitoribus difficilis solutionis, vel cum pacto totam summam vel partem accipiendi in mercibus; item si mutuatur Parisiis cum pacto reddendi mutuum Lugduni, nisi sit mutuatario commodius; Item cum pacto ut Mutuatarius spondeat, vel fidei jubeat pro ipso in aliquo negotio, et plura alia.

Articulus V.

An, et qui sint legitimi tituli accipiendi aliquid ultra sortem in mutuo?

Quaestio est de absentia pecuniae, obligatione non repetendi sortem intra certum tempus, damno emergente, lucro cessante, periculo sortis, poena conventionali, et pacto legis commissoriae.

§. I. *Absentia pecuniae, et obligatio non repetendi sortem intra certum tempus.*

Dico. 1. Absentia pecuniae non est titulus legitimus accipiendi aliquid ultra sortem. Prob. 1. Quia est essentialis mutuo, nemo enim potest mutuare pecuniam, et illam retinere. 2. Quia absentia pecuniae secundum se non est pretio aestimabilis; etenim centum aurei absentes certo reddendi intra annum, secluso interesse mutuantis, aequivalent centum aureis praesentibus. 3. Dato quod sit quaedam levis incommoditas ex absentia pecuniae, compensatur per hoc, quod mutuans ponatur extra periculum eam inutiliter expendendi, aut illam perdendi, cum mutuatarius in quovis eventu teneatur illam reddere. 4. Ex hac propositione damnata ab Innocentio XI. *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, et nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam praesentem quam futuram; potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, et eo titulo ab usura excusari.* Est quadragesima prima.

Quantum ad secundam partem tituli, satis convenit inter Theologos, quod obligatio non repetendi mutuum intra aliquod tempus non sit titulus legitimus accipiendi aliquid ultra sortem, tum propter hanc propositionem damnatam ab Alexandro VII. *Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.* Est 42. Tum quia obligatio non repetendi sortem usque ad aliquod tempus, est intrinseca et essentialis mutuo, alias ut diximus art. 1. hujus Dissert. mutuum foret inutile ut nugatorium, consequenter haec obligatio non est pretio aestimabilis seorsim a mutuo. Verum plures nec ignobiles Theologi contendunt, quod obligatio non repetendi usque ad certum tempus longe distans, puta ad annum, non sit intrinseca mutuo, ideoque sit legitimus titulus accipiendi aliquid ultra sortem absque vitio usurae. Contra quos cum probabiliori et communiori sententia

Dico. Obligatio non repetendi sortem intra certum tempus sive breve, sive longum non est titulus legitimus accipiendi aliquid ultra sortem. Prob. 1. Sicut obligatio non repetendi sortem ante aliquod tempus est de ratione intrinseca mutui ut sic, ut concedunt praefati Theologi, ita obligatio non repetendi ante hoc determinatum tempus sive longum, sive breve est de ratione hujus mutui in individuo: etenim quia aliqua pecuniae summa est de ratione intrinseca mutui, ut sic, ideo haec determinata pecuniae summa, sive magna, sive parva, est de ratione intrinseca hujus mutui in individuo, et sicut dum magna summa mutuatur, nihil est aliud quam magnum mutuum, sic dum mutuatur ad longum tempus, nihil est aliud quam longum mutuum; et iterum sicut non potest plus acci-

pi ultra sortem, quia magna summa mutuatur quam si parva, ita non potest plus accipi si mutuetur ad longum tempus quam si ad breve.

Prob. 2. Mutuum cum obligatione non repetendi mutuum ante annum, compensatur ad aequalitatem per obligationem servandi sortem securam per annum, et per restitutionem illius post annum : ergo. Prob. ant. Mutuum cum obligatione non repetendi ante quindecim dies compensatur ad aequalitatem per obligationem servandi sortem securam, et ejus restitutionem post quindecim dies, juxta adversarios : ergo et post annum.

§. II. *Damnum emergens.*

Nota. Damnum emergens causa mutui est jactura in rebus actu habitis, ut si defectu pecuniae, quam dedisti mutuo, non possis reparare domum, quae ruinae patescit, tenearis vendere res tuas viliori pretio, aut emere credito annonam cariori pretio et similia. Lucrum cessans est jactura in rebus spe habendis, ut si defectu pecuniae non possis negotiari et inde lucrari, censum aut agrum emere, ex quo tibi lucrum accessisset.

Dico. Damnum emergens est titulus legitimus accipiendi aliquid ultra sortem in mutuo, servatis certis conditionibus. Est communis cum D. Thoma. Ratio est 1. Quia damnum emergens est quid pretio aestimabile extrinsecum mutuo. 2. Quia nullo jure quis tenetur cum suo damno praestare alteri beneficium liberum, quin potius aequitas postulat, ut si tuo commodo consulam, tu meae indemnitati prospicias, juxta illud Lucii III. c. 2. *De fideijuss.* lib. 3. tit. 22. *Nemo debet pati dispendium, unde praemium videtur meruisse.* 3. Quia dum mutuo centum aureos, unde patior damnum in decem, reipsa mutuo centum et decem : ergo dum accipio centum et decem, lucrum non accipio ultra sortem. Prob. ant. Licet centum, ex quorum absentia patior damnum in decem, secundum se considerati non valeant nisi centum, mihi tamen valent centum et decem : atqui res aestimatur, et appretiatur, non solum prout secundum se consideratur, sed etiam quatenus domino est causa alicujus boni consequendi vel damni vitandi ; et ideo diximus Dissert. praecedenti, res propter hanc rationem posse vendi pluris quam secundum se valeant, quia cum illis venditur commodum aut incommodum domini : ergo.

Dixi : *Servatis certis conditionibus.* Prima est, ut mutuum sit vere causa damni ; unde si habeas, aut facile habere possis alias pecunias, quibus damnum impedire possis, mutuum non censebitur causa damni, quod non obstante mutuo potuisses facile impedire, et imputabitur tuae voluntati. Confer §: sequentem. Secunda, ut servetur aequalitas, et juxta damnum damnive periculum statuatur pretium. Tertia, ut praemoneatur mutuatarius, seu quod idem est, ineatur ab initio pactum de hujusmodi damno compensando (quomodo autem pactum istud fieri debeat, dicam modo). Ita communiter contra paucos ; quia 1. cum contractus mutui, excepta obligatione reddendi sortem, sit gratuitus, censetur omnia in eo gratis dari, secluso pacto in contrarium. 2. Quia forte nollet mutuatarius sub hoc onere accipere mutuum, quod posset alibi meliori fortuna invenire ; unde involuntarie gravaretur. Igitur si damnum evenerit, et de eo compensando non fuerit praemonitus, mutuatarius non tenetur illud compensare. Quo enim titulo tenetur ? Non titulo injustae acceptionis aut detentionis, suppono enim non esse in mora culpabili : non titulo rei acceptae, qui enim accepit centum, et reddit centum, liberatur : non ratione contractus mutui, is enim obligat dumtaxat ad reddendum tantum, quantum acceptum fuit.

Neque dicas mutuatarium ultra centum accepisse decem pro damno mutuantis, ut modo dicebamus. Id enim dumtaxat verum est, quando mutuatarius

est hujus damni conscius, et in id consentit; alioquin cum sit extrinsecum, et accidentarium mutuo, nec utile mutuatario, si ipsi sit ignotum, consensus ejus non fertur in illud, nec consequenter contractus est de illo. Porro pactum de damno compensando ineundum initio contractus mutui potest fieri dupliciter. 1. Nihil certum determinando, sed sic, ut mutuatarius teneatur compensare damnum tantum quantum, si eveniat, si autem non eveniat, ad nihil teneatur: et hic modus est justissimus ac securior. 2. Sic, ut determinetur aliquid certum moderatum solvendum a mutuatario pro damno incerto seu periculo damni, sive eveniat damnum, sive non: et hic modus est etiam justus, modo sit revera periculum damni, alias non posset sic contrahi, et modo prudenter ac moderate determinetur auctarium attenta quantitate damni et periculi.

§. III. *Lucrum cessans.*

Lucrum cessans, ut jam innui, hic voco lucrum speratum, et in potentia proxima habendum, quo quis se privat ex eo, quod in gratiam alterius illi mutuo tradat suas pecunias, quibus volebat, et sperabat lucrum sibi comparare, et verisimiliter comparasset.

Dico. lucrum cessans est legitimus titulus accipiendi aliquid ultra sortem in mutuo, servatis pariter certis conditionibus. Est communis, et ita habetur in Jure Civili L. *Non utique ff. de eo quod certo loco* Lib. 13. tit. 4. atque in Jure Canon. Cap. *Naviganti. De usuris.* Prob. ratione. 1. Spes lucri est pretio aestimabilis seorsim a mutuo: ergo. Prob. ant. 1. Metus damni est pretio aestimalis; ergo a pari et spes lucri: non enim est potior ratio pro uno quam pro altero. 2. Quia spes lucri saepe juste venditur, ut patet in jactu retis. 2. Lucrum cessans reputatur et est verum damnum: atqui ratione damni licet accipere aliquid: ergo. Probatur maj. 1. Quia est jactura boni actu habiti, scilicet, spei lucri. 2. Quia communi hominum sensu non solum is dicitur pati damnum, qui perdit centum aureos, quos actu habet, sed etiam ille, qui impeditur ne consequatur centum aureos, quos sperat habere, et erat in potentia proxima ad habendum, quod enim spe proxima possidemus, aliquo modo et moraliter censemus habere. 3. Nemo tenetur alteri beneficium praestare cum suo incommodo: seu, ut dicit Lucius III. cit. §. praecedenti, nemo debet pati dispendium, unde videtur meruisse praemium: ergo. 4. Pecunia proxime praeparata lucro, puta negotiationi vel emptioni census aut rei frugiferae, atque ut subest industriae mercatoris, pluris valet quam secundum se considerata; quia praeter seipsam importat spem lucri; quae, ut dixi, est aestimabilis: ergo non est illicitum accipere pro ea in his circumstantiis mutuata plus quam valeat secundum se, per hoc enim non tollitur aequalitas.

Dices. S. Th. hic a. 2. ad primum dicit; *Recompensationem vero damni, quod consideratur in hoc, quod de pecunia non lucratur, non potest in pactum deducere, quia non debet vendere id quod nondum habet, et potest impediri multipliciter ab habendo.* R. S. Thomam loqui vel de lucro remoto, nempe quando pecunia nondum erat lucro destinata, seu, ut dicit Sylvester verbo *Usura* 1. q. 19. de lucro non vendibili, cujusmodi est, quod est possibile tantum, non autem de probabili, quod secundum jura vendi potest. Ita etiam interpretatur Cajetanus hic. Vel loquitur S. Doctor eodem sensu, quo loquitur q. 62. a. 4o. o. scilicet lucrum cessans non posse deduci in pactum ex aequo, seu mutuantem non posse exigere totum lucrum quod sperat ad aequalitatem, quia lucrum in spe minus valet quam lucrum in re.

Quantum ad modum paciscendi pro lucro compensando, fit dupliciter, ut dixi de damno emergente. 1. Sic ut determinetur aliquid certum pro lucro in-

certo seu pro spe lucri, et illud, ut jam dixi ex S. Thoma, non debet aequivalere toti lucro sperato; quia lucrum speratum est tantum in potentia, et potest multipliciter impediri, ideoque minus valet quam lucrum actu. 2. Modo fit pactum sic, ut mutuatarius teneatur de toto lucro, quod eventus declarabit futurum fuisse, si non fuisset datum mutuum, deductis tamen periculis, expensis, et plerumque laboribus.

Dixi in conclusione, *servatis certis conditionibus*. Prima est, ut revera lucrum cesset, alioquin fictus esset titulus. Secunda est, ut mutuum sit vere causa lucri cessantis, hoc est lucrum cesset, quia datum est mutuum, alioquin non cessaturum. Ad hoc requiritur, 1. quod pecunia sit destinata, et proxime praeparata lucro, sive per negotiationem, sive per emptionem rei frugiferae. 2. Requiritur quod mutuans non habeat alias pecunias otiosas, quibus idem lucrum commode possit comparare: alioquin non carentia pecuniae, sed sola ejus voluntas erit causa, cur non lucretur. Dixi *pecunias otiosas, quibus commode*, etc. quia si mutuans haberet quidem alias pecunias, sed sincere destinatas ad alios fines, v. g. ad dotem filiarum, ad alendam familiam, ad casus fortuitos, etc. quas nec solet nec vult negotiationis discrimini committere, docent graves Theologi quod possit exigere lucrum cessans; quia tunc revera mutuum est causa quod non lucretur; non enim dici potest, ut ante, quod non lucretur ideo quia non vult uti pecuniis aliis, quas habet, subest enim illi justa ratio iis non utendi. Ita censent post Navarr. Lessius, Sylvius, et alii communiter. Tertia conditio est, ut mutuatarius praemoneatur de compensando tali lucro, ut dixi satis fuse de damno compensando. Require. Quarta conditio est, ut mutuans non exigat totum lucrum speratum, sed partem tantum, quae attentis attendendis aestimabitur judicio prudentum et intelligentium, ut etiam jam dixi prius. Quinta, ut non statim recipiat interesse lucri cessantis: si enim mutues centum et interesse sint decem eosque decem statim recipias, non mutuas centum, sed nonaginta tantum, et tamen recipis interesse pro centum, quod est injustum. Sexta conditio potest assignari, ut lucrum cessans foret justo titulo percipiendum, unde pro lucro injusto nihil potest recipi, quia id solum vere possumus, quod juste possumus.

§. IV. *Periculum Sortis.*

Quidam agnoscunt aliquod periculum sortis ipsi mutuo intrinsecum, quod reponunt vel in ipsa carentia pecuniae, vel in hoc quod bona mutuatarii possunt perire casibus fortuitis. Id autem alii negant, cum nullum sit periculum sortis in mutuo, quod non possit ab eo separari per cautionem, vel pignus, aut hypothecam, et hoc probabilius existimo, sed quidquid sit, quaestio non est de isto periculo si detur: cum enim sit leve, remotum, et mutuo intrinsecum, certum est nihil pro illo posse exigi. Quaestio est igitur de periculo sortis amittendae, quod est extraordinarium, et extrinsecum mutuo, utpote ortum ex causis mutuo accidentariis, puta quod mutuatarius sit dubiae fidei, sit prodigus, decoctor, litigiosus, lusui deditus, quod exerceat commercium periculosum, sive deferendo merces prohibitas, aut etiam licitas, sed per vias latronibus obsitas, aut fraudando tributa. Quaestio est, inquam, utrum titulo hujusmodi periculi liceat accipere aliquid ultra sortem? Alii negant, affirmant alii, utrinque probabiliter.

Dico. Probabilius est periculum sortis esse titulum legitimum accipiendi aliquid ultra sortem: saepe tamen est illegitima hujus tituli praxis. Probatur prima pars 1. Non est usura, dum exigitur in mutuo aliquid ultra sortem ratione alicujus tituli pretio aestimabilis mutuo extrinseci et per accidens annexi: atqui periculum sortis est mutuo extrinsecum, et per accidens annexum, estque

pretio aestimabile : ergo. Patet prima pars minoris , tum quia hoc periculum non oritur ex mutuo , ut dictum est, sed ex qualitatibus accidentariis mutuatarii , tum quia est a mutuo separabile , si nempe removeantur a mutuatario qualitates , ex quibus oritur , ut removeri possunt , ut si desinat esse decoctor , aut exercere commercium periculosum. Patet etiam secunda pars ejusdem minoris , 1. quia nullus est mutuans qui non libenter vellet hoc periculum aliquo pretio redimere. 2. Quia alter qui susciperet in se hoc periculum , licite exigeret aliquid pro assecuratione : ergo est quid pretio aestimabile , idque magis patebit ex argumento sequenti.

Probatur 2. Si sors amitteretur , esset mutuanti damnum emergens : ergo periculum amittendae sortis est periculum damni emergentis , quod secundum omnes est titulus legitimus accipiendi aliquid ultra sortem : ergo et periculum sortis amittendae. Urget haec ratio , et si bene advertas , ferme nihil opponunt adversarii contra hunc titulum , quod non pariter militet contra titulum damni emergentis. Neque verum est quod dicit Aurelius Piette , periculum damni involvere aliquid extrinsecum mutuo , nempe damnum ipsum ; periculum autem sortis non involvere , nisi sortem ipsam ; hoc , inquam , ultimum falsum est : periculum enim sortis amittendae involvit ipsum probabile damnum sortis , hoc autem damnum probabile sortis non est sors ipsa , sed quid extrinsecum sorti , sicut illius damni periculum.

Probatur 3. ex responsione S. Congregationis Cardinalium de propaganda Fide data 12. Septembris 1645. ad quaesita Missionariorum Chinensium, quam approbavit Innocentius X. et sub poena excommunicationis jussit observari. Itaque in responsione ad tertium quaesitum sic habetur : *Censuerunt ratione mutui immediate et praecise , nihil esse accipiendum ultra sortem principalem ; si vero aliquid accipiant ratione periculi probabiliter imminentis , prout in casu , non esse inquietandos , dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis ejusdem , ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur.* ,

Hinc inferes esse a fortiori licitum mutuanti , se ad instantiam mutuatarii pro pretio praestare assecuratorem sortis , sic ut si sors absque culpa mutuatarii pereat, eam non possit repetere , sed solum pretium pactum pro assecuratione. Hoc autem pretium ratione majoris obligationis, et periculi debet esse majus , quam si mutuans servaret sibi jus ad sortem.

Secunda pars conclusionis , in qua dicimus hujus tituli usum saepe esse illegitimum , colligitur ex conditionibus ad eum requisitis , quas raro observant mutuantes. Prima est , ut periculum sit verum , et non fictum quale ubique fingunt qui lucrari amant. Secunda , ut non exigatur auctarium contra legem charitatis , sicut enim charitas quandoque obligat succurrere proximo per eleemosynam omnino gratis datam , ita et per mutuum relaxando per modum eleemosynae pretium periculi , et haec conditio spectat mutua minuta data pauperibus. Tertia , ut mutuans non quaerat ratione periculi lucrari ex mutuo , sed tantum indemnem se servare , alias foret usurarius mentalis ; nec ideo cogat mutuatarium cum ipso pacisci de pretio periculi , sed ipsum liberum relinquat , vel assecurare sortem per pignus , hypothecam , aut fidejussorem , vel cum ipso pacisci , alioquin imponit ipsi gravamen pretio aestimabile ; et hic est casus famosi capitis *Naviganti* , Quarta conditio est , sicut fert Decretum S. Congregationis , ut habeatur ratio qualitatis et probabilitatis periculi , serveturque proportio inter periculum et auctarium. Et quia pauci sunt , qui eas omnes conditiones accurate observant , ideo diximus hujus tituli usum esse saepe illegitimum.

§. V. *Poena conventionalis.*

Dico. Licite potest mutuator pacisci cum mutuatario, ut si sua culpa non reddat sortem statuto tempore, solvat aliquid ultra sortem in poenam seu per modum mulctae, etiam secluso damno emergente, vel lucro cessante, modo tamen recta sit intentio mutuantis, et servetur aequitas in poena. Est communis contra paucos Lovanienses. Ratio est 1. Quia non exigitur illa mulcta propter mutuum, sed propter moram culpabilem mutuatarii. 2. Quia licet sit publicae auctoritatis poenam judicialem imponere, conventionalem tamen sibi mutuo libero consensu imponere possunt contrahentes propter finem legitimum, scilicet ut contractuum firmitati consulatur, et debitorum negligentia seu iniquitas coerceatur; possunt, inquam, omni jure, sive naturali, sive gentium, sive canonico cap. *Dilecti*, *De arbitris*, sive civili L. *Si pacto* C. *De pactis*.

Dixi 1. *Modo sit recta intentio mutuantis*, scilicet ut poenam apponat sincero animo urgendi mutuatarium ad solutionem, non autem in fraudem ex intentione lucri. Dixi 2. *Et aequitas servetur in poena*, scilicet 1. Ut poena sit moderata; 2. Ut interveniat culpa mutuatarii, quia poena non infligitur nisi propter culpam. 3. Ut mora sit notabilis, mora enim unius, vel alterius diei habetur pro nulla 4. Ut non integre exigatur poena, si mutuum sit partim redditum.

§. VI. *Pactum Legis commissoriae.*

Dixi Dissertatione praecedenti pactum legis commissoriae in venditione esse licitum, dum nempe pactum initur, ut si emptor non solvat statuto tempore, res sit inempta. Quaestio nunc est, utrum sit etiam licitum in pignore dato mutuatori, aut alteri creditori, dum scilicet initur pactum, ut si mutuatarius, aut alter debitor non solvat tempore statuto, pignus sit creditoris. Pro quo

Dico. Pactum legis commissoriae in pignore dato pro mutuo, aut credito est jure positivo prohibitum. Patet 1. ex Jure Civili L. *Quoniam* 3. C. de pactis lib. 8. tit. 35. 2. Ex Jure Canonico cap. *Significante* 7. Extra. lib. 3. titt. 21. Ratio est quia pignus ordinarie est majoris valoris quam mutuum vel aliud creditum, nemo enim facile accipit pignus minoris valoris, et aequalitas non facile attingitur; ad praecavendam igitur hujusmodi injustitiam, leges merito hoc pactum prohibuerunt.

Articulus VI.

De Restitutione Usurarum

Multa quae huc spectant praeoccupata sunt in Dissertatione de Restitutione in communi. Caetera, quae aliquam difficultatem pariunt, hic breviter expediemus. Primum, tamquam praeambulum, an usurarius acquirat dominium usurarum, deinde an teneatur restituere, et quae? Secundum, de usurario mentali. Tertium, de haeredibus usurarii.

§. I. *Utrum Usurarius acquirat dominium usurarum, et quae teneatur restituere?*

Dico 1. Usurarius per se loquendo non acquirit dominium usurarum. Est communis cum Auctore. Prob. Dominium usurarum non transfertur in usura-

rium neque auctoritate legis, neque voluntate mutuatarii : ergo nullatenus transfertur. Patet consequentia : quia hoc duplici modo tantum rerum dominia transferuntur. Probat. ant. 1. Non auctoritate legis, nulla enim assignari potest, imo omni jure naturali, divino, et positivo usurae sunt prohibitae, atque omnes contractus usurarii irriti. 2. Non voluntate mutuatarii, quia licet eas det simpliciter voluntarie, non tamen, ut suppono, dat gratis ut amicus, sed ratione mutui, consequenter non intendens plus juris in eas dare mutuanti, quam quod ei debetur ratione mutui : atqui mutuans nullum habet jus in usuras ratione mutui, nihil quippe ex hoc capite ipsi debetur praeter sortem : ergo.

Dixi, *per se loquendo* : quia per accidens si usurarius misceat res usurarias cum suis ejusdem speciei, et non minoris quantitatis, v. g. pecuniam cum pecunia, frumentum cum frumento, ita ut discerni nequeant, acquirit earum dominium ex speciali juris dispositione sic statuentis, ne incerta maneant rerum dominia §. *Quod si partim.* Instit. *De rerum divis.* L. *Si alieni ff. De solut.* et L. *Idem Pomponius, ff. De rei vend.* Manet tamen istud dominium restitutioni obnoxium.

Dices : si mutuatarius non acquirat dominium usurarum, sequitur quod omnes contractus, quos cum pecunia usuraria faceret, essent irriti non secus ac si fur cum pecunia furtiva contraheret : atqui falsum consequens : si enim emat agrum pecunia usuraria, ager illius est, ut docet S. Thomas hic ad 2. ergo. R. inter contractus, quos facit usurarius de re usuraria, quosdam esse invalidos, quosdam validos. Explicatur. Validus est absolute contractus, quem facit de usura fungibili, v. g. pecunia, vino, tritico, si tamen eo contractu non fiat impotens ad restitutionem : unde si pecunia usuraria emat agrum, acquirit dominium agri, et transfert dominium pecuniae in vendentem. Non quia illius dominium habet, sed quia dominus consentire censetur : cum enim res fungibiles non debeant reddi eaedem in individuo ; non enim interest domini an eaedem numero pecuniae, vel aliae ejusdem bonitatis et valoris reddantur, censetur in eam translationem consentire, modo usurarius non fiat inde impotens ad restituendum ; alioquin foret irrationabiliter invitus, juxta illud commune axioma : *Quod mihi prodest et tibi non nocet, teneris facere.* Ita Sylvius post Soto, Bannem, et alios. Contractus autem quem facit de re usuraria non fungibili, ut de domo vel agro, quem usurarie acquisivit, est invalidus, quatenus non transfert dominium agri in emptorem ; quia cum usurarius vendens non habeat ejus dominium, ut dictum est, et aliunde non sit res fungibilis, interest domini ut reddatur eadem numero, quapropter non consentit dominus in ejus alienationem.

Utrum jam usurarius venditor acquirat dominium pretii ? dubitatur. Sylvius negat, nec improbabiliter : quia emptor non intendit transferre dominium pecuniae suae, nisi in eum, qui in ipsum transferat dominium rei, quam vult emere. Attamen jura videntur obstare in pluribus locis : unde quidam dicunt emptorem rei alienae non transferre dominium pecuniae suae sub hac conditione si venditor transferat dominium rei suae, ut vult Sylvius, sed quod transferat absolute, sub onere tamen ut venditor transferat dominium rei suae, sin minus teneatur de evictione : quia contrahentes censentur contrahere conformiter dispositioni legum, nisi contrarium exprimant. Alii vero existimant haec jura intelligenda esse pro foro externo tantum.

Dico 2. Usurarius tenetur restituere omnes usuras. Patet ex dictis : non enim magis acquisivit earum dominium, quam fur rerum furtivarum.

Dico 3. Usurarius non tenetur restituere id quod acquirit ex re usuraria non fructifera, puta ex pecunia, vino, tritico, usurarie acceptis : quia sic acceptum non est fructus hujusmodi rei secundum se sterilis, sed est fructus humanae industriae, consequenter illius cujus est industria, nimirum acquirentis.

Dum ergo quis negotiatur cum pecuniis usurariis, quidquid lucri ex tali negotiatione ei obvenit, illius est. Si vero usura sit frugifera, ut domus, ager, etc. usurarius tenetur restituere, non solum domum, vel agrum, sed etiam fructus inde perceptos; quia sunt fructus rerum, quarum mutuatarius remanet dominus, et ideo ei debentur. Neque solum fructus perceptos, sed etiam eos quos non percepit, sed percepisset dominus; pro quo vide quae dixi de possessore malae fidei, Dissert. de Restit. in genere.

§. II. *Utrum Usurarius mentalis teneatur ad Restitutionem?*

Usurarium mentalem hic voco ut ante, non qui habet intentionem accipiendi aliquid ultra sortem ut debitum vi mutui, et nihil accipit, sed eum qui revera accipit, sed absque ullo alio pacto etiam implicito, quam ipso pacto mutui.

Dico 1. Si usurarius accipiat lucrum ut debitum vi mutui, et mutuatarius det pariter ut debitum vi mutui, tenetur usurarius ad restitutionem, quia praeter sortem nihil illi debetur vi mutui, sicque accipit quod suum non est. Et de tali usurario mentali intelligendum est caput *Consuluit*, *de usuris*. Ubi Urbanus Papa resolvit *Eum, qui mutuat alias non mutuaturus, eo proposito, ut licet omni conventione cessante, plus tamen forte recipiat, pro hujusmodi lucri intentione, judicandum esse male agere et efficaciter ad restitutionem inducendum.* Est, inquam, intelligenda ista decisio de illo, qui intendit ex mutuo lucrum ut debitum, et ut sic datum recipit. 2. Si mutuatarius mere gratis, et liberaliter donet, mutuans autem accipiat ut debitum, is peccat ratione pravae intentionis, et ex conscientia erronea, quamdiu durat, tenetur restituere; dum tamen resciverit, rem fuisse liberaliter donatam, a restitutione liberabitur. 3. E contra si mutuatarius det tamquam debitum vi mutui, sed mutuans, id nesciens, bona fide recipiat ut liberale donum, is non peccat; postquam tamen deprehenderit datum fuisse ut debitum, tenebitur restituere, si adhuc extet, sin minus, id in quo factus est ditior, tamquam possessor bonae fidei. Si tandem mutuans dubitet, an detur ut debitum, vel ut gratuitum, non potest retinere quod datur, quia stante dubio non potest inchoare possessionem, ne exponatur periculo rem alienam injuste detinendi, nisi ex circumstantiarum consideratione possit excutere dubium. Hinc si mutuatarius det ex timore, ne vel citius mutuum repetatur, vel ne imposterum sibi denegetur, vel ne incurrat notam ingratitudinis, et metus sit a mutuante incussus sic accipiens censetur usurarius, et restitutioni obnoxius; si vero metus a mutuante non procedat, quamvis plures existiment si absit animus acceptandi ut debitum, non esse usurarium, vix tamen puto admittendum in praxi, cum raro contingat, quod mutuatarius hunc metum concipiat, nisi mutuans certis indiciis illi praebuerit fundamentum.

Petes. An qui bona fide fecit contractum usurarium, quem si injustum scivisset, alium justum fecisset, ex quo idem lucrum reportasset, possit re comperta lucrum retinere? R. probabilius negative; non enim ratione contractus facti, quia est nullus; non ratione bonae fidei, quia etiam possessor bonae fidei tenetur ad restitutionem: non ratione contractus, quem fecisset, quia revera non facit.

§. III. *Utrum et quomodo haeredes usurarii, aliique cooperatores teneantur restituere?*

Haec quaestio non est specialis huic materiae, spectat haeredes omnium, qui moriuntur debitis gravati, sive ex contractu, sive ex delicto. Unde quod hic

resolvemus de haeredibus usurariorum, debet extendi ad haeredes quorumcumque debitorum.

Dico 1. Certum est haeredes usurariorum teneri ad restitutionem usurarum secundum vires haereditatis, sive extent adhuc usurae, sive non. Patet si extent; quia sunt res alienae quae clamant ad dominum. Etiam si non extent: quia omnia bona usurarii sunt restitutioni obligata obligatione personali, ut dicebam modo, obligatio autem personalis transit a persona obligata ad omnia illius bona, et consequenter ad illos qui ratione haereditatis in ejus bona et locum succedunt eumque repraesentant, ut sunt haeredes; unde communiter dicitur: haereditas transit cum onere.

Dixi, *secundum vires haereditatis*: quia haeredes non tenentur solvere usuras defuncti, nisi quatenus illi succedunt; non succedunt autem illi, nisi ratione haereditatis quam accipiunt. Ergo non succedunt, nisi in quantum fert haereditas. Equidem in foro externo, si haeredes inventarium non fecerint, compellentur solvere omnia debita, etiamsi protestentur haereditatem eis solvendis non sufficere, quia praesumuntur aliquid abscondisse: at in foro interiori, in quo veritas cedit praesumptioni, sive inventarium fecerint sive non, nusquam tenentur restituere seu solvere ultra vires haereditatis.

Sed est major difficultas, utrum haeredes teneantur in solidum restituere, seu solvere debita defuncti? Sit casus. Joannes, et Paulus habent ex haereditate patris quisque decem millia florenorum. Pater moriens debebat duo millia florenorum, sive ex delicto, puta usuris, sive ex contractu (non enim putamus inter haec debita faciendam esse distinctionem quoad praesentem casum, ut quidam faciunt.) Constat apud omnes quod quisque debeat restituere, seu solvere mille florenos. Sed Joannes non vult, aut non potest suum mille restituere, forte quia jam expendit suam hareditatem: teneturne Paulus totum, hoc est duo millia restituere? Et quidem si bona haereditatis forent pro istis duobus millibus hypothecata, iterum extra dubium foret uno deficiente alterum teneri ad totum, quia hypotheca non dividitur, sed est in qualibet parte boni hypothecati, consequenter confert creditori facultatem jus suum totum prosequendi ubicumque potest. Restat ergo solum difficultas de bonis haereditatis non hypothecatis, sed obligatis dumtaxat personaliter.

Dico 2. Videtur probabilius haeredes defuncti non teneri ad ejus debita in solidum, sed pro parte haereditatis quam accipiunt, ita ut uno deficiente alter non teneatur totum solvere, sed partem dumtaxat, juxta proportionem haereditatis: unde in casu posito, Joanne non restituente mille florenos, Paulus non tenetur ad duo millia, sed ad unum mille tantum. Prob. In tantum haeredes succedunt obligationi restituendi pro defuncto, in quantum succedunt ejus personae: obligatio enim non est realis seu hypothecaria, ut supponitur, sed personalis tantum, seu ratione personae: atqui in tantum succedunt personae, in quantum succedunt ejus haereditati, eo enim dumtaxat nomine dicuntur succedere personae defuncti, et illam repraesentare: ergo qui partem tantum habet haereditatis, succedit partim personae defuncti, et consequenter partim ejus obligationi. *Divisa persona usurarii in haeredes*, inquit Cajetanus *divisa quoque proportionaliter transit ad haeredes illius obligatio personalis, ac per hoc nullus haeres tenetur ex hoc nisi secundum suam portionem.*

Petes 1. an cooperantes usuris teneantur ad restitutionem. R. Non restituente usurario omnes efficaciter cooperantes tenentur ad restitutionem in solidum, quia sunt causa efficax damni. Hinc graviter peccant, et sunt restitutioni obnoxii 1. Consulentes. 2. Praebentes pecunias ad illas exercendas. 3. Domini temporales, Judices, Advocati, qui usurariis patrocinium praebent, nisi forte Princeps in aliqua necessitate ad malum majus vitandum tolleraret usurarios 4. Qui

gerunt negotia usurariorum qua talium, ut qui quaerunt, qui sub usura mutuum velint, usurariorum nomine contractus ineunt, usuras vel pignora recipiunt, referunt in libros memoriales rationes debiti, et accepti, ut inde juvetur usurarius ad usuras exigendas. Excusantur tamen qui mere custodiunt pignora, ne corrumpantur, aut numerantes solam pecuniam, quae mutuo datur, qui videntur mutuatarii potius partes agere, quam usurarii. 5. Notarii conficientes instrumenta, vi quorum solvendae sunt usurae, si in gratiam usurarii faciant, et non ad instantiam mutuatarii, quia tunc, quamvis peccent, non tenentur ad restitutionem, quia scienti, et volenti non fit injuria. Dixi *vi quorum solvendae sunt usurae*, hoc est scripta continentia palliatam usuram, quia si Notarius conficeret instrumentum continens usuram apertam, peccaret, sed juxta Sylvium non teneretur ad restitutionem, cum vi talis instrumenti mutuatarius non possit cogi ad solvendas usuras.

Petes 2. Utrum Montes pietatis et Lombardi sint immunes ab usura? Ante responsionem nota, Montem pietatis nihil aliud esse, quam cumulum pecuniarum collectum sive ex eleemosynis, et legatis piis, sive ex pecuniis ad censum acceptis ad subveniendum per mutuum necessitati indigentium, ne usuris opprimantur: et ideo dicitur *Pietatis*. Mutuatarii aliquid modicum solvunt pro stipendio praefecti, et ministrorum montis, qui omni petenti dant mutuum, pignora recipiunt, custodiunt, purgant, reddunt, libros rationum scribunt. Item pro conservatione montis, et pro solutione censuum, si mons sit collectus ex pecuniis acceptis ad censum.

Praeter hos montes, alter modus inventus est subveniendi indigentibus mutuo, nimirum per mercatores opulentos, qui auctoritate Principum mensam publicam aperiunt ex propriis pecuniis, seseque juramento adstringunt omnibus petentibus mutuare, sub his conditionibus, *quae servantur in montibus pietatis*, cum hoc tamen discrimine, quod cum in montibus pietatis exigatur aliquid pro solutione censuum, hic exigatur pro lucro cessante, eo quod isti mutuatores publici abstrahant pecunias suas a negotiatione, ut mutuent indigentibus. Vocantur *Lombardi* a Lombardis, qui primi hunc modum mutuandi adhibuerunt.

R. 1. Montes pietatis non sunt usurarii. Prob. 1. ex Leone X. qui in Concilio Later. non solum hos montes approbat ut licitos et pios, sed vetat sub poena excommunicationis contrarium docere vel concionari. Conf. ex Concilio Trident. sess. 22. *De Reformat.* cap. 9. ubi inter pia loca numerantur montes pietatis. Pr. Ratione. Quia nihil exigitur vi mutui, sed titulo damni, quod alioquin emergeret monti, qui in bonum commune est erectus.

R. 2. Etiam Lombardi communiter censentur immunes ab usura. Pr. eadem ratione: quia non exigunt aliquid ultra sortem ratione mutui, sed variis titulis extrinsecis et legitimis, nimirum pro comparatione et conservatione domus atque supellectilis, pro stipendio ministrorum, sicut in montibus pietatis: item pro lucro cessante, pro obligatione cuique et quovis tempore mutuandi, pro periculo sortis, quod saepe intervenit ex incuria vel infidelitate ministrorum, vel ex fraude mutuatariorum, qui adulterinis pignoribus etiam astutiores quandoque fallunt: haec omnia sunt extrinseca mutuo, sunt in gratiam mutuatariorum, et pretio aestimabilia: ergo.

Petes 3. Utrum liceat pecuniam mutuo accipere sub usura? R. Accipere mutuum sub usura ab eo qui paratus est dare, imo et petere ab eo simpliciter mutuum, est licitum, si fiat propter aliquod bonum, quale est subventio propriae necessitatis vel alterius: nunquam tamen licet inducere aliquem ad mutuandum sub usuris. Ratio 1. partis est quia hoc non est aliud quam uti peccato alterius ad bonum, quod licet, quando subest causa: nam et Deus utitur peccatis nostris ad aliquod bonum, et Aug. epist. 154. ad Publicolam docet licere uti ju-

ramento illius, qui jurat per falsos Deos. Ratio 2. partis est: quia qui petit simpliciter mutuum ab eo, qui exercet usuras, petit rem bonam, et quam usurarius potest bene facere; quod autem inde sumat occasionem peccandi est ex malitia cordis sui; unde est scandalum passivum ex parte sua, non autem ex parte petentis mutuum; nec propter hujusmodi scandalum passivum debet alter a mutuo petendo abstinere, si indiget, quia hujusmodi scandalum passivum non provenit ex infirmitate, vel ignorantia, sed ex malitia, ut dictum est. Ratio 3. partis est; quia mutuare sub usuris est peccatum, nunquam autem licet inducere ad peccatum.

Hinc inferes non esse licitum dicere usurario da mihi mutuum, et tot tibi solvam pro usura: quia est directe ipsum inducere ad peccatum; si tamen petens directe solum intendat mutuum, et permissive, seu passive se habeat ad usuras, licitum est sic petere mutuum sub usuris, quia sic petere non est inducere usurarium ad peccatum, sed uti peccato ipsius ad bonum.

Dixi pro prima, et secunda parte si *fiat propter aliquod bonum* quia ex charitate tenemur non dare occasionem peccati proximo. Hinc plures Auctores inferunt eos peccare, qui petunt mutuum sub usura propter ebrietates, scortationes, ludos, aliasque causas illicitas, et superfluas. Quanta autem debeat esse necessitas? Communiter asserunt DD. non debere esse extremam, nec valde gravem; *Satis est*, inquit Soto, *ut occurrat decentia status* L. 6. de justit. 9. 1. a. 5. Et Cajetanus hic dicit non solum necessitatem sed et utilitatem sufficere.

DISSERTATIO V.

De Censibus, Cambiis, et Contractu Societatis.

Articulus I.

De Censibus.

§. I. *Quid et Quotuplex sit Census?*

Accipitur hic census pro reditu seu pensione annua, vel potius pro jure hanc pensionem annuam percipiendi de quo

Dico 1. Census definitur: *Jus percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona frugifera alterius.* Qui debet solvere hanc pensionem, vocatur *Censuarius*; qui habet jus illam exigendi, vocatur *Censualista*, et dum illud jus mediante pretio acquirit, dicitur emere censum, et alter vendere. Pensio annua dicitur etiam *Canon*, *Reditus*, aut *Redditus*, quia quotannis redit, et redditur

Dico 2. Census dividitur in reservativum et consignativum. Reservativus est jus percipiendi annuam pensionem, sive in pecunia, sive in fructibus, quod quis sibi reservat in re fructifera, quam alteri absolute donat, aut vili pretio vendit. Consignativus est jus, quod quis, mediante pretio, acquirit percipiendi annuam pensionem ex re, vel persona alterius, qui tale jus ementi consignat, unde consignativus dicitur. Hic subdividitur in realem, qui immediate in re aliqua constituitur, ex qua solvenda est pensio, et ideo rem comitatur ad quemcumque transeat, et ea pereunte perit; et personalem, qui constituitur immediate super persona, quae tamen habeat bona, vel lucra; et mixtum, qui immediate constituitur super re, et persona, et tales hodie census regulariter creantur. Et notandum quod in censu personali, licet res aliqua subjiciatur hpyothecae in census assecurationem non ideo fit realis, quia res non obligatur primo loco, sed in defectum Personae tantum. Item subdividitur in perpetuum, qui vi contractus

non habet terminum determinatum ; et temporalem , qui ex contractu habet terminum determinatum , vel certum ut viginti annos , vel incertum ut tempus vitae et dicitur vitalitius. Item in redimibilem et irredimibilem , in pecuniarium et fructuarium. Haec de se patent.

§. II. *Utrum Census tam realis quam personalis sit licitus ?*

Dico. Census tam realis quam personalis , est licitus , servatis debitis conditionibus. Prob. prima pars. 1. Possum alteri donare jus percipiendi annuam pensionem ex meis bonis ; ergo et illi vendere. Consequentia negari non potest , nisi dicatur hoc jus non esse pretio aestimabile , quod est evidenter falsum. Confirmatur : possum vendere alteri jus servitutis in mea bona , puta jus transeundi per meum agrum ; ergo et jus percipiendi annue partem fructuum illius , seu loco fructuum pensionem pecuniariam aequivalentem fructibus. Patet consequentia ; quia hoc jus est quaedam servitus , nec est minus pretio aestimabile quam jus servitutis.

Probat. 2. In emptione et venditione census reperiuntur omnia substantialia requisita ad justitiam contractus , scilicet mutuus contrahentium consensus , merx , et justum pretium : ergo. Prima pars de mutuo consensu constat. Secunda de merce etiam patet , quia merx, quae venditur in hoc contractu, non est, ut opinantur adversarii , ipsa pensio seu pensiones pecuniariae in futurum successive solvendae , sed est jus praesens ad illas ; sicut quando emo agrum frugiferum , non emo fructus annue percipiendos , alias ager nunquam posset satis emi , sed jus praesens ad illos , et illud jus omnino distinguitur a pensione pecuniaria, sicut jus percipiendi fructus distinguitur ab ipsis fructibus , jus transeundi per agrum ab ipso transitu ; et ideo census computatur inter immobilia , pensio vero inter mobilia. Tertia pars de justitia pretii probatur : si pretium census non esset justum , ideo foret quia pensiones annuae post lapsum temporis illud excederent : atqui haec ratio nulla est : ergo. Prob. minor : id quod emitur in illo contractu non sunt pensiones annuae , ut modo dicebam , sed jus ad illas ; atqui jus illud communi hominum judicio minoris aestimatur quam omnes pensiones solvendae , si essent simul collectae , nec excedit pretium datum ; sicut quamvis fructus agri per plures annos percipiendi , si essent simul omnes collecti, superarent pretium emptionis agri , jus tamen ad illos quod emitur in emptione agri, non superat ejus pretium : et horum ratio est , quia jus ad plura minuta per longissimi temporis spatium successive recipienda , et ea variis incommodis ac periculis obnoxia , aequo judicio minoris valet , quam valerent omnia ista minuta simul et semel collecta , nullis incommodis aut periculis obnoxia , et ad quodcumque negotiationis , et lucri genus longe utiliora : ergo. Hac ratione evertuntur praecipua fundamenta adversae sententiae.

Probatur secunda pars iisdem momentis , quibus primam partem probavimus. Sicut enim possum vendere alteri jus percipiendi partem fructuum agri mei , ita possum illi vendere jus percipiendi partem fructuum industriae, et laboris mei : et sicut census realis est justus , quia in eo reperiuntur omnia substantialiter requisita ad justitiam contractus , scilicet mutuus consensus , merx , et justum pretium , sic et census personalis.

Dixi , *Servatis debitis circumstantiis* : eae autem conditiones attento jure naturae requiruntur ad justitiam census , quae requiruntur ad justam emptionem, et venditionem. Dicitur , *attento jure naturae* , quia si locorum consuetudines aliud requirant , servandae sunt. Equidem plura alia requirit Bulla Pii V. , sed non est recepta saltem in his partibus. In priori nostro opere dixeram in fide Auctorum , nec in Italia esse receptam quoad prohibitionem censuum mere per-

sonalium, sed nunc audio contrarium, et hujusmodi census mere personales illic haberi, ut positive prohibitos. Vid. hac de re Bened. XIV. de *Synod. Dioec.* l. 10. c. 5. n. 4. et 5.

Dices. Intendere lucrum ex mutuo est usurarium: atqui id facit, qui emit censum: ergo. Prob. minor; qui dat mille ut habeat annue quinquaginta, unde fiet quod post quadraginta annos habiturus sit duo millia, quid aliud facit quam mutuare mille, ut post quadraginta annos habeat duo millia? R. N. minorem. Ad probationem dico ementem censum hoc aliud facere, quod abdicet a se penitus sortem, nec possit illam repetere, quia est pretium mercis emptae; mutuans autem retinet jus ad sortem, unde quod emptor census recipiat in decursu temporis plusquam dedit, non recipit ex mutuo, sed ex vera emptione, et ideo non est usurarius; sicut non est usurarius, qui dum emit agrum, recipit successu temporis plures fructus quam valeat pretium agri quod dedit.

§. III. *Variae Quaestiones circa Census resolvuntur.*

Quaeritur 1. Utrum census utrimque redimibilis sit licitus? R. 1. Censum redimibilem ex parte venditoris seu censuarii esse licitum omnes conveniunt, quia cuique liberum est quam voluerit conditionem apponere venditioni rei suae, si non obstent leges. Imo edictis Principum in Gallia et in Belgio non admittuntur alii. Et in hoc pientissimi Principes favere voluerunt censuariis, qui ordinarie nonnisi necessitate coacti census vendunt, cum e contra censualistae emunt ex abundantia pecuniae.

R. 2. Census redimibilis ex parte emptoris reputandus est usurarius, nec unquam admittendus in praxi. Ratio est: quia hujusmodi census redimibilis ad nutum emptoris, nihil revera aliud videtur quam mutuum cum lucro, quod est usurarium, qui enim emit censum cum facultate redimendi intra annum vel ad suum nutum summam capitalem cum pensione annua; quid aliud facit quam dare mutuum ea lege ut infra annum recipiat sortem cum aliquo auctario: nullum prorsus in praxi videtur discrimen. Insuper census non distinguitur a mutuo usurario, ut patet ex dictis, nisi in hoc quod censualista abdicet jus repetendi sortem, non mutuans; ergo si censualista hoc jus retineat, sive eodem, sive altero contractu, in rei veritate non est amplius census, sed mutuum.

Quaeritur 2. Utrum licitum sit in emptione census obligare censuarium ad redimendum, si redimere velit, eadem moneta; puta dedisti in emptionem census mille coronatos, eo pacto ut censuarius refundat mille coronatos, seu quanti tunc valebunt in specie? R. id per se loquendo non esse licitum, quia emptor imponit censuario onus grave, pro quo nihil dat, cum, ut suppono, emat censum pretio ordinario, neque ipse vicissim aequale onus suscipiat. Per accidens tamen potest esse licitum. 1. Si certum sit valorem pecuniae non esse immutandum, aut aequale dubium sit an augendus vel minuendus, et non sit grave censuario eamdem monetam reddere, aut istud onus majori pretio vel aliunde compensetur. 2. Si censualista statuisset suas pecunias servare usque ad tempus augmenti, et ad instantiam censuarii illas citius alienet.

Quaeritur 3. Quid censendum de istis formulis: *Debitor accepta pecunia promittit creditori intra annum nummos restituere cum interesse, aut idoneam hypothecam assignare pro reditu.* Haec est frequens in Belgio. Altera, *Debitor scribit se centum aureos accepisse ad censum a Maevio, et annuum interesse se soluturum ad ratam quinque in centum, donec pecunia restituatur.* Altera: *Scribit Sempronius se accepisse mutuo centum aureos, et se soluturum interesse usque dum sibi fuerit visum reddere sortem.* R. has formulas non esse censendas usurarias, quia in eis creditor non retinet absolute jus repetendi sortem,

sed id pendet a nutu debitoris. In prima quidem potest repetere non tamen absolute sed disjunctive tantum, vel sortem vel hypothecam, et hoc ad nutum debitoris. In secunda non explicatur ad cujus arbitrium restitutio sit facienda, sed id fluit ex natura census, quem partes exprimunt se constituere. In tertia vero usurpatur quidem vocabulum mutui, sed cum referatur restitutio sortis ad arbitrium debitoris, patet contrahentes intellexisse censum; res enim potius inspicienda est, quam verba. L. *Quoniam indignum.* Cod. *De testam.* Aliud foret si syngrapha contineret *debitorem accepisse mutuam pecuniam, et soluturum annue quod interest, donec pecunia sit restituta*; quia cum mutuum exprimat, et pecuniae restitutionem nullius arbitrio adscribat, videtur accipienda haec restitutio secundum naturam mutui, scilicet petente creditore, quod est usurarium. His conformiter decidisse Concilium Brabantiae referunt ex Stockmanno quidam moderni.

Quaeritur 4. Utrum census possit emi minori pretio quam fuerit creatus? v. g. emisti centum aureis censum quinque annuorum, possumne a te eumdem censum emere octoginta vel nonaginta aureis? R. 1. Si census contineat pretium a lege, vel Principe taxatum, videtur per se loquendo illicitum; quia pretium legitimum consistit in indivisibili. Posset tamen, attenta praecise taxatione legali, majori pretio vendi, quia taxatur in gratiam venditorum, ne scilicet, cum ut plerumque contingit, prae inopia vendant, cogantur minori pretio esse contenti.

Dixi *per se loquendo*: quia si census esset difficilis solutionis, aut caducus, vel si emptor destinasset suas pecunias majori lucro, aut hujusmodi censu non indigens, eo pecunias suas pluris aestimaret et mallet eas servare, sed mere ad instantiam, et in gratiam venditoris censum ejus emat, posset ratione damni emergentis, aut lucri cessantis minoris emere, similiter si taxatione pretii usu communi contrario sit derogatum. Unde resp. 2. Si census non contineat pretium legitimum, aut si passim hoc pretium non servetur, potest emi minoris quam fuerit initio constitutus. Ratio est, tum quia pretium vulgare non consistit in indivisibili, tum quia census praesertim jam creatus se habet ad instar aliarum mercium, quarum pretia modo crescunt, modo decrescunt secundum copiam, vel inopiam mercatorum, et alias circumstantias. Vide si lubet Pontas verbo *Achapt* cas. 6. hunc casum late, sed paulo obscure discutientem.

[Quaeritur 5. Quae conditiones ad census requirantur spectato jure ecclesiastico? R. In Bulla S. Pii V. *Cum onus* 1569. sequentes conditiones statuuntur, sine quibus census usurarii declarantur. 1. Ut instituantur super re immobili determinata, et fructifera ex natura sua. 2. Ut tali re pereunte, aut sterili reddita, census pereat. 3. Ut pretium a censualista solvatur in pecunia numerata in actu celebrationis contractus, non autem in pecunia antea data, neque credita. 4. Ut non fiant pacta directe, vel indirecte obligantia ad casus fortuitos eum, qui ex natura contractus non obligatur. 5. Ut non fiant pacta tollentia, vel restringentia facultatem redimendi, aut alienandi rem censui subjectam. 6. Neque pacta obligantia debitorem morosum ad interesse lucri cessantis, vel ad aliam poenam. 7. Ne census augeatur ex non solutis pensionibus jam decursis. 8. Ne apponatur pactum, ut capitale a censuario invito repeti possit in poenam non solutarum pensionum, vel ob aliam causam].

Articulus II.

De Cambio

Petes 1. Quid sit cambium? R. Cambire generaliter idem est ac permuta-

re sive res cum rebus, sive res cum pecuniis: strictius autem a Theologis sumitur pro permutatione pecuniae cum pecunia. Unde definitur cambium: *Permutatio pecuniae pro pecunia cum lucro campsoris.* Exercitium hujusmodi permutationum, dicitur ars campsoria, dans pecunias ad cambium dicitur campsor, recipiens campsarius.

Petes 2. Quotuplex sit cambium? R. Cambium dividi solet in fictum et verum. Fictum quod dicitur etiam siccum, quia caret humore ad producendum fructum, seu titulo ad lucrum, nihil est aliud quam mutuum nomine cambii palliatum; Verum seu reale est, in quo vere commutatur pecunia pro pecunia sive praesens pro praesenti diversae qualitatis, sive praesens pro distante, aut e contra. Et ideo subdividitur cambium reale in minutum et locale. Minutum est, quo permutatur pecunia praesens cum praesente diversae rationis, ut aurea cum argentea, minor cum majori, antiqua cum nova, patria cum extera, aut e contra. Dicitur etiam manuale, quia fit de manu ad manum. Locale est, quo permutatur pecunia praesens pro distante, aut distans pro praesente. Dupliciter enim fit: uno modo si campsor det campsario hic Duaci pecunias reddendas Parisiis. Altero modo si campsarius det Duaci campsori pecunias recipiendas Parisiis. Vocatur etiam cambium *Per litteras*, quia ad illum perficiendum scribuntur litterae.

Petes 3. Utrum cambium sit licitum? R. 1. Cambium siccum esse illicitum nemini dubium est, utpote mere usurarium, in quo scilicet neque pecunia praesens pro praesenti, neque praesens pro distanti commutetur, sed praesens traditur postea reddenda cum lucro absque alio titulo quam dilatae solutionis; v. gr. peto a Titio mille aureos mutuo: Titius intendens lucrari dicit se non velle mutuare, sed cambire, datque mihi centum aureos per modum cambii ipsi reddendos Bisuntii, ubi nullas pecunias habeo, aut habiturus sum, et quas ideo reddam post certum tempus in eodem loco ubi recepi, cum pretio cambii. Palam est ibi esse realitatem mutui usurarii, et nomen tantum cambii, idque tamquam usurarium damnavit S. Pius V. Bulla *In eam.*

R. 2. Cambium verum, sive minutum, sive locale, est licitum servatis debitis conditionibus. Pr. 1. praxi totius orbis, nemine reclamante, nullo jure prohibente, imo jure pontificio approbante, nedum ut rem utilem, sed et necessariam. Ita Pius V. Bulla 118. *In eam* cit. Et vere: etenim absque cambiis cessaret commercium, unde subsistunt Respublicae, et multorum necessitatibus non posset subveniri. Multi sunt enim qui sive ad commercium, sive ad privatas necessitates indigent pecuniis minutis, alii majoribus; hi aureis, illi argenteis; quidam hic cursum habentibus, quidam in aliis regionibus: alii indigent suas pecunias transferri in loca dissita, vel a locis dissitis ad se referri: his autem omnibus secure et absque viarum periculis subvenitur per cambium: ergo. Pr. 2. Si quid culpandum foret in cambio, esset lucrum, quod campsor ex illo percipit: atqui justis titulis illud percipit: ergo. Prob. min. Hi tituli sunt officium cambiendi, sive auctoritate publica impositum, sive auctoritate privata susceptum expensae, industria, labores ad illud exercendum. Debet enim campsor congregare in magna quantitate pecunias omnis generis et cursus, ut omni indigenti satisfaciat, quod non sine magnis expensis, et laboribus fieri potest. Debet insuper ministros, domum, et alia huic commercio necessaria conducere, subire varia pericula mutationis valoris in monetis, infidelitatis ministrorum, aut correspondentium, lucri cessantis: dum pecuniae sunt in omnem eventum paratae, manent steriles, et lucrum cessat. Haec autem omnia sunt pretio aestimabilia, et in favorem campsariorum, non secus ut diximus proportione servata de Montibus Pietatis: ergo.

Adde specialiter pro cambio locali, quod campsor debeat ubique locorum,

saltem in praecipuis urbibus, et emporiis habere procuratores, seu correspondentes copiosis pecuniis instructos, a quibus, et ad quos virtualiter transferat cum assecuratione pecunias, quibus et ubi indigent campsarii, qui alioquin cum expensis, periculis, et variis incommodis deberent eas de loco in locum transferre, et quibus ideo haec virtualis translatio tantum commodi praestat, quantum si re ipsa transferrentur; quod sane obsequium sicut est utillimum, ita et maxime pretio aestimabile. Possunt plures alii tituli proferri, ut puritas materiae, antiquitas numismatum, commoditas transferendi ad remotas partes, major valor pecuniae in uno loco quam in alio, etc. Sed quos retulimus sufficiunt, modo serventur debitae conditiones, de quibus modo.

Dixi in secunda probatione, *Officium cambiendi*; quia si quis per accidens cambiret, puta si casu ipsi deberentur pecuniae in loco, ubi alter indiget, non videtur posse aliquid accipere pro tali cambio, quia nullus ipsi favet titulus: etenim tantum accipit quantum dat, et nullum laborem, nullas expensas adhibet ad procurandam hanc virtualem translationem, sicut adhibet campsor ex officio; e contra utilitatem reportat, cum e vestigio recipiat pecunias, quae aliunde transferri, et plerumque cum periculis et expensis debuissent. Idem dicendum, si casu habeat certam speciem pecuniae, quae secundum se neque sit pretiosior, neque illi utilior, bene tamen alteri; nullus enim etiam hic proferri posset titulus accipiendi lucrum, nisi forte labor in numerando, sed ita levis est, ut in aestimationem non veniat.

Dixi 2. ibid., *Officium cambiendi sive auctoritate publica impositum, sive auctoritate privata susceptum*: quia nulla videtur distinctio facienda inter utrumque, si uterque aequalia praestet obsequia. Dixi 3. in conclusione, *Servatis debitis conditionibus.* Prima est, ut absit fraus et simulatio, neque sit cambium siccum sed reale. Secunda, ut nihil accipiatur pro dilatione solutionis, id enim in cambio non minus foret usurarium quam in mutuo. 3. Ut servetur justum pretium, quod est vel lege, vel communi consuetudine, aut prudentum in arte judicio taxatum, attentis labore, industria, expensis, raritate, aut copia tum pecuniae, tum campsariorum, et aliis.

Articulus III.

De Contractu Societatis.

§. I. *Quid et quotuplex sit Contractus Societatis, et an sit licitus?*

Dico 1. Definitur societas *conventio duorum vel plurium conferendi aliquid pretio aestimabile ad usum, vel quaestum communem, secundum proportionem rerum collatarum.*

Dico 2. Societas ex parte finis alia est ad usum tantum, ut si libri, vina, frumenta, pecuniae a pluribus conferantur ad usum, et victum communem tantum, et non ad negotiationem causa lucri. Alia est ad lucrum tantum, seu quaestum, ut fit in negotiatione, et dicitur societas negotiatoria, de qua potissimum hic agitur. Alia ad usum, et lucrum, ut in matrimonio, in quo vir, et mulier conferunt bona et operas ad perpetuum victum et lucrum. Ex parte temporis societas alia est ad vitam, alia ad certum tempus, aut ad finem certi negotii. Non transit ad haeredes, etiamsi sic esset conventum, ita jure communi disponente. L. *Adeo* 59. et L. *Verum* 63. § *In haeredem* ff. *Pro socio.* Extinguitur ergo societas cessante negotio, aut pereunte re, in qua fundatur, vel elapso termino in quem fuit inita. Item morte unius socii naturali, vel civili solvitur societas reliquorum.

Dico 3. Societas est Reipublicae perutilis, nec est aliquid in ea culpandum, modo serventur conditiones. Prima est, ut negotiatio ad quam initur sit honesta: unde societates ad usuram, ad lenocinia sunt illicitae. Secunda, ut negotiatio, ad quam traditur pecunia, non sit ficta, sed vera, eaque talis, ex qua natum sit sequi lucrum, alias non foret societas sed mutuum. Tertia, ut pecunia maneat uti sub dominio ita sub periculo conferentis; et hoc quantum est ex vi societatis seu attenta natura hujus contractus, et secluso alio pacto, ut dicam infra L. *Si tibi* ff. *de Praescrip. verb.* Quia, quod in societatem confertur, non donatur, L. *Societatem* ff. eod. Quarta, ut sicut lucrum, ita et damnum sit commune omnibus sociis, alias foret societas leonina, ut vocant jura, L. *Si non fuerit* ff. *Pro socio*, ab apologo leonis, qui societatem inierat cum aliis feris, ut participaret omnibus praedis, non tamen periculo et labori. Quinta, ut sive damnum, sive lucrum sit commune secundum aequalitatem proportionalem, seu geometricam, hoc est pro rata rei, quam quisque contulit in societatem, ut jam dixi.

Petes 1. quomodo iniri debeat societas ut servetur aequalitas proportionalis, quando unus confert pecuniam, alter industriam, et laborem, et quomodo in fine sit facienda divisio? R. Societatem posse iniri dupliciter, illaesa aequalitate debita. 1. ut is, qui operas confert, non solum sit particeps lucri, sed etiam sortis secundum aestimationem operarum; ita ut negotiis peractis ex tota summa, quae ex lucro, et sorte conflata est, tantum extrahat quantum si loco operarum pecuniam aequivalentem posuisset. Sit exemplum: Titius confert negotiationi ducentos aureos, Cajus confert operas, vel instrumenta ad valorem 100. aureorum. Peracta negotiatione reperiuntur 600. aurei computata sorte, cedunt Titio 400, Cajo 200, et sic proportionate in aliis casibus. Hinc colliges 1. secundum hunc contractum, si finita societate nullum sit lucrum, et solum restet pecunia ab uno sociorum collata, dividendam esse inter ipsum et alium juxta aestimationem ipsius operae, alioquin qui contulit operam perderet totum, et alter nihil. Colliges 2. si capitale jam collatum in societatem pereat, antequam alter operas conferat, hunc teneri refundere ei, qui pecuniam contulit partem capitalis pro rata operae, quam contulisset, et non contulit.

Secundo modo juste iniri potest societas, ut is qui operam confert non sit particeps sortis, sed lucri tantum. Sed in hoc casu non est comparanda tota pecuniae quantitas, quam alter confert cum pretio operarum, sed consideranda sunt ea, quae utrique pereunt, et inter se comparanda. Porro ei, qui pecuniam ponit, perit aestimatio periculi, seu pretium assecurationis sortis, quantum scilicet alicui assecuratori dedisset. 2. perit ei aestimatio lucri illa pecunia sperati, quod posset alteri certo pretio vendere. Ei vero qui confert operam, solum perit aestimatio operae. Haec igitur sunt inter se comparanda, et secundum horum proportionem lucrum est dividendum, detracta primum sorte pro illo qui contulit; ut si contuleris mille aureos, quorum periculum aestimatur 100; et spes lucri 200. censeris contulisse 300; opera vero alterius aestimatur 100; et lucrum sit 600., erunt pro te 400., et pro altero operam conferente 200.

Posset etiam iniri societas, ut qui confert operam, habeat partem aliquotam, puta sextam, aut octavam lucri pro rata operae. Sed hic contractus videtur esse potius conductio operarum, quam societas.

Petes 2. cujus damno cedant impensae factae pro bono societatis? R. Impensae, quarum societas est causa proxima, cedunt omnium sociorum damno pro rata spei lucri, nisi aliter sit conventum; ut impensae itinerum, transvectionis mercium, custodiae earum, solutiones vectigalium; item si pro defensione jurium aut rerum societatis socius sit vulneratus, aut itinerando causa societatis a furibus expoliatus, aut captivus adductus etc. Impensae vero, quarum societas est tantum

causa remota, non debent esse aliis sociis communes; sicut nec lucrum, cujus societas esset causa tantum remota, foret commune sociis, ut si socio agenti res societatis apud principem, donaretur castrum. Idem dicendum de impensis, quae socius sua culpa incurrit.

§. II. *De Contractu triplici.*

Utrum, qui confert pecuniam in societatem, possit ab altero socio assecurari de sorte, et de certo lucro pro incerto?

Sit casus. Petrus et Joannes ineunt societatem negotiationis, in quam Petrus confert 1000 aureos, Joannes totidem, aut operas, ex qua negotiatione Petrus sperat lucrari 200. aureos. En primus contractus societatis. Petrus, qui non vult suam sortem periclitari, offert Joanni, ut illam assecuret 50. sive dandos e vestigio, sive post negotiationem ex sorte vel lucro eventuro. En secundus contractus assecurationis sortis. Et quia Petrus iterum mallet lucrum certum minus, quam majus incertum, vendit Joanni 200., quos ut suppono, sperat lucrari ex illa negotiatione pro 100. En tertius contractus assecurationis lucri incerti pro certo, ita ut singulis annis, vel saltem in fine negotiationis, Petrus, qui intulit. 1000. in societatem, recipiat 1050. Neque necesse est, inquiunt defensores istorum contractuum, ut hi contractus fiant explicite et distincte; sed sufficit quod fiat unus virtualiter triplex; ut si dicat Petrus Joanni: Do tibi 1000. in societatem, ex quibus accipe 50. pro assecuratione sortis, et dabis mihi centum pro lucro sperato.

Dico 1. Contractus triplex cum eadem persona sive successive et distincte sive simul et semel initus, probabilius est illicitus. Prob. primo ratione a priori. Contractus triplex initus cum una et eadem persona, sive simul, sive successive, degenerat in mutuum lucrativum et consequenter usurarium: ergo. Prob. ant. Socius assecurans sortem et lucrum fit dominus sortis cum obligatione reddendi eamdem specie: atqui ubi dominium pecuniae transfertur in recipientem cum obligatione reddendi eamdem specie, ibi est mutuum: ergo. Prob. major: socius assecurans sortem et lucrum, potest de sorte disponere ad quem voluerit usum, citra cujusquam injuriam: atqui in ea facultate sita est ratio dominii: ergo.

Neque dicas ex contractu societatis socium teneri sortem impendere negotiationi: cum enim nihil referat conferentis in quem usum impendatur, modo eam recipiat cum lucro, potest socius absque ejus injuria de ea disponere prout libuerit. Si instes conferentem intendere negotiationem, R. hanc intentionem esse larvam mutui et fictam ad palliandam usuram. Vera enim intentio agentis certius eruitur ex factis quam ex verbis: qui autem confert praetextu negotiationis 1000. ut iis salvis recipiat annue 50. quid facit? quid intendit aliud quam mutuare 1000. ut recipiat 50. ultra sortem? Sic qui init contractum mohatra, quamvis dicat se intendere venditionem-emptionem, tamen ex facto judicavit SS. Pontifex illum intendere mutuum, et ideo hunc contractum damnavit ut usurarium. Attende ad hanc paritatem, quae in multis juvat.

Confirm. 1. Si conferens pecunias revera intenderet negotiationem, non obligaret socium ad certum lucrum in omni eventu, etiamsi nullum reportetur ex negotiatione: quidquid ergo dicat reipsa non vult negotiationem, sed lucrum ex pecunia quovis modo expendatur. Confirm. 2. ex praxi et communi omnium sensu: ex omnibus enim, qui sic pecunias suas tradunt, nullus est qui obliget assecurantem ad negotiandum, nullus qui non exigat lucrum, sive fuerit negotiatio sive non; imo nullus, qui de hoc inquirat: ergo palam est sic contrahentes revera non intendere negotiationem.

Prob. 2. a posteriori. Opposita sententia, si non sit usuraria, saltem aperte favet usuris palliandis, imo ea semel admissa facile excusabuntur omnes usurae, aut potius nullae amplius erunt. Quid enim facilius quam tradendo suas pecunias sub praetextu negotiationis intendere triplicem contractum? sufficit enim juxta hujus sententiae patronos, unus virtualiter triplex.

Dico 2. Contractus duplex scilicet societatis et assecurationis sortis tantum, vel societatis et assecurationis lucri tantum, non videtur secundum se illicitus. Probatur: quia talis contractus non degenerat in mutuum, sicut triplex contractus: ergo. Prob. ant. Socius assecurans non fit dominus sortis: ergo. Prob. ant. Vel enim assecurat sortem non assecurando lucrum, et tunc non potest disponere de sorte prout libuerit, sed tenetur impendere negotiationi, ex qua conferens sperat lucrum; vel assecurat tantum lucrum non assecurata sorte, et tunc adhuc est evidentius quod non sit dominus sortis, quippe si pereat, non ipsi, sed conferenti perit: ergo.

Hic tamen contractus duplex non est facile admittendus in praxi, quia facile potest irrepere usura, ut si assecuratus de sorte assignet pretium assecurationis accipiendum ex lucro sperato, quod forte non erit, tunc enim non esset utrimque aequale periculum: similiter si non servetur aequalitas inter pretium assecurationis sortis et ejus periculum, vel inter spem lucri et lucrum certum assecuratum. Quibus de causis posset jure prohiberi, et de facto videtur prohibitus per Bullam Sixtinam.

Dices contra primam conclusionem. Tres contractus initi cum diversis personis sunt liciti; ergo et cum eadem. Justitia enim contractus consistit in aequalitate rei ad rem, non in habitudine ad personas. Hoc argumentum, cui tam confidunt adversarii, est valde caducum; patet ex condemnatione contractus mohatra: etenim contractus venditionis supremo pretio, et emptionis infimo cum diversis personis est licitus, et tamen cum eadem persona est illicitus juxta definitionem pontificiam damnantem contractum mohatra. Igitur. R. Concesso antecedente, quod negat Genetus, et quod non audet admittere Henricus a S. Ignatio, sed in hoc singulares et infundati, ut mox patebit, N. cons. Disparitas est, quod contractus triplex cum eadem persona degeneret in mutuum, quatenus socius assecurans sortem et lucrum sit dominus sortis, de qua absque conferentis injuria potest disponere ad libitum cum sola obligatione reddendi aequivalens cum auctario, ut probavimus, quod est verum mutuum usurarium. Quando vero hi tres contractus ineuntur cum diversis, nullus fit dominus sortis; non assecurans sortem, quia eam non possidet, neque a fortiori assecurans lucrum, neque socius, cui isti duo contractus sunt extranei et impertinentes, quique non habet majorem libertatem disponendi de sorte quam si non esset assecurata; remanet ergo conferentis, qui ex ea tamquam ex re sua potest lucrum percipere. Quasdam instantias huic argumento proprias, petitas ex intentione ficta conferentis sortem, praeoccupavimus in probatione primae conclusionis. Insuper.

Inst. Conferens sortem non obstante triplici contractu remanet illius dominus: ergo. Prob. ant. Si forte assecurans non sit solvendo, conferens assecuratus potest prae omnibus aliis creditoribus etiamsi hypothecariis illam vindicare; similiter si furto esset ablata, posset actione reali illam repetere: atqui haec sunt indicia veri dominii: ergo. R. N. minorem. Haec enim equidem sunt indicia obligationis realis, non vero semper veri dominii: sic v. gr. pecunia mutuata ad constructionem domus aut navis, si mutuatarius sit impotens solvendo, potest a mutuatore, ejus dominium non habente, prae omnibus creditoribus etiam hypothecariis vindicari. Item pecunia furto ablata, sed mixta pecuniis furis, remanet realiter obligata domino, licet ejus dominium per mixtionem amiserit. Item res vendita et tradita, sed non soluta, quamvis secundum plures venditor

non sit amplius illius dominus, manet tamen ipsi specialiter obligata, ita ut habeat jus prae aliis illam repetendi.

[Benedictus XIV. *de Syn. Dioeces.* l. 10. c. 7. post relatas opiniones oppositas Theologorum circa triplicem contractum n. 6. concludit „ Haec sunt „ praecipua rationum momenta, quae in utramque partem adducuntur, neque „ Apostolica Sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinae Con„ stitutioni, ullam hactenus censuram inussit, a qua proinde eidem infligendae „ debet Episcopus abstinere. Ad usum vero quod attinet, tuto poterit contra„ ctum trinum, quem etiam ejusdem Patroni periculosum fatentur, pro viribus „ impedire, atque ab eo ineundo suos subditos dehortari, quod a plerisque Episco„ pis in suis dioecesanis Synodis sapientissime factum referunt citati Genet. etc. „

Cum pene innumeri sint contractus, qui in pluribus locis diversimode conficiuntur, et eos omnes recensere pene impossibile foret, unum tantum subnectimus, utpote in nonnullis regionibus frequentiorem, vulgo nuncupatum *Collatico.* Hunc ita describit Bened. XIV. de *Syn. Dioeces* l. 10. c. 8. n. 2. „ Pro quolibet Bove terram arante tradito Bubulco, seu Colono, solvitur „ Domino bovis certa portio frumenti, hac tamen adjecta lege, ut si bos natu„ raliter moriatur, damnum sit Domino, et Bubulco commune; si vero pereat „ culpa ejus, cui traditus est, is totum damnum solvat „. Hic contractus quamvis primo aspectu posset aliquam usurae suspicionem ingerere, ait tamen idem Pontifex, quod a Theologis sedulo discussus inventus est omni usurae flagitio vacare].

DISSERTATIO VI.

De caeteris contractibus.

Articulus I.

De locatione et Conductione.

§. I. *Quid sit Locatio et Conductio?*

Locatio et Conductio sunt duo contractus partiales correlativi, ex quibus unus consurgit, qui dicitur locatio-conductio; sicut diximus de venditione et emptione. Plurima, quae hunc contractum spectant, pendent ex conventione partium aut consuetudinibus locorum: quae sunt juris naturalis et communis positivi, breviter perpendemus.

Dico. Locatio definitur: *Contractus onerosus, quo usus, vel fructus rei, aut personae traditur ad certum tempus pro pretio.* Conductio: *Contractus, quo suscipitur* etc. Qui tradit, dicitur locator, qui suscipit, conductor seu locatarius. Explicatur definitio, et in explicatione multae difficultates resolvuntur. Dicitur 1. *Contractus onerosus*, non solum quia non fit gratis, sicut fit commodatum et precarium: sed etiam quia varia onera, seu obligationes incumbunt locatori et locatario. Locatori incumbit 1. tradere rem bonam non vitiosam, nec inutilem ad usum, ad quem locatur, aut saltem aperire locatario vitium rei; unde si scienter taceat vitium, quo res sit inutilis conductori, et sequatur illi damnum, ut si locet domum ruinosam, equum solitum excutere sessores aut onera, etc. non potest petere pensionem, et tenetur de damno. Si ignoranter, ut si locet saltum pascuum, in quo nascitur herba pecoribus mortifera, non tenetur de damno, sed neque potest petere pensionem.

2. Incumbit locatori facere expensas utiles et necessarias pro conservatione

et reparatione rei quoad substantiam et partes ejus permanentes. Item solvere tributa et onera publica. Excipe nisi aliter sit conventum, aut nisi aliter ferat consuetudo. Hinc inferes conductorem, qui plantavit vineam, absque lege in locatione imposita, propter quam fundus pluris valet, si locationis jure decidat, antequam expensas recuperaverit, locator tenetur eas refundere. Locatario, seu conductori incumbit 1. rem conservare sicut vir prudens res suas conservat, et eam praefinito tempore reddere integram, et qualem accepit, in quantum fieri potest, hoc est, ut res ejus culpa non sit deteriorata. 2. Non potest re uti nisi ad eum usum ad quem conduxit, nisi ex praesumpta voluntate domini, alias furtum committit. §. 6. Instit. lib. 4. tit. 1. 3. Tenetur pensiones solvere statuto tempore, de quo mox.

Locator et conductor sibi invicem obligantur ex culpa lata et levi, non tamen, saltem regulariter, ex culpa levissima, nec a fortiori ex casu fortuito. L. *Si certo* 5. *ff. Commodati.* Ratio est, quia iste contractus est in utilitatem utriusque, ut latius dixi de Restit. in genere. Dicitur 2. *Quo usus, vel fructus traditur*; quia hoc contractu non transfertur dominium, sed simpliciter usus, ut in domo, equo, vel fructus, ut in agro, vinea. Locatarius potest rem locatam ad eumdem usum vel fructum alteri aeque tamen idoneo locare, nisi sit aliter conventum explicite vel implicite, L. *Nemo* 6. C. *De locato*, quo casu si secundus locatarius solvat secundo locatori, liberatur, et nihil debet primo Locacatori L. *Solutum* 11. *ff. de pignorat.* Fructus adhuc pendentes, nec a solo separati sunt sub dominio locatoris, potest tamen eos locatarius ad libitum separare. Si autem fuerint a fundo separati fiunt statim conductoris, manent tamen obligati pro pensione nondum soluta. Homo potest locare non solum res suas, sed etiam suum laborem, et industriam, ut faciunt famuli, et mercenarii etc. et quaecumque res sive immobilis, sive mobilis quae potest vendi, potest etiam locari nisi lege prohibeatur. Lege autem naturali locari prohibentur res spirituales, actiones injustae, res, quibus locatarius creditur abusurus, ut gladius properanti ad duellum, domus meretrici etc., nisi subsit justa, et proportionata causa ejus peccatum negligendi.

Locator potest rem suam repetere ante praefixum tempus ex quatuor causis L. *Aede* C. *de Locato* Cap. *Propter sterilitatem de loc. et cond.* 1. Si casu improviso locator indigeat domo sua ad habitandum; quam exceptionem quidam Auctores de sola domo locata intelligunt. 2. Si res locata necessario indigeat reparatione, quae fieri non possit, nisi eam ad tempus deserat locatarius. Hoc duplici casu minuenda est pensio pro rata temporis. 3. Si Conductor abutatur ut si arbores caedat, vel ad peccatum, et scandalum; quo casu tenetur locatarius de damno tam sequuto, quam sequuturo. 4. Si conductor non solvat per biennium pensionem debitam; si vero res sit locata infra biennium, potest elapso solutionis tempore statim expelli.

Dicitur 3. *Ad certum tempus*: communiter docent Auctores debere esse minus decennio. Attamen Sylvester V. *Locatio* q. 4. resolvit posse esse ad tempus et in perpetuum, et L. 1. ff. *Si ager vectigalis*, aperte traditur locationem posse esse perpetuam; sed quando est decennalis, aut ultra, vix differt ab emphyteusi.

Bona Regularium juxta Clementinam *De rebus Ecclesiae* lib. 3. tit. 5. non possunt locari nisi ad modicum tempus, quod juris interpretes intelligunt minus decennio. Juxta vero Bullam *Ambitiosae* Pauli II. (refertur inter extravagantes communes lib. 3. tit. 4.) nulla bona ecclesiastica neque licite, neque valide locari possunt inconsulto summo Pontifice, nisi ad triennium.

§. II. *Utrum si conductor impediatur ab usu, vel fructu rei conductae, teneatur solvere pensionem?*

Dico 1. Si conductor se obligaverit ad solvendam pensionem in omni eventu, tenetur solvere quovis modo ab usu, vel fructu rei impediatur, quia potest renuntiare omnibus casibus fortuitis, et dispositioni legis, aut consuetudinis contrarium in ejus favorem statuentis.

Dico 2. Si impedimentum usus, vel fructus contingat ex parte locatoris, sive voluntarie, sive non, item si contingat ex parte rei conductae absque ulla culpa conductoris, secluso pacto, conductor non tenetur solvere pensionem pro tempore, quo re uti, vel frui non potuit. Ita jura et communiter. Ratio est quia conductor non censetur voluisse se obligare ad solvendam pensionem casu, quo non esset causa, cur ab usu, vel fructu rei impediretur.

Dico 3. Si impedimentum proveniat ex parte conductoris, sive voluntarie, sive involuntarie, tenetur solvere pensionem pro tempore, quo re uti, vel frui fuit impeditus, saltem quanti interest locatoris, ut mox explicabo in Consectariis. L. *Qui operas* 38. ff. *Locati*, et communiter. Ratio est: quia aequitas non patitur, ut locator damnum patiatur propter impedimentum ex conductore proveniens; quin potius postulat, ut sicut conductor non tenetur solvere pensionem, si impedimentum ex parte rei aut locatoris contingat, ita teneatur solvere, si impedimentum ex sua parte proveniat.

Ex his colliges 1. eum qui domum conductam tenetur deserere propter incursiones hostium, vexationem lemurum, ruinam imminentem, viciniam pestis, non teneri ad pensionem pro tempore desertae domus. Item qui conduxit famulum aut operarium, non tenetur ad mercedem pro tempore, quo famulus aut operarius infirmatur. Quia in his omnibus impedimentum usus non oritur ex parte conductoris, sed ex parte rei vel locatoris. Quidam dicunt herum teneri ad alimenta et modicas expensas famuli aegrotantis, sed quo jure, nisi charitatis, non apparet.

E contra qui domum conductam deserit, quia ratione proprii commodi alio migrat, aut ratione novae dignitatis vel matrimonii ampliore indiget; item qui agrum conductum ratione morbi colere non potuit, qui conducto operario aut equo, mutata voluntate, non utitur, tenetur ad pensionem domus, vel agri, ad stipendium operarii, aut pretium locationis equi, in quantum interest locatoris ut servetur indemnis. Sit casus: conduxisti domum Petri ad annum 200. libellis, quam Petrus alteri aequali pretio tunc locasset; eam commodi tui causa desertam, Petrus alteri jam locare non potest; teneris ad ducentas libellas: vel alteri locare cogitur 150. libellis tantum, teneris illi refundere 50. libellas. Et sic de similibus.

Colliges 2. et maxime. Si sterilitas rei frugiferae, ut agri, casibus fortuitis causata, ut grandine, alluvionibus, nimia copia aut inopia imbrium, incursione hostium, etc. tanta sit, ut colonus nihil recipiat, tota pensio hujus anni est remittenda. L. *Ex conducto* 15. ff. *Locati*. Si sterilitas non sit totalis, sed tamen magna et immodica, pensio est remittenda pro rata. Cap. *propter sterilitatem* 3. Extra. *de locato cond.* L. *Si merces*, 23. §. *Vis major*. 6. ff. *Locati*. Si sit modica sterilitas, nulla remissio est necessario facienda L. *Si merces* cit. Ita communiter quoad omnes partes, et praeter jura patet ex dictis, quia istud impedimentum non oritur ex parte conductoris, sed ex parte rei. Idque etiam intelligendum est de fructibus jam collectis, et in fundo positis, si casu fortuito pereant.

Sunt tamen quantum ad hoc ultimum consectarium quaedam exceptiones fa-

ciendae. Excipe itaque 1. nisi aliter contrahentes convenerint, ut dixi in prima conclusione, vel nisi aliud ferat consuetudo loci. Excipe 2. *Nisi cum ubertate praecedentis vel subsequentis anni valeat sterilitas compensari.* Cap. *propter sterilitatem* cit. et L. *Ex condicto* cit. Unde si fertilitas subsequentis anni compenset sterilitatem praecedentis, potest repeti quod anno praecedenti remissum fuit. Et hinc patet remissionem pensionis raro esse faciendam, quando res ad plures annos, puta tres vel sex est locata, quia rarum est sterilitatem unius anni alterius fertilitate non compensari. Excipe 3. Nisi pensio sit solvenda in parte aliquota, seu incerta fructuum, puta in tertia, vel quarta parte; quia ut dicit lex *Si merces* cit. §. 6. *Partiarius colonus, quasi societatis jure, et damnum et lucrum cum domino fundi partitur.* Is autem, cui solvenda est pensio in parte aliquota, est partiarius, et quasi socius.

Quae vero sterilitas sit censenda magna, et immodica, non conveniunt DD; communius aestimatur magna, si deducto semine, et expensis, vix supersit dimidium pensionis solvendae.

Articulus II.

De Emphyteusi et Feudo.

Dico 1. Emphyteusis definitur: *Contractus, quo rei immobilis dominium utile ad longum tempus transfertur retento directo sub onere pensionis annuae solvendae domino directo.* Longum tempus in jure censetur, quod non est minus decennio, non solet tamen extendi ultra 99. annos. Nihil tamen impedit, quin Emphyteusis sit perpetua.

Conditio emphyteuseos est, quod emphyteuta non possit rem emphyteuticam et melioramenta a se facta vendere nisi prius monito domino; ut ipse, si velit, possit ante alios emere L. 3. C. de Jure Emphyt. Domino monito conceduntur duo menses ad deliberandum. Potest tamen donare; sed non potest donatarium investire seu in possessionem mittere. Hoc enim domini est. Altera conditio emphyteuseos est, quod quoties res alienatur venditione, donatione, aut permutatione, qui accipit, solvat *Laudimium*, gallice *Lots et Ventes*, domino directo pro investitura seu possessione in quam immittit. L. 3. C. eod. Est autem Laudimium jure communi quinquagesima pars pretii seu aestimationis rei venditae: ex consuetudine quandoque trigesima, quandoque vigesima pars. Solent emptores componere cum dominis. Dicitur *Laudimium*, quia solvitur eo quod dominus approbet et quasi laudet alienationem, estque solvendum etsi non petatur.

Sunt tamen quidam casus, in quibus pro translatione rei emphyteuticae, neque requiritur consensus domini, neque solvendum est *Laudimium* 1. Quando haeres necessarius succedit in re emphyteutica, ut filius patri. 2. Quando pater aliud non habens dat filiae in dotem rem emphyteuticam.

Dico 2. Feudum a fidelitate dictum accipitur vel pro ipsa re feudali, vel pro contractu: hoc sensu acceptum definitur, *Contractus, quo rei immobilis dominium utile transfertur retento directo sub onere fidelitatis, et obsequii personalis.* Qui accipit, dicitur Feudatarius, seu Vassalus.

Differt feudum ab emphyteusi. 1. In emphyteusi debetur annua pensio fructuaria, aut pecuniaria absque petitione solvenda, cujus defectu res cadit in commissum. In feudo autem est obligatio obsequii personalis, ut fidelitatis, auxilii, defensionis, quod non debet praestari nisi requisitum, et ex cujus denegatione feudum non fit caducum, sed dumtaxat ratione magnae ingratitudinis, irreverentiae, hostilitatis, injuriae, vel damni illati in bonis vitae, famae, vel fortunae domini directi.

2. In emphyteusi res semel collata, etiamsi moriatur dominus, continuatur sine novo onere. Feudi vero investitura cum juramento, et laudimio debet renovari, non solum quando mortuo vassalo alter constituitur, sed etiam quando domino alter succedit: tunc enim vassalus intra diem, et annum debet petere investituram a novo domino cum juramento, et laudimio, alioquin privatur feudo per sententiam judicis. 3. In emphyteusi foeminae succedunt; in feudo autem jure communi soli masculi descendentes, et iis deficientibus, succedunt agnati ex parte patris, exclusis agnatis ex parte matris etsi propinquioribus. 4. Feudatarius potest, quando vult, abdicare feudum; non potest emphyteuta rem emphyteuticam; quia feudum est principaliter institutum in gratiam feudatarii, qui ideo non tenetur uti favore suo; emphyteusis autem non magis est in utilitatem emphyteutae quam domini directi, cui debetur et pensio et cultura seu melioratio fundi. 5. Emphyteuseos sunt capaces Clerici, et monasteria, non feudi, nisi ex prima sua institutione dignitati clericali seu monasticae sit annexum. Ex dictis facile colliges, quae sint conditiones requisitae ad feudum.

Articulus III.

De Commodato, Precario, et Deposito.

Commodatum formaliter sumptum definitur: *Rei alicujus quoad usum solum gratuita concessio ad certum tempus.* §. *Item*, Instit. *Quibus modis.* Precarium definitur: *Rei alicujus quoad usum solum gratuita concessio ad nutum concedentis revocabilis.* L. 1. *ff. De Precario.* Tota differentia inter utrumque est, quod commodatum non possit repeti nisi post tempus determinatum vel explicite vel implicite in usu ad quem petitur, ut si commodato petas equum ad eundum Parisios, non potest repeti ante tempus necessarium huic itineri. Precarium autem potest repeti ad nutum concedentis, et ideo dicitur precarium, quia recipiens quasi continuo precatur, ut possit retinere. Sic tamen intellige, ut non omnino statim repetatur absque necessitate, sed aliquantulum temporis concedatur judicio prudentis, alias foret inutile, et nugatorium, ut in simili diximus de mutuo.

Etiam ipsum commodatum posse repeti ante fixum tempus, si commodans ex improviso casu eo indigeat aeque ac commodatarius, probabilior est, et communior sententia contra Navarrum. Quia commodans gratuito rem suam non censetur hunc improvisum casum cum tanto suo gravamine voluisse comprehendere, si enim de eo fuisset interrogatus, negasset.

Si res commodata pereat, aut deterioretur aliter quam per usum concessum, commodatarius tenetur de culpa levi, et levissima; precarius autem tantum de dolo, et lata culpa. Pro quo vide art. 6. de Restit. in genere conclusione 1.

Depositum formaliter sumptum est *Contractus, quo sola rei custodia alterius fidei committitur, ut integra reddatur.* Dicitur 1. *Contractus*; quia ad depositum, non solum requiritur consensus deponentis, volentis rem suam alterius custodiae committere, sed et depositarii, consentientis rem in suam fidem, et custodiam recipere; non enim eo ipso, quo aliquid apud me deponis, censeor in custodiam ex lege depositi suscipere, nisi expresse, vel saltem tacite ostendam me sic illud accipere. Dicitur 2. *Quo sola rei custodia.* Itaque non potest ullo modo ea uti depositarius, nisi ex voluntate expressa, vel tacita, aut rationabiliter praesumpta deponentis.

Quantum ad res fungibiles praesertim pecunias, quando deponens non interdicit verbo, vel signo usum depositario, censetur concedere, aut saltem praesumitur non curare, nec esse valde invitus; unde vix aut ne vix peccat depo-

sitarius iis quasi mutuis utens ad necessitates vel negotiationem, modo sit paratus eas repetenti statim reddere absque ullo ejus damno: id enim commodo potius quam damno deponentis cedit, cum ejus pecunia manens apud depositarium, ejus periculo maneat, secus si expendatur a depositario cum certitudine eam repetendi, quando placuerit.

Articulus IV.

De fidejussione, assecuratione, hypotheca, pignore, et transactione.

Fidejussio *est alienae obligationis in se susceptio, qua quis se obligat ad eam implendam, si debitor principalis eam non impleat.* Hic contractus, ut vides, est subsidiarius in securitatem alterius contractus sive praesentis, sive futuri adimplendi; ideoque obligatio fidejussoris non est principalis, sed accessoria, supponens obligationem principalis debitoris, §. 1. et 3. Institut. *De Fidejussor.* Fidejussor enim se obligat solvere seu satisfacere eo solum casu, quo debitor non satisfaciat.

Hinc sequitur, quod fidejussor non possit conveniri et cogi ad solvendum, nisi prius conveniatur juridice principalis debitor, et facta illius bonorum discussione constet non esse solvendo, nisi fidejussor renuntiaverit beneficio privilegii, ut nunc est in usu. Notarii enim solent modo apponere in contractibus, fidejussorem renuntiare beneficio ordinis et discussionis, se constituere tamquam debitorem principalem, et alterius debita suscipere tamquam sua, et in solidum, aut quid simile.

Assecuratio fidejussioni affinis *est alieni periculi in se susceptio*; seu est *contractus, quo quis periculum rei alienae in se suscipit, se obligans ad illam rem compensandam, si perierit.* Vides discrimen a fidejussione. Fidejussio enim solum habet locum in debitis ex contractu, assecuratio autem habet locum respectu cujuscumque rei periclitantis. Fidejussio est tantum obligatio accessoria supponens principalem, id enim, ut diximus, solum praestat, ut si non solvat debitor, solvat fidejussor: assecuratio autem est obligatio principalis. Hujus contractus et praecedentis obligatio transit ad haeredes, sicut omnis obligatio orta ex aliquo contractu, nisi jure excipiatur, ut societas.

Pignus formaliter sumptum definitur, *Contractus, quo res mobilis creditori traditur in securitatem debiti.* Objective sumptum est ipsa res impignorata. Hypotheca definitur, *Contractus, quo res immobilis nuda conventione, absque traditione obligatur creditori in securitatem debiti, ut si aliter non satisfiat, inde peti possit satisfactio*, quod etiam intellige in definitione pignoris. Igitur pignus est de solis mobilibus; quae traduntur. Hypotheca de solis immobilibus, quae non traduntur, sed obligantur. Hypotheca objective sumpta est ipsa res hypothecata.

Hypotheca est duplex, expressa et tacita. Expressa constituitur vel conventione partium et dicitur conventionalis, vel auctoritate Judicis, et dicitur *pignus praetorium.* Tacita, quae etiam dicitur legitima, est, quae ex dispositione juris involvitur in alio contractu; ita ut statim ac talis contractus celebratur, vi legum resultet hypotheca, qua unius bona alteri contrahentium obligantur. Quod contingit in pluribus casibus. 1. Fiscus habet hypothecam tacitam in omnibus bonis cujuscumque debitoris. 2. Uxor in bonis Mariti pro dote recuperanda 3. Maritus in bonis Uxoris pro dote praestanda, et in bonis cujusque dotem promittentis 4. Pupillus aut Minorennis in bonis tutoris, vel curatoris pro bonorum suorum administratione. 5. Pupillus in re empta illius pecunia. 6. Liberi in bonis Parentum pro administratione bonorum suorum adventitiorum, castren-

sium, vel quasi. 7. Proprietarius in fructibus fundi locati, aut in emphyteusim dati, et in bonis in fundum invectis pro solvenda pensione. 8. Ecclesia in bonis ministrorum pro debita administratione. 9. Legatarius in bonis defuncti. 10. Tamdem qui confert mutuo pecuniam ad constructionem navis, domus etc., habet in hanc rem hypothecam tacitam.

Item utraque hypotheca expressa vel tacita dividitur in generalem et particularem. Generalis est, qua quis omnia bona sua praesentia et futura obligat. Hypotheca particularis est, qua quis rem aliquam determinatam obligat. Obligatio hypothecaria sive generalis sive particularis afficit rem ad quemcumque pervenerit.

Transactio est *Conventio onerosa, qua res dubia et incerta componitur inter partes.* Dicitur *Res dubia et incerta*, quia si jus unius esset apertum et certum, alter non posset transigere, L. *Qui transigit* 1. ff. *de trans.* Transactio non minorem auctoritatem habet quam sententia Judicis. L. *Non minorem* C. *de trans.* Ea semel peracta difficile conceditur restitutio in integrum, nisi sit tam enormis laesio, ut dolus praesumatur.

Articulus V.

De Ludo et Sponsione.

§. I. *De Ludo.*

Ludus generatim est *quodcumque dictum vel factum ad oblectationem animi ordinatum*; si dictum, dicitur jocus; si factum dicitur ludus. Et quamvis aliquis solus possit ludere, quia tamen ludus plerumque exercetur inter plures, definitur: *Certamen duorum vel plurium ad animi oblectationem susceptum.* Huic autem certamini ne langueat, solet adjici pactum, ut praemium aliquod cedat victori; et hoc pactum vocatur contractus ludi; et definitur: *Pactum oblectantium animum, et in commune deponentium aliquid cessurum victori.*

Petes 1. Utrum ludus generatim sumptus sit licitus? R. Ludus generatim sumptus praecise prout est dictum, vel factum, aut certamen ad oblectationem animi ordinatum, est licitus, imo quandoque necessarius: quia est remedium contra fatigationem animi ex diuturnitate, aut vehementia laboris.

Ut autem hujusmodi ludus sit licitus, tria requiruntur. Primum, et principale, quod praedicta delectatio non quaeratur in aliquibus operationibus, vel verbis turpibus, aut injuriosis, aut nocivis proximo. Ex hac parte peccant qui verbis Scripturae Sacrae abutuntur ad jocos, mortaliter, vel venialiter, prout majorem, vel minorem irreverentiam committunt. Secundum. Ne per ludum totaliter gravitas animae resolvatur, ut contingit in his, qui ponunt ultimum finem in delectatione ludi, aut saltem illo ultra limites rationis utuntur. Tertium. Ut ludus congruat personae, tempori, et loco, et serventur omnes circumstantiae, quae ad actum virtuosum requiruntur.

Virtus autem moderans ludum, ne recedat a medio rationis per excessum, vel defectum, vocatur *Eutrapelia* seu Urbanitas. Peccat per excessum, qui non observat praedictas conditiones; peccat per defectum, qui se aliis morosum et onerosum praebet, nihil delectabile exhibens, et delectationes aliorum impediens aut non recipiens. Hinc officium Histrionum, quod ordinatur ad solatium hominibus exhibendum, non est secundum se illicitum, nec ipsi sunt in statu peccati, dummodo moderate ludo utantur.

Petes 2. Utrum ludus cum pacto lucri pro victore sit secundum se illicitus? Ante responsionem nota, triplicem ludum distingui. Unus est qui soli industriae, aut corporali exercitationi innititur, et vix aut ne vix fortunae, ut ludus pi-

lae, globulorum, latrunculorum, metularum, scruporum, et similes. Alter est qui soli fortunae innititur, et vix aut ne vix industriae, et dicitur ludus alearum, vulgo *Jeu de hazard*, ut ludus tesserarum, et multi ludi chartarum, ut sunt *le Lansquenet*, *le Pharaon*, etc. Tertius est mixtus qui regitur partim industria, partim fortuna, ut sunt le *Trictrac*, et etiam multi ludi chartarum *le Piquet*, *le Triomphe*, *l' Ombre* etc.

Dico. Nullus ludus etiamsi alearum cum pacto ut aliquid cedat victori, est secundum se illicitus, modo serventur debitae conditiones. Probat. Hujusmodi ludus non est illicitus praecise qua ludus est; quod enim oblectetur animus casibus fortunae aut operibus industriae perinde est, nec aliquid mali continet. Neque illicitus est ex parte pacti; sicut enim possum dare meum bonum gratis, ita possum dare sub conditione eventus futuri: ergo.

Petes 3. Quae sint conditiones requisitae ad ludum cum pacto? R. 1. conditio est, ut ludens habeat liberam administrationem rei, quam ludo exponit, alioquin ludus est invalidus, cum nec ipse possit transferre dominium praemii, quod exponit, in colludentem victorem, neque colludens victus censeatur velle transferre dominium praemii sui in eum, a quo nihil posset recipere, si vinceret. Unde uterque tenetur restituere. Hinc inferes Religiosos non posse sine consensu expresso vel tacito aut praesumpto Praelati, lucrari in ludo, et eos sic ludentes peccare non solum contra justitiam, sed etiam contra religionem ratione voti paupertatis. Similiter colludentes teneri ad restitutionem illius, quod a Religioso lucrati sunt. Praesumitur autem consensus Praelati in rebus levis momenti. Item quando Religiosus extra conventum degit, praesumitur Praelatus consentire, ut aliquid moderatum exponat ludo juxta leges, opes, aut consuetudinem conventus. Similiter praesumitur consensus patris aut tutoris respectu filiorum aut minorum, quando ratione studiorum, aut alterius negotii extra morantur.

Secunda conditio est, ut absit coactio, quia omnis contractus injusto metu aut injuria extortus, esto sit validus, est tamen irritabilis cum restitutione in integrum ad nutum illius, qui metum aut injuriam passus est.

Tertia conditio est, ut inter ludentes servetur aequalitas, nimirum ut ludi conditiones aequales subeant, et aequalia pretia exponant. Sed difficultas est, utrum debeat esse aequalitas, quantum ad peritiam ludendi, ita ut qui excedit, lucrari non possit, et teneatur restituere? quidam negant, plures affirmant, et probabilius: unde resp. Si alter ludentium ita notabiliter ludendi peritia praevaleat, ut quasi certus sit se lucraturum, injuste lucratur, et tenetur restituere, nisi vel hunc excessum compenset dando alteri meliores conditiones, vel iste alter majorem in colludente peritiam noscens cedat jure suo.

Ratio est, quia ludus cum pacto est contractus onerosus, quo quilibet ludens spem lucrandi emit periculo perdendi, sicque debet esse aequalitas inter spem et periculum, sicut in venditione debet esse aequalitas inter mercem et pretium; atqui in hypothesi nulla est aequalitas inter spem lucrandi et periculum, cum ex parte inferioris vix ulla sit spes lucrandi, et quasi certum periculum perdendi, et e contra ex parte superioris sit quasi certa spes lucrandi, et vix ullum periculum perdendi: ergo. Conf. In casu error ex dolo dat causam contractui, cum spes quam intendit ludens vix ulla sit, sine qua tamen non pacisceretur: atqui error ex dolo reddit saltem contractum rescindibilem ad nutum decepti: ergo.

Dixi: *Si notabiliter praevaleat in peritia ludendi*: quia si excessus sit levis, conceditur communiter lucrum non fore injustum; tum quia raro reperiuntur qui sint peritia omnino aequales, tum quia excessus levis attenta praesertim morositate fortunae, quae in omni lusu suas partes agit, non aufert periculum perdendi ex parte superioris; unde in lusibus alearum raro inde vitiatur contractus, cum saepe imperitiores lucrentur.

Quarta conditio est, ut ludentes non utantur fraudibus contra leges ludi, alioquin secundum omnes tenentur restituere, non solum lucrum quod fraudulenter fecerunt, sed etiam quanti aestimatur spes, quam alter habebat lucrandi seclusa fraude; quia est illius damni causa injusta.

Leges autem ludi constituuntur vel conventione partium, vel consuetudine locorum. Hinc est fraudulentus lusor et obnoxius restitutioni, qui chartas mutat, abscondit, signat, ut possit dignoscere, ex industria alterius chartas respicit, puncta vel calculos falso multiplicat, etc. Fraudes autem seu potius astutiae passim in lusibus receptae seu toleratae, et in quas ludentes tacite consentire censentur, non obligant ad restitutionem, ut si non moneas colludentem de errore propter quem perdit, quisque enim in ludo suas partes agit; si illius chartas negligenter custoditas respicias, aut a tergo cognoscas, modo eas non signaveris, aut a frequentiori earum usu quam alter, non dignoscas; si securus de lucro sponsionem augeas, aut metu simulato provoces adversarium ad audacius spondendum; aut si de victoria desperans, simules audaciam, ut alter territus tibi ludum et lucrum cedat: hae enim astutiae cognoscuntur ludentibus communes, in quas tacite consentire censentur, et quas sibi invicem condonant. Observandum tamen, quod qui utentem illicitis fraudibus vincit, possit retinere lucrum, quia is sincere ludit, et propter alterius culpam non debet fraudari praemio suae victoriae.

Quinta conditio est, ut non intendatur principaliter lucrum, aut non nimis avide quaeratur.

Petes 4. Utrum ludus cum pacto sit jure positivo prohibitus? R. Ludus alearum cum pacto, ut aliquid pretio aestimabile cedat victori, prohibetur jure positivo omnibus et maxime Clericis. Patet ex pluribus locis juris utriusque et variis edictis Principum in Gallia, Hispania, et Belgio.

Dixi 1. *Ludus alearum*, scilicet qui sola fortuna regitur, et vix aut ne vix industria, hic enim solus *Alea* proprie dicitur, et *Aleam* dumtaxat prohibent leges. Non putamus ergo, ludos, quos §. praecedenti diximus mixtos, his legibus pleno saltem jure comprehendi; quia leges prohibentes, quod secundum se non est illicitum, cum sint odiosae, non sunt extendendae, sed stricte intelligendae.

Dixi 2. *Cum pacto ut aliquid pretio aestimabile cedat victori*: quia non arbitramur has leges extendendas esse ad ludum alearum, qui fieret gratis, absque spe lucri et periculo damni, quidquid innuat in contrarium Pontas ex Glossa. Tum quia ludus qui vertitur in quaestionem, et de quo loquuntur jura, ut patet ex L. 2. ff. *de Aleat.* cit communiter definitur etiam ab ipso Pontas in prooemio *Pactum oblectantium animum et in commune deponentium aliquid cessurum victori*: tum quia ex ludo aleae absque spe lucri aut periculo damni, non sunt nata sequi mala, propter quae leges prohibuerunt aleas.

Petes 5. Utrum istae leges graviter obligent? R. Auctores post S. Raymundum in summa lib. 2. tit. 8. §. 9., et S. Antoninum 2. q. tit. 1. communiter colligere ex poenis eas secundum se obligare sub mortali. In summa igitur et pro praxi sic arbitror esse resolvendum. Is et maxime Clericus est in statu peccati mortalis, qui publice, et frequenter aleae indulget magnas summas exponendo. Hi enim proprie dicuntur aleatores, et aleae deservientes, ut loquuntur jura. Qui vero semel aut bis occasione occurrente, secluso tamen scandalo, sic alea luderet, non videtur proprie aleator seu aleae deserviens, nec ideo peccare mortaliter: similiter qui frequenter quidem luderet alea sed privatim, et moderatas summas suo statui congruentes exponendo, quamvis certo foret reus gravis peccati venialis, non tamen mortalis condemnare auderem; quia licet istae leges non possint dici abrogatae maxime pro Clericis, dubito tamen, an cum tanto rigore sint receptae.

Vix autem aut ne vix peccare arbitror sive Clericum, sive Laicum, qui lude-

ret alea moderate et temporibus congruis, non ex aviditate lucri, sed solius animi relaxandi causa, proposito levi admodum praemio, ne ludus frigeat; jura enim permittunt, *quod in convivio vescendi causa ponitur in eam rem familiae ludere alea.* L. *Quod.* 4. ff. *de aleat.* Idque probat communis usus etiam timoratorum. Ecquis sane damnat eum, qui proposito levi praemio luderet eligendo *par aut impar*, *caput vel lilia*, vel luderet ludo anseris, vulgo *jeu de l'oie*, aut simili ludo puerorum. Imo ludus ollae, vulgo *Loterie*, qui sola fortuna regitur, ubique passim admittitur.

Quantum vero ad aspicientes, tunc censendi sunt peccare mortaliter, quando sua praesentia efficaciter movent ad ludum eos, qui ludendo mortaliter peccant. Ita Sylvester, Navarr. et alii.

Petes 6. Utrum victor in ludo prohibito possit lucrum retinere, et victus teneatur solvere? R. 1. Victor in ludo prohibito potest lucrum ex eo acquisitum retinere; est communior et probabilior. Pr. Victor in ludo prohibito non tenetur restituere jure naturae, quia ludus secundum se est justus et licitus, servatis debitis conditionibus, atque sufficiens ad transferendum dominium: non jure positivo, quia leges sive civiles, sive ecclesiasticae ludum prohibentes, nullatenus illum aut dominii translationem irritant, neque ludentem inhabilem reddunt ad transferendum aut recipiendum istius lucri dominium.

R. 2. Victus in ludo prohibito, stante jure communi, non tenetur solvere sive praesenti, sive absenti pecunia luserit. Prob. Quia licet contractus ludi sit utroque jure naturali, et positivo validus, et consequenter victus obligetur naturaliter solvere; attamen jure positivo ipsi datur facultas excipiendi seu repetendi in judicio solutum, ut patet ex legibus citatis: atqui juxta L. *Invitus* 56. ff. *De Regul. juris. Cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit*: inutilis quippe foret circuitus, ut quis solvat et postea solutum repetat: ergo.

§. II. *De Sponsione.*

Sponsio est *Contractus, quo duo vel plures de veritate alicujus rei contendentes, ponunt praemium pro eo, qui veritatem fuerit assecutus.*

Petes 1. an si unus sit certus de rei veritate, possit spondere, et praemium sponsionis retinere, modo moneat alterum de sua certitudine? R. quod si alter non credat, sed errore deceptus pergat velle spondere, non possis lucrum retinere; quia videtur hic error circa substantiam rei; in hoc enim contractu, ut dixi de ludo, emitur spes lucrandi periculo perdendi, hic autem nulla est spes lucrandi ex parte decepti, sed certum damnum: sicut ergo sciens certo gemmam esse falsam, non posses vendere pro gemma alteri equidem monito sed non credenti; ita similiter in nostro casu. Excipe tamen, nisi deceptus liberaliter condonet certitudinem quaecumque sit; sicut si emens vitrum pro gemma consentiret emere quidquid sit.

Sed quid si putans te certum, deprehendas effectu secuto te non fuisse certum? R. Peccasti spondendo, sed non teneris restituere; quia a parte rei fuit aequalitas et justa sponsio; sicut in exemplo, si vendas alteri gemmam, quam certo credis esse vitrum, peccas, sed si postea deprehendas esse veram gemmam, nihil teneris restituere.

Petes 2. Utrum sponsio de re mala, aut ad malum inductiva sit licita et valida, v. g. spondes te furaturum, aut alterum non furaturum, quasi excitando ad furtum? R. Hanc sponsionem esse illicitam: et hoc sensu invalidam, quod spondentes teneantur abstinere ab opere sponso; hoc tamen posito tenetur victus pretium solvere, quia contractus sub conditione operis turpis, purificata conditione obligat. [Ex Const. autem Gregorii XIV. *Cogit Nos* prohibentur sub poena excommunicationis latae sententiae, Papae reservatae, et irritantur omnes sponsiones, quae fiunt super electione Pontificis, aut promotione Cardinalium].

TRACTATUS

DE RELIGIONE, ET VITIIS OPPOSITIS

D. Th. a Q. 79. ad Q. 101.

Hactenus de partibus justitiae subjectivis, et vitiis oppositis. Cum autem partes ejusdem integrales sint declinare a malo, et facere bonum, de quibus nihil speciale est addendum his, quae dicta sunt in tractatu de Peccatis, hinc praetergredimur ad agendum de partibus potentialibus justitiae, quae sunt virtutes ei annexae, quae a perfecta tamen ratione justitiae deficiunt, vel quia non reddunt perfecte aequale, vel quia non attendunt strictum debitum ex lege justitiae, sed morale tantum, seu quod debetur solum ex honestate virtutis. Octo enumerantur a S. Th., nimirum Religio, Pietas, Observantia, Veritas, seu Veracitas, Gratia, seu Gratitudo, Vindicatio, Liberalitas, et Amicitia, seu Affabilitas. De singulis agit S. Doctor in particulari, et primo de Religione.

DISSERTATIO I.

De Religione secundum se, et ejus actibus interioribus, scilicet de Devotione, et Oratione.

D. Thom. QQ. 81. 82. 83.

Articulus I.

De Religione secundum se.

Petes 1.° Quid sit Religio? R. Religio sic dicta, vel a *religendo*, et saepe revolvendo ea, quae sunt divini cultus, vel a *reeligendo* Deum, quem negligentes amittimus juxta Aug. 10. *de Civ.* c. 4., vel a *religando* ex eodem Aug.: de *vera Relig. prope finem*, quod per eam praeceptis, et maxime votis alligemur, definitur *Virtus, per quam homines Deo, tamquam rerum omnium principio, debitum cultum exhibent.* Unde omnes Christiani possunt dici Religiosi, specialiter tamen dicuntur Religiosi, qui votis ab Ecclesia probatis adstricti, totam vitam suam divino cultui dedicant.

Petes 2. An Religio sit virtus theologica, vel moralis? R. Religio est virtus moralis. Prob. Virtutes theologicae habent Deum pro immediato suo objecto; sed objectum immediatum Religionis non est ipse Deus, sed cultus Deo debitus, quem ipsi per actus suos exhibet Religio, unde Deus est dumtaxat finis cui, sicut dictum est de justitia, eodem enim modo se habet religio ad Deum, sicut justitia ad Proximum. Ergo religio non est virtus theologica, sed moralis, cujus objectum est circa ea, quae sunt ad finem. Hinc inferes objectum *formale quod* Religionis esse aequalitatem saltem imperfectam, quam homo inter se, et Deum ponit per actiones, quibus eum colit, et reveretur, ut primum principium, et

supremum Dominum; Objectum *formale quo* esse honestatem dictae aequalitatis; Objectum *materiale* ipsas actiones, quibus Deus colitur; Tamdem objectum *cui*, seu *finem cui*, esse ipsum Deum, ut fundantem ratione suae excellentiae hanc obligationem in homine. Quapropter dum legis objectum formale quod religionis esse cultum Deo debitum, intellige cultum non ut est actio, sed ut effectus, qui nihil est aliud, quam asserta aequalitas. Inferes 2. religionem praeeminere inter omnes virtutes morales; propinquius enim caeteris accedit ad Deum, cum operetur ea, quae directe, et immediate ordinantur in honorem divinum. Inferes 3. Religionem esse unicam, et specialem virtutem, habet enim unum objectum formale, distinctum ab objectis aliarum virtutum, quamvis lato sensu possit dici virtus generalis, tum quia utitur actibus aliarum virtutum, quos imperat in ordine ad suum objectum, quo sensu dicitur Jacob. 1. quod visitare pupillos, et viduas sit religio munda, quia tales actus licet eliciti a misericordia, imperantur a Religione, et diriguntur ad divinam reverentiam, tum quia ad actum religionis exiguntur multae aliae virtutes, ut fides, qua cognoscitur divina excellentia, charitas, qua ei bene afficitur.

Articulus II.

De actibus interioribus Religionis, scilicet de Devotione et Oratione.

Petes 1. Quid sit Devotio? R. Devotio est *quaedam actualis voluntas prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum*, sive faciendi ea, quae pertinent ad cultum divinum: unde patet quod non sit modus aut qualitas, sed specialis actus voluntatis. Illa enim promptitudo, quae est modus, importatur tantum de connotato in actu devotionis. Licet autem ea, quae sunt Divinitatis sint secundum se maxime excitantia dilectionem, et per consequens devotionem, mens tamen humana ex sua debilitate, sicut indiget manuductione ad divinorum cognitionem, ita et ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quae praecipua est Humanitas, et Passio Christi, quae maxime devotionem excitant. Hinc advertant conscientiarum Moderatores, maxime in dirigendo devoto foemineo sexu, quem ideo assuefieri Passionis Christi meditationi magis convenit, quam subtiliori Divinitatis contemplationi.

Petes 2. Quid sit Oratio? R. Oratio in genere est petitio quaedam: oratio religiosa *est petitio decentium a Deo*: quidam addunt, *cum ascensu mentis ad Deum.*

Petes 3. Utrum sit necesse hominibus orare? R. affirmative. Quia Deus ordinavit orationes tamquam causas secundas ad obtinenda ab eo bona, quibus indigemus. Matt. 26. *Orate ne intretis in tentationem.* Jacob. 5. *Orate pro invicem ut salvemini.* Jacob. 4. *Non habetis propter quod non postulatis.* Matth. 7. *Petite et accipietis* Luc. 18. *Oportet semper orare*, et alibi. Ergo necesse est hominibus orare, non quidem ut per orationes suas divinam dispositionem immutent, est enim invariabilis; sed ut impetrent quod Deus disposuit per orationes esse implendum, vel ut dicit Gregorius lib. 1. Dialog. c. 8. ut homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante saecula disposuit donare.

Altera utilitas orationis est, quod per eam agnoscimus Deum esse bonorum nostrorum auctorem, et habemus fiduciam recurrendi ad ipsum, ut, quae nobis non debentur, in necessitatibus gratuito accipiamus: unde Chrysostomus lib. *De orando Deo* dicit magnam felicitatem et gloriam homini esse attributam, quod orationibus fabuletur cum Deo, cum Christo misceat colloquia, optet quod velit, et postulet quod desiderat.

Ex his sequitur orationem esse omnibus adultis necessariam necessitate medii ad salutem non quidem ex natura rei, cum non desint alia media, quibus potuisset procurari salus, sed ex ordinatione divina, quae disposuit; ut per orationes tamquam per medium convenientissimum obtineretur salus, ut patet ex probationibus conclusionis. Unde etiam sequitur orationem esse necessariam necessitate praecepti divini, et naturalis. Divini, ut patet ex scriptura allata; naturalis, quia posita ordinatione divina est medium necessarium ad salutem. Urget autem hoc praeceptum cum instat gravis necessitas, ut superandi tentationem, actum contritionis eliciendi, sacramenta suscipiendi, arduum opus aggrediendi, in periculo mortis etc. Ita ut siquis ex negligentia orationis tentationi v. g. contra castitatem succumbat, duplici peccato peccet contra castitatem, et contra religionem; sufficit tamen in confessione explicare consensum tentationi, per quem satis intelligitur non fuisse adhibita media ad resistendum.

Articulus III.

Utrum solus Deus sit orandus, ubi de invocatione Sanctorum contra haereticos.

Dico 1. Solus Deus est orandus ut is, qui per se praestare potest quae petimus. Probat. Omnes orationes nostrae ordinari debent ad gratiam et gloriam consequendam, haec enim est ultimus finis, illa medium, sicque Christus docuit nos orare in Oratione Dominica: atqui solus Deus dat gratiam et gloriam. Psalm. 83. imo solus ipse est auctor bonorum omnium: ergo.

Dico 2. Licitum est et utile orare Sanctos in coelis cum Christo regnantes, sive Angelos, sive homines, ut intercessores, qui a Deo impetrent quae petimus. Est de fide decisa in Concilio Trid. sess. 25. contra Haereticos antiquos et recentiores, maxime Lutheranos, et Calvinistas, qui Vigilantii errorem diu a s. Hieronymo confutatum suscitantes, contendunt, illicitum esse, et vanum invocare Sanctos, et quos ideo impie sentire declarat S. Synodus.

Ante probationem nota 1. Justos in hac vita peregrinantes licite invocari, ultro concedunt Haeretici, idque liquido constat ex pluribus Scripturae locis, 1. Reg. cap. 7. Job. ultimo, ad Ephesios 6. Primae ad Thessal. 5, Secundae ad Thessal. 3. ad Coloss. 4. ad Hebraeos 13. ad Rom. 15. ubi dicit Apostolus: *Obsecro vos, ut adjuvetis me in orationibus vestris pro me ad Deum.* Nota 2. Licet posteriores Haeretici negent Sanctos in coelis orare pro nobis specialiter et in particulari, posteriores tamen Sectarii nunc concedunt eos orare pro Ecclesia in genere. Ita Kemnitius in exam. Concil. Trid. parte 5. Item confessio Saxonica et Wittembergensis.

Prob. 1. ex Scriptura. Pueri, jubente Nabuchodonosore in fornacem acti, implorant Dei misericordiam per merita Sanctorum his verbis: *Neque auferas misericordiam a nobis propter Abraham dilectum tuum et Isaac servum tuum et Israel sanctum tuum.* Psalm. 131. Salomon, in cujus persona scriptus est iste Psalmus, per merita patris sui jam defuncti sic orat: *Memento Domine David et omnis mansuetudinis ejus*: et infra, *Propter David servum tuum non avertas faciem Christi tui*: ergo. Prob. 2. conclusio traditione sex priorum saeculorum; post haec enim tempora fatentur Haeretici invocationem Sanctorum fuisse usurpatam in Ecclesia. In Concilio generali Chalcedonensi anno 450 act. 11. Patres clamaverunt: *Flavianus post mortem vivit; Martyr oret pro nobis.* S. Basilius orat. in 40. Martyres ait: *Qui aliqua premitur angustia, ad hos confugiat.* S. Gregorius Nazian. sub finem orationis in S. Athanas. ipsum invocat his verbis, *Tu autem e supernis nos propitius respice, et populum hunc sanctum dirige, et nos in pace*

fove. S. Ambros. lib. de Viduis c. 9. dicit: *Martyres sunt obsecrandi.* S. Hieronymus, ut notum est, ex professo impugnavit Vigilantium nostrorum haereticorum ducem. S. August. L. 7. de Bapti. S. Cyprianum invocat his Verbis ;*Adjuvet itaque nos in orationibus suis.*

Prob. 3. ratione. Licitum est ac utile invocare Sanctos adhuc in hoc mundo exules, id concedunt adversarii, et liquido constat ex Scripturis citatis in 1. nota; ergo etiam licitum est et utile invocare Sanctos in coelis cum Christo regnantes. Probatur consequentia. Si id nec licitum, nec utile foret, ideo esset, vel quia ipsis in coelo regnantibus deest aut voluntas nos juvandi, aut potestas, aut nostrarum precum, et miseriarum cognitio, vel quia fieret injuria Christo mediatori. Atqui non deest voluntas; quia majori charitate illic quam hic sunt praediti, et de sua sorte securi, sunt de nostra salute solliciti, inquit Cyprian. Lib. *de immort.* Non potestas; quia sunt potentiores post coronas et triumphos, suntque Deo magis grati, et magis conjuncti. Non precum, ac miseriarum nostrarum cognitio; quia unde sciunt Angeli conversionem peccatorum, de qua gaudent, Luc. 15., inde Sancti eadem beatitudine donati preces nostras ac miserias norunt. Nec tamdem ideo fit injuria Christo mediatori; si enim absque illius injuria invocari possunt Sancti hic viventes, quo pacto foret illi injuriosum invocare Sanctos cum ipso regnantes? Huic argumento obmutescunt Protestantes.

Probatur 4. alia ratione. Sancti in coelis orant pro Ecclesia in genere, ut fatentur recentiores Haeretici, et constat ex Scriptura. Jerem. 15. Apocal. 5. 2. Machab. 15. et alibi.: ergo possumus has orationes Sanctorum postulare, saltem pro Ecclesia in genere, quod est ipsos Sanctos invocare, indeque ruunt praecipua adversariorum argumenta contra quamlibet invocationem.

Objc. 1. Per invocationem Sanctorum fit injuria Deo et Christo. Deo quidem, juxta illud Rom. 10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderunt?* non autem credimus nisi in Deum: Christo, quia juxta Apost. 1. ad Timoth. 2. *Unus est mediator Dei et hominum homo Christus Jesus*: ergo. R. 1. Retorqueo argumentum in sectarios: juxta ipsos non fit injuria Deo, et Christo per invocationem Sanctorum in hac vita peregrinantium: ergo nec per invocationem Sanctorum in coelis regnantium. Haec argumenti retorsio locum pariter habet in pluribus ex sequentibus objectionibus, unde sit posita semel pro semper. R. 2. directe ad argumentum, N. antecedens pro utraque parte. Ad probationem primae partis dico, Apostolum loqui de invocatione, quae sit pars cultus divini, qua nempe invocetur Deus ut auctor bonorum; praemiserat enim *Omnis qui invocaverit nomen Domini*: *salvus erit.* Non sic autem invocamus Sanctos sed sicut patronos et intercessores sicut ipsi Haeretici non negant, posse invocari justos viventes, licet in eos, ut in Deum non credamus.

Ad secundum R. unum esse mediatorem redemptionis Jesum Christum, plures autem esse mediatores intercessionis, scilicet omnes Sanctos, sive viventes sive mortuos; unde Apost. in eod. cap. jubet nos orare pro invicem. Haec autem Sanctorum mediatio fundatur in meritis primi ipsius mediatoris: et ideo semper oramus *Per Dominum Jesum Christum*: unde abest, ut sit ipsi injuria, quin potius ad ipsius honorem, et gloriam cedit. Porro hanc distinctionem ut legitimam agnoscunt, et adhibent ipsimet sectarii in Conf. Wittembergensi tit. *de Ordine*, ubi sic loquuntur: *Si loquendum est de mediatore precationis, unusquisque pius factus est alterius mediator per Jesum Christum: propterea quod officium exigit, ut alter alterius salutem precibus suis Deo commendet.* Unde miror, eos tam urgere praesens argumentum.

Obj. 2. Sancti in Coelis non cognoscunt orationes in hac vita degentium. Ergo. Prob. Ant. Eccle. 9. dicitur: *Mortui nihil noverunt amplius.* Similiter Job 14. Unde August. lib. *de cura pro Mortuis* c. 13. ait. *Nesciunt mortui etiam Sancti*

quid agant vivi etiam eorum Filii: Ergo. R. D. Ant. Sancti non cognoscunt orationes nostras cognitione naturali C, nec aliud important auctoritates objectae. Divina revelatione et in Verbo N. Talis enim cognitio pertinet ad perfectionem beatitudinis eorum, cum ad eorum gloriam maxime pertineat, quod auxilium praestent indigentibus, ut Dei cooperatores efficiantur, quo nihil est divinius.

Inst. 3. Reg. 8. de Deo dicitur. *Tu nosti solus cor omnium Filiorum hominum.* Isai. 3. *Abraham nescivit Vos et Israel ignoravit Vos.* 4. Reg. 22. Deus dicit Josiae Regi. *Colligam te ad Patres tuos, ut non videant oculi tui omnia mala, quae introducturus sum in locum istum.* Atqui haec videntur indicare, sanctos non cognoscere sive naturaliter, sive supernaturaliter orationes nostras. Ergo. R. ad 1. Deum solum cognoscere per se ipsum corda hominum, Sanctos autem, quatenus eis revelatur per visionem Verbi, vel alio quocumque modo. Ad 2. Illa verba juxta Hieronymum sunt intelligenda de scientia approbationis ut sensus sit: Abraham non diligit nos, contemnit Nos, quia recessimus a te. Vel juxta S. Thomam de cognitione naturali, non supernaturali in Verbo ad quam ante Christi passionem nullus pervenerat. Ad 3. idem dicendum nempe animam Josiae nondum glorificatam ignorasse mala gentis suae; nisi forte τὸ *videre* illic sumatur pro *experiri*, seu per experientiam cognoscere. Caeterum quamvis etiam non constaret Sanctos cognoscere preces nostras in particulari, non tamen frustra ad illos eas dirigeremus, quia sufficeret nobis eos generaliter orare pro indigentia supplicantium; sicut Nos oramus pro mortuis, quibus tamen non praesentamur, nec ubi sint, vel quid agant, scimus. Ita Hugo Victor l. 2. de Sacram. p. 16. c. 11. ibi, *Ecce dicamus*: *non audiunt Sancti verba postulantium . . . . Numquid Deus non audit? . . . Ipse videt humilitatem tuam, qui remuneraturus est devotionem tuam.* Item Bellarm. l. 1. de Beatitud. c. 20., Estius in 4. dist. 45. c. 30: Sylvius in Supp. q. 72. a. 2. et alii.

Obj. 3. Deus nos plus diligit quam ullus Sanctorum, et est paratissimus nos audire per Christum ut Joan. 16. dicitur: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo dabit Vobis.* Ergo supervacuum est recurrere ad Sanctos. R. N. Cons. Etsi enim Deus nos diligat plusquam alius, et sit nos audire paratissimus, attamen adhuc Sanctos plus diligit, quam nos, et paratior est eos audire quam nos, utpote ipsi magis amicos, ac conjunctos.

Inst. Nullus amicos alicujus interpellat ad orandum pro se, nisi credat apud eos se facilius gratiam invenire posse. Atqui Deus est in infinitum magis misericors, quam quilibet Sanctus, et voluntas ejus facilius inclinatur ad nos exaudiendos. Ergo imprudenter recurritur ad Sanctos. R. 1. ut ante, Deum esse magis misericordem erga Sanctos, quam erga Nos. R. 2. Nullus amicos alicujus interpellat etc., si iste aliquis non decrevit conferre gratiam mediante supplicatione amici C. Si decrevit conferre gratiam mediante supplicatione amici N., et nego pariter conseq. Non ob defectum misericordiae est, quod oporteat nos per Sanctos Dei clementiam pulsare, sicut non ob defectum potentiae est, quod mediantibus causis secundis operetur. Sed quia decrevit quaedam beneficia nobis non dare, nisi mediantibus invocationibus Sanctorum, partim ut servetur ordo universi, juxta quem multa vult Deus facere, mediantibus causis secundis, partim ut ipsius bonitas multiplicius diffundatur in Creaturas, dum ab eo non solum suscipiunt proprias bonitates, sed insuper quod aliis causa bonitatis existant.

Objicit 4. Dallaeus. Constat ex antiquis liturgiis, ut ea, quae dicitur S. Jacobi, S. Marci, S. Chrysostomi, veteres christianos orare pro omnibus mortuis etiam sanctissimis, etiam Apostolis, et Deipara. Ergo eos non invocabant, nec invocandos putabant. R. Falsum esse, quod opponit Dallaeus; omnium quidem mortuorum fiebat mentio in liturgiis, sed alia et alia ratione, Sanctorum, ut eorum precibus adjuvemur, aliorum, ut nostris precibus suble-

ventur. Sic in liturgia S. Jacobi legitur: *Sanctissimae, inviolatae, gloriosissimae, benedictae Dominae nostrae Dei Genitricis, et semper Virginis Mariae, et omnium Sanctorum, ac justorum memoriam faciamus, ut precibus, et intercessionibus ipsorum omnes misericordiam consequamur.* Similia habet liturgia S. Chrysostomi.

Obj. 4. cum eodem. Plures Sancti Patres censuerunt animas Sanctorum extra Coelum degere usque ad diem resurrectionis. Ergo. R. 1. Patres ab hac dilatione excepisse animas martyrum. R. 2. dato nullos excepisse, potest consistere cum ista dilatione invocatio, et cultus Sanctorum, quia nihil obstat, quin vel Deus ipsis revelet preces ad eos directas, vel, etiamsi eas ignorent, intercedant pro indigentia supplicantium; unde Ecclesia approbat festum, et invocationem S. Eliae nondum vita functi.

Obj. 5. cum eodem. In veteri testamento Sancti non invocabantur. Ergo. R. N. Ant: ut patet ex prob. conclusionis. Fateor tamen tunc invocationem Sanctorum non fuisse ita frequentem, tum quia nondum visione beatifica donabantur, tum quia id praebuisset ansam idololatriae Judaeis.

Obj. 6. Invocationes Sanctorum, prout fiunt a Catholicis, sunt superstitiosae. Ergo rejiciendae. Pr. ant. 1. Unum Sanctum invocant pro una re obtinenda, alium pro alia, unum in uno loco, alium in alio etc. cum tamen unus sit Deus omnium, qui aeque per unum ac per alium potest petita concedere. 2. Invocant Sanctos, ut bonorum, quae petimus, Auctores; sic B. Virgini dicunt: *Vita, dulcedo, et spes nostra salve*, Apostolis: *Nos a reatu noxios solvi jubete quaesumus.* Ergo. R. N. Ant. Ad 1. probationem dico Deum velle unum concedere ad intercessionem unius Sancti, aliud ad intercessionem alterius, unum in uno loco aliud in alio, cujus dispositionis causas novit ipse, qui facit. Nonne voluit Naaman Syrum mundari a lepra in Jordane potius quam alibi, et Coecum sanari in natatoria Siloe, et non alibi? Et sicut Angelorum sunt diversa ministeria, Fidelium in hac vita diversa charismata, ita Beatorum in Coelo diversae potestates. Ad 2. probat. dico qualitatem orationis non tam ex verbis, quam ex sensu petendam esse. Norunt Fideles potestatem B. Virginis, et Sanctorum a Deo per merita Christi derivari, hinc laudatis formulis eos invocare non intendunt ut bonorum Auctores, sed ut amicos Dei, cujus virtute participata agunt. Ordinarie tamen dicimus ad Deum, et Christum *Miserere Nobis*, ad Sanctos autem *Orate pro Nobis.*

Obj. 7. Christus nos docuit quis sit invocandus cum dixit: *Orantes dicite Pater noster, qui es in Coelis.* Ergo Sancti non sunt invocandi. R. 1. N. Cons. Alias sequeretur, quod nec Filius, nec Spiritus S. possent invocari. R. 2. Christum tradendo Apostolis orationem dominicam, non tam docuisse, quis esset orandus, quam quomodo sit orandum, et quae petenda in oratione.

Obj. 8. Vel sumus digni ut Sancti orent pro nobis, vel non; si primum, etsi non petamus, orabunt pro nobis; si secundum etiamsi petamus, non orabunt. Ergo superfluum est eos orare. Insuper Sancti non sunt in statu merendi. Ergo nihil nobis impetrare possunt. R. ad 1. aliquem effici dignum, ut Sanctus oret pro eo, hoc ipso quod ad ipsum in sua necessitate cum pura devotione recurrat. Ad 2. aliud est mereri, aliud impetrare; Meritum consistit in quadam adaequatione actus ad finem, propter quem est, qui ei quasi merces redditur; sed impetratio innititur liberalitati ejus, qui rogatur, unde quandoque oratio impetrat, quod non meruit, vel ille, qui rogat, vel ille, pro quo rogatur. Insuper Sancti meruerunt in via ut exaudirentur in patria. Quamvis Concilium Trident., cujus mens fuit decernere dumtaxat contra Haereticos, quae certo essent dogmata fidei, non meminerit praecepti de invocatione Sanctorum non videtur tamen improbabile ad id nos lege naturali, sive divina teneri; juxta hanc enim

tenemur servare ordinem divinitus institutum, ut ultima per media reducantur ad Deum juxta Dionys. c. 5. Coel. Hierarch. Adde tantas esse miserias nostras, ut id lex naturalis exigere merito videatur.

Petes 1. utrum animae detentae in Purgatorio possint a nobis invocari? R. id non ferre Ecclesiae consuetudinem, quae est in omnibus aemulanda.

Petes 2. Utrum saltem non orent pro necessitatibus nostris in genere? non enim ignorant nos pluribus affligi. Respondet S. Thomas eas non esse in statu orandi, sed magis ut oretur pro eis, propter poenas quas patiuntur.

Si petas quibus competat orare, et pro quibus sit orandum? R. ad 1. Neque divinis Personis, neque brutis animantibus, sed soli creaturae intellectuali convenit orare. Oratio enim est actus rationis, per quem Superiorem aliquis deprecatur. Unde cum dicitur Rom. 8. *Spiritus S. postulat pro Nobis* sensus est, quod postulantes nos facit. Ad 2. resp. 1. orandum esse pro omnibus hominibus viventibus, sive fideles, sive infideles sint, sive inimici, sive excommunicati, modo pro istis non oretur tamquam pro membris Ecclesiae, a qua sunt segregati. R. 2. non esse orandum pro Beatis, quia nulla re indigent, nec pro Damnatis, quia sunt absolute in termino, in quo receperunt ultimam suis meritis retributionem. Pro existentibus vero in Purgatorio pium esse, et utile orare decisum est de Fide in Conc. Florent. sub finem, et in Trident. Sess. 22. can. 3., et sess. 25. in princ.

Articulus IV.

Quae sint in Oratione a Deo petenda? ubi de Oratione Dominica.

Dico 1. Homo potest petere determinate et absolute bona spiritualia, scilicet beatitudinem et media ad illam, ut sunt virtutes et gratia. Quia iis nemo potest male uti, nec possunt habere malum eventum, vultque Deus ea nos petere. Matth. 5.

Dico 2. Bona temporalia non possunt peti a Deo principaliter, ut in eis finem constituamus: quia ipse solus est finis noster. Neque determinate absolute: quia homo potest illis male uti, et possunt habere malum eventum, sicut divitiae, quae multis exitio fuerunt; honores, qui complures pessum dederunt; regna, quorum exitus sane miserabiles cernuntur; splendida conjugia, quae nonnumquam funditus domos evertunt. Possunt autem peti bona temporalia conditionate, scilicet si saluti expediant, et ut adminicula quibus juvemur ad tendendum in beatitudinem: ad id enim nos juvant 1. in quantum per illa vita haec corporalis, in qua sola datur copia beatitudinem merendi, sustentatur. 2. In quantum nobis organice deserviunt ad actus virtutum. Id confirmat Ecclesiae praxis, quae petit a Deo pluviam, serenitatem, fruges, etc. et exemplum Salomonis Prov. 3. *Tribue tantum victui meo necessaria*; imo Christus ipse, qui jubet nos in oratione Dominica petere panem nostrum quotidianum.

Petes, quot sint petitiones Orationis Dominicae? R. convenienter assignari septem. Prima, qua petimus gloriam Dei, quod pertinet ad dilectionem, qua Deum in se diligimus, *Sanctificetur nomen tuum.* Secunda, qua petimus frui gloria Dei, quod pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo, *Adveniat regnum tuum.* Tertia, qua petimus, ut per observantiam mandatorum mereamur pervenire ad gloriam, *Fiat voluntas tua, sicut in coelo et in terra.* Quarta, qua petimus, quae nos coadjuvant ad merendam gloriam, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, sive intelligatur de pane sacramentali, sive de pane corporali, per quem intelligitur omnis sufficientia victus et amictus. Quinta, qua petimus removeri a nobis, quod impedit beatitudinem, scilicet peccata commissa, *Dimitte*

nobis debita nostra. Sexta, qua petimus praeservari a peccato futuro, *Et ne nos inducas in tentationem.* Septima, qua petimus liberari a quocumque malo sive praeterito, sive futuro, *Libera nos a malo.*

Articulus V.

De Oratione vocali, ubi de Horis Canonicis.

Suppono 1. Orationem communem, quae scilicet per ministros Ecclesiae in persona totius fidelis populi Deo offertur, debere esse vocalem. Quia oportet quod innotescat toti populo pro quo offertur, quod non posset fieri, nisi esset vocalis.

Oratio vero privata, quae scilicet offertur a singulari persona pro se vel pro aliis, non debet necessario esse vocalis. Adjungitur tamen vox tali orationi triplici ratione. 1. Ad excitandum interiorem devotionem: quia per exteriora signa sive vocum, sive aliorum factorum movetur mens hominis secundum apprehensionem, et per consequens secundum affectum: et ideo in privata oratione hujusmodi vocibus aut signis tantum utendum est, quantum proficit ad excitandam interius mentem: si vero mens per hoc distrahatur, vel qualitercumque impediatur, est a talibus abstinendum. 2. Adjungitur vox orationi, ut homo Deo serviat secundum illud totum, quod ex Deo habet, id est non solum mente, sed etiam corpore. 3. Adjungitur vox orationi ex quadam redundantia ab anima in corpus ex vehementi affectione, juxta illud Psal. *Laetatum est cor meum et exultavit lingua mea.*

Suppono 2. Horas canonicas esse publicas ac statas preces vocales ex sacrosanctorum canonum decreto ab ecclesiasticis personis nomine Ecclesiae persolvendas. Quamvis usus psallendi Deo, et orandi secundum aliquam formam semper viguerit in Ecclesia a temporibus Apostolorum, ut constat ex Apostolo Ephes. 5. ex S. Justino Apolog. 2. ex Tertull. cap. 2. Apolog. et aliis: usus tamen recitandi quotidie horas canonicas non videtur fuisse in praecepto nisi sub finem saeculi quarti, quia ante Concilium 4. Carthag., quod fuit celebratum ann. 398. nullum legimus praeceptum de horis canonicis. Septem sunt horae canonicae juxta praesentem Ecclesiae ritum, scilicet Matutinum cum Laudibus, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperae, et Completorium.

§. I. *Quos afficiat obligatio recitandi Horas canonicas?*

Communis sententia est obligationem recitandi quotidie horas canonicas oriri ex triplici titulo, eoque seorsim sumpto, nempe beneficii, ordinis sacri, et professionis religiosae: ideoque tria genera personarum ea obligatione adstringi, beneficiatos, sacris ordinibus initiatos, et Religiosos professos. Haec ut clarius explicentur, et variae difficultates expediantur, quemlibet titulum seorsim expendemus.

Titulus Beneficii.

Dico. Quilibet beneficiatus, sive in sacris constitutus, sive non, tenetur quotidie sub mortali peccato ad recitandas horas canonicas, tum ex praecepto ecclesiastico, tum ex justitia, ita ut eas culpabiliter omittens, sit in conscientia obnoxius restitutioni ante sententiam judicis. Probatur ex Concilio Lateran. V. sub Leone X. in quo sess. 9. statuitur, *ut quilibet habens beneficium cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento beneficio divinum officium non*

dixerit, legitimo impedimento cessante, beneficiorum suorum fructus suos non faciat, pro rata omissionis recitationis officii, sed eos tamquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi beneficiorum, vel in pauperum eleemosynas erogare teneatur. Si vero ultra dictum tempus in simili negligentia contumaciter permanserit, legitima monitione praecedente, beneficio privetur, cum propter officium detur beneficium. *Intelligatur autem omittere quoad hoc ut beneficio privari possit, qui per quindecim dies illud bis saltem non dixerit: Deo tamen, ultra praemissa, de dicta omissione redditurus rationem.*

Pius V. in Bulla 135. *Ex proximo*, post repetita partim praecedentia verba Concilii Lateran. addit: *Verumtamen multorum animi suspensione tenentur, cujusmodi ratae praedictae ratio sit habenda? Nos huic rei evidentius atque expressius providere volentes, statuimus ut qui horas omnes canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficii vel beneficiorum suorum fructus, qui vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur: qui vero matutinum tantum, dimidiam; qui caeteras omnes horas, alteram dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat; tametsi aliquis choro addictus non recitans, omnibus horis canonicis cum aliis praesens adsit, fructusque et distributiones forte aliter assignatas, sola praesentia juxta statuta, consuetudinem, fundationem vel alias sibi lucrifecisse praetendat, etiam praeter fructuum et distributionum amissionem. Item ille, qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentum ipsum excusaverit, grave peccatum intelligat admisisse. Declarantes praestimonia* (sunt beneficia simplicia, quae residentiam aut servitium non requirunt) *praestimoniales portiones et qualiacumque alia beneficia, etiam nullum omnino servitium habentia obtinentes, cum praedictis pariter conveniri. At quicumque pensionem, fructus, aut alias res ecclesiasticas ut Clericus percipit, cum modo praedicto ad dicendum Officium parvum B. Mariae Virginis decernimus obligatum, et pensionum, fructuum, rerumque ipsarum amissioni obnoxium.*

Consectaria.

Ex his Pontificum decretis, quae supponimus recepta, resolvuntur plures difficultates, de quibus operose disputant Theologi. Et 1. hinc fluit conclusionis nostrae ratio: si enim debetur beneficium sub onere et conditione recitandi quotidie horas canonicas, et ea conditione culpabiliter omissa beneficiatus non faciat fructus suos, ut loquuntur jura; sequitur eum ex pacto, adeoque ex justitia teneri ad recitationem quotidianam horarum, et si eam omittat, licet semel, teneri pariter ex justitia ante sententiam judicis restituere fructus, quos non facit suos. Jure igitur damnata est ab Alexandro VII. haec propositio: *Restitutio imposita a Pio V. beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam judicis eo quod sit poena.* Adverte etiam hanc alteram propositionem, ab eodem Pontifice damnatam. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascumque eleemosynas, quas antea Beneficiatus de fructibus sui beneficii fecerit*

2. Sequitur ex decretis pontificiis non solum eum teneri ad restitutionem, qui horam integram, v. g. Matutinum vel Vesperas, sed etiam qui partem notabilem alicujus horae, puta unum Nocturnum omitteret: quia juxta Bullas laudatas tenetur restituere pro rata omissionis. Est contra quosdam Casuistas.

3. Sequitur beneficium etsi tenue, juxta probabiliorem et tutiorem sententiam, non eximere ab obligatione recitandi officium. 1. Quia Bullae nullam faciunt exceptionem, sed generaliter dicunt: *Quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, et praestimonia, praestimoniales portiones, et qualiacumque alia*

beneficia, etc. Ubi autem lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. 2. Quia obligatio officii non fundatur neque in perceptione, neque in quantitate retributionis, qui enim pinguissimum possidet beneficium, non tenetur pluries orare; nec qui habet duplex, tenetur bis in die officium recitare, ut dicemus infra; sed fundatur maxime in ipso beneficio, seu in hoc quod se mancipaverit huic statui, cui Ecclesia annexuit tale officium: etenim mens Ecclesiae est ut non conferatur beneficium nisi sub onere recitandi officium, sicut mens ejus est quod non conferantur Ordines sacri, nisi sub onere servandi castitatem, aut recitandi officium; sicut ergo in onus servandae castitatis aut officii recitandi consentit, qui sacrum Ordinem suscipit, sic in onus recitandi officii consentit, qui beneficium suscipit, sive pingue, sive tenue.

4. Sequitur beneficiatum, qui voluntarie suscepit aut retinet beneficium, quod nullos fructus reddit aut reddet, adstringi nihilominus horis canonicis; quae enim momenta probant praecedentem resolutionem, hanc utique evincunt. Unde a fortiori rejiciendam putamus sententiam eximentem ab horis beneficiatos, quorum fructus primo vel secundo anno applicantur parentibus praedecessoris defuncti vel fabricae, aut qui casu fortuito, v. g. grandinis, incursionis hostium, sterilitate, etc. nihil recipiunt.

5. Sequitur beneficiarium, qui nondum est in possessione, non teneri ad horas, nisi sit tale beneficium, cujus fructus statim a collatione seu vacantia obveniunt beneficiario, et modo per ipsius negligentiam non stet, quin in possessionem immittatur. Ratio est, quia ex sola collatione, seclusa possessione, beneficiarius non censetur habere perfecte et complete beneficium, cum tunc non possit percipere fructus, nec ullas beneficii functiones exercere, jusque ejus sit adhuc incertum, et possit turbari variis impedimentis, quae plerumque nonnisi cum in possessionem venitur, produntur. Ita Pontas verbo *Office* Cas. 8. post Cajetanum.

6. Eadem ratione videntur non teneri ad horas duo beneficiati in ejusdem beneficii possessionem immissi, sed de eo inter se litigantes, fructibus sequestro datis, si utrimque aequaliter sit incertum quis lite superabit: sed et qui vincet, fructus sequestro datos percipere non poterit, cum beneficium detur propter officium, quod non praestitit. Si vero jus unius sit moraliter certum, videtur teneri, etiamsi fructus pendente lite sint sequestro dati, vel etiamsi in aequali dubio fructus percipiat. Ita Pontas loco citato, Cas. 16.

Petes 1. Utrum rata omissionis eodem modo accipienda sit pro Parocho ac pro Canonico seu beneficiato simplici? Videtur sic; quia leges pontificiae non distinguunt, nec excipiunt, ubi autem lex non distinguit nec excipit; nec nos distinguere nec excipere debemus. Nihilominus R. Negative. Probat. In poenalibus et odiosis benignior interpretatio est adhibenda, et aequitas rigori juris est praeferenda, si lex ex aequo et bono sine violentia et salva ratione recti sermonis istam interpretationem admittere possit: atqui hic versamur in materia poenali et odiosa, et aequitas postulat, ut aequaliter peccantium aequalis sit poena et conditio, quod non fieret in opposita sententia, ut patet: tamdem lex salva ratione recti sermonis, et absque violentia, potest intelligi hoc sensu, scilicet, Quilibet habens beneficium cum cura vel sine cura, si horas non recitaverit, teneatur ad restitutionem; quia tam in Curato, quam in beneficiario simplici recitatio est officium, propter quod datur beneficium, ita tamen ut ad adaequatam restitutionem teneatur ille, cujus recitatio est adaequatum officium; ad inadaequatam vero ille, cujus recitatio est inadaequatum officium: *Non facit fructos suos* nempe respondentes officio quod omittit: *Amittit omnes fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur*, scilicet omnes, ut ante, correspondentes officio quod omittit: ita quod si omnes dividi non possint ratione recitationis horarum, eo quod detur pars fructuum propter alia onera, non debeat omnes omnino restitue-

re, sed tantum omnes, qui respondent recitationi horarum, et juxta illam dividi possunt. Unde ad fundamentum sententiae oppositae, R. nos non facere distinctionem aut exceptionem in lege, sed nos eam legitime interpretari juxta sensum verborum in subjecta materia.

Quomodo ergo taxanda sit rata pro Parocho? R. taxandam esse arbitrio viri prudentis, attentis omnibus oneribus; ita ut si recitatio horarum aestimetur v. g. tertia pars onerum, omittens horas teneatur ad restitutionem tertiae partis fructuum. Porro quod hic resolvimus de Parocho, idem videtur dicendum, proportione servata, de beneficiato simplici, cujus beneficio praeter recitationem horarum annexa sunt alia onera, v. g. celebratio Missarum, etc.

Petes 2. Utrum qui habet duplex beneficium ex dispensatione, teneatur ad duplex officium? R. Negative. Ita expresse S. Th. Quodlibeto 9. a. 13. dicens: *Qui habet plures praebendas, quia laudes Deo debet quasi unus homo, sufficit quod semel officium dicat.* Et cum eo communiter Theologi; atque ita fert consuetudo recepta, videntibus nec improbantibus superioribus, patetque exemplis: sic qui tenetur ad Breviarium titulo Ordinis et Professionis Religiosae, unica recitatione satisfacit: qui tenetur ex voto jejunare feria sexta, et hac die occurrit vigilia, unico jejunio satisfacit.

Titulus Ordinis sacri.

Dico. Omnes Clerici majorum ordinum tenentur ad horas canonicas sub mortali, sive in choro, sive extra chorum. Probat. ex generali Ecclesiae consuetudine vim legis habente: quod patet 1. quia constanter observatur cum non levibus incommodis. 2. Quia pessime habentur apud omnes pios, qui hoc pensum negligunt: his enim duobus indiciis colligunt Doctores consuetudinem aliquam vim legis graviter obligantis habere. Dixi: *Omnes Clerici majorum Ordinum*, etiam degradati, suspensi, excommunicati, damnati ad triremes, incarcerati, saltem prout possunt, matrimonio juncti ex dispensatione Papae, nisi aliam dispensationem quoad horas obtinuerint, quae non est obtentu difficilis propter gravia hujus status onera. Quia in omnibus assignatis remanet fundamentum hujus obligationis, scilicet ordo sacer; nec ex delicto suo debent reportare commodum. Haec obligatio incipit a tempore et hora suscepti sacri ordinis, sicut in Beneficiatis et Religiosis ab hora suscepti beneficii vel emissae professionis; ideoque urget quoad officium respondens illi horae.

Titulus Professionis Religiosae.

Dico. Omnes Religiosi et Moniales professi vel professae ad chorum, tenentur sub mortali ad recitationem saltem privatam horarum. Haec conclusio sicut praecedens solide probari non potest, nisi ex consuetudine, quam communis Theologorum opinio censet habere vim legis graviter obligantis. Dixi 1. in conclusione, *Omnes Religiosi*, etc. scilicet etiam suspensi, excommunicati, damnati ad triremes, incarcerati, ut diximus supra de Clericis, e claustro ejecti, vel extra illud degentes, quia semper remanent professi talis Religionis ad chorum deputatae: licet enim professio religiosa ex se praecise non inducat hanc obligationem, ut diximus, est tamen fundamentum et radix consuetudinis obligantis. Aliud est de dispensatis ad matrimonium, supposito enim id fieri posse, non manerent Religiosi. Dixi 2. *Professi vel Professae*; Quia Novitii non adstringuntur hac obligatione; licet enim Novitii in favorabilibus comprehendantur sub titulo Religiosorum, non tamen in onerosis. Dixi 3. *Professi vel professae ad chorum*, quia Fratres laici et Sorores conversae non tenentur: non enim Religionem pro-

fitentur, ut vacent choro aut recitationi horarum, sed ut labore manuum in sudorem vultus sui vescantur pane suo, aliisque ad chorum deputatis ministrent. Ex illa clausula etiam colligitur Equites, v. g. Melitenses aut Teutonicos, et Clericos Societatis Jesu nondum in sacris constitutos ad horas non teneri; quia non profitentur Religionem ad chorum. Quidam etiam excipiunt quasdam moniales tertiarias, apud quas viget consuetudo.

Utrum autem tam praefati Equites quam Fratres laici et Sorores conversae teneantur ad alias preces in Regula praescriptas? R. non teneri ex praecepto, sicut aliis tenentur ad Officium divinum, sed tantum vi Regulae et Constitutionum, in quantum hae obligant.

[Quamvis quoad Regulares obligatio recitandi in Choro spectet ad totam communitatem, et vi proprii muneris ad Superiores, ita ut graviter peccent, si ex eorum negligentia horae in choro non recitentur, non videtur tamen improbabile, quod etiam particulares religiosi ex vi consuetudinis jam obtinentis teneantur sub mortali choro notabiliter non deesse, nisi justa de causa, aut legitima dispensatione eximantur. Superiores vero in dispensandis suis subditis habeant prae oculis Decr. Clem. VII. die 25. Junii 1599. ab Urbano VIII. confirmatum: *Nullus omnino praetextu cujusvis privilegii, vel Superioratus, vel Generalatus, a servitio chori censeatur immunis, nisi pro tempore, quo quis in proprii officii munere actu fuerit occupatus. Cum Lectoribus autem, et Praedicatoribus superiores iis tantum diebus, quibus eos legere, aut concionari contigerit, dispensare possint. Id quoque praestare valet cum aegrotis, et studiorum causa legitime impeditis. In eos vero, qui negligentes fuerint, salutari poenitentia Superiores animadvertant ad praescriptum Regulae, et constitutionum, alimenti etiam, si opus fuerit, subtractione.* Jubente autem Pontifice ut negligentes puniantur *ad praescriptum regulae, et constitutionum*, sequitur rite obtinere posse omnes dispensationes, quae a cujuscumque Ordinis Regulis, et constitutionibus conceduntur. Ut autem praeceptum recitandi horas canonicas in Choro impleatur, quatuor saltem psallentes adstantes esse debent, ita tenet communior, et probabilior sententia].

§. II. *De Canonicorum obligatione ad Chorum.*

Dico 1. Canonici (idem dic de aliis beneficiatis ad chorum deputatis) tenentur adesse Officio divino in choro, sic ut absentes priventur ipso facto distributionibus quotidianis, quas nullatenus recipere possunt, etiamsi ab aliis praesentibus remittantur. Qui vero ultra trimestre, quod eis a jure permittitur, absunt culpabiliter, praeter privationem distributionum, incurrunt reatum peccati mortalis vel venialis pro quantitate absentiae aut officii detrimento; et privandi sunt primo anno media parte fructuum; secundo, omnibus fructibus illius anni. Dico *privandi*, non ipso facto privati. Canonicos teneri ad chorum nullus dubitat, id enim jura clamant, et ipsa natura beneficii, quod est institutum, datum, et acceptatum propter officium necdum privatum, sed etiam solemne et publicum; unde sequitur, ut dictum est, eos, qui culpabiliter absunt, peccare plus vel minus pro quantitate absentiae vel detrimento officii; sic juxta quosdam Auctores peccant mortaliter, qui quatuor vel quinque diebus continuis absunt sine legitima causa.

Probantur aliae partes conclusionis ex dispositione Juris cap. *Consuetudinem*, tit. *de Clericis non residentib.* in 6. Bonifacius VIII. sic loquitur: *Statuimus ut distributiones ipsae quotidianae in quibuscumque rebus consistant, Canonicis ac aliis beneficiatis et Clericis Ecclesiarum ipsarum, qui eisdem Officiis in ipsis Ecclesiis adfuerint, tribuantur juxta Ecclesiae cujuslibet ordinationem rationa-*

bilem jam factam seu etiam faciendam. Qui vero aliter de distributionibus quidquam acceperit (exceptis illis, quos infirmitas seu justa et rationabilis corporalis necessitas aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret) rerum sic perceptarum dominium non acquirat, nec faciat eas suas, imo ad omnium restitutionem, quae contra hujusmodi nostram constitutionem receperit, teneatur. De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis, idem decernimus observandum.

Concilium Trid; ses. 24. cap. 12. *de reform.* praecedentem propositionem confirmans, sic habet: *Distributiones vero qui statis Horis interfuerunt, recipiant: reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant juxta Bonifacii VIII. Decretum, quod incipit Consuetudinem, quod sancta Synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus.* Idem ibidem immediate ante laudata verba sic iterum disponit: *Obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis, dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones, non licere vigore cujuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eisdem Ecclesiis quolibet anno abesse, salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt: alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos: quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia contra eos juxta sacrorum Canonum constitutiones procedatur.*

Dico 2. Canonici et alii beneficiati tenentur esse praesentes officio, non mere materialiter ut dormientes, neque tantum moraliter ut in coetu civili, sed religiose per modum orantium et colentium Deum. Talem enim praesentiam tum ab Ecclesia, tum a fundatoribus requiri indubitatum est; et ita statuit Clemens V. in Concilio Vienn. Refertur in Clementinis cap. *Gravi*, tit. *de Celebr. Miss.* magisque patebit ex sequenti conclusione.

Dico 3. Canonici et alii beneficiati tenentur in choro ad cantum communem, cessante legitimo impedimento. Prob. ex Concilio Trident. sess. 24 cap. 12. *de Reformat.* ubi de Clericis beneficiatis sic decernitur: *Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia .... atque in choro ad psallendum instituto, hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Porro si ad id non tenerentur, non juberet eos per superiores compelli Concilium. Suffragantur varia alia Concilia, Basileense anno 1431. Coloniense 1536. Cameracense 1565. et alia. Et sane quis credat Ecclesiam et beneficiorum fundatores tantum exegisse a beneficiatis, ut forent spectatores otiosi divinorum officiorum? Cum ergo constet beneficium dari propter officium nedum privatum, sed etiam publicum et solemne, nec possit fieri officium solemne et publicum absque cantu, sequitur ad eum teneri beneficiatos. Scio huic conclusioni opponi consuetudinem contrariam et a pluribus Auctoribus excusari eos saltem, qui ex fructibus beneficii conducunt cantores seu vicarios. Hanc sane consuetudinem, si Ecclesia probat, non ego improbabo. Viderint quorum interest, maxime Praelati, quibus a Concilio praeceptum est compellere beneficiatos, ut per se et non per substitutos divina officia peragant: mihi autem satis est dixisse quid beneficiatis incumbat ex Canonibus et ex natura sui beneficii.

[Ex Constit. Bened. XIV. 19. Aug. 1744. *Cum semper* ad universos Italiae Ordinarios § 24. choro addicti, licet praesentes sint non tamen una cum aliis alta voce psallentes, praebendarum, ac distributionum fructus suos minime faciunt, et ad eorum restitutionem tenentur, quavis consuetudine in contrarium non obstante; nisi forte praesto illi sit legitimum, ac vigens Apostolicum privilegium. Quam Constitutionem confirmavit altera anni 1648. directa Patriarchae Aquileiensi *Praeclara decora* ibi: *Itaque a te poscimus, et flagitamus, ut non solum hujusmodi abusum, et corruptelam .... eradicare adnitaris; verum etiam*

eisdem (Canonicis) *edicas, et notum facias, Nos, quemadmodum per hasce nostras in forma Brevis litteras tibi declaramus, et injungimus, decernere, et statuere, sicut in eadem constitutione nostra innuimus, ipsos, suosque Successores Canonicos, choro quidem interessentes, assistentesque, minime vero canentes psallentesque, nullo pacto ex praebendis, et distributionibus facere fructus suos, atque adeo restitutioni obnoxios esse, ac fore.*

Praeterea ex Decretis Congr. Concilii, per extensum relatis ab eodem Bened. XIV. Instit. Eccles. 107. § 3., notandum, quod ex Tridentino citato non est Clericis beneficiatis sublata facultas, sese invicem substituendi, statutis tamen quibusdam regulis. 1. dummodo eodem tempore substituens, et substitutus eidem servitio adstricti non sint. 2. ne nimium frequentes sint hujusmodi substitutiones 3. quod substituentes non sint absentes a Civitate, ejusque suburbiis. 4. facultate substituendi uti nequeunt Coadjutores.

§. III. *De forma recitandi Officium.*

Dico 1. Omnes Officio divino adstricti tenentur illud recitare juxta formam et ritum generalem Breviarii Romani, jussu S. Pii V. editi 1368. ita ut nemo nisi hac sola formula satisfacere possit, exceptis iis Ecclesiis vel Religionibus, quae ante ducentos annos alio ab Ecclesia approbato utebantur, quibus tamen conceditur, ut de consensu Episcopi et universi Capituli, sive Praelati et Communitatis, Romano uti possint in choro. Ita laudatus Pontifex in Bulla *Quod a Nobis* praefixa dicto Breviario.

Petes 1. Utrum adstrictus Breviario Rom. si illo careat, et si aliud habeat, teneatur recitare Officium ex illo alio Breviario? R. probabilius et tutius affirmative contra non paucos. Ratio est 1. quia praeceptum recitandi horas simpliciter potius et strictius est quam praeceptum hoc vel illo modo recitandi. 2. Non potest fundate praesumi mentem summi Pontificis fuisse per hanc clausulam eximere in casu posito ab obligatione Officii, sed voluisse dumtaxat adstringere omnes ad Breviarium Romanum; ita ut per aliud non satisfiat, si tamen Romanum haberi possit. Insuper nullus est, qui in alio Breviario non possit multa legere conformiter ad Breviarium Romanum, qui autem non potest totum debitum solvere, saltem ad partem, quam potest, tenetur.

Petes 2. Utrum illi, quorum Ecclesia vel Religio non acceptavit ad chorum Breviarium Romanum, possint privatim illo uti? Id probabile reputat Lessius, certo affirmat Henno cum quibusdam aliis. Quia, inquiunt, non est ratio, cur in privato Officio potius se debeant conformare Ecclesiae particulari quam universali, quandoquidem consensus Capituli et Praelati a Pontifice requisitus pro Officio Romano respiciat chorum dumtaxat, non particulares. Alii negant ex declaratione contraria Sacrae Congregationis apud Garciam: qua declaratione, si vera sit et authentica, (quod me latet) videtur dirempta controversia. Caeterum si sit consuetudo communiter recepta, videntibus et non contradicentibus superioribus in aliquibus dioecesibus, qualis videtur esse in hac dieocesi Leodiensi, ut particulares utantur privatim Breviario Romano, licet chorus utatur proprio, non puto esse damnandum, cum tunc adsit consensus saltem tacitus Episcopi et Capituli; aliunde consuetudo potest derogare legi. Caeterum nihil tale in meo Praedicatorum Ordine, in quo a supremo ejus capite praeceptum est formale, non utendi alio Breviario, quam Breviario Ordinis.

Dico 2. Unusquisque tenetur recitare Officium secundum formam specialem, hoc est secundum distributionem in dies et tempora Breviarii cui adstringitur, dicendo v. g. de Sanctis, de Dominica, de feria etc. quando sic praescribitur, ita ut peccati lethalis reus foret qui passim pro libitu ab hac forma recederet; imo

etiamsi semel quando mutatio foret multum deformis, ut si Dominica Palmarum recitaret Officium Paschale, aut die Natalis Domini recitaret Officium Feriae. Quia in utroque casu graviter recederet ab ordinatione et mente Ecclesiae. Ita communiter Casuistae. Unde jure damnata est ab Alex. VIII. haec propositio: *In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit praecepto.*

Si vero mutatio sit levis, etsi fiat sine causa, non excedit culpam venialem secundum Cajet. Navarr., et communiter. Quia non est notabiliter recedere ab ordinatione et mente Ecclesiae. Subsistente autem causa aliqua honesta, et rationabili, omni culpa vacabit. Causae rationabiles sunt, non solum impotentia, vel notabilis difficultas, sed insuper primo *inculpabilis error*, ut si inadvertenter hodie dixeris unum Matutinum pro alio, deprehenso errore, non teneris repetere, sed potes citra culpam prosequi idem Officium, nisi sit omnino enormis difformitas. Secundo *conformitas*, ut si itinerando v. g. aliquam moram trahas in dioecesi vel oppido, ubi celebratur solemniter a populo vel Clero aliquod festum, potes te illi conformare. Tertio *Societas*, ut si debeas recitare cum aliquo viro gravi, v. g. Episcopo, et aliae similes causae honestae. Ratio est, quia juxta regulam, quam tradunt plures Auctores, quando Ecclesia aliquid praecipit aut prohibet sub levi culpa, levis causa sufficit, ut abstergatur culpa.

§. IV. *De tempore et ordine recitandi Horas Canonicas.*

Dico. 1. Quidquid sit de tempore recitandi Horas juxta primaevam earum institutionem, nunc secundum hodiernam Ecclesiae praxim quantum ad recitationem publicam, Matutinum cum Laudibus recitatur vel media nocte ut in Monasteriis, vel summo mane ut in aliis Ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegiatis: Prima orto sole: Tertia et Sexta circa nonam: Nona circa meridiem: Vesperae secunda vel tertia post meridiem: Completorium post occasum solis. Quod tempus juxta cujusque Ecclesiae morem sic in Choro servandum est, ut possit esse grave peccatum, si sine causa notabiliter anticiparetur aut differretur, quia inde facile oriretur scandalum, et populi devotio impediretur.

Circa vero recitationem privatam consultum est se conformare Choro: sed censent communiter Doctores non excedere culpam venialem, si totum officium incipiendo a Matutinis intra viginti quatuor horas a media nocte ad mediam noctem integre persolvatur, quia salvatur substantia praecepti. Erit tamen peccatum veniale differre sine causa Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam post meridiem, aut anticipare Vesperas et Completorium ante meridiem, et eo gravius, quo major erit anticipatio vel dilatio, maxime si totum Officium differatur in seram noctem: nullum tamdem erit peccatum, si in his justa causa subsit. Dixi *incipiendo a Matutinis*: quia primae Vesperae cum Completorio sub mortali recitandae sunt pridie.

Petes, quid censendum de recitatione Matutini pridie? R. Quod cum dies Officii Ecclesiastici et solemnitatis incipiat a primis Vesperis, si aliquis post dictas Vesperas et Completorium dicat Matutinum, jam hoc pertinet ad diem sequentem et satisfacit. Si tamen hoc faciat propter lasciviam, ut scilicet quietius somnolentiae et voluptati vacet, non est absque peccato. Si vero hoc faciat propter necessitatem licitarum et honestarum occupationum, non est peccatum. Haec S. Doctor.

Verum ab ejus temporibus videtur usus invaluisse etiam apud timoratos, ut nulla subsistente necessitate Matutinum cum Laudibus aut sine Laudibus pridie absque scrupulo peccati possit recitari. Imo circumfertur Decretum Romanum determinans tempus, quo possit recitari Matutinum cum Laudibus pro die sequenti, scilicet statim atque effluxerit tertius quadrans diei artificialis, seu sta-

tim atque sol medietatem sui cursus confecerit, a suo respective meridiano usque ad occasum suum, ita ut si sol oriatur et occidat hora sexta, liceat recitare Matutinum cum Laudibus pro die sequenti hora tertia pomeridiana; si oriatur hora octava et occidat hora quarta, licebit recitare hora secunda pomeridiana; et sic de caeteris pro diversitate ortus et occasus solis respective ad diversas regiones. Quapropter Decretum, quod in priori nostro Opere retulimus, non valet pro omni regione, sed intelligendum est ad sensum praesentis Decreti.

Dico 2. Ordinem Horarum invertere sine causa, culpa est, at juxta communem Doctorum sensum non nisi venialis, quia haec inordinatio non videtur gravis: subsistente vero aliqua rationabili causa nulla erit culpa, v. gr. si carens Breviario habeas Diurnale, potes parvas Horas recitare ante Matutinum; si inviteris ab infirmo vel viro gravi, ut cum ipso legas Matutinum diei sequentis, nondum lectis Vesperis aut Completorio: si cum tarde accedis ad Chorum, prior Hora jam sit finita aut inchoata, laudabilius pergis cum Choro, postea Horam vel partem Horae omissam lecturus, quam si omissa volens repetere, Chorum tuae vocis obsequio defraudes. Ita communiter Auctores. Id ultimum advertant scrupulosi.

Dico 3. Missam celebrare ante persolutum Matutinum cum Laudibus, nulla exigente causa non licet secundum Rubricas Missalis Romani, et Ecclesiae consuetudinem vim legis habentem. Quanta autem sit culpa? Antiquiores Casuistae, S. Antoninus, Durandus, Gabriel, etc. opinati sunt esse mortalem. Recentiores vero, scilicet Soto, Toletus, Bellarminus, Aragon, et alii communius tenent esse tantum venialem, quibus subscribimus; quia haec ordinis inversio respectu Matutini et Missae non videtur gravior quam respectu Horarum inter se, quam tamen communi Doctorum judicio diximus esse tantum venialem: omni vero culpa vacabit, si sic exigat aliqua honesta causa.

§. V. *De integritate et interruptione Horarum.*

Dico 1. Eadem lege praecipitur Horarum integritas, qua et ipsae Horae. Ecclesia enim non praecipit Officium mutilum sed integrum: unde lethalis peccati reus est, qui illarum partem notabilem culpabiliter omittit, sive in eadem hora, sive in diversis Horis ejusdem diei. Pars notabilis inter varias Doctorum opiniones, probabilius et communius censetur una parva Hora, vel pars illi aequivalens: quia licet non sit quid notabile respectu totius Officii, est tamen quid notabile in se spectato et attento fine Ecclesiae. Excipiunt communiter Auctores eos, qui ministerio aliquo ad Chorum spectante occupati, puta deferendo libros aut luminaria, thus adolendo aut parando, pulsando campanas, Officium volvendo aut praeparando, etc. plura levia hinc et inde omittunt: quia Chorus, cujus sunt membra, et quocum unum corpus mysticum efficiunt, supplet pro ipsis. Id equidem verum puto, si commode haec ante Officium facere seu disponere non potuerint, et modo aliis recitantibus in quantum possunt, attendant. Si tamen longior aut frequentior foret occupatio, ita ut quid notabile in eadem Hora omitterent, existimo esse postea supplendum, et idem censeo de Organista et de ejus adjutore.

Petes 1. Utrum sufficiat mente legere Officium? R. negative; quia est oratio vocalis. Sic ergo vox formari debet, ut recitans seipsum audire possit, nisi obstet vel surditas, vel sonus campanarum, vel aliarum rerum strepitus, aut aliud simile impedimentum.

Petes 2. An qui non potest totum Officium recitare, vel quia caret Breviario, aut est aliis officiis necessariis occupatus, potest autem partem, teneatur ad illam? R. 1. Qui potest unam integram Horam recitare, sive parvam, sive ma-

gnam, certum est ad illam teneri; quia quaelibet Hora subjacet praecepto: unde damnata est haec propositio ab Innocentio XI. *Qui non potest recitare Matutinum et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.*

R. 2. Qui potest recitare partem notabilem alicujus Horae, sive major sit sive minor, probabilius est ad eam teneri: quia praeceptum, quod non potest integre adimpleri, debet saltem adimpleri pro parte possibili, quando obligatio est divisibilis: sicut qui non potest jejunare integre, debet abstinere a carnibus, si possit; qui non potest jejunare tota Quadragesima, debet jejunare certis diebus, quando potest: qui debet centum, quae solvere non potest, tenetur solvere decem, si possit; quia ratio excusans a toto non currit pro parte possibili. Igitur infirmus, aut carens Breviario, qui posset cum Diurno aut memoriter recitare v. g. Psalmos Matutini, ad id teneri censemus. Si tamen posset tantum levem aliquem partem recitare, puta Hymnum, unum vel alterum Psalmum, ad id non videtur adstrictus, quia nimia foret perplexitas, cum nullus sit, etiam infirmus, qui non possit aliquid leve recitare, et infirmo difficile sit resolvere quantum possit. De infirmitate rursus, dum de causis excusantibus a Breviario.

Petes 3. Utrum qui non potest solus recitare totum Officium, teneatur assumere socium? Suppono ante responsionem, licere assumere socium, sive iste sit Clericus sive non, quocum alternis versibus Officium persolvat, modo pars ab uno recitata ab alio audiatur. Id patet ex usu Ecclesiae. In tali casu auditus pro voce substituitur, et oratio vocalis unius fit propria alterius audientis. Idem dic de aliis orationibus, quas ex voto, vel ex injuncta poenitentia recitare tenemur. *Dixi: Quocum alternis versibus Officium persolvat*; quia non secus ac in Choro sufficit, si unus omnes Lectiones, omnes Antiphonas, et omnia Responsoria recitet altero audiente, modo Psalmos et Hymnos versibus, aut strophis alternis, quasi duplici Choro recitent. Dixi etiam: *Modo pars ab uno recitata ab alio audiatur*: quia cum quilibet vi praecepti teneatur ad totum Officium, si partem suam non faciat recitando, debet facere suam audiendo. Et ideo non crederem surdum recitantem cum socio, cum possit solus, satisfacere praecepto: secus tamen si recitaret in Choro. Ratio disparitatis est, 1. quia cum ut suppono, teneatur adesse Choro; non censetur Ecclesia voluisse talem adstringere ad recitandum bis Officium. 2. Quia cum sit pars corporis mystici, oratio Chori censetur propria cuilibet ejus membro obicem voluntarium non ponenti: quae duae rationes non currunt pro recitatione libera cum socio. Iisdem etiam rationibus censent communiter Auctores eos in Choro satisfacere, qui attendentes ut possunt, quaedam ab aliis recitata non percipiunt, sive ob strepitum, sive ob exilitatem vel raucedinem vocis recitantis. His suppositis

R. ad quaestionem, eum qui non potest solus recitare Officium, teneri assumere socium, si commode haberi possit. Quia lex obligat ubi commode servari potest, tenemurque humanam diligentiam ejus observationi adhibere. Dixi tamen: *Si commode haberi possit*: v. g. si socius se sponte offerat, vel leviter rogatus annuat: qui autem non nisi admodum aegre habere posset socium, aut illum mercede conducere deberet, non videtur in rigore obligatus, nisi esset pinguis Beneficiatus.

Dico 2. Horam inceptam absque causa notabiliter interrumpere, excepto Matutino respectu Laudum, culpa est, sed juxta plures, nonnisi venialis. Ratio primae partis est, quia est infractio ordinis ab Ecclesia instituti. Ratio secundae partis. Nulla apparet lex naturalis aut positiva, quae hanc interruptionem tam severe prohibeat: eo maxime quod quilibet Psalmus, quilibet Hymnus, quaelibet Oratio, imo quilibet ferme versiculus habeat sensum completum independenter ab aliis, et sit per se quaedam aut oratio, aut laus, aut sententia, aut in-

structio. Citatur a quibusdam in oppositum Canon *Nullus De consecrat.* Dist. 1. Sed ibi agitur de interruptione Missae, non Breviarii. Et ideo quantacumque sit interruptio, modo tamen Officium intra viginti quatuor horas compleatur, lethalis peccati arguere non auderem; tutius tamen cum Navarro et aliis repetitionem ex integro consulerem, ubi valde notabilis foret interruptio sine causa. Dixi 1. *Excepto Matutino respectu Laudum*: quia licet censeatur una tantum Hora, obtinuit tamen praxis etiam apud timoratos, ut etiam sine causa separentur. Dixi 2. *Notabiliter*: quia levis interruptio pro nulla reputatur. Dixi 3. *Absque causa*; quia subsistente aliqua rationabili et honesta causa, nulla erit culpa, ut si voceris a Superiore, si aliquid occurrat ex officio aut ex charitate, puta Confessio audienda, aeger sublevandus, etc.

§. IV. *De intentione et attentione requisitis ad Horas Canonicas.*

Intentio.

Nota. Licet intentio et attentio quandoque confundantur, differunt tamen. Intentio est actus voluntatis, nempe volitio aliquid faciendi. Attentio actus intellectus, nempe consideratio seu advertentia mentis ad aliquid.

Intentio est triplex, actualis, virtualis, et habitualis. Actualis est, cum quis actu et de facto aliquid vult facere, et hoc sive explicite, et in actu signato, dicendo, v. g. hoc intendo, hoc volo; sive implicite et in actu exercito, ut cum advertens quid agat, volens illud agit: v. g. in proposita materia, cum quis advertens ad tempus et obligationem Horarum, Breviarium aperit, legenda quaerit, recitat, etc. licet formaliter non dicat intendo, aut super intentionem explicite non reflectat. Virtualis est virtus ab actu praecedente relicta, seu motio quaedam vi primae intentionis actualis impressa potentiis externis, qua opus incoeptum, v. g. recitatio Breviarii continuatur. Et haec durat quamdiu opus incoeptum continuatur, quamtumvis ex innata fragilitate involuntarie ad alia distrahatur, modo non revocetur, vel directe per contrariam intentionem, vel indirecte per opus incompossibile. Habitualis est quaedam propensio ad aliquid faciendum ex actibus frequentatis relicta, qualis esse potest in dormientibus, ebriis, amentibus, qui ex assuetudine ad certas actiones, quandoque v. g. loquuntur, disputant, orant etc.

Dico 1. Divino Officio adstricti, tenentur illud persolvere cum aliqua intentione orandi et colendi Deum. Prob. Recitatio Horarum, ut ab Ecclesia praecipitur, est actus Religionis, nempe oratio et cultus Dei, sic enim ferunt omnes Canones, et est sensus omnium: atqui secundum se recitatio Horarum est indifferens vel ad cultum Dei, vel ad studium, vel ad curiositatem, etc. Ergo determinari debet ad actum Religionis per aliquid, quod non potest esse aliud quam intentio recitantis. Habitualis non sufficit, quia non facit actum humanum: Virtualis sufficit in decursu recitationis, quia actualis per totum Officium non est homini possibilis, cum enim homo vult multum intendere, praeter intentionem incipit alia cogitare; virtualis autem supponit actualem. Requiritur ergo quod aliquando praecesserit actualis saltem implicita orandi et colendi Deum, ut dictum est. Non enim est necesse quod recitans actu formali et explicito dicat *Intendo orare Deum*, *intendo colere Deum*; sed sufficit quod obligationi suae satisfacturus, aut illius memor, accedat deliberate ad chorum, Breviarium assumat, legat, recitet, per modum orantis et colentis Deum; in his enim actionibus includitur intentio orandi et colendi Deum.

Attentio.

Nota. Attentio, quae orationi vocali adhiberi potest, est triplex. Una, qua attenditur ad verba, ne aliquis in eis erret, et dicitur superficialis: secunda, qua attenditur ad sensum verborum, et dicitur litteralis: tertia, qua attenditur ad finem orationis, scilicet ad Deum et rem petitam, aliave illuc pertinentia, ut sunt mysteria, dona, virtutes, coelestis patria, etc. et dicitur spiritualis. Quaelibet ex his attentionibus potest esse actualis, vel virtualis, vel habitualis. Habitualis est propensio ad attendendum, qualis potest esse in dormientibus. Actualis est, qua quis actu de facto attendit, vel ad verba, vel ad sensum, etc. Virtualis, quae vi intentionis attendendi praehabitae censetur remanere, ut dictum est de intentione. Ex dictis superiori conclusione constat ad horas non sufficere attentionem habitualem, actualem non requiri, nisi ad spiritualem mentis refectionem et consolationem, virtualem autem requiri et sufficere: eaedem enim rationes militant pro intentione et attentione. His positis ut certis

Dico 1. Ut satisfiat praecepto horarum, optima est attentio litteralis aut spiritualis, et ad eam omnes conari convenit. Attamen supposito animo, seu intentione orandi et colendi Deum virtualiter saltem perseverante, de qua conclusione praecedenti, sufficit superficialis, seu quoad verba. Dixi: *Supposito animo orandi, et colendi Deum*, quia, si absit, quantavis ponatur attentio nedum ad verba, sed etiam ad sensum verborum, recitatio horarum, quae est ex se indifferens, ut dictum est, non deminaretur ad esse Religionis, nec foret oratio aut cultus Dei, magis quam si quis recitaret animo studendi aut tempus fallendi. Eo vero animo posito cum attentione ad verba, habetur exinde quaedam attentio saltem implicita ad Deum, et per consequens actus Religionis et oratio quoad substantiam. Conclusionem sic explicatam non putem a quoquam negari: neque quid amplius erui posse videtur ex ordinationibus Ecclesiae, nec aliter plerumque legunt Moniales.

Sed difficultas est inter Auctores de attentione interna: distinguunt enim inter attentionem internam et externam: internam, quae est ipsius mentis; externam, quae nihil est aliud quam modesta compositio exterior recitantis exacte verba, cum exclusione operum exteriorum, attentionem internam impedientium, quantumvis aliunde mens voluntarie distrahatur. Hanc attentionem externam necessario requiri ad horas, ut praecepto satisfiat, omnes conveniunt, et id ad minus probant momenta, quae modo referemus pro conclusione seq. Restat ergo difficultas de ipsa attentione interna, non quidem utrum peccet ille, qui sine ea voluntarie distractus horas recitat, conveniunt enim omnes eum peccare peccato irreverentiae, sive in oratione libera sive in praecepta: sed utrum satisfaciat praecepto de horis canonicis, ita ut non teneatur repetere. Quidam affirmant, alii negant, cum quibus

Dico 2. Longe probabilius nobis videtur non sufficere attentionem externam, sed requiri internam, ut quis satisfaciat praecepto de horis canonicis. Prob. 1. ex Conciliis. Concil. Lateran. sub Innoc. III. de Clericis dicit: *Districte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum Officium Nocturnum pariter et Diurnum, quantum eis dederit Deus, studiose celebrent pariter et devote.* Refertur in jure cap. *Dolentes* Lib. 3. Decretal. titul 41. *De Celebr. Miss.* ubi Glossa sic ait: *Studiose quoad officium oris, devote quoad officium cordis.* Similiter intelligunt *to Devote* Concil. Trevir. 2. Can. 6. Mediolan. 4. p. 3. c. 7. et alia plura apud Nat. Alexand. sicque debere intelligi.

Prob. Oratio vocalis non potest dici nec esse devota sine attentione interna: ergo. Prob. ant. Devotio externa non est devotio, sed devotionis simulacrum:

ergo. Prob. ant. 1. Secundum D. Th. devotio non praedicatur de interna et externa, sicut genus de speciebus, sed devotio interna se habet ad externam sicut motio moventis ad mobile; ergo sicut mobile manet immotum sine motione moventis, sic devotio externa nulla est absque interna. 2. Secundum eumdem S. Doctorem devotio est voluntas quaedam, scilicet prompte tradendi se ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum, et secundum Scotum quodlib. 2. est pius motus orantis in Deum: ergo nulla est vera devotio absque actu interiori. Neque dicas actum istum interiorem esse ipsam primam intentionem laudandi vel orandi Deum per verba recitanda; impossibile est enim hanc intentionem stare in eo, qui nec vult de Deo cogitare, ut fusius dicam modo.

Respondent quidam ex adversariis, verba Concilii non importare praeceptum sed consilium dumtaxat; quia dicit: *In quantum Deus eis dederit*, quod significat omnem devotionem aut attentionem possibilem, nemo autem dixerit omnem attentionem et devotionem possibilem esse in praecepto. Sed contra. Verba Concilii clarissime important praeceptum: *Districte* inquit, *praecipientes in virtute obedientiae.* Quos alios terminos adhibere potuisset ad praeceptum? Dicendum ergo illa verba, *Quantum eis dederit Deus*, non significare omnem omnino possibilem attentionem, sed attentionem conformiter gratiae, quam Deus dederit, et hoc additum est propter evagationem naturalem mentis; talem autem attentionem esse in praecepto nullum est inconveniens. Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. Cap. 12. sub finem mandat, ut Clerici compellantur ad obeunda divina officia, *Atque in choro ad psallendum instituto Hymnis et Canticis Dei nomen reverenter, distincte, devoteque laudare.* Per το *Reverenter*, praecipitur modesta corporis compositio; per το *Distincte*, praecipitur recta verborum pronuntiatio; et en tota, quam dicunt, devotio externa: ergo per τὸ *Devote*, praecipitur interna: alias hanc particulam frustra addidisset Concilium.

Prob. 2. ratione. Ut quis satisfaciat praecepto de horis canonicis, debet habere animum, seu intentionem saltem virtualiter perseverantem orandi et colendi Deum; Ecclesia enim praecipit recitationem horarum sub ratione orationis et cultus Dei, atque ut actum Religionis, neque id negant adversarii: atqui stare non potest intentio orandi et colendi Deum cum voluntariis distractionibus; ergo. Probat. min. Implicat aliquem velle habere mentem ad Deum elevatam et ipsi conjunctam (hoc enim importat oratio, quae est ascensio mentis ad Deum) et ab illo abstractam: item implicat illum velle colere Deum, de quo cogitare non vult, imo quem vult offendere, et ipso actu offendit; fatentur enim adversarii talem saltem venialiter peccare peccato irreverentiae; ergo etc.

Ex his inferes eum non satisfacere praecepto, qui inter recitandum exercet actiones incompatibiles cum attentione interna, ut legere, pingere, scribere, confabulari in choro altera parte recitante, et similia; e contra satisfacere, nec peccare saltem graviter, qui exercent actiones nihil, vel leviter attentionem internam distrahentes, ut modeste vel ambulare, vel equitare, colligere hanc, aut illam herbam, prospicere prata etc., modeste, et absque festinatione se induere, caput plectere, manus, faciem lavare, et similia. Proferturque a quibusdam nec male haec regula. *Quas actiones exerceo licite, dum recito preces non debitas, easdem licite exerceo recitando debitas*, quia utrobique requiritur attentio, et reverentia ne peccetur. Inferes 2. Beneficiatum, qui ratione voluntariae distractionis non satisfacit, teneri ad restitutionem pro rata distractionis non secus, ac si non recitasset.

§. VII. *De Causis excusantibus a recitatione Horarum.*

Dico. Causae excusantes a recitatione horarum, sicut ab aliis Ecclesiae praeceptis, generaliter loquendo tres assignari possunt: nempe impotentia physica,

impotentia moralis, et legitima dispensatio. *Impotentia physica*, ut oblivio naturalis, caecitas, carentia Breviarii, si tamen partem notabilem memoriter recitare non possit, ut supra dixi de integritate horarum.

Impotentia moralis, quando non potest recitari officium absque gravi damno proprio vel alieno, scandalo aut gravi periculo; licet enim damnum non sit certo futurum, si tamen sit periculum, puta si infirmus non sit certus, quod recitatio Breviarii ei graviter nocebit, merito tamen timeat, videtur liber a recitatione; quia Ecclesia non censetur velle obligare nedum cum gravi damno, sed nec cum periculo gravis damni. Tutius tamen esset petere in hoc casu dispensationem a Praelato: tutum etiam stare judicio Medici aut viri prudentis et experti: et nota quod quae sanis forent levia mala, ut capitis gravedo, virium lassitudo, et similia, sint gravia respectu aegroti.

Dispensatio legitima. Summus Pontifex ut auctor legis potest etiam sine causa valide, sed illicite dispensare. Episcopus non jure ordinario, sed auctoritate praesumptive delegata in frequentibus casibus: et Praelati Regulares, qui habent jurisdictionem quasi episcopalem in suos subditos: supposita tamen pro iis et pro Episcopis justa causa, alioquin invalida foret dispensatio. Porro omne impedimentum dubium potest dici justa causa dispensandi, ut si sit dubium, an infirmus possit recitare vel totum, vel partem, liberum se putet a toto, vel a parte; quia tunc est periculum, et alias foret continua perplexitas. Etiam graves scrupuli sunt causa sufficiens.

Petes 1. utrum qui non potest recitare horas, teneatur aliquid aliud orare, vel alium recitantem audire, vel alium substituere? R. negative ad omnes quaestiones. Ratio primae: quia praeceptum est de tali officio ab Ecclesia ordinato, et non de alio aliisve precibus. Ratio secundae: quia praeceptum est de recitando, et non de audiendo officio. Ratio tertiae, quia praeceptum est personale. Ita cum pluribus aliis Navar. in man. c. 26. n. 100.

Petes 2. Utrum impeditus recitare Officium statis horis, teneatur anticipare intra eamdem diem? R. Affirmative, quia obligatio urget tota die, nec horae statuuntur ad finiendam, sed ad urgendam obligationem. Dixi *intra eamdem diem*, quia dubium est, utrum praevidens se non posse cras dicere matutinum, teneatur recitare hodie vesperi. Plures respondent non teneri quia nullo modo urget praeceptum de crastino, et est mere privilegium, quod possit recitari, quo nemo uti tenetur. Haec sententia est probabilis, tutiorem tamen oppositam consulo.

DISSERTATIO II.

De actibus exterioribus Religionis

S. Th. QQ. 84. 85. 86. 87.

Praemittendum est contra Sectarios Religionem praeter actus interiores, ut primarios, habere etiam exteriores ut secundarios, et ad interiores ordinatos. Mens enim humana indiget in hac vita, ut conjungatur Deo, sensibilium manuductione, quia *invisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Ergo etiam in divino cultu necesse est aliquibus corporalibus uti, quasi signis ad excitandam mentem hominis ad actus spirituales, quibus Deo conjungitur. Conf. Homo constat Anima, et corpore; Ergo necesse est, ut utraque parte Deo serviat, sicque canere cum Propheta *Cor meum, et caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Prob. 2. ex praxi omnium Saeculorum fundata in scripturis 1. Ex tot caeremoniis legalibus in veteri testamento praeceptis. 2. Ex va-

riis locis novi Testamenti. Act. 2. Paulus *positis genibus suis* orabat. Similiter Stephanus Act. 7., et Petrus Act. 9. Ipse Christus Luc. 22. *positis genibus orabat*, et Matt. 26. liquet ipsum adhibuisse orationem vocalem dum dicitur. *Hymno dicto exierunt in montem*; et alibi.

Quamvis autem Sectarii non sine aliquo ritu exteriori suam Religionem exerceant, nostrum tamen cultum videntur abominari. Verum dicant, quo fundamento eorum cultus sit admittendus, et noster rejiciendus, si aliquis cur non omnis? Opponunt quaedam Scripturae testimonia. Joan. 4. *Deus Spiritus est, et eos, qui adorant Eum in Spiritu, et veritate adorare oportet.* Act. 17. *Deus non in manufactis templis habitat, aut manibus humanis colitur.* Sed praeter quam quod haec militant pariter contra ipsos R. ad 1. Christum illic loqui de eo, quod est principale, et per se intentum in cultu divino, nempe actum interiorem, sine quo non est verus cultus exterior. Ad 2. Dico Apostolum seipsum explicuisse addens *Indigens aliquo*, ut sensus sit Deum non coli ritu exteriori ex indigentia. Si reponas Christum nos liberasse a jugo caeremoniarum judaicarum: Fateor, sed non idcirco sustulit omnem cultum externum, nec caeremonias, quas vel ipsa ratio naturalis, vel leges sive divinae, sive humanae instituunt. His positis cum jam de actibus interioribus dictum sit, agendum est de actibus exterioribus religionis, scilicet de Adoratione, Sacrificio, Oblatione, Primitiis, et Decimis. Nota. Differunt hi actus, quod per adorationem homo seipsum subjiciat Deo, per alios autem actus res alias exteriores Deo offerat.

Articulus I.

De Adoratione. D. Thom. Q. 84.

Adoratio generaliter sumpta est honos exhibitus alteri propter ejus excellentiam, in protestationem nostrae erga eum subjectionis. Et quia est triplex excellentia, una divina, altera creata naturalis, ut in hominibus bonitas, scientia, etc. altera creata supernaturalis, ut in Angelis, et Beatis sanctitas, etc. hinc distinguitur triplex adoratio. Prima, quae est excellentiae divinae, dicitur latria. Secunda, quae est excellentiae creatae supernaturalis, dicitur dulia. Tertia, quae est excellentiae creatae naturalis, dicitur cultus civilis. Sed cum haec distinctio in triplicem excellentiam sit analoga, sola enim excellentia divina est proprie per se excellentia, aliae autem sunt excellentiae a divina participatae: hinc etiam sola adoratio divinae excellentiae seu latriae est simpliciter et proprie adoratio; aliae vero nempe dulia, hyperdulia, et cultus civilis improprie dicuntur adorationes, et in hoc lato sensu dicuntur quandoque homines vel Angeli adorari in Scriptura.

Dico 1. Adoratio proprie sumpta est honos Deo exhibitus propter ejus summam et omnibus superiorem excellentiam: unde patet, quod sit actus Religionis.

Dico 2. Adoratio secundum se non importat actum corporalem; Angeli enim sola mente adorant: prout tamen convenit nobis, qui ex duplici natura sumus compositi, intellectuali scilicet et corporali, duplex est adoratio; una spiritualis, quae consistit in interiori mentis devotione, quae summam Dei excellentiam veneratur, eique se subjicit: altera corporalis, quae consistit in exteriori corporis humiliatione protestativa talis excellentiae, et nostrae ad eam submissionis, v. g. genuflexionis, capitis incurvatione, etc.

Sed quia hi exteriores actus, et similes (excepto sacrificio, et iis, quae ad ipsum pertinent, ut sunt templa, altaria, etc.) exhiberi etiam possunt creaturis, quae tamen proprie non adorantur, ideo ut censeantur adorationes proprie dictae, pendent ab interiori adoratione, seu ab intentione exhibentis. Quando igi-

tur tales actus exhibentur Deo propter supremam ejus excellentiam, dicuntur adoratio, seu latria; si exhibeantur amicis Dei propter participatam ejus excellentiam, dicuntur dulia vel hyperdulia; si hominibus propter humanam excellentiam, dicuntur cultus civilis.

Articulus II.

De Sacrificio, Oblationibus, et Primitiis.

D. Th. QQ. 85. 86.

Sacrificium generaliter et late sumptum est omne opus bonum propter reverentiam Dei factum. Si autem proprie et stricte sumatur,

Dico 1. Sacrificium est *Oblatio rei sensibilis a legitimo ministro facta Deo, per realem immutationem, ad testandum supremum ejus dominium nostramque subjectionem.* Ita communiter. Dicitur, *Rei sensibilis*: quia sacrificium est in genere signi, fit enim ad significandam internam oblationem, qua homo mentem Deo ut supremo Domino offert ac subjicit. Dicitur, *a legitimo ministro*: non enim cujuslibet est offerre sacrificium, sed hominis publici et ad id deputati, qui dicitur Sacerdos; quia sacrificium offertur non pro solo offerente, sed pro toto populo: ergo debet offerri per publicum ministrum, qui nomine omnium et pro omnibus agat: nemo enim potest propria auctoritate assumere personam populi, vel officium peragendi pro illo publica ministeria. Dicitur, *Facta soli Deo*, quia sacrificium est actus latriae soli Deo exhibendus. Fit enim ad testandum supremum dominium in omnes res creatas, sive offertur ut principio creationis et fini beatitudinis, quod utrumque soli Deo competit: non sic oblationes simplices aut exteriores actus adorationis, qui etiam hominibus exhiberi possunt, ut dictum est.

Dicitur *per realem sui mutationem*: eamque in ipsa actione sacrificii, non ante aut post: quia per destructionem aut realem mutationem victimae expressius protestamur Deum habere supremum dominium omnium, quod est finis sacrificii. Insuper cum sacrificium sit totius Religionis supremus cultus externus, in eo non solum usum, sed et substantiam rei, Deo offerri necesse est. Non tamen requiritur talis mutatio, qua victima totaliter destruatur, ut patet ex variis sacrificiis veteris legis, in quibus offerebatur panis, simila, manipulus spicarum, vinum, sanguis, etc. quorum pars tantum aut comburebatur, aut frangebatur, aut libabatur, etc. Sed sufficit talis mutatio, qua hostia ponatur in statu humiliori et potius ad destructionem vergente quam ad persistentiam, ut dum panis oblatus frangebatur, quia sic etiam bene designatur supremum Dei dominium et nostra subjectio.

Hinc inferes 1. ad proprie dictum Sacrificium quinque requiri 1. Ex parte Ministri, quod sit Sacerdos 2. Ex parte rei oblatae, quod sit res sensibilis permanens. 3. Ex parte formae, quod res illa realiter immutetur. 4. Ex parte finis, quod soli Deo fiat in protestationem supremi ejus dominii, et nostrae subjectionis. 5. Ex parte loci, quod fiat in templo, et altari. Templa vero, seu altaria, quae dicuntur erigi B. Virgini, aut Sanctis, non revera ipsis, sed soli Deo consecrantur sub invocatione vel patrocinio hujus, vel illius Sancti, nec Sacerdos dicit *Offero tibi Petre, vel Paule*, sed Deo gratias agit pro illorum victoriis, et triumphis. Quomodo vero haec omnia conveniant Sacrificio novae legis, expendemus dum de Eucharistia. Plura de Sacrificiis vid. in Tract. de Legibus Diss. 6. Art. 2. §. 2. et Tract. de Euchar.

Nec obstat quod objiciunt haeretici moderni omne opus bonum, vel saltem

omne id, quod Deo offertur esse Sacrificium juxta Scripturas. Rom. 12. *Obsecro Vos, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem.* Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitiae.* Psalm. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* Ad Hebr. 13. *Beneficentiae, et communionis nolite oblivisci, talibus enim hostiis promeretur Deus.* Hinc August. l. 10. de Civit. c. 6. *Sacrificium verum est omne opus bonum, quod agitur, ut sancta societate inhaereatur Deo.* Insuper 1. Petr. 2., et Apocal. 1. Omnes Christiani dicuntur Sacerdotes. Nos e contra ipsis alias Scripturas objicimus, quibus constat, non omne opus bonum esse sacrificium. Oseae 6. *Misericordiam volo, et non sacrificium* 1. Reg. 16. *Melior est obedientia, quam victimae* Psal. 50. *Si voluisses sacrificium dedissem utique, Holocaustis non delectaberis, Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum, et humiliatum Deus non despicies.* Insuper sacrificium proprie dictum est actus Religionis, quis autem dicet omnia opera bona esse actus Religionis? Hinc ad scripturam in contrarium allatam respondeo intelligendam esse de Sacrificio late, et improprie, seu figurate sumpto, et similiter Augustinum, quamvis vocet *verum Sacrificium*; aliud enim est *verum*, aliud *proprie dictum.* Sic Christus dicitur vitis vera, non est tamen vitis proprie dicta. Hoc etiam sensu S. Thomas hic a. 4. dicit, quod offerre Deo devotam mentem sit *primum, et principale sacrificium*, quia sacrificium exterius proprie dictum est institutum ad significandum interius, quod est magis efficax ad colendum, et placandum Deum; imo exterius nullius meriti foret apud Deum absque interiori oblatione, sicque interius est principale respectu finis, et effectus intenti. Unde etiam infert, quod quamvis omnes homines non teneantur offerre sacrificium exterius per se, cum non omnes sint Sacerdotes, sed per se, vel per alios, sic ut in omni communitate sacrificium offeratur pro omnibus, cum sit de jure naturae; omnes tamen homines teneantur, ad Sacrificium interius, quia omnes tenentur, devotam Deo mentem offerre, et illi per amorem conjungi.

Dico 2. Oblatio dicitur, quando aliquid non immutandum offertur immediate Deo, deputandum tamen vel cultui divino, vel usibus ministrorum; unde decimae, quae offeruntur immediate ministris, non sunt dicendae oblationes.

Dico 3. Primitiae sunt primi fructus cujuscumque generis ex terra nascentes, qui offeruntur Deo in recognitionem hujus beneficii.

Articulus III.

De Decimis. D. Th. Q. 87.

Nota. Decimae duplici sensu sumi possunt. Stricte pro decima portione fructuum: decima enim stricte est una ex decem portionibus alicujus rei; et hoc sensu dicitur decima secundum quotam, seu secundum determinationem: 2. Late pro eo, quod a fidelibus traditur in sustentationem ministrorum Ecclesiae, sive sit decima portio, sive duodecima, sive vigesima, et dicitur secundum substantiam.

Petes 1. Utrum et quo jure debeantur decimae? R. 1. Decimae secundum substantiam debentur jure naturae. Prob. Ratio naturalis dictat, ut eis, qui divino cultui ministrant ad salutem totius populi, ipse populus necessaria victus ministret, eo modo, quo his, qui communi utilitati invigilant, ut sunt Principes, milites et alii hujusmodi, stipendia victus debentur a populo. Id eleganter exponit Apostolus 1. ad Cor. 9. alloquens Corinthios secundum humanas consuetudines et communem omnium sensum, his verbis: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat? . . . Scriptum est in lege Moysi, non alli-*

gabis os bovi trituranti . . . . Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus? Item 1. ad Timoth. 5. Hinc Christus Luc. 10. *Dignus est operarius mercede sua.*

R. 2. Solutio decimarum secundum quotam non est juris naturalis. In veteri lege erat juris divini. In nova lege est juris ecclesiastici tantum, non divini. Prob. prima pars. Ratio naturalis non determinat decimam partem fructuum esse dandam ministris Ecclesiae, sed id quod sufficit eorum sustentationi, sive id sit pars decima, sive duodecima, sive alia: ergo. Probatur secunda pars ex Script. Exod. 22. Levit. 27. Num. 18. Prob. tertia pars ex variis locis juris canonici. Extra. titul. *de Decimis.* 30. cap. *Cum homines* 8. Item causa 16. q. 1. cap. *Si quis Laicus* et sequentibus. Ibid. q. 2. cap. *Admonemus* et sequentibus. Probatur quarta pars, quae est communis Theologorum cum D. Th. contra Canonistas. Nullum extat praeceptum in lege evangelica de decima parte solvenda, sed tantum de subministrando necessario congruae sustentationi ministrorum Ecclesiae, sive id sit pars decima, sive alia: ergo. Quod est juris divini, non potest auctoritate Ecclesiae aut consuetudine tolli: atqui non solum potest Ecclesia attentis opportunitatibus temporum et personarum aliam partem, quam decimam determinare, sed de facto id variis in locis determinatum est sive ipsius Ecclesiae auctoritate, sive consuetudine: plures enim solvunt undecimam partem, alii duodecimam, alii decimam tertiam, alii vigesimam, alii aliam: ergo. Dum autem dicitur in jure decimas esse constitutionis divinae, juris divini, a Deo praeceptas intelligendum est de decimis quoad substantiam.

Hinc inferes eos, qui decimas defraudant, duplici peccato peccare, nempe irreligionis et injustitiae, eosque ideo teneri ad restitutionem; quia si spectetur solutio decimarum, ut est in cultum divinum, est actus Religionis, si ut debetur ministris Ecclesiae propter eorum munia, est actus justitiae. Unde Con. Trid. sess. 25. de Refor. cap. 12. praecipit, ut qui decimas *Subtrahunt aut impediunt excommunicentur, nec ab eo crimine, nisi plena restitutione secuta absolvantur.*

Petes 2. Ex quibus debeantur decimae? R. Stando juri communi homines tenentur solvere decimas ex omnibus suis bonis, nedum ex agris, praediis, arboribus, molendinis, etc. sed etiam ex negotiatione, opificio, militia. Primae dicuntur *Praediales*, ultimae *Personales.* Ita in jure lib. 3. Decretal. tit. 30. *de Decimis* cap. *Non est* 22. *Ex transmissa* 23. cap. *Tua nobis* 26. et causa 16. qu. 1. cap. *Decimae* 66. Ratio est, quia radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia debentur carnalia juxta Apostolum supra citatum: omnia autem quaecumque homo possidet, sub carnalibus continentur, et non est ratio, cur de illis potius quam de istis decimae solvantur. Dixi, *Stando juri communi*: quia si spectemus consuetudinem, cui, dum est legitime introducta, standum esse jura volunt, vix ullibi solvuntur decimae personales. Imo in pluribus locis praediales non solvuntur nisi de fructibus majoribus, nec enim convenit honestati ministrorum Ecclesiae, ut exacta diligentia requirant minima; quia minima quasi nihil computantur.

Ex quo et ex dictis petitione praecedenti sequitur eos satisfacere suae obligationi, qui solvunt decimas juxta consuetudines receptas in suis locis. Sic satisfacit qui solvit quantitatem nomine decimae solvi consuetam, etiamsi sit duodecima, vel decima quinta, vel vigesima. Item qui solvit ex omnibus rebus in tali loco solvi solitis: et non ex aliis quae alibi solvuntur: item qui solvit in agro secundum morem, etsi non in horreo. E contra non satisfaciunt qui priusquam solvant decimas, deducunt tributum aut pensionem domino fundi debitam, vel pretium operariorum, semen, etc. Ita in jure tit. cit. *de Decimis*, cap. *Cum homines*, et cap. *Tua nobis.* Ratio est, quia decimae debentur ex fructi-

bus terrae in quantum proveniunt ex divino munere, et ideo non cadunt sub tributo, nec sunt obnoxiae mercedi operariorum. Item non satisfaciunt, qui deteriores portiones assignant: debent enim solvi decimae prout bona fide se offerunt. Item qui non solvunt ubi et quando debent solvere. Quo autem loco et tempore debent solvi? Standum est consuetudini.

DISSERTATIO III.

De Voto.

Divus Thomas Quaest. 88.

Articulus I.

Quid sit Votum?

Dico. Votum est *promissio Deo facta de meliori bono.* Est communis, et colligitur ex D. Th. hic a. 1. 2. et 5. Promissio vero est deliberata et spontanea fidei obligatio. Itaque ad valorem voti requiruntur sequentia. 1. Promissio et non simplex propositum. 2. Intentio se obligandi. 3. Deliberatio. 4. Spontaneitas seu libertas. 5. Quod sit de re bona eaque meliori quam ejus contradictoria. 6. Tamdem quod fiat Deo. Explicantur singula.

1. *Promissio et non simplex propositum*: quia juxta scripturam et communem omnium sensum votum obligat., non autem simplex propositum, sed promissio obligat. Vide dicta de promissione in tract. de Contractibus. 2. *Intentio se obligandi*: quia cum actus agentium ex intentione non operentur ultra intentionem agentis, ut dicitur communiter, seclusa intentione se obligandi, nulla erit obligatio, adeoque nec votum, de cujus essentia est quod obliget, ut dictum est. Vide de promissione loco citato. Unde qui intenderet vovere, sed interius nollet se obligare, non teneretur voto; secus si quis intenderet se obligare, sed non implere promissum, licet enim sic vovendo graviter peccaret, tamen teneretur voto. 3. *Deliberatio*, perfecta scilicet, et qualis requiritur ad peccatum mortale: quia nemo censeri debet, velle sibi imponere tam gravem obligationem nisi ex plena advertentia, perfecta deliberatione, et maturo judicio. Unde votum emissum in motibus etiam secundo-primis, non obligat nequidem sub veniali; quia nullum est. 4. *Spontaneitas seu libertas*: hoc est quod votum non fiat ex ignorantia seu errore, neque ex metu. Pro quo vide Tract. de Contract. 5. *Facta Deo*: quia votum est actus Religionis seu latriae, quo quis se obligat Deo ad aliquid faciendum, vel omittendum in ejus cultum, et obsequium: et quamvis voveantur aliquando ea, quae pertinent ad alias virtutes, v. gr. jejunium, castitas, etc. assumuntur tamen a vovente in cultum, et reverentiam Dei: quidquid enim est gratum numini, fieri potest ad testandum ejus principatum, et nostram servitutem, et sic est a Religione ut imperante.

Dices. Vota saepe nuncupantur B. Virgini aut Sanctis, imo quandoque hominibus, ut patet in formulis professionum Religiosorum: ergo. R. Vota nuncupari Sanctis, aut hominibus posse intelligi tripliciter absque eo, quod desinant fieri Deo; 1. quod ipsa promissio facta Sanctis aut hominibus, quatenus est quoddam opus bonum, cadat sub voto materialiter, in quantum scilicet homo vovet Deo se impleturum, quod Sanctis vel Praelatis promittit. 2. Quod votum fiat Deo coram Sanctis vel hominibus tamquam testibus ad majorem reverentiam, vel patronis, qui impetrent gratiam adimplendi quae promittuntur Deo. 3.

Quod vota principaliter fiant Deo, secundario autem in honorem et memoriam Sanctorum, eo modo, quo templa seu altaria dicuntur ipsis dedicari.

Itaque si votum fieret B. Virgini aut alicui Sancto, absque ulla relatione ad Deum, et absque intentione se obligandi Deo, sed soli B. Virgini aut Sancto, non foret proprium votum, nec actus Religionis, sed quaedam promissio sacra, quae foret actus aut duliae, aut hyperduliae, aut observantiae singularis erga Sanctos, et ex ea virtute obligans, atque omnino licita; sicut enim licet colere Sanctos aliquo cultu ipsis competenti, ita etiam licet eis promittere aliquid ad eorum excellentiam testandam et honorandam: promissio autem, praesertim tam sacra, obligat. Non foret tamen talis promissio reservata Papae, etiamsi esset circa materiam illi reservatam, quia non esset proprie votum: in dubio autem praesumitur Deo vovisse.

6. *De re bona*: haec clausula spectat materiam voti, de qua art. seq. unde sit

Articulus II.

De Materia Voti.

Suppono 1. Votum propriissime dictum debere esse de opere supererogationis, et consilii, in quibus est plenior ratio voti, quia magis est voluntaria promissio. Suppono 2. Votum proprie dictum recte, et valide fieri de operibus aliunde praeceptis, quae quamvis necessaria sint ad finem, hoc est ad salutem consequendam, et non licite omittantur, libere tamen fiunt, et quatenus libere fiunt cadunt sub voto. Suppono 3. Vota de rebus necessariis, aut impossibilibus esse invalida, et illicita, et patet, nemo enim potest se obligare ad id, quod non est in ejus potestate. Unde inferes 1. nullum esse votum vitandi omnia peccata venialia collective toto, aut longo vitae tempore. Inferes 2. Votum de facto alieno, ut alieno, non esse validum; secus si directe voveas proprium actum, indirecte alienum, ut te procuraturum alteri ingressum religionis, ex quo teneris moralem diligentiam adhibere, ut ingrediatur. Qua ratione intelliguntur vota Parentum, dum liberos suos religioni vovent, vel ut familiae certis diebus jejunent etc. Consequenter Filii non tenentur stricto jure talibus Parentum votis, licet consultum sit eis obsequi. Nota tamen, quod vovere res impossibiles, necessarias, aut indifferentes, qua tales, non videtur excedere culpam venialem, non enim est materia illegitima, quia Deo injuriosa, sed quia non est bona.

Dico 1. Vota de rebus malis, quomodocumque malae sint, et indifferentibus qua talibus sunt invalida et illicita. Quia promissio facta alicui debet esse de re ipsi grata, alias eam non acceptabit, res autem malae non sunt gratae Deo, neque etiam indifferentes qua tales; ut quid enim erit gratum Deo, si promittas ei etiamsi in ejus cultum, quod neque bonum, neque malum est in genere moris, v. g. ambulare vel non ambulare in agro, levare festucam, etc.

Dixi 1. *De rebus malis quomodocumque malae sint*, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, quia prohibitae, sive ratione alicujus circumstantiae. Dixi 2. *De rebus indifferentibus qua talibus*: quia si ratione alicujus circumstantiae sortiantur rationem boni aut mali in genere moris, posset esse materia valida et licita voti: v. g. ingredi talem domum, incedere per talem plateam est quid indifferens secundum se, si tamen talis ingressus aut incessus ratione alicujus objecti seu personae sit tibi occasio peccandi, valide et licite vovebis abstinere a tali incessu; tamdiuque voto teneberis, quamdiu durabit illa occasio, qua sublata cessat obligatio voti, quia tunc res redit in indifferentiam.

Dico 2. Votum, ut sit validum, debet esse de bono, patet ex dictis, eo-

que meliori : non quidem hoc sensu, quod sit melius quocumque alio opere diverso, alias de solo opere omnium praestantissimo valide posset emitti votum, quod est falsum ; sufficit enim, quod illud potentia seu aptitudine non excludatur ; sed hoc sensu quod melius sit suo contradictorio, nempe melius facere quam non facere, vel melius non facere, quam facere ; sic melius est facere eleemosynam, quam non facere, melius non nubere quam nubere. Et hoc intelligitur non absolute sed respective ad voventem : sic v. g. licet sit absolute melius vovere Religionem minus strictam quam nullam vovere, respectu tamen Religiosi, qui jam vovit strictiorem, non est melius. Ratio horum omnium est, quia, ut jam dixi, votum utpote promissio Deo facta debet esse illi gratum, alias illud non acceptaret ; atqui Deo, *cujus voluntas est sanctificatio nostra* 1. ad Thessal. 4. non foret acceptum, si quis voto se obligaret ad faciendum id, quod est minus bonum, omisso meliori opposito aut exclusa aptitudine ad quodcumque aliud melius : ergo. Ex quibus omnibus uno verbo concluditur votum debere esse de re bona, quae attentis omnibus circumstantiis sit Deo grata.

Hinc colliges 1. validum esse votum perpetuo inserviendi infirmis, quia melius est servire infirmis, quam non inservire. Et licet hoc votum excludat actu statum meliorem scilicet Religionis, non tamen potentia seu aptitudine, sed in illum ex sola voventis voluntate commutari potest, ut dicam infra. Colliges 2. invalida esse vota omittendi ea, quae sunt consilii, ut non ingrediendi Religionem, non jejunandi, non mutuandi, etc. Quia in his opus est Deo gratius quam ejus omissio. Colliges 3. invalidum esse votum numquam vovendi, quia melius est vovere quam non vovere. Validum erit, si voveas numquam vovere nisi scripto, vel coram testibus, vel ex consilio Confessarii ; quia vovere cum his cautelis ne indiscrete et temere voveas, est actus prudentiae melior suo opposito. Colliges 4. non improbabiliter a quibusdam sustineri votum numquam petendi dispensationem in priori voto esse invalidum, quia probabile est posse contingere casum, in quo melius esset petere dispensationem quam non petere, v. g. si periclitaretur salus totius regni, nisi petatur dispensatio in voto castitatis. Sed esto sit validum, manet saltem semper dispensabile ; quia vovens sua privata voluntate non potuit praejudicare habenti ex jure vel privilegio facultatem dispensandi. Colliges 5. Votum numquam ludendi plerumque esse validum, quia concipitur ex honesto fine, vitandi dissipationem bonorum, rixas etc. Si tamen quis voveret numquam etiam ex justa causa ludere, non videretur validum, cum possit occurrere casus, in quo gratius Deo foret honesto ludo ludere, quam ab eo abstinere. Colliges 6. Votum de Matrimonio ineundo per se, et ordinarie esse invalidum, cum non sit de meliori bono nisi per accidens foret valde utile Reip. aut Religioni, vel ex ejus omissione sequeretur damnum, aut infamia Sponsae etc. Si petas an saltem valeat ratione gravissimarum tentationum, quas quis credat, se vincere non posse ? Resp. Talem hujusmodi voto non teneri absolute ; sed conditionate tantum, si nempe nolit adhibere remedium efficacius, quod est votum continentiae.

Quaeritur hic, utrum si materia, quae fuit apta voto, fiat deinceps inepta, utpote vel non bona, vel impossibilis, maneat obligatio voti ? R. et sit regula generalis. Omne illud, quod ex se votum faciendum irritaret, si praesens esset, etiam voto facto obligationem aufert ; unde cum de re impossibili aut non bona, non possit esse votum, ut dictum est, si aliquid fiat impossibile, aut non bonum post voti emissionem, quod prius erat possibile et bonum, obligatio voti quantum ad illud tollitur ; ut si quis dives voverit aedificare Ecclesiam, quam postmodum perficere non possit paupertate extrema superveniente, non obligatur ex voto ad implendum.

Sed major est difficultas, utrum si materia voti sit, aut fiat partim apta, par-

tim inepta, vovens teneatur ad partem aptam, an totaliter liberetur ab obligatione voti? R. cum D. Th. sive materia sit, sive fiat post votum partim tantum inepta, voventem teneri ad partem aptam, nisi constet de contrariae jus intentione, aut ea fundate praesumatur. Ratio est, quia in tantum eximitur ab executione voti, in quantum est ipsi impossibilis, aut non bona: ergo si pars maneat possibilis, et bona, ad eam tenetur. Huc facit regula juris 37. in 6. *Utile per inutile non vitiatur, si utile ab inutili separari possit.* Confirmatur. Eadem videtur ratio de obligatione voti, ac de obligatione legis; atqui qui non potest totam legem observare, sed tantum partem, ad hanc obligatur: unde Innocentius XI. condemnavit hanc propositionem: *Qui non potest recitare Matutinum, et Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur.*

Hinc inferes 1. eum, qui vovit jejunare et non potest abstinere a carnibus, teneri tamen abstinere a multiplici refectione, si possit, et e contra. Inferes 2. mulierem, quae vovit castitatem, si postea corrumpatur, debere servare quod potest, scilicet perpetuam continentiam: similiter quae post votum castitatis contrahit et consummat matrimonium, quamvis non possit amplius totam castitatem servare, teneri tamen ad id, quod potest, scilicet non petere debitum, non etiam reddere si compars amittat jus petendi, et a secundis nuptiis abstinere. Inferes 3. eum, qui vovit peregrinationem cum circumstantia superstitiosa: v. gr. cum certo numero candelarum, teneri relicta superstitione ad peregrinationem quoad substantiam, et sic de caeteris.

Dixi: *Nisi constet de contraria intentione voventis, aut ea fundate praesumatur*, hoc enim posito, casus praecedentes resolvendi sunt in contrarium. Quia intentio voventis est causa obligationis voti, sicut intentio legislatoris est anima legis: unde si mulier vovendo virginitatem, non intendit vovere abstinentiam ab omnibus venereis, quod ordinarie intelligitur per votum virginitatis, sed tantum conservationem claustri virginalis, illo semel fracto, ad nihil ulterius tenetur.

Articulus III.

De Obligatione Voti.

§. I. *Utrum et quantum Votum obliget?*

Dico 1. Omne votum obligat ad sui observationem: Est contra Sectarios. Prob. 1. ex Scriptura. Ecclesiastae 5. dicitur: *Quodcumque voveris redde, multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Deuteron. 23. *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, imputabitur tibi in peccatum.* 1. Timoth 6. de viduis, quae votum castitatis voluntate nubendi violarant, dicit Apostolus: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Concinunt SS. Patres Ambr. ad Virg. lapsam c. 5. Aug. de bono viduitatis c. 11. Prob. ratione. Ad fidelitatem pertinet, ut solvat quis quod promisit, unde secundum D. Aug. lib. *de Mend.* c. 10. fides dicitur ex hoc quod fiunt dicta: atqui maxime debet homo Deo fidelitatem tum ratione dominii, tum ratione beneficii suscepti: ergo maxime obligatur ad hoc, quod impleat vota Deo facta, alias infidelitatis reatum incursurus; et ideo Salomon assignans rationem, quare sint vota reddenda, dicit: *Quia displicet Deo infidelis promissio.* Ecclesiastae 5.

Dico 2. Obligatio voti est ex genere suo sub peccato mortali, quia, ut patet ex dictis, est contra fidelitatem, religionem, et reverentiam Deo debitam: dato

enim quod fidelitas solitarie sumpta obliget tantum sub veniali, quando tamen constituitur in materia alterius virtutis obligantis sub mortali, qualiter constituitur per votum in materia Religionis, obligat proportionate ad materiam illius virtutis, ad quam transit. Confer dicta de promissione.

Dico 3. Ut votum in individuo obliget sub mortali, duo simul debent necessario concurrere, nempe gravitas materiae et voventis intentio se obligandi sub mortali; ita ut si attentis omnibus circumstantiis materia sit levis, etiam dato quod esset tota materia voti, et quod vovens intenderet se obligare sub veniali, obliget tantum sub veniali: et similiter si materia sit gravis quidem, sed vovens intendat tantum se obligare sub veniali, obligabit etiam tantum sub veniali. Excipe votum solemne. Prob. prima pars. 1. Omnes leges tam divinae, quam humanae non obligant sub mortali in materia levi, sive sit partialis, sive totalis materia legis, ut patet in lege non mentiendi officiose: ergo nec votum, quod est quaedam lex privata, quam quis sibi imponit. Prob. 2. Licet ad quantitatem obligationis in lege spectanda sit intentio legislatoris, sic ut ultra illam non extendatur, ab ea sola tamen non dependet, sed etiam ex materiae capacitate; atqui materia absolute levis est incapax obligationis sub mortali et reatus aeternae damnationis, quamtumvis id intendat legislator, hoc enim repugnat infinitae Dei bonitati, nec talem dedit hominibus potestatem, quae magis foret ad perniciem quam ad salutem: ergo similiter in voto. Confirmatur. Obligatio promissionis pendet non solum ex intentione promittentis, sed etiam ex acceptatione illius cui fit; unde dixi supra votum de re mala aut indifferenti non obligare, quia non acceptatur a Deo: atqui Deus non acceptat promissionem rei levis absolute sub peccato mortali, utpote imprudenter factam, displicet enim ei stulta promissio: ergo. Posset tamen talis vovens peccare mortaliter in transgressione voti ex conscientia erronea.

Prob. secunda pars. Votum, ut jam dixi, est lex privata, quam quis sibi imponit: atqui lex non obligat ultra intentionem legislatoris etiam in materia gravi. Ergo. Confirmatur 1. Actus agentium moralium non operantur ultra intentionem illorum: atqui vovens sicut legislator est agens morale. Ergo. Confirmatur 2. Vovens potest se obligare ad poenam tantum etiam in materia gravi: ergo et a fortiori ad culpam venialem. Confirmatur 3. Vel possibile est vovere materiam gravem sub veniali obligatione, vel non: si primum, habemus intentum; si secundum, votum est nullum, utpote de re impossibili.

Ex dictis praesertim in ultima conclusione manifestum est, obligationem voti maxime pendere ex intentione voventis, et juxta illam aestimandam esse: ex quo resolves plures casus in praxi. Sic qui principaliter vovit ingredi Religionem, et ex consequenti hanc elegit, si ibi non recipiatur, tenetur aliam ingredi, si autem principaliter hanc religionem intendit, non tenetur aliam intrare, imo casu, quo possit admitti in Laicum, non tenetur intrare, si ex conditione Personae, aliisque circumstantiis appareat talem statum non intendisse voto. 2. Qui vovit ingredi religionem, non tenetur vi voti servare castitatem 3. Qui vovit confessionem pro lucranda indulgentia, si eam lucrari non possit, non tenetur ad confessionem. 4. Si exequutio voti fiat notabiliter difficilior, totum votum corruit, ut si voveris peregrinari equo, et non possis equo, aut curru incedere, non teneris ire pedibus.

Petes an votum dubium obliget? Resp. 1. Si re mature perpensa, vere dubitatur de subtantia voti, aut de ejus essentialibus, ut de intentione, et sufficienti deliberatione, remanet obligatio voti, et tutior pars debet eligi; si vero habeatur praesumptio, aut non vovisse, aut defuisse intentionem, vel deliberationem, nulla est obligatio voti, quia tunc probabilius est nullum esse votum. Hinc proferens verba, veram promissionem significantia, sed dubitans de intentione, tenetur voto, quia nullus praesumitur dicere, quod non habet in corde. Ex eadem vero ratione non videtur teneri voto, proferens verba solum pro-

positum significantia, et dubitans de intentione, nisi verba enuntiaverit per modum pacti, v. g. *si sanitatem restituas, dabo hanc eleemosynam* etc., tunc enim veras promissiones continent, sicut contractus innominati *faciam, et facies, dabo ut des.* Inferes 2. dubitantem paulo post factum votum, an, verbis quibuscumque prolatis, intenderit propositum, vel promissionem, non teneri voto; eorum enim, quae ex voluntate plene deliberata fiunt, non tam facile, et tam cito homines obliviscuntur. 3. voventem ex passione terroris, irae etc. ideoque dubitantem de sufficienti deliberatione, plerumque teneri voto, quia non solent hae passiones ita rationis judicium obnubilare, ut non advertat homo quid agat.

Resp. 2. Ubi dubium est tantum de accidentibus voti, colligenda est intentio voventis ex sequentibus. 1. Ex communiter accidentibus, ita ut censeatur intendisse, quod communiter fit, et promittitur in tali genere. 2. Ex conditione materiae, ut votum obliget eo modo, quo lex ecclesiastica in tali materia obligaret. 3. Ex verbis, quibus usus est vovendo, et ex eorum significatione communiter recepta. Hinc inferes 1. voventem jejunare in Vigilia Purificationis, si incidat in feriam secundam, debere jejunare Sabbatho praecedenti. 2. Voventem jejunare quotidie per Mensem, non teneri diebus Dominicis, nisi ad abstinentiam a carnibus. 3. Voventem recitare Rosarium teneri recitare attente, sed posse cum Socio. 4. Voventem dare Calicem, non posse dare aeneum, vel stanneum, qui non est communiter in usu, sed aureum, vel argenteum. 5. Voventem dare eleemosynam indeterminate, teneri dare, quam solent homines ejusdem conditionis. 6. Voventem virginitatem, violato sigillo, teneri ad castitatem; haec enim verba *voveo virginitatem* juxta vulgarem acceptionem idem significant ac *voveo castitatem.*

§. II. *De tempore obligationis Voti.*

Dico 1. Votum obligat tempore determinato a vovente: quia obligatio voti ex propria voluntate et intentione causatur, ut jam saepius dictum est.

Petes 1. An qui non adimplet votum tempore determinato, liberetur ab obligatione voti? R. affirmative, si designavit tempus ut terminum obligationis; negative, si non determinavit tempus ut terminum obligationis, sed potius ad eam urgendam, et ne ulterius differatur. Censetur autem tempus designatum ut terminus obligationis, sive quando res promissa est onus affixum tali tempori, sive quando designatur tempus ratione sui, puta propter specialem devotionem talis temporis aut propter aliquam connexionem cum tali tempore. Si aliter designetur, non censetur designatum ut terminus obligationis, sed ad eam urgendam.

Hinc inferes 1. eum, qui vovit recitare Rosarium die Assumptionis in honorem Beatae Virginis, vel jejunare proxima feria sexta, si omittat sive culpabiliter sive inculpabiliter satisfacere voto tali tempore, non eo amplius teneri. Similiter qui vovit quotidie recitare Rosarium, si omittat uno die, non tenetur sequenti die recitare duo. Item qui vovit jejunare semel in hebdomada per annum, si omittat jejunare una hebdomada, non tenetur bis jejunare hebdomada sequenti: quia in his et similibus votis res promissa affigitur tali diei, tali hebdomadae. Inferes 2. e contra eum, qui vovit intra annum ingredi Religionem, jejunare sequenti hebdomada, confiteri sequenti mense, etc. hoc tempore elapso adhuc voto teneri; quia in his et similibus non intenditur tempus principaliter et ratione sui, neque res promissa illi, ut onus proprium affigitur; sicque non censetur designatum tempus, ut terminus obligationis, sed ne ultra differatur voti executio.

Dico 2. Quando voto nullum est tempus determinatum, obligat quamprimum moraliter et commode adimpleri potest. Prob. ex Scriptura. Deut. 23. di-

citur : *Cum votum voveris Domino, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus Deus tuus, et si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum* : ergo. 2. Ratione. Hoc est commune omni promissioni absolutae, ut statim obligationem pariat, et consequenter statim exigi possit : atqui ex Scriptura citata constat Deum statim exigere solutionem voti sibi facti : ergo, etc. Confirmatur. Si tale votum non obligaret quamprimum moraliter et commode fieri potest, non posset assignari tempus, quo obligaret, non enim esset ratio major pro uno tempore, quam pro altero, et tamen certum est obligare aliquando : ergo quamprimum etc.

Dixi : *Quamprimum moraliter et commode*, etc, quia talis praesumitur intentio voventis, sicut fit etiam in aliis promissionibus ; et ideo in jure ly *Statim* patitur aliquam temporis latitudinem ff. l. 46. tit. 3. ubi dicitur : *Statim solvere, cum aliquo temporis temperamento intelligendum est.*

Hinc inferes 1: ubi nullum est voto tempus praefixum, eum non peccare qui Rosarium, jejunium, etc. differt ad duos vel tres dies, peregrinationem quinque aut sex leucarum ad septimanam, peregrinationem ad limina Petri ad aliquot menses, et sic proportionate ad materiam, quia, ut dictum est, talis praesumitur intentio voventis, ac *Statim* admittit latitudinem. Inferes 2. quod ubi limites justae dilationis sine causa aliquantulum exceduntur, sit peccatum veniale, ubi graviter, peccatum mortale. Adverte autem, quod in votis, quae nullam ex temporis lapsu patiuntur diminutionem, v. g. Rosarium, jejunium, peregrinatio, majorem requiri dilationem ad peccatum mortale, et minorem causam, ut licite differantur, quam in iis, quae patiuntur diminutionem ex lapsu temporis, ut est v. g. ingressus Religionis, quo enim magis differtur, minus in ea vivitur. Inferes 3, eum peccare mortaliter, qui ita differt, ut incurrat periculum omnino omittendi votum, sive propter oblivionem, sive propter impedimentum futurum ; puta senium.

Finaliter quidam Auctores sic resolvunt : in votis, quae patiuntur diminutionem ex dilatione temporis, standum est judicio prudentum pro determinanda gravitate vel levitate dilationis : in aliis autem votis, quae nullam ex dilatione patiuntur diminutionem, secluso, ut dictum est, periculo omnimodae omissionis, quantalibet dilatio etiam sine causa non excedit culpam venialem : quia inquiunt, cum quis dat totum quod promisit, et nullum damnum ex mora promissario obvenit, non videtur damnandus gravis culpae, sed levis negligentiae. Addunt quod ubi vovens nullum suo voto determinavit tempus, non censetur ad aliquod determinatum se graviter obligare voluisse, licet intelligat non debere sine labe alicujus negligentiae diutius differre : et sic intelligunt verba Scripturae prius laudata : *Ne tardes reddere, et si moratus fueris, reputabitur in peccatum* ; nempe mortale si tempus sit determinatum, aut ex dilatione incurratur periculum omissionis : veniale autem, si tempus non sit determinatum et absit tale periculum. Haec sententia est mihi probabilis, et obviat multis scrupulis.

§. III. *Utrum obligatio Voti possit ad alios transire?*

Praesupponenda est distinctio voti in personale, reale, et mixtum. Personale est promissio actionis a vovente exercendae, ut jejunandi, peregrinandi, orandi, etc. Reale est promissio alicujus rei dandae, ut eleemosynae. Mixtum est promissio utriusque, v. g. peregrinandi ad S. Hubertum et illic offerendi cornu argenteum, propriis sumptibus militandi pro Terra sancta, etc.

Dico 1. Cujusvis voti sive personalis, sive realis, sive mixti obligatio sic est personalis, et propria voventi, ut ad alium transire non possit ; quia, ut jam saepe dictum est ex S. Th., obligatio voti debet oriri ex propria voluntate, adeoque votum qualecumque sit, alium obligare non potest nisi ipsum voventem ;

et ideo dicit Psalmista Psalm. 65. *Reddam tibi vota mea, quae distinxerunt labia mea.*

Hinc inferes 1. amicum qui amico, maritum qui uxori promittit votum illius exequi, item et filium haeredem patris, non teneri illorum vota exequi vi voti ex virtute Religionis, sed ex fidelitate tantum, aut justitia, ratione scilicet vel promissionis factae, vel haereditatis initae; nisi forte promittens formalem voti obligationem in se suscipiat, et sic virtualiter Deo promittat, se voto alterius satisfacturum, quod rarum est. Inferes 2. nullum posse vovere factum alterius quantumvis conjuncti; unde filii non tenentur voto parentum, et parentes satisfaciunt, si conentur prudenter et sine vi filios inducere ad voti impletionem, id enim solum promisisse censendi sunt. Similiter dum communitas, v. g. monasterium aut civitas, se voto adstrinxit, puta ad jejunium, ad peregrinationem, successores ad id non adstringuntur vi voti, sed vi statuti, aut consuetudinis vim legis habentis. Inferes 3. neminem posse, nec etiam teneri satisfacere per alium voto suo personali, v. g. orandi, jejunandi, in casu, quo ad id fiat impotens, sive ex culpa, sive non; quia factum proprium promisit, non alienum.

Dico 2. Haeredes tenentur ex justitia ratione haereditatis ad omnia vota defuncti realia, et mixta, qua parte sunt realia, si reale non sit accessorium personalis, non vero ad personalia. Ratio est: quia haeres succedit defuncto in omnibus realibus, sive commodis et privilegiis, sive oneribus, et obligationibus, quibus annumeratur votum reale, L. *Haeredem ff. de Regulis juris*, non vero in personalibus sive commodis, sive obligationibus, et oneribus, quale est votum personale; nisi forte haeres necessarius sponte susceperit obligationem voti adimplendi, aut haeres non necessarius sub ea conditione sit institutus.

Dixi: *Si in mixtis reale non sit accessorium personalis*: si enim sit accessorium, ad illud haeres non tenetur magis, quam ad personale: quia accessorium sequitur principale, et ubi cessat obligatio ad principale, cessat ad accessorium, sic ut ipsemet vovens non teneretur ad accessorium si respectu illius cessaret obligatio principalis. Si itaque defunctus vovit peregrinationem ad limina Petri, haeres non tenetur ad sumptus peregrinationis, nisi forte vovisset hanc peregrinationem per se, vel per alium faciendam.

Ex dictis inferes, quod si defunctus voverit dare eleemosynam pauperibus, calicem Ecclesiae, ad id teneatur ejus haeres; si peregrinationem cum oblatione calicis, ad oblationem calicis, non ad peregrinationem teneatur haeres.

Articulus IV.

Utrum expediat aliquid vovere?

Dico 1. Expedit vovere secundum se. Quia per votum firmatur voluntas ad faciendum aliquid, quod cedat in cultum Dei, et nostram spiritualem utilitatem. Unde ait Script. Psalm. 15. *Vovete et reddite Domino Deo vestro* Isaj. 19. *Cognoscent Aegyptii* (idest gentes convertendae tempore novi testamenti) *Dominum; et colent eum in hostiis, et muneribus, et vota vovebunt Domino, et solvent.*

Obj. 1. Nullus debet se exponere periculo peccandi. Sed periculosum est, si non servetur Votum. Ergo. R. dist. Maj. Si periculum nascatur ex ipso facto C. maj.; Si nascatur ex eventu, aut ex inconstantia hominis N. Maj. alioquin oporteret ab omnibus bonis cessare, quae per accidens ex aliquo eventu possunt esse periculosa. Periculum autem voventi imminet non ex voto, sed ex culpa sua, qui voluntatem mutat transgrediens votum. Fateor tamen pruden-

ter emittenda esse vota, et prius consulendus Confessarius, aut Vir prudens; ideo dixi *Esse expediens vovere secundum se*, quia aliquando per accidens et attentis circumstantiis non expedit.

Obj. 2. Apost. 1. Cor. 4. dicit. *Imitatores mei estote, sicut et Ego Christi*; Sed non legimus Christum, aut Apostolos aliquid vovisse. Ergo. R. Christo secundum aliquas rationes non competebat vovere, quia Deus erat; et in quantum Homo habebat firmatam voluntatem in bono; secundum vero alias rationes ipsi competebat, quia votum est actus religionis, et opus ex voto factum plus honoris Deo exhibet, quam sine voto; et ideo votum fecit Christus, ut se daret pro salute fidelium. Apostoli autem intelliguntur vovisse pertinentia ad statum perfectionis, quando Christum relictis omnibus sunt sequuti. Ex dictis colliges, quam impie senserint Calvinus l. 4. Inst. c. 13., et Lutherus de libertate christi, qui dicunt, vota, quae fiunt de rebus non praeceptis ex motivo colendi Deum esse impia et illicita; licita vero si fiant ex alio motivo, ut vitandi peccati, vel utilitatis temporalis. Ex quo inferunt, vota Religiosorum esse impia, et irrita, Sanctosque Fundatores esse damnatos, nisi forte vota emiserint, aut indixerint causa alicujus commoditatis, puta ut essent liberi a rerum temporalium molestiis, non divini cultus studio, quasi non debeamus omnia in Dei gloriam facere juxta Apostolum, et votum ipsum non sit essentialiter cultus Dei. Ut quid enim promittis Deo? non levandae ejus inopiae, aut utilitatis ipsi conferendae, sed ipsum colendi, et gratum ipsi obsequium reddendi, quod esse voto essentiale testatur omnium nationum sensus. Et mirum sane, te posse promittere Deo servare jejunium, ut parcas sumptibus, et non posse, ut carnis macerationе Deo placeas.

Nec obstat, quod opponunt haeretici, scilicet usurpare ad cultum Dei, quod Deus non praecipit esse cultum voluntarium, quem Apostolus reprehendit ut superstitiosum ad Colos. c. 2. sub finem. Non enim ibi damnat Apostolus cultum ex voto de rebus non praeceptis, sed cultum, qui vel redditur Angelis, qualem Platonici, et Simon Magus ipsis deferebant; vel vero Deo quidem, sed in materia indebita, ut in abstinentia a cibis, quasi ex natura sua malis, vel vi veteris legis. Videatur textus satis obscurus cum Interpretibus. Hujusmodi votorum exempla habentur passim in Scripturis. Jacob vovit Deo decimas Gen. 28., David vovit aedificare Templum Psal. 131., Vota omnia, de quibus agit Levit. 27., et Deuter. 1. 2. 23. sunt de rebus non praeceptis. Et sane si facere, quod Christus, et post ipsum Apostoli faciendum consuluerunt, superstitionis non sit culpandum; cur illud vovere superstitiosum erit? Vid. de evangelicis Consiliis in tract. de Legib.

Dico 2. Opus ex voto factum est melius, et magis meritorium, quam factum sine voto. Prob. ex S. Th. *Opusc. de perfect. vit. spirit c.* 12. Quod habet bonum finitum cum adjunctione alterius boni est melius. Atqui ipsa promissio boni, quae est votum, est aliquod bonum. Ergo junctum bonitati operis facit melius. Et confirm., quod vovens subjicit se Deo non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, unde plus ei ministerii exhibet, quam qui solum facit, et sic voluntas voventis magis firmatur in bono, quod pertinet ad perfectionem virtutis.

Obj. Apost. 2. Cor 9. ait. *Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia, aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus.* R. Auctoritatem intelligendam esse de necessitate, quae provenit ab extrinseco contra voluntatem, sive sit vera coactio, sive quid illi simile, ut metus, pudor etc., haec est enim contristans, involuntarium causans, et devotionem tollens. Si dicas voventes saepe tristari de voto facto? R. hanc tristitiam non causari a voto secundum se, sed vel ab eventu superveniente, vel ex inconstantia voventis, in quo si re-

maneat voluntas votum adimplendi, quia vovit, aut quia veretur offendere Deum, adhuc ejus opus est magis meritorium, quam si fieret sine voto.

Obj. 2. Non est magis laudabile facere aliquid cum juramento quam sine juramento. Ergo nec ex voto. R. N. Conseq. Disparitas est, quod per votum aliquid in Dei reverentiam ordinamus, quod est actus Religionis; sed in juramento e converso reverentiam divini Nominis assumimus ad promissi confirmationem, et ideo quod juramento firmatur non propter hoc fit Religionis actus.

Articulus V.

De variis divisionibus Voti, et praecipue de Voto solemni, et conditionali.

1. Votum aliud personale, aliud reale, aliud mixtum. Pro quo vide §. 3. art. 3. 2. Votum aliud absolutum, quo quis simpliciter, et absolute independenter a conditione aliquid Deo promittit. Aliud conditionatum, quo promittit aliquid sub conditione extrinseca de futuro. Dico *Extrinseca*, quia conditiones, quae insunt voto, ex natura rei, vel ex dispositione juris, non censentur reddere ipsum proprie conditionatum. Dixi etiam, *De futuro*, quia conditio de praesenti, vel praeterito, ut, *si pater meus vivit*, vel *si pater meus sit mortuus*, *ingrediar Religionem*; non facit etiam votum proprie conditionatum. Tale enim votum, vel parit statim obligationem, si conditio existat, suspensam tamen, si ignoretur; vel nullam parit, si non existat. Est autem duplex votum conditionale, poenale scilicet, et simplex. Poenale est, quo vovetur poena sub conditione culpae, ut voveo dare assem pauperibus, si blasphemavero. Simplex quo promittitur aliquid sub conditione, quae non sit culpa, ut voveo ingredi Religionem, si convaluero.

3. Votum aliud expressum, quod expressis terminis emittitur; aliud tacitum, quod alicui actioni annectitur, licet expresse non emittatur; sic qui suscipit sacros Ordines, tacite emittit votum castitatis, quod sacrae ordinationi est annexum ex statuto Ecclesiae: qui perficit integrum Novitiatus annum animo profitendi, est tacite Professus, nisi ante finem anni reclamaverit Religio. 4. Votum aliud perpetuum, aliud temporale: patet ex terminis.

5. Votum aliud simplex, aliud solemne. Primum non dicitur simplex ex eo, quod fiat privatim, et sine caeremoniis, nec secundum dicitur solemne, quod fiat publice, et cum caeremoniis, nam et solemne potest emitti privatim coram paucis, et simplex coram multitudine, et in publico. In quo igitur consistat voti solemnitas, ex qua utriusque voti simplicis, et solemnis essentia, ac differentia cognoscatur? disputant Auctores. Unde

Dico cum S. Th. et Thomistis contra plures alios. Votum simplex consistit in simplici promissione; solemne vero in promissione simul et traditione absoluta et irrevocabili, atque reciproca acceptatione, facta ab habente legitimam auctoritatem. Probat. 1. (*S. Th. hic, et in 4. dist.* 38. q. 1. *a.* 2. *et sequ.*) Ex hoc votum dicitur solemne, quod habeat esse completum, seu completam vim obligandi; ea enim ad solemnitatem rei pertinere dicuntur, quae tribuunt ei esse completum: atqui votum habet esse completum per traditionem, et acceptationem: ergo, Prob. min. Votum ut sic est essentialiter promissio: atqui promissio habet complementum suae virtutis per traditionem, et acceptationem, sive rei promissae, sive alicujus alterius, unde res promissa haberi potest. Id fit manifestum exemplis; sic qui alteri promitteret fructus agri, et promittendo daret ipsum agrum, seque obligaret ad excolendum juxta voluntatem accipientis; sive qui promitteret alteri servitium, et se in servum daret, utriusque promissio-

nis obligatio foret completa. Sic etiam sponsalia, quae sunt promissio, complentur per traditionem, et acceptationem matrimonialem: ergo.

Confirmatur. Votum solemne Religionis est quoddam matrimonium spirituale hominis cum Deo, per quod excellentiori modo, quam alii fideles, Deo conjungitur, in cujus testimonium virgines, dum votum solemne emittunt, eodem modo velantur, quo olim nuptae dum viris suis tradebantur; atqui in matrimonio carnali non est sola promissio fidei et officiorum conjugalium, sed est mutua corporum traditio et acceptatio: ergo. Itaque tunc votum dicitur solemnizari, dum vovens praesentialiter se dat Deo, divinis se servitiis mancipando, quod quidem fit per Ordinis sacri susceptionem, et per professionem certae regulae debito tamen modo factam, scilicet in manu ejus qui debet recipere, et servatis aliis circumstantiis, quae secundum jura determinantur; alias non essent votum solemne quantumcumque quis profiteretur, quia licet posita legitima traditione et acceptatione sequatur ex natura rei quod sit votum solemne, pendet tamen ab Ecclesia apponere certas conditiones, sine quibus nec valida, nec legitima foret traditio et acceptatio, sicut de facto determinavit, quod invalida sit traditio, seu professio ante decimum sextum annum, non completo anno novitiatus, aut in Religione non approbata. Pari modo licet posito contractu legitimo, ac valido traditionis mutuae corporum sequatur ex natura rei quod sit matrimonium, pendet tamen ab Ecclesia apponere conditiones, sine quibus, nec legitimus, nec validus sit talis contractus, uti de facto determinavit esse nullum, si fiat sine praesentia Parochi, et duplicis testis. Et hac ratione dixerunt Bonifacius VIII. cap. unico *De voto* in 5. et Gregorius XIII. Bulla *Ascendente Domino*, quod solemnitas voti esset inventa ab Ecclesia.

Prob. 2. conclusio impugnando sententiam Adversariorum. Voti solemnitas non consistit, ut volunt Adversarii, in statuto Ecclesiae, personam voventem inhabilitante ad certos effectus, nempe ad matrimonium contrahendum, ad dominium habendum, ad se aliis obligandum per obedientiam: ergo. Prob. ant. Talis inhabilitas est effectus solemnitatis voti: ergo in ea inhabilitate non consistit solemnitas voti. Probat. ant. Hoc ipso quo quis non solum promittit servare castitatem, paupertatem, et obedientiam, sed etiam se ipsum tradit ad illas virtutes servandas, et excolendas, sequitur ex natura rei inhabilitas ad contrarios actus, ut dicemus latius, dum de impedimentis matrimonii. Unde est communis hominum sensus, et vulgaris modus loquendi, quod Religiosus non possit inire matrimonium, quia fecit votum solemne, non autem quod fecerit votum solemne, quia non potest inire matrimonium: ergo.

Obj. D. Th. a. 4. 9. et 11. hujus quaestionis dicit solemnitatem voti consistere in quadam benedictione et consecratione: ergo. R. S. Thomam non loqui de verbali, aut aliqua simili benedictione, qualis per Ecclesiae Praelatos in quibusdam Religionibus solemniter profitenti impenditur, sed de benedictione, seu consecratione, qua persona vovens benedicitur, et consecratur, hoc ipso, quo ad sanctitatis statum, divinaque obsequia per Ministros Ecclesiae legitime assumitur. Ita ut juxta S. Th. ista benedictio, aut consecratio nihil sit aliud, quam dedicatio, consecratio, applicatio, deputatio personae voventis ad statum sanctitatis facta per superiorem legitimum. Sic etiam communiter dicitur aliquid benedictum, et consecratum, quando est deputatum usibus sacris. Porro hanc esse mentem S. Doctoris manifestum est ex probationibus conclusionis, praesertim ex prima, quae ipsismet ejus verbis constat.

Petes 1. Utrum votum conditionatum obliget, si conditio non impleatur determinate sed in aequivalenti? v. g. vovisti ingredi religionem, si Pater egenus tandem moriatur; Pater autem inopinate fit dives. Responsio communior est negativa, quia tua intentio alligata fuit vovendo tali conditioni et non al-

teri. Si tamen, non tam conditionem determinare, quam facultatem ingrediendi religionem intendisti, non est improbabile, ut quidam volunt, te voto teneri.

Petes 2. Utrum vovens solum rem praestandam, non vero conditionem, peccet, si per eum stet, quominus conditio impleatur? R. 1. Si conditio pendeat ex libera voventis voluntate, nec sit aliunde praecepta, ut dare eleemosynam, si ludas, non peccat vovens, si per eum stet, quominus conditio ponatur, licet ob solam causam, ne voto obligetur; nulla enim lege obligatur ponere conditionem ludendi. R. 2. Si conditio sit aliunde praecepta, sive pendeat a libera voluntate, ut ingredi religionem, si intra annum non fueris inebriatus, sive ex causis naturalibus, et aliunde sit praeceptum eam non impedire, ut ingredi religionem si convalescas ex morbo; si ad eludendum votum intra annum inebriaris, vel sanitati ex industria noces per cibum, et potum, peccas non solum contra temperantiam, sed etiam contra religionem ratione voti violati, non enim agis sincere, et sine dolo cum Deo tuo. Si vero ex passione impellente, vel gulositate id facias et eodem modo te geras, ac si votum non emisisses, non peccas contra Votum. Resp. 3. Si conditio pendeat ex libera alterius voluntate, puta si Pater consentiat, non peccas, si modis licitis conaris avertere Patrem a consensu, secus si vi, fraude, aut dolo, quae nemini patrocinantur.

Articulus VI.

Qui possint vovere?

Dico 1. Omnis homo viator ratione sufficienti utens quantum est ex se, hoc est nisi aliunde impediatur, potest vovere. Quia cum possit cognoscere, amare, et colere Deum, ita et vovere. Dixi 1. *Ratione sufficienti utens*: quia requiritur perfecta deliberatio ob rem tanti momenti: unde vota ante septennium emissa censentur invalida, post septennium valida, nisi ex circumstantiis appareat, et adfuisse sufficientem usum rationis ante septennium, et defuisse post septennium. Dixi 2. *Nisi aliunde impediatur*. Porro ex duplici capite potest impediri. 1. Auctoritate ecclesiastica. 2. Ex dependentia ab alterius voluntate.

1. Auctoritate ecclesiastica quis vovere impeditur, quatenus Ecclesia requirit certam qualitatem, et conditionem ad valorem voti, quae alioquin ex natura rei non requiritur, sicut lex civilis requirit ad validitatem quorumdam contractuum certas conditiones, sine quibus sunt invalidi. Nec ideo potestas ecclesiastica juri divino derogat; quia sicut Deus remittit obligationem votorum in quibus Ecclesia dispensat, sic non acceptat ea, quae Ecclesiae non probantur; idque vi promissionis factae Petro, ut quod solveret in terris, esset solutum in coelis. Sic de facto irritat vota, sive simplicia, sive solemnia, quae fiunt ex metu gravi injuste incusso ad hunc finem. Item vota solemnia ante annum probationis completum, et ante annum aetatis decimum sextum completum.

2. Quis impeditur vovere ex subjectione, seu dependentia ab alterius voluntate. Duplex est autem dependentia ab alterius voluntate. Una per se, se tenens ex parte voluntatis personae voventis, puta Religiosi respectu Praelati, impuberis respectu tutoris: utriusque enim voluntas secundum omnes suas actiones quodammodo subjecta est alienae voluntati. Nam Religiosus per votum obedientiae se sui Praelati voluntati subdidit. Impubes quoque secundum juris dispositionem plenum suae voluntatis dominium non habet, sed patri, vel tutori, in cujus potestate existit, et a quo infirma ejus voluntas regi debet, subditur. Ita in jure caus. 20. q. 2. et cap. *Mulier* 32. q. 2. Non sic tamen hanc voluntatis dependentiam intellige, quasi Religiosus, aut impubes nihil omnino possit velle, aut

agere sine consensu positivo Praelati, aut tutoris, sed quod nihil possit velle, aut agere contra voluntatem Praelati, aut tutoris.

Altera voti dependentia est secundum quid, ratione scilicet materiae, quae alterius juri, seu potestati est subjecta; cujusmodi dependentia reperitur in illis personis alteri obligatis, ut si conjux voveret castitatem, servus longas orationes, filiusfamilias pubes eleemosynas ex bonis familiae, etc.

Notandum hic insuper ad faciliorem intelligentiam conclusionum sequentium, actiones Religiosi, quae secundum se, seu ex objecto possunt esse materia voti, esse in quadruplici differentia. Quaedam sunt praeceptae, sive per legem, sive per Regulam, ut audire Sacrum die festo, servare silentium tali tempore, etc. Quaedam sunt positae in consilio, et concessae Religioso, ut recitare Rosarium, meditari, osculari terram, etc. Quaedam sunt prohibitae secundum quid, hoc est ne fiant sine licentia Praelati, quae tamen licentia solet concedi, ut jejunare ultra praescriptum Regulae, facere eleemosynam ex concessis ad usum, etc. Quaedam tandem licet ex objecto bonae, tamen sunt simpliciter prohibitae, ita ut neque petita licentia soleat concedi, ut quod Monialis peregrinetur extra claustra ad locum pium: et quantum ad has ultimi generis actiones non est magna difficultas: certum est enim votum de illis emissum esse nullum: tum quia non est bonum agere contra Regulam, aut justum Superioris mandatum; tum quia licet concederetur dispensatio, non est melius bonum respectu voventis, nam melius est illi conformari Regulae, quam in ea dispensari. His praemissis

Dico 2. Votum emissum a subdito de re quidem secundum se bona, sed per Superiorem aut Regulam prohibita secundum quid ad sensum praecedentis notae, vel Superiori, aut familiae aliquod praejudicium ferente, non obligat in actu secundo, donec Superior sciat et approbet; quia sine tali consensu materia non est in potestate voventis. Tenetur autem vovens petere consensum, imo secundum plures, et aperire votum, si id necesse sit ad obtinendum consensum, nam ad hoc censetur se tacite obligasse vovendo, alioquin frustra vovisset. Quod si vovendo intenderet votum exequi independenter a Superiore, votum esset nullum omnino; quia tunc materia non esset bona: et si exequeretur de facto, peccaret propter injuriam, quam faceret ei, sub cujus potestate est.

Hinc inferes Religiosum voventem peregrinationem extra claustra, famulum voventem longas orationes, filiumfamilias etiam puberem voventem aliquam eleemosynam ex bonis familiae, uxorem voventem castitatem, graves macerationes, hos, inquam, haec et similia superiori, marito, familiae aliquod praejudicium afferentia voventes, non obligari, donec superior aut maritus consentiat, quem tamen consensum, ut dixi, petere tenentur vi voti. Idem dic de marito vovente castitatem, longas peregrinationes etc. respectu uxoris, quia quoad usum conjugalem paris sunt juris et vir et uxor.

Dico 3. Vota Religiosorum de rebus secundum se bonis, per Regulam, aut Superiorem non prohibitis (a fortiori praeceptis), Superiori, aut Communitati non noxiis, emissa, etiam inscio Superiore, valida sunt, et obligant, donec Superior ea irritet, aut contradicat. Idem dic de impubere respectu tutoris, et a fortiori de iis, qui alteri subduntur secundum quid tantum, ut sunt uxor, famulus, filiusfamilias, etc. Est contra Palud. Richard. Valent. et quosdam alios. Prob. 1. Quia vovere est bonum et nulla lege prohibitum. 2. Quia licet voluntas Religiosi, aut impuberis dependeat a voluntate Praelati, aut tutoris, non sic tamen dependet, quasi Religiosi, aut impuberes nihil possint velle, aut agere sine consensu positivo Praelati, aut tutoris, sed sic ut nihil velint, aut agant contra ejus voluntatem, ut dictum est supra; in omni autem voto Religiosorum aut impuberum sive ex natura rei, sive ex dispositione juris, subintelligitur haec conditio, *si Superior non contradicat*: imo si omnino requiras consensum Su-

perioris, adest saltem interpretativus : hoc ipso enim quod res est bona et eam non prohibuit Superior, praesumitur voluntarius et consentiens interpretative : ergo.

Ex dictis inferes 1. Religiosum voventem etiam inscio Superiore quasdam preces, macerationes leves, et similia, quae sine detrimento obedientiae vel disciplinae regularis observari possunt, ad eas obligari, quamdiu non contradicit Superior. Idem dic de impubere pollente pleno usu rationis. De irritatione autem istorum votorum dicemus infra. Inferes 2. puerum et puellam puberes posse saltem valide independenter a voluntate parentum, imo et ipsis contradicentibus vovere castitatem, Religionem, eamque profiteri, sicut et matrimonium inire; quia sunt suae potestatis quantum ad ea, quae spectant suas personas aut statum. Dico *valide*; erit enim illicitum, si rationabiliter contradicant parentes, propter reverentiam, quae illis debetur. Item uxorem independenter a marito valide vovere eleemosynas ex bonis paraphernalibus, quasdam preces, leves macerationes, etc. Idem dic de servo.

Articulus VII.

Quot et quibus modis relaxetur obligatio Voti ?

Dico. Obligatio voti relaxatur simplici cessatione voti, irritatione, dispensatione, et commutatione. Idem dicendum de juramento promissorio, aut voti confirmatorio, de quo infra. Hi autem varii modi distinctis §§. sunt expendendi.

§. I. *De simplici cessatione Voti.*

Dico 1. Cessat votum 1. mutatione materiae, ut si fiat ex possibili impossibilis, ex licita illicita, ex bona, et meliori indifferens, aut minus bona, ut jam supra dictum est. 2. Si ex aliquo accidente improviso adveniente fiat longe difficilior. 3. Si tempus determinatum ad finiendam obligationem sit elapsum, ut etiam alibi notavi. 4. Si cesset finis principalis. Pro quibus omnibus esto

Regula generalis. Quotiescumque tanta intercedit mutatio, vel novum ac improvisum impedimentum, seu accidens supervenit, quod si ab initio fuisset, voti valorem, et obligationem impedivisset, vel rationabiliter praesumi potest, voventis intentionem se non extendisse ad talia, sed sine dubio excepturum fuisse, si in mentem venisset, aut de eo interrogatus fuisset, vel tamdem tale quid occurrat, quod tolleret obligationem praecepti ecclesiastici de tali re facienda, tunc extinguitur votum. Desumitur ex L. *Pluribus* §. *Et si placuit*, ff. *De verborum obligationibus*, ubi dicitur : *Obligatio extinguitur, si in eum casum inciderit, a quo incipere non potest.*

Probatur etiam ratione. 1. Quia in votis ista conditio semper intelligi debet, *in quantum est licitum, rationabile, et moraliter possibile.* 2. Quia obligatio voti non debet extendi ultra intentionem formalem aut praesumptam voventis, cum ab ea omnino oriatur, et dependeat, ut saepe jam dixi. 3. Quia cum votum sit lex privata, debet intelligi ad instar aliarum legum. Confer quae dixi de promissione. Attamen diligenter notandum est, mutationem hanc notabilem, seu impedimentum notabile occurrens, de quo loquimur, debere se tenere ex parte materiae, vel executionis voti in ordine ad vires voventis, et non tantum in ordine ad ejus voluntatem; manente enim ipsa re, ut ante moraliter possibili, regulariter manet obligatio voti, quantumvis voluntas mutata ab eo avertatur; alioquin nullum esset votum, nulla promissio, cujus obligatio, mutata voluntate promittentis, facillime non declinaretur ob exiguas causas. Advertendum insuper, utrum illa mutatio seu impedimentum occurrens sit perpetuum an tempo-

rale tantum. Si perpetuum, omnino extinguitur obligatio voti: si temporale, suspenditur tantum, sic, ut eo cessante reviviscat obligatio voti.

§. II. *De Irritatione Voti.*

Dico 1. Irritatio voti est annullatio seu cassatio facta ab habente potestatem in voventis voluntatem aut in materiam voti. Quae fit vi primae potestatis, est directa; quae fit vi secundae potestatis, est indirecta, Unde

Dico 2. et sit principium generale. Quicumque habet potestatem dominativam in voluntatem voventis, aut in materiam voti, potest alterius vota irritare. Ita communiter. Dicitur potestas dominativa, qua quis disponere potest de persona vovente aut materia voti tamquam de re sua. Ratio conclusionis est, quia vota eorum, qui alteri subduntur, sive quoad voluntatem, sive quoad materiam voti, includunt tacite hanc conditionem: *Nisi superior, aut is cujus interest, contradicat*: et hoc tum ex dispositione juris, ut patet de impuberibus in ipso jure, et de Religiosis in ipsa praxi totius Ecclesiae; tum ex natura rei, quia absque hac conditione subditi illicite, et invalide voverent, siquidem absolute disponerent de eo, quod est in potestate alterius; sic autem oportet interpretari votum, ut potius valeat, quam non valeat. Unde

Circa Vota Religiosorum.

Dico 3. Praelati Regularium possunt directe irritare omnia vota suorum subditorum, paucis exceptis: quia habent potestatem dominativam in voluntates, et consequenter in omnes actiones suorum subditorum, adeo ut in omnibus eorum votis includatur praefata conditio, *nisi superior contradicat.*

Dixi: *Paucis exceptis*; quia excipitur 1. votum transeundi ad arctiorem Religionem, tum ex speciali juris dispositione deroganti quoad hoc superiorum potestati cap. *Licet* 18. *de Regularibus*: tum quia absolute est in potestate voventis commutare votum suum in evidenter melius: tum tandem quia videtur absurdum, ut illud votum in arbitrio superioris ponatur, per quod extra illius potestatem subditus est constituendus; potest tamen in eo dispensare ex legitima causa, ut dicemus infra. 2. Excipiuntur ipsa vota solemnia, et alia ipsis annexa, ut votum abstinentiae quadragesimalis apud Minimos, redemptionis captivorum apud Religiosos de mercede; quia vota solemnia et ipsis annexa sunt fundamentum, cur habeant superiores in suos potestatem dominativam, et constituunt statum, quem superiores servare debent, non evertere.

Ex his inferes Praelatos Regulares non posse irritare vota Novitiorum tam personalia quam realia, sive in Novitiatu, sive ante emissa: quia Novitii nondum sunt per votum obedientiae subjecti potestati dominativae superiorum, sed adhuc sui juris; quia tamen vi privilegiorum in favorabilibus reputantur Religiosi, possunt Praelati cum eis in praedictis votis dispensare. Possunt etiam vota eorum personalia suspendere, quatenus eorum gubernationi et probationis exercitiis sunt impedimento; ita ut si Novitius non profiteatur, obligatio voti reviviscat. Quod si profiteatur, omnia ejus vota saltem personalia, ipso facto commutantur in vota solemnia Religionis, quia sunt particularium operum, et per Religionem homo totam vitam suam Dei obsequio mancipat, particulare autem in universali includitur; unde Professio Religiosa omnia alia obsequia particularia quasi eminenter continet. Adde particulares observantias Religioni non competere, et Religionis onus satis hominem onerare, ut alia superaddere non oporteat. Quantum vero ad vota realia, juxta Sylvestrum verbo *Votum* 4. q. 7. transeunt ad monasterium proportionate ad valorem bonorum, quae recipit ab illo,

aut forte melius ad haeredes si qui sint, non secus ac alia debita. Adverte tamen quod si illa Novitiorum vota facta essent ante annos pubertatis, possint irritari, a Praelatis Regularibus, quippe qui loco parentum, et tutorum succedunt.

Circa Vota Filiorumfamilias.

Dico 4. Omnia vota impuberum possunt directe irritari a patre, vel eo deficiente ab eo, qui jure paterno gaudet. Impuberes seu pupilli secundum jura sunt masculi, qui non compleverunt decimum quartum aetatis annum, et puellae, quae non compleverunt duodecimum. Conclusio est communis cum D. Th. et colligitur ex variis locis juris; quae si forte non videantur satis efficaciter probare pro omnibus votis, dicendum est, quod cum id sit communi omnium sensu, et praxi receptum, jure gentium fuerit introductum, utpote apprime consonum rationi, et aequitati naturali: cum enim impuberes in illa tenera aetate ut plurimum sint infirmioris judicii, et rationis, aequum est, ut aliena patris, aut tutoris voluntate regantur, adeoque quod in eorum omnibus votis, juramentis, pactis, obligationibus quibuscumque semper intelligatur haec conditio, *Si pater, aut tutor non contradicat.*

Dixi, *vel ab eo, qui jure paterno gaudet.* Porro hoc jus paternum ad plures ordinatim extenditur. 1. Deficiente patre, id assequitur tutor, quamdiu durat officium tutoris. Deficiente tutore, curator, qui saltem secundario constituitur ad regendam minorennis personam. Deficiente curatore avus, proavus, et ascendentes. His deficientibus mater, avia, et ascendentes.

Ex dictis resolves 1. vota emissa ante pubertatem, licet adimplenda in ipsa pubertate, posse irritari a patre, vel tutore: quia haec potestas fundatur in praesumpta imbecillitate voventis, quae tunc adfuit, quando vovit, et quia inclusa fuit haec conditio, *Si pater, aut tutor non contradicat.* 2. Resolves vota emissa ab impubere posse etiam irritari a patre, vel tutore, non solum durante impubertatis tempore, sed etiam postea, modo vovens pubes factus ea non ratificaverit. Ita communiter contra Soto, idque propter rationes allatas in praecedenti resolutione. Ut autem vovens censeatur suum votum ratificare, necesse est ut ejus debilitatis sit conscius, velitque de novo se obligare perinde ac si nusquam obligatus fuisset: unde non sufficit praecise, quod vel prius votum incoeperit exequi, vel illud saepe renovaverit: hoc enim est prius vinculum approbare, non novum suscipere. 3. Resolves vota emissa ab impubere, firmo licet, et perfecto usu rationis pollente, esse nihilominus a patre irritabilia, quia jura respiciunt, quod communiter accidit, nec sic statuunt, quia in hoc, vel illo est infirma ratio, sed quia plerumque in illa aetate deficit.

Dico 5. Quantum ad vota filiorum emissa post pubertatem adeptam, illa solum possunt a patre indirecte, et ratione materiae irritari, quae et quatenus liberae patris potestati in expedita familiae, rerumque suarum administratione sunt nocumento. Quia in his solum subjiciuntur patri, in aliis vero sunt sui juris. Idem dic proportione servata de votis servorum respectu domini, et de votis Novitiorum respectu Praelati. Hinc inferes vota filiorum puberum de longis peregrinationibus, de continuis orationibus, de gravibus macerationibus, quibus familia perturbatur, necessaria obsequia negliguntur, aut infirmitas timetur, et maxime eleemosyna facienda ex bonis familiae esse irritabilia; secus vota castitatis, Religionis, sacrorum Ordinum, Confessionis, Communionis menstruae, eleemosynae de bonis castrensibus, aut quasi castrensibus, et similia.

Circa Vota Conjugum.

Dico 6. Vota uxorum solum indirecte, et ratione materiae irritari possunt a maritis, quatenus nempe ipsis in conjugii usu, familiae gubernatione, et rei familiaris administratione sunt nocumento, ut votum continentiae, multarum sive macerationum, sive orationum, sive peregrinationum, sive eleemosynarum ex bonis familiae. Vota vero sive personalia, sive realia, quae juri maritali nullatenus derogant, ut votum aliquarum vel precum, vel macerationum, vel confessionum, vel eleemosynarum ex bonis paraphernalibus etc. irritari non possunt a maritis. Est communior, et probabilior cum Sylvestro, Navarro, Sylvio, et aliis, contra Soto, Arragon, et alios.

Ratio est quia licet uxor sit subdita viro quoad vinculum, et jura matrimonii, nimirum in vitae societate, usu matrimonii, prolium educatione, et familiae administratione, unde probatur prima pars conclusionis; non est tamen illi subdita per se, et simpliciter quoad voluntatem, neque consequenter quoad actiones omnes suas liberas, eo scilicet modo, quo Religiosus subditur Praelato, aut impubes patri; ergo. Probat. ant. Omnimoda illa subjectio et dependentia uxoris a viro nullo jure fundatur; non jure naturae aut gentium, ut dicebamus supra de impuberibus, quia mulieres majoris judicii firmitate sunt praeditae, quam impuberes, alioquin non conjugatae forent semper tutoribus subjiciendae: non jure positivo, nullum enim extat. Quod autem affertur ex cap. 30. Numer. est judiciale, non amplius ligans, aut certe intelligitur de votis juri matrimonii derogantibus, nempe de gravibus corporis afflictationibus. Non denique ex contractu, et vinculo matrimonii; haec enim extenduntur tantum ad corporis usum, et familiae administrationem: ergo.

Dico 7. Uxor potest etiam indirecte irritare vota mariti, quae juri suo matrimoniali derogant, ut votum continentiae, longinquae peregrinationis, enormium austeritatum, et similia, quibus redderetur ineptus ad debitum conjugale, et officia domestica, aut mutuam societatem notabiliter violarent: quoad haec enim paris juris sunt vir, et uxor.

Petes 1. Utrum praeditus facultate vota irritandi, si vovendi licentiam dedit, aut votum emissum approbavit, possit hoc non obstante votum irritare? R. affirmative de illo, qui potest votum irritare directe, et ratione dominii in voluntatem voventis, etiamsi promisisset licentiam datam aut approbationem non revocare. Ita communiter. Ratio est, quia ideo non desinit esse superior, aut habere potestatem regendi voluntatem subditi etiam quoad hunc actum; hanc enim a se abdicare, et juri suo cedere non voluit, imo nec potuit, cum illud jus non a se, sed a natura, vel a lege habeat. Confirmatur: tale votum potest irritari a successore secundum omnes: ergo idem potest, qui consentit in illud, quia aequa est utriusque potestas. Quantum vero ad eos, qui possunt tantum vota irritare indirecte et ratione materiae, major mihi videtur difficultas, quia hi possunt cedere juri suo. Quapropter censeo, si permittendo, aut approbando votum intenderint cedere juri suo, non posse amplius illud irritare; si autem simpliciter consenserint, aut dixerint tantum se non contradicere, non intendentes cedere juri suo, posse. Sed quando censendi sunt cedere aut non cedere juri suo, nisi verbis id exprimant, haud facile est discernere.

Petes 2. Utrum vota irritari possint sine causa? R. Possunt valide, sed non licite. Ratio primae partis est, quia facta sunt sub hac conditione tacita, *Si superior, aut is cujus interest, non contradixerit*; unde ipso contradicente, sive cum causa, sive sine causa, evanescit votum. Ratio secundae partis est: quia licet irritans utatur irritando jure suo, debet tamen illo uti rationabiliter,

et non ad impediendum absque causa cultum Dei : quapropter non solum irritans, sed etiam petens irritationem peccat, non tamen plusquam venialiter, ut communiter tradunt Auctores, nisi forte irritans prius licentiam vovendi dedisset, aut voto consensisset, aut, quod majus est, nisi consensum datum non revocare promisisset; in his enim casibus tam irritans, quam petens irritationem secundum communiorem sententiam peccant graviter, mortaliter, vel venialiter pro ratione materiae.

Petes 3. Utrum vota semel irrita reviviscant, quando vovens a potestate irritantis manumissus est ? R. Vota semel et absolute irritata numquam revivisce-re, quia irritatio est extinctio obligationis voti. Quae vero tantum sunt suspensa, reviviscunt, dum vovens est sui juris; quia tunc obligatio voti non extinguitur, sed suspenditur dumtaxat ratione materiae, quae est alteri obligata ; unde cessante hac obligatione redit votum.

Hinc sequitur 1. Vota Religiosorum et impuberum, irritata a Praelato, patre, vel tutore numquam reviviscere ; quia talis irritatio, cum sit directa nempe ratione dominii in voluntatem voventis, est absoluta. Sequitur 2. Vota uxorum, aut servorum, ante matrimonium vel servitutem emissa, et a marito, aut domino irritata, seu potius suspensa, dissoluto matrimonio, aut finita servitute, reviviscere ; quia cum neque ratione subjectionis personalis, neque ratione materiae, emissa sint sub hac conditione, *Nisi maritus, aut dominus contradixerit*, ab eo non potuerunt absolute irritari, sed tantum suspendi, quatenus ejus juri derogant, unde cessante tali derogatione reviviscunt. Sequitur 3. saltem ut mihi probabilius videtur, vota uxorum, puberum, servorum, etiam Novitiorum, emissa tempore subjectionis, si protendantur usque ad tempus libertatis, non absolute irritari a marito, patre, domino, aut Praelato, ideoque reviviscere, quando voventes fiunt sui juris re manente integra. Quia assignati non habent potestatem irritandi haec vota simpliciter et absolute, sed tantum indirecte ratione materiae, quatenus est ipsis obligata : unde ea tantum suspendere possunt, quamdiu durat ista obligatio ; ea vero cessante, votum ratione illius impeditum, aut suspensum omnino reviviscit. Neque dicas haec vota emitti sub hac tacita conditione, *Nisi cujus interest contradicat*, quia is, cujus interest, non potest contradicere, nisi quatenus talia vota derogant illius juri ratione materiae, quae ipsi est obligata, et sic intelligenda est apposita conditio : sicque contradicere non potest pro tempore, quo nullum fit ipsi praejudicium.

Quaeritur 4. Utrum Papa possit irritare vota omnium fidelium? R. posse irritare vota omnium Religiosorum, quia est Praelatus Praelatorum omnium religionum, cui omnes religiosi obedientiam vovent. Item vota Ecclesiasticorum de rebus ecclesiasticis, et beneficialibus ratione materiae, quae illi subjecta est. Caeterorum autem fidelium non potest, quia vota illorum non sunt illi subjecta neque ratione materiae, neque ratione dominii in illorum voluntates.

§. III. *De Dispensatione Voti.*

Nota. Dispensare in voto non est idem, ac judicare materiam voti non esse Deo acceptam, aut ipsam non obligare, ut quidam existimant; id enim est interpretari votum, non dispensare in voto, et magis pertinet ad Doctores, quam ad Praelatos. Igitur juxta S. Thomam dispensare in voto est voti obligantis vinculum relaxare, seu ab observatione voti deobligare voventem, qui alias de jure erat obligatus.

Dico 1. certe esse in Ecclesia potestatem dispensandi in votis. Haec conclusio probatur 1. ex perpetuo usu Ecclesiae. 2. Ex Scripturis. Matth. 16. Christus loquens Petro dixit: *Tibi dabo claves Regni coelorum, et quodcumque solveris*

super terram, erit solutum et in coelis. Et 18. alloquens Apostolos: *Quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in coelis*: quae verba cum sint generalia, debent intelligi de omni vinculo, quod homo erga Deum contrahere potest, et aliquando solvi expedit. 3. Ratione fundata in laudatis Scripturis: Dominus concessit Ecclesiae potestatem solvendi a vinculo culpae, et poenae: ergo etiam a vinculo voti, et juramenti, cum id pariter expediat saluti animarum, et suavi Ecclesiae regimini.

Dices. Observare votum est de jure naturae: atqui Ecclesia non potest dispensare in jure naturae: ergo. R. D. majorem. Observare votum, durante voti obligatione, est de jure naturae, C. majorem: cessante voti obligatione, N. majorem: dispensatio autem tollit obligationem voti, ut dictum est; unde ejus observationem non urget amplius jus naturae. Sic licet observare legem humanam, quamdiu obligat, sit de jure naturae; qui tamen in ea dispensat, non dispensat in jure naturae, sed dispensando tollit obligationem legis, qua sublata, observatio legis non est amplius de jure naturae. Similiter de voto.

Dico 2. Potestas dispensandi in votis jure ordinario competit solis Praelatis, qui habent jurisdictionem spiritualem in foro externo. Quia 1. haec potestas pertinet ad externum Ecclesiae regimen, sicut potestas dispensandi in legibus, indulgentias conferendi, censuras ferendi, etc. 2. Quia haec potestas non est ordinis, sed jurisdictionis: unde non competit cuivis Sacerdoti, nec ad eam requiritur Sacerdotium aut Ordo sacer, sed solum jurisdictio ecclesiastica in foro externo, qualis est in Episcopo confirmato, licet nondum sacris Ordinibus initiato. Ex delegatione autem aut privilegio convenire potest aliis, qui jurisdictionem ordinariam non habent in foro externo, sed tantum delegatam.

Hinc sequitur SS. Pontificem posse jure ordinario dispensare in omnibus votis omnium fidelium, exceptis secundum nos votis solemnibus, de quibus infra: Episcopum in omnibus votis suorum dioecesanorum, similiter Capitulum sede vacante, item Nuntium apostolicum in sua provincia; Praelatos regulares exemptos in votis suorum Religiosorum, Generalem in toto Ordine, Provincialem in sua provincia, et probabilius Superiorem localem in suo Conventu, quia hoc ipso quo aliqua Religio eximitur per Pontificem a jurisdictione Episcopi, conceduntur Praelato ea, quae sunt jurisdictionis episcopalis; id etiam posse erga Novitios probabilior est sententia; quia in favorabilibus gaudent privilegio sui Ordinis. Archiepiscopi dispensare etiam possunt cum suis suffraganeis, non tamen cum eorum subditis nisi per viam appellationis. Excipe erga omnes assignatos quinque vota Papae reservata, de quibus modo.

Dico 3. Quinque vota scilicet Religionis ingrediendae, castitatis perpetuae, peregrinationis in Jerusalem, ad S. Jacobum, et ad Limina Apostolorum Petri et Pauli a solo Papa sunt dispensabilia, quippe qui ea sibi reservat, restringens quoad hoc potestatem ordinariam Episcoporum. [Constat haec reservatio ex consuetudine, et stylo Curiae Romanae. Constitutione *Etsi dominici* 2. de Poen. et remiss. statuitur, ut etiam commutantes dicta quinque vota praetextu privilegiorum subjiciantur excommunicationi summo Pontifici reservatae. Insuper, ut advertit Bened. XIV. in Enciel. ad Poenitent., et Confess. pro Jubilaeo anni 1750. §. 3. n. 42. est etiam Papae reservatum votum perpetuum, quo quis Episcopatum acceptans, se ad animarum curam sibi commissarum obstringit; non vero sunt reservata alia vota perpetua, nec illud Visitationis almae Domus Lauretanae, ut aliqui dixerunt. Idem Bened. XIV. ibid.]

Dico 4. Haec quinque votorum reservatio comprehendit tantum vota proprie dicta, certa, absoluta, determinata, integra, et ea quoad substantiam dumtaxat non quoad circumstantias. Quia cum sit odiosa, utpote potestatem ordinariam Episcoporum restringens, est stricte interpretanda et ad vota ex omni parte perfecta

restringenda, adeo ut quotiescumque deest aliqua ex assignatis qualitatibus, possint jure ordinario ab Episcopo dispensari. Unde

Inferes 1. Vota seu promissiones sacras factas B. Virgini aut aliis Sanctis absque relatione promissionis ad Deum, etsi fiant in materia reservata, non esse tamen reservatas, quia non sunt proprie vota, votum enim fit soli Deo, ut ante dictum est. Inferes 2. Vota dubia non esse reservata, quia reservatio utpote odiosa, ut dixi, non debet extendi nisi ad certos casus. Inferes 3. Votum castitatis ad tempus non esse reservatum, item nec votum castitatis conjugalis, votum non nubendi, non fornicandi, non se polluendi; quia reservatio intelligitur de castitate perpetua et integra, seu simpliciter dicta. Inferes 4. quod ubi semel Papa votum reservatum in aliud commutavit istud subrogatum non sit reservatum, quia ut suppono non est amplius in materia reservata.

Dico 5. Etiam remanente vera materia et ratione voti reservati potest nihilominus per accidens dispensari ab Episcopo, quando nimirum est impossibilis aut valde difficilis recursus ad summum Pontificem, et urget gravis necessitas maturandi dispensationem. Haec sententia, quae est communis, innititur epikeiae seu praesumptae voluntati Papae, qui non secus ac in aliis legibus pontificiis, censuris, etc. non censetur velle coarctare fideles in tanta necessitate, sed eos potius remittere ad primaevam et ordinariam potestatem Episcoporum. Hinc

Inferes 1. Votum castitatis sponsi aut sponsae posse ab Episcopo dispensari ad matrimonium contrahendum, si ex dilatione matrimonii immineat grave damnum, aut gravis infamia sive sponsi, aut sponsae, sive familiae, sive prolis non legitimatae.

Dico 6. Ad licitam, et validam dispensationem in votis requiritur justa, et rationabilis causa.

Ratio est, quia dispensans non agit ut dominus, nomine proprio disponens de voto, aut materia voti, tamquam de re sua, sicut facit irritans; sed agit ut inferior nomine Dei, qui non dedit hanc potestatem hominibus, ut ea temere utantur ad destructionem, sed prudenter ad aedificationem, et ideo non censetur ratam habere dispensationem, sine justa causa factam.

Ex quo inferes tam dispensantem sine causa, quam utentem tali dispensatione, non esse tutos in conscientia, sed utrumque peccare graviter, vel leviter pro conditione materiae. E contra posita causa sufficienti peccat etiam graviter denegans dispensationem, et est causa damnorum, et peccatorum, quae ex denegata dispensatione sequuntur:

Petes 1. Quaenam sint causae sufficientes ad licitam et validam dispensationem? R. Generatim sunt honor Dei et utilitas Ecclesiae, sub quibus aliae continentur, nimirum bonum communitatis, utilitas voventis, magna ejus fragilitas, ex qua timetur frequens violatio voti, necessitas urgens, minor aetas, metus, inconsideratio, perturbatio mentis in vovendo, et maxime quando tales circumstantiae occurrunt, ut dubium sit, an votum subsistat, aut obliget. Porro quo majus, et excellentius est votum, major requiritur ratio, ita ut causa proportionetur voto. Et ubi causa non apparet omnino sufficiens, commutandum est votum in aliud opus pium. Imo etsi sit sufficiens, tamen ad majorem securitatem raro utendum est pura dispensatione absque aliqua commutatione.

Petes 2. Utrum vota in favorem tertii sint dispensabilia? R. N. si is tertius promissionem acceptavit, quia per acceptationem jus acquisivit ad rem voto promissam, cui juri dispensans derogare non potest: secus autem, si promissionem non acceptavit, quia tunc nullum jus acquisivit.

Petes 3. An sit aliqua forma servanda in dispensatione? Idem quaeritur de irritatione et commutatione? R. N. sed sufficit voluntas dispensantis; quia jus, aut praxis nihil aliud requirit. Debet tamen vovens, aut petiisse dispensationem, aut

exterius ipsi manifestatam acceptare; quia Deus non censetur remittere voti obligationem, quae libere contracta est, nisi volenti ea solvi: secus in dispensatione legum, impedimentorum matrimonii, irregularitatum, et in solutione censurarum, et similium, quae a sola Praelati voluntate pendent.

§. IV. *De Commutatione Voti.*

Dico 1. Commutatio voti est subrogatio alicujus boni operis in locum illius, quod voto promissum est, facta sub eadem obligatione voti. Has ultimas particulas addo, quia vovens eodem Religionis vinculo astringitur operi subrogato, quo tenebatur operi prius per votum promisso: quia commutare votum non est absolute remittere ejus obligationem, ut fit per dispensationem, sed cum onere, nempe ut loco prioris obligationis suscipias aliam, in consensu enim acceptantis commutationem implicite continetur votum operis subrogati.

Dico 2. Omnes, qui possunt dispensare in votis jure, sive ordinario, sive delegato, possunt illa commutare, non e contra. Quia *Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus*, in eodem genere scilicet: ex cap. 43. *De Reg. juris* in 6. Non autem e contra, cui licet quod est minus, licet quod est plus. Atqui dispensare est plusquam commutare, et utrumque in eodem genere, quia commutatio est quaedam dispensatio imperfecta. Ergo.

Petes, utrum Regulares possint commutare vota saecularium? R. Quamvis dubium sit, an possint in eis dispensare, videtur tamen certum eos posse illa commutare ex privilegio concesso PP. Jesuitis a Paulo III. cujus Bulla teste Lezana tom. 1. cap. 19. n. 23. extat apud Casarubium in compend. Privileg. Mend. Item ex privilegio concesso Minimis per Sixtum V. Bulla *Sedes Apostolica* 5. apud Cherubinum, *Vota quaecumque permutandi et relaxandi.* Estque sententia communis. Addit ibidem Lezana, Gregorium XIII. extendisse hoc privilegium ad vota jurata, dummodo commutatio in alterius praejudicium non fiat. [De facultate Regularium dispensandi in Votis fuse agit A Vicentia *de Privil. Regul.* p. 1. c. 19; et hujusmodi privilegium, tamquam omnino insubsistens, rejicit. Quae est etiam aliorum Theologorum communis sententia]

Dico 3. Ipse vovens non potest regulariter auctoritate propria suum votum commutare, sed requiritur ad hoc auctoritas Praelati. Quia, ut supra dictum est, votum est promissio facta Deo de aliquo, quod sit ipsi acceptum; quid sit autem in aliqua promissione acceptum ei, cui promittitur, ex ejus pendet arbitrio: Praelatus autem in Ecclesia gerit vicem Dei, et ideo in commutatione votorum sicut in dispensatione requiritur Praelati auctoritas, qui in persona Dei determinet, quid sit ipsi Deo acceptum.

Dixi *Regulariter*, quia si votum sit commutandum in evidenter melius, communis sententia Sylvii, Cajet., Soto, et aliorum contra Sylvestrum est, hanc mutationem posse fieri a vovente, idque conformiter juri Cap. *Pervenit* 2. *De jurejurando*, ubi dicitur *Propositum, seu promissum non infringit qui in melius illud commutat.* Porro voco hic melius, non quod praecise et ex genere suo est praestantius, et excellentius, sed quod attentis omnibus circumstantiis gratius est Deo nos facere: sic licet oratio ex genere suo sit praestantior jejunio, tamen qui vovit jejunium, non potest auctoritate propria commutare in aliquas orationes, sed in aliud aliquid, quod pro loco, tempore, et dispositione nostra evidenter magis congruit ad salutem nostram a nobis fieri.

Hinc qui vovit v. gr. dare calicem argenteum, potest dare calicem aureum; qui vovit recitare septem Psalmos poenitentiales, potest celebrare sacrum; qui vovit peregrinari ad B. Virginem Hallensem, potest peregrinari ad B. Virginem Lauretanam; qui vovit ingredi Religionem minus strictam, potest ingredi stri-

ctiorem. Et tamdem omnia vota tam personalia, quam realia possunt auctoritate propria commutari in professionem religiosam. Quia caetera vota sunt de particularibus operibus; per Religionem autem homo totam vitam suam Dei obsequio mancipat; unde religiosa professio omnia alia obsequia particularia quasi eminenter continet. Id intellige etiam de votis reservatis Papae ex speciali juris dispositione in Decretali Alex. III. Cap. *Scripturae* de voto, ubi dicitur: *Reus fracti voti aliquatenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam Religionis observantiam noscetur commutare.*

Dico 4. Commutatio simplex (hoc est seclusa omni dispensatione) debet fieri in aequale. Id enim importat vox commutatio, maxime si justa sit, qualis hic debet esse: unde si fiat in minus, erit partialis donatio, seu remissio, nimirum excedentis, et sic non erit sine aliqua dispensatione. Hoc bene advertant, qui habent tantum facultatem commutandi, et non dispensandi, ut in Jubilaeis. Porro istud aequale non debet esse mathematicum, difficillimum enim foret illud attingere, sed morale, in quo paulo minus pro nihilo reputatur. Unde quando commutans, omnibus prudenter expensis, existimat bona fide materiam, quam substituit, aequare circiter materiam voti, tam ipse, quam vovens debent quiescere, maxime cum commutatio non sit tantum actus justitiae respectu voti commutandi exigens aequalitatem, sed etiam actus benevolentiae in aliqualem alleviationem voventis: et alias certe facultas commutandi plus noceret propter infinitos scrupulos, quam prodesset. Quapropter hoc ipso, quo prudenter dubitas, an sit aequalitas, censetur parvus aut defectus, aut excessus, et sic potes commutare.

Caeterum pro praxi nota, ad rectam commutationem non debere solum spectari materiam promissam, seu ejus difficultatem, asperitatem, austeritatem, etc. quasi semper in aeque difficile, et asperum sit commutandum, sed potissimum spectari debet id, quod attento fine voventis magis conducit ad ejus salutem et Dei gloriam: unde quamvis convenienter commutentur vota personalia in personalia, realia in realia, perpetua in perpetua, peregrinationes in peregrinationes, orationes in orationes, etc. non est tamen necesse sic semper facere, sed possunt quaecumque vota mutari in alia opera disparata, prout magis ad gloriam Dei, et voventis salutem conducere judicantur, et maxime in frequentationem sacramentorum, quibus efficacius et Christi merita applicantur, et gratia confertur.

Dico 5. Ad licitam commutationem voti in melius nulla requiritur causa, quia secundum se est bona, et meritoria. Ad commutationem in aequale requiritur aliqua, sed sufficit levis, v. g. major devotio voventis. Ad commutationem in minus, quae non est sine aliqua dispensatione, requiritur major causa, non tamen tanta, quam pro absoluta dispensatione, quia haec tollit totam obligationem voti, non illa. Ita communiter.

Sed utrum commutatio in minus notabiliter sine justa causa sit non tantum illicita, sed etiam invalida? R. probabilius affirmative: quia commutans excedit suam potestatem; unde Deus non censetur talem commutationem ratam habere, sicut nec dispensationem factam sine causa, ut diximus supra.

Petes 1. Utrum votum emissum in favorem tertii possit commutari? R. Ante acceptationem potest, post acceptationem non potest; quia ante acceptationem nullum jus illi tertio est acquisitum, sed soli Deo. Per acceptationem autem acquirit jus, cui regulariter nemo potest, sive per dispensationem, sive per commutationem derogare sine ejus consensu: unde in facultatibus dispensandi, vel commutandi, semper apponitur haec clausula, *sine praejudicio tertii.* Dixi *Regulariter*, quia excipitur casus, in quo bonum Ecclesiae vel Reipublicae, cui debet cedere omne bonum privatum, commutationem vel dispensationem exigeret.

Dubium hic incidit, utrum ille tertius possit votum remittere, sic ut vovens sua obligatione liberetur. R. posse recusando positive beneficium, in ejus favorem Deo promissum, quia vovens non intendit benefacere invito. Sed si non recuset beneficium, velit autem tantum voventem non obligari, seu manere liberum, probabilius est contra Navarr., quod tunc vovens non liberetur sua obligatione, quia votum principaliter est factum in honorem Dei, qui illud acceptavit, adeoque servandum. Ita Layman cum aliis pluribus.

Petes 2. Utrum si materia subrogata fiat impossibilis, aut inutilis, etiam ex culpa voventis, teneatur redire ad prius votum? R. negative, quia per legitimam commutationem prius votum est extinctum, obligatio autem semel extincta non reviviscit. L. *Qui res* §. *Aream* ff. *De solut.*

Petes 3. Utrum potestas concessa in Jubilaeis commutandi vota extendatur ad vota emissa post concessionem Jubilaei? R. affirmative: quia istud privilegium non restringitur ad vota emissa ante concessionem Jubilaei, sicut nec privilegium absolvendi a casibus reservatis restringitur ad casus ante Jubilaeum commissos. Ubi autem jus non restringit, nec nos debemus restringere, eo magis quod favores sint ampliandi.

Petes 4. Utrum elapso tempore Jubilaei possint a communi Confessario commutari vota illius, qui Jubilaeum lucratus est, sive opera praescripta praestitit, sed commutationem votorum petere omisit sive voluntarie, sive involuntarie? R. id pendere ex Bulla. Si per Bullam potestas commutandi vota sit restricta ad tempus Jubilaei, respondendum est negative. Si vero non sit restricta, respondendum est affirmative: unde attente inspiciendus est tenor Bullae.

Petes 5. Utrum qui tempore Jubilaei obtinuit commutationem votorum cum intentione opera praescripta adimplendi, si tamen ea postmodum non impleat, teneatur redire ad prius votum? [Resp. cum Benedicto XIV. Constit. *Benedictus Deus* §. *Caeterum.* „ Siqui autem post obtentas vigore praesentium, absolutiones a censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes praedictas, „ serium illud, ac sincerum, ad id alias requisitum propositum, ejusdem Jubilaei lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi, mutaverint, licet propter idipsum a peccati reatu immunes censeri „ vix possint, nihilominus absolutiones, commutationes, et dispensationes, ab „ ipsis cum praedicta dispositione obtentas, in suo vigore persistere decernimus, ac declaramus „ Et vide §. 9. ejusdem Constitut. 2. 86. Hoc idem declaraverat idem Pontifex Const. *Convocatis* §. 54.]

Articulus VIII.

Utrum in Votis solemnibus Ecclesia seu summus Pontifex possit dispensare?

Dico. Summus Pontifex non potest dispensare in votis solemnibus Religionis; bene tamen in voto solemnizato per susceptionem Ordinis sacri. Secunda pars hujus conclusionis communiter admittitur. Prima autem valde controvertitur. Hanc negavit S. Th. junior in 4. d. 58. q. 1. a. 4. ad 3. hic autem senior factus aperte et constanter asserit, et cum eo major pars Thomistarum. Prob. prima pars. SS. Pontifex non potest facere, ut Religiosus manens Religiosus non teneatur ad servandam castitatem, paupertatem, et obedientiam, neque ut desinat esse Religiosus: ergo dispensare non potest, etc. Patet consequentia, quia hoc duplici modo dumtaxat intelligi potest fieri dispensationem in his votis, nempe ut per illam vel desinat esse Religiosus, vel ut manens Religiosus absolvatur a votis.

Antecedens quoad primam partem conceditur ab Adversariis, et probatur evidenter; quia ista tria vota sunt essentialiter annexa statui Religionis, imo per illa constituitur, ita ut si Religiosus illis non astringeretur, foret Religiosus, ut supponitur, et non foret; quia non haberet id, per quod formaliter essentialiter constituitur Religiosus. Probatur ergo secunda pars antecedentis, de qua est potissimum difficultas. Religiosus per vota solemnia non solum promittit, sed etiam se totaliter tradit ad servandam castitatem, obedientiam, et paupertatem, ut probatum est supra, et ea traditione absoluta atque reciproca acceptatione consecratur Deo et cultui divino ad observantiam istorum votorum: atqui summus Pontifex facere non potest, ut id quod est semel Deo consecratum et sanctificatum, consecrationem et santificationem amittat, quamdiu manet in sua integritate: sic v. g. non potest facere ut Calix consecratus desinat esse consecratus quamdiu manet integer, ut Sacerdos non sit Sacerdos etc. Ergo non potest facere Pontifex, ut Religiosus desinat esse Religiosus.

Patet secunda pars conclusionis: quia in susceptione Ordinis sacri homo non traditur seu consecratur ad servandam castitatem, ut in Professione Religiosa, sed ad sacrum ministerium, cui per statutum Ecclesiae annexum est simplex votum castitatis in quo proinde potest SS. Pontifex dispensare, sicut in aliis omnibus votis simplicibus.

Obj. Summi Pontifices saepe dispensarunt in voto solemni continentiae, ut constat ex variis historiis: ergo. R. 1. Omnes istas historias esse aut falsas aut saltem dubias, ut probavimus in priori nostro Opere. R. 2. supposita veritate harum historiarum, summos Pontifices secutos fuisse sententiam, quae apud Canonistas reputatur probabilior: unde non sunt reprehendendi; nec tamen id sententiae nostrae officit, facta enim Pontificum non sunt dogmata Fidei. Quae specialiter dixi de Casimiro in priori nostro Opere, impugnat vir eruditissimus atquae urbanissimus D. Collet Epist. 32. Tom. 3. Gallice scripti, cui titulus *Traité des Dispenses*, etc. Edit. 1753. V. prius nostrum Compendium.

DISSERTATIO IV.

De Juramento, Adjuratione et assumptione Divini Nomini per laudem.

D. Thomas Quaest. 88. 90. *et* 91.

Articulus I.

Quid sit Juramentum?

Dico 1. Jurare est vocare Deum in testem alicujus rei: unde juramentum est *Invocatio divini nominis in testimonium alicujus rei.* Dicitur etiam sacramentum, quia fit per rem sacram, scilicet Divinum Nomen. Haec autem invocatio divini testimonii est actus intellectus, nempe locutio interior, praesupponens actum voluntatis, quo optamus, et intendimus Deum adesse nobis testem. Id tamen non sic intelligas, quasi jurans absolute petat, ut Deus hic et nunc actuali signo veritatem dicti testetur, (hoc enim pertinet ad tentationem Dei, si sine urgentissima ratione, vel sine speciali motione Spiritus Sancti fieret) sed quod Deus testetur veritatem dicti quomodo, et quando ei placuerit, saltem *Quando illuminabit abscondita tenebrarum, et revelabit occulta cordium.* Et hoc testimonium nulli juranti deficiet, vel pro eo, vel contra eum. Sed quid valet, inquies, testimonium Dei futurum ad fidem hic et nunc faciendam? mul-

tum sane, quia non facile putatur quis ita esse improbus, ut velit Deum facere testem falsi, et confirmatorem mendacii.

Dices. Qui jurat per falsos Deos, vere jurat: ergo jurare non est Deum scilicet verum invocare. R. N. ant. Quia qui jurat per falsos Deos puta Jovem, vel scit Jovem nihil esse, et tunc non magis jurat quam si juraret per chimaeram, quae nihil testari potest, et ideo si falsum jurat, non est perjurus sed mendax. Vel putat Jovem esse Deum, et tunc neque revera jurat, quia Deus ille putatitius non est testis infallibilis qualis invocatur in juramento, ut faciat fidem certam; neque si juret falsum, ulla fit vero Deo injuria, tamen erit perjurus affectu et reatu, eo modo, quo quis foret homicida quoad culpam et voluntatem si occideret feram intendens occidere inimicum, et ex conscientia erronea tenebitur servare juramentum, si sit promissorium.

Dico 2. Ad rationem juramenti necessario requiritur intentio jurandi, seu vocandi Deum in testem. Quia 1. juramentum est essentialiter invocatio divini testimonii, invocatio autem est essentialiter actus intellectus, et voluntatis, ut dictum est. 2. Si sufficeret proferre verba juratoria sine animo jurandi, sequeretur quod qui ea proferret narrative juraret; item quod semper jurarent, et saepissime pejerarent, qui ad singula fere verba dicunt, *per Deum*, quod videtur inconveniens; quod autem audientes credant, vel non credant me velle jurare, nihil influit in intentionem meam, nec eam ponit, si desit, nec aufert, si adsit. 3. Qui sine animo vovendi verba voti proferret, sic ut adstantes crederent eum vovere, puta in professione solemni, licet censeretur Professus in foro exteriori, quoad Deum tamen non voveret, nec esset vere professus, juxta illud S. Thomae: *Promissio quandoque fit ore et non corde, et talis apud Deum non est votum*: atqui eadem est ratio juramenti et voti, quoad praesentem casum: ergo. Unde illud principium S. Th. post S. Aug. Serm. 28. de verbis Apost. c. 2. *Interest quemadmodum verbum procedat ex animo, quia ream linguam non facit nisi rea mens.*

Hinc colliges 1. quod qui positive intendit Deum vocare in testem, quaecumque verba proferat etiam non juratoria, aut tantum nutus edat vel signa, vere jurat, et si falso, perjurat. Colliges 2. quod qui e contra non vult invocare Deum in testem, quaecumque verba etiam juratoria proferat, non vere juret, et si falsum dicat, non vere perjuret, licet sive verum, sive falsum dicendo, graviter aliunde peccet, ut suo loco dicemus. Similiter qui negative se habens, vel ignorans, vel inadvertens praescindit ab invocatione Dei, etiam non jurat, quia revera non invocat Deum in testem. Qui tamen verba secundum se juratoria proferret ea intentione, ut fidem astruat dictis, quamvis non haberet explicitam voluntatem jurandi, si eam positive non excludat, censeretur, meo saltem judicio, virtualiter, et tacite Deum vocare in testem, et confirmatorem sui dicti, cui vult fidem conciliare, ideoque vere jurare. Colliges 3. quod si de ipsa intentione dubitetur, eruenda sit ex circumstantiis maxime ex verbis juramento adhibitis, ita ut si jurans verba explicite juratoria adhibuerit, censendus sit voluisse jurare, quia jure praesumitur, verba menti conformasse, nisi de opposito constet: si autem formula ambigua usus sit, ita ut neque ex illa, neque ex aliis circumstantiis possit haberi praesumptio veritatis in aliquam partem, tutior pars est eligenda.

Dico 3. Juramentum est actus Religionis, sive Latriae. Quia sicut ex dictis patet, ille qui jurat, invocat divinum testimonium ad confirmandum ea, quae dicit: atqui nihil confirmatur, nisi per aliquid, quod est certius, et potius: ergo in hoc ipso quod homo per Deum jurat, profitetur Deum potiorem, utpote cujus veritas est indefectibilis, et cognitio universalis, quod est Deo magnam reverentiam exhibere; unde et Apostolus ad Hebraeos 6. dicit, *Quod homines*

per majorem se jurant : et Hieronymus super Matth: 5. *Quod qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum per quem jurat.* Subsumo. Atqui exhibere reverentiam Deo pertinet ad Religionem, sive Latriam : ergo juramentum est actus Religionis.

Articulus II.

Quotuplex sit Juramentum ?

Dico 1. Ex parte materiae dividitur juramentum in assertorium et promissorium, ad quod reducitur comminatorium. Juramentum assertorium est, quando divinum testimonium inducitur ad asserendum praesentia, vel praeterita, ut testor Deum, me legisse Horas, Petrum interfuisse Sacro, me tenere Fidem Catholicam, etc. Promissorium est, quando inducitur divinum testimonium ad confirmandum aliquid futurum juranti proprium : ut testor Deum, me non amplius lusurum, me daturum centum florenos pauperibus, etc. Hoc juramentum includit assertorium, nempe quod jurans habeat de facto animum faciendi quod promittit.

Est duplex juramentum promissorium. Unum simplex et per se stans, quo quis jurat se facturum aliquid, vel omissurum absque promissione, aut pacto erga alterum : ut, juro me jejunaturum hodie, me non lusurum, me daturum centum florenos pauperibus etc. Et sub hoc juramento promissorio continetur comminatorium, quo quis sub attestatione divini nominis comminatur alteri poenam. Porro hoc juramentum simplex, sicut et comminatorium non inducit obligationem fidelitatis aut justitiae, ut patet, sed Religionis tantum. Alterum juramentum promissorium est confirmatorium promissionis factae alteri, et ab eo acceptatae ; si Deo factae, dicitur *Votum juratum*, si homini, dicitur *Pactum juratum*, si Deo simul et homini, dicitur *Votum cum pacto juratum.* Inducit triplicem obligationem, duas Religionis erga Deum ratione voti et juramenti, tertiam fidelitatis et justitiae erga illum, in cujus gratiam fit promissio.

Petes, cujus speciei sit juramentum, quo quis jurat aliquid a se independens, v. gr. Petrum cras moriturum, prolem masculam nascituram, cras fore pluviam, etc. R. tale juramentum esse communiter assertorium, quia regulariter objectum illius non est res futura, sed notitia praesens rei futurae, ita ut sensus sit, juro me certo, aut probabiliter scire, credere, existimare, etc. Petrum cras moriturum, prolem masculam nasciturum, etc. Eo sensu, id est de sua credulitate jurant testes, dum interrogantur de innocentia alicujus, seu de non patrato crimine, nisi interrogatio restringatur ad certum tempus, aut certum locum, tunc enim possunt etiam jurare de ipso non facto. Quod si forte in praesenti casu jurans revera intenderet jurare ipsum factum futurum a se independens, debebit reduci ad juramentum promissorium ; sed deest tali juramento discretionis judicium, et si desit veritas, erit perjurium, quale reperitur in juramento promissorio falso.

Dico 2. Juramentum ex parte modi jurandi dividitur in contestatorium, quod fit per simplicem Dei contestationem, dicendo v. g. sit mihi Deus testis, juro per Deum, etc. et in execratorium, quod fit per execrationem, dum scilicet aliquis se, vel aliquid ad se pertinens ad poenam obligat, nisi sit verum, quod dicit : ut Deus me puniat, me damnet, me confundat, nisi verum sit quod dico. Forma juramenti nunc usitata in Jure Canonico est haec *Ita me Deus adjuvet, et haec sancta Evangelia* ; sensus est, Deus me adjuvet si veritatem dico, non adjuvet si mentior.

Potest autem fieri juramentum execratorium absque expressione divini nominis, nempe inprecando sibi, aut suis malum absolute, ut peream, moriar, non

movear hinc, per vitam patris, uxoris, etc. Vel etiam sibi, aut ad se pertinentibus imprecando malum per creaturas inferendum, ut diabolus me auferat, me confundat, fulmen ne conterat, etc. modo utrobique subintelligatur, et intendatur id fieri Deo permittente ut vindice. Nam alioquin si sic jurans intenderet tantum promissionem suam firmare, ut cum quis dicit: amputentur mihi ambae aures, lingua, manus, vapulem virgis, etc. si mentior, ita ut sensus sit, consentio, permitto, ut amputentur mihi aures, ut vapulem virgis, etc. non est juramentum. Item non est juramentum, si quis imprecetur malum hosti, aut daemoni, dicendo v. g. Diabolus te auferat, Deus te confundat, si mentior; neque si Deo, aut Sanctis imprecetur malum, dicendo v. gr. Destruatur Deus, pereant Sancti, si mentior: in primo casu erit maledictum, in secundo blasphemia, in neutro juramentum: quia, ut patet ex dictis, in juramento execratorio ad assertionem dicti invocatur Deus ut vindex, et puniens, si sit falsum; hincque ostenditur, quanti fiat, aut diligatur is, per quem juratur, vel is, cui fit imprecatio: debet ergo fieri, vel sibi, vel rebus ad se pertinentibus, vel a se dilectis aut in pretio habitis, et mali optati capacibus.

Dico 3. Ex parte illius, per quem juratur, dividitur juramentum in explicitum et implicitum. Explicitum, quod fit expresse per ipsum Deum, ut Deus sit mihi testis, et illud Apostoli; *Veritatem dico in Christo Jesu*, Rom. 9. Implicitum, quod fit per creaturas, quatenus in eis relucet divinitas seu veritas divina. Usitata jurandi forma modo haec est *Sicut vere est Deus, quam vere Deus vivit*, ita verum est etc.

Adverte has similes formulas, *Loquor coram Deo*, *Deus scit vel videt hoc esse verum*, *Deus est mihi testis*, et similes, quandoque non esse juratorias, quandoque esse juratorias. Si proferantur enunciative; ita ut sensus sit, Deum nosse ea, quae dico, non sunt juratoriae. Si autem proferantur invocative, quod pendet ab intentione proferentis, sunt juratoriae: et hoc sensu reputantur juratoriae a D. Thoma, atque ita usurpantur ab Apost. 2. Timoth. 2. *Testificor coram Deo et Jesu Christo*. Ad Galat. 1. *Ecce coram Deo dico, quia non mentior*. Rom. 1. *Testis es mihi Deus*.

Petes 1. quid censendum de istis sat frequentibus jurandi formulis? Abnego Deum, abnego fidem, Deus est injustus, non sit Deus, nisi hoc verum sit, aut nisi hoc fecero? R. Si proferantur hoc sensu, quod fides mea de Deo, de ejus existentia, justitia etc. pendeat a veritate mei dicti, sunt blasphemiae, sed, si proferantur comparative, quod frequentius est, hoc nempe sensu, sicut certus sum me per gratiam Dei non recessurum a fide, Deum non posse esse injustum, aut esse Deum, ita proportionaliter certum est quod assero, ita certo statuo hoc facere etc. sunt juratoriae.

Petes 2. Utrum hae frequentissimae, *in veritate*, *in conscientia*, *per fidem meam*, *in fide viri honesti*, *viri Christiani*, *Sacerdotis*, *Religiosi*, etc. sint secundum se juratoriae? R. ex communi Theologorum sensu Cajet. Sot. Ledesm. et aliorum negative. Quia quoad primam *in veritate*, idem est ac si dicas, vere res ita se habet, ut narro, ita ut sit simplex assertio, seu protestatio vera loquentis. Quoad secundam *in conscientia*, *super conscientiam*, sensus est, loquor, prout conscientia mihi dictat. Quoad tertiam *per fidem meam*, *in fide viri honesti*, *viri Christiani*, *Sacerdotis*. etc. non intelligitur fides divina, seu catholica, sed fides moralis, seu fidelitas, sinceritas etc., ita ut sensus sit: loquor ea fide, ea sinceritate, quae decet virum honestum, Christianum, Sacerdotem, Religiosum, qualis sum, aut haberi volo: unde inquit Cajetanus, qui sic loquitur, seipsum offert in testem, non Deum, sicut reges promittentes in fide regia non jurant, sed propriam excellentiam offerunt ad confirmationem.

Idem dicendum de aliis similibus asserendi formulis, sive proferantur per modum attestationis, ut si dicas: hoc tam verum est, quam sum vere honestus

vir, Christianus, Religiosus, Sacerdos, etc., sive proferantur execratorie ut si dicas : non sim honestus vir, non sim christianus, Sacerdos, vel sim, aut habear perfidus, inhonestus, haereticus, etc. si hoc, quod dico, non sit verum : quia in his aut similibus non est vera execratio, seu vera Dei vindicis, aut divini judicii invocatio ad haec, sed tantum loquentis permissio, quasi diceret, habeas me pro tali, annuo, nisi verum sit, quod dico ; sicut supra dicebamus, non esse juramentum execratorium, si dicas : amputentur mihi aures, aut caput, nisi verum dicam. Excipe tamen in his omnibus, nisi eas formulas adhibens adjungat aliquid Dei ut *in veritate Dei* aut *per fidem divinam*, vel nisi per eas intendat Deum vocare in testem, et vere jurare.

Item verbum *juro* absolute, et simpliciter prolatum non videtur regulariter juramentum, quia non exprimit, per quem juratur ; licet enim non juretur proprie nisi per Deum, ea tamen est opinio vulgi, per quodcumque posse jurari, aut potius hanc vocem posse adhiberi in variis formulis, quae non sunt juratoriae. Sic quotidie dicitur, *juro in conscientia*, *juro in veritate*, *juro in fide honesti viri* etc. quas tamen mox diximus non esse juratorias : unde haec vox, sic absolute prolata in communi acceptatione significat : protestor, firmiter assero rem sic esse. Excipe semper, nisi proferatur animo Deum in testem vocandi, aut nisi ex circumstantiis ea intentio colligatur ; si enim in judicio proferatur, aut si petenti, *jura per Deum*, respondeas, *juro*, reputatur juramentum. Quia ut supra dixi, quaecumque verba quis proferat ; sive juratoria sive non, si per hoc intendat Deum vocare in testem, jurat ; si non intendat, non jurat : et hoc principium semper prae oculis habendum in hac materia.

Articulus III.

Utrum jurare sive per Deum, sive per creaturas sit licitum, idque per se appetendum et frequentandum ?

Dico 1. Licitum est jurare. Probat 1. ex Scriptura. Deut. 6. *Dominum Deum tuum timebis, et per nomen ejus jurabis* Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus in veritate, in judicio, et justitia.* Ibid. 12. Psal. 14. et 62. etc. Tandem ipse Apost. juravit 2. Cor. 1. *Testem Deum invoco in animam meam.* Item Rom. 1. Philipp. 1. 2. Ex Conc. Later. sub Innoc. III. Cap. 3. Conc. Constantiensi sess. 8. in damnatione Wiclefi, ex unanimi Patrum consensu, et communi totius Ecclesiae praxi. 3. Ratione. Ille actus est bonus et licitus, cujus origo, et finis est bonus; atqui juramentum est tale : ergo. Prob. min. Origo juramenti est fides, quia homines credunt Deum habere infallibilem veritatem, et universalem omnium cognitionem ; finis est ad justificandum homines, et finiendum controversias : ergo.

Dico 2. Licitum est jurare per creaturas, quatenus in eis relucet specialiter veritas divina. Quia sic est jurare per ipsum Deum. *Qui juraverit in Templo*, inquit Christus Matth. 23. *jurat in illo, et in eo, qui habitat in ipso, et qui juravit in coelo, jurat in throno Dei, et in eo, qui sedet super eum* : atqui licitum est jurare per Deum, ut patet ex prima conclusione : ergo. Dixi, *Quatenus in eis specialiter relucet veritas divina* : quia non licet jurare per viles creaturas, in quibus generaliter tantum, et obscure relucet divinitas ; id enim est indecens, ac irreverens, neque hunc morem recipit Ecclesia ; unde qui juraret per suum canem, per hunc panem, etc. censeretur potius jocari, quam jurare ; si tamen intenderet jurare, teneretur juramento.

Dico 3. Juramentum non est per se appetendum, nec frequentandum citra necessitatem. Prob. 1. ex Scriptura Eccles. 23. dicitur : *Jurationi non assuescas os tuum, multi enim casus in illo.* Et infra : *Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo ejus plaga.* Huc etiam pertinent verba Christi

Matth. 5. de quibus in solutione objectionum. Prob. 2. ratione. Quod non quaeritur nec adhibetur nisi ad subveniendum infirmitati, vel defectui, quamtumvis sit in se bonum, non numeratur inter ea, quae sunt per se appetenda, et frequentanda, sed tantum inter ea, quae sunt necessaria propter humanam infirmitatem, sicut patet de medicina, quae quaeritur, et adhibetur ad subveniendum infirmitati: atqui juramentum quaeritur, et adhibetur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredit: ergo: Confirm. 1. Juramentum quamvis secundum se bonum, est tamen obnoxium periculo peccandi, maxime quando est frequens, ut patet ex Scriptura cit. et quia difficile est in frequenti ejus usu adhibere conditiones, quas infra dicemus requisitas, ut sit licitum: ergo non est per se appetendum, nec frequentandum. Confirmatur 2. Qui frequenter, et in rebus levis momenti adduceret testem regem, aut quemvis virum honoratum, peccaret contra reverentiam ipsi debitam: ergo a fortiori, si id fiat erga Deum.

Obj. 1, contra primam conclusionem verba Christi Matth. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis, Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis: non jurare omnino, neque per coelum, quia thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum est pedum ejus:....Neque per caput tuum juraveris, quia non potes unum capillum album facere, aut nigrum. Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non. Quod autem his abundantius est, a malo est.* Similiter S. Jacobus cap. 5. Epist Can. His auctoritatibus moti Haeretici contenderunt omne omnino juramentum Christianis esse prohibitum. R. certo falli Haereticos, dum hunc sensum verbis Christi, et Jacobi affingunt, cum certum sit Apostolum Paulum in novo Testamento jurasse, quem tamen legis Christi transgressorem asserere nefas est. Christus itaque laudatis verbis non prohibet simpliciter quodvis juramentum, sed ne omnino juremus, quantum in nobis est, et nonnisi ex gravi causa, sive juretur per Deum expresse, sive per creaturas.

Quod ut melius intelligatur, notandum Christum hic corrigere duplicem errorem Scribarum. 1. Docebant solum perjurium prohiberi his verbis Exod. 20. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, collatis scilicet cum his verbis Levit. 19. *Non perjurabis in nomine meo*, ita ut liceret promiscue jurare per Deum, modo verum juraretur. 2. Existimabant pejerare per creaturas, quibusdam exceptis, nihil esse, ut ipsis exprobrat Christus Matt. 13. Ad corrigendum ergo primum errorem Christus docet non solum perjurium, sed omne juramentum, quod fit ex affectu ad ipsum juramentum sine necessitate, aut utilitate, esse illicitum. Ad corrigendum secundum errorem docet pariter non esse jurandum per creaturas, quia est jurare per ipsum Deum, ita ut falsum per eas juramentum sit verum, et illicitum perjurium. Addit Christus: *Quod autem his abundantius*, idest juramentum superadditum, *a malo* est; non dicit esse malum, sed esse a malo, scilicet a vitio hominum, qui mendaces experti, vel sine juratione non credunt, vel consuetudine jurandi volunt se fide dignos reddere: si enim non essent mendacia et fallaciae, non esset opus juramento inter homines. Ad verba S. Jacobi, cum sint eadem, ac verba Christi, eodem sensu sunt intelligenda, et sic utrumque locum ante D. Thomam interpretatus est S. Augustinus in epistola ad Galat.

Objic. 2. contra secundam conclusionem quasdam auctoritates Patrum et Canonum, quae videntur damnare juramentum per creaturas: ergo. R. has auctoritates intelligendas esse de juramento per creaturas more Ethnicorum, ita ut in eis aliquid divinum agnoscatur et eis exhibeatur reverentia divina.

Articulus IV.

Utrum convenienter ponantur tres comites Juramenti, videlicet Justitia, Judicium, et Veritas?

Petes. Utrum convenienter ponantur tres comites Juramenti, videlicet Justitia, Judicium, et Veritas? R. Affirmative. Prob. ex illo Jeremiae 4. *Jurabis, vivit Dominus, in veritate, in judicio, et in justitia.* Prob. 2. Juramentum, ut supra dictum est, non est bonum nisi ei, qui bene utitur juramento: atqui ad bonum usum juramenti duo requiruntur: unum ex parte jurantis, nempe quod non leviter juret, sed ex causa necessaria, vel utili, mature post inquisitionem sufficientem veritatis, discrete et reverenter, et quantum ad hoc requiritur judicium, scilicet discretionis; alterum ex parte illius, quod juramento confirmatur, utnimirum neque sit falsum, et quantum ad hoc requiritur veritas, neque illicitum, et quantum ad hoc requiritur justitia: ergo. Porro juramentum judicio carens dicitur juramentum incautum, carens veritate juramentum mendax seu perjurium, carens justitia juramentum iniquum.

Explicantur magis praefati Comites.

Judicium.

Circa Judicium nihil speciale praeter dicta occurrit dicendum, nisi quod ejus defectus, suppositis aliis duobus comitibus, juxta communem sententiam non excedat culpam venialem, quia tota ejus malitia consistit in hoc, quod vane, et superbe, seu non satis reverenter invocetur divinum testimonium: quod non videtur plusquam veniale. Excipe tamen, nisi sit incautum defectu sufficientis inquisitionis veritatis, ut dicam infra, dum de veritate.

Justitia.

Justitia, quatenus spectat juramentum promissorium, exigit, ut fiat de re honesta et licita; ita ut si sit de re mortaliter mala, ut de hoste occidendo, de adulterio committendo (casus non rarus maritis, uxore negante debitum) sit peccatum mortale contra Religionem. Si autem sit de re venialiter mala, multi graves Auctores existimant esse tantum veniale peccatum; verum arbitror probabilius cum aliis esse mortale, quia videtur gravissima injuria Deo irrogata ipsum invocare in testem et velut patronum suae iniquitatis sive mortalis, sive venialis; videtur enim esse quidam contemptus, et irrisio Dei: sicut v. g. Princeps censeretur contemni, et irrideri ab eo, qui ipsum assumeret in testem injuriae etsi levis, quam ipsi inferret. Hinc si adsit animus adimplendi malum, quod juratur, est duplex peccatum unum grave irreligionis vi juramenti, aliud mortale, vel veniale ratione materiae juratae.

Tandem si juramentum sit de re opposita consiliis evangelicis, v. gr. juras te non fore Religiosum, te non jejunare, etc. peccas sic jurans, in quantum ponis obicem Spiritui Sancto, qui est boni propositi inspirator: similiter jurans de re indifferenti, quatenus assumis vane nomen Dei; at secundum communem sententiam Cajet. Navarr. Less. et aliorum, non nisi venialiter, quia cum res jurata non sit mala, non videtur gravis injuria Deo irrogata. Suppono tamen jurantem habere animum adimplendi, quod jurat, alias foret mortale perjurium defectu praesentis veritatis.

Petes, utrum qui uteretur juramento tamquam instrumento peccati sui, sive

mortalis, sive venialis, v. g. ad persuadendam detractionem sive gravem, sive levem, vel ad inducendum alium in peccatum etsi veniale, peccaret mortaliter contra Religionem? R. affirmative: quia sic Deum in testem invocando facit ipsum, quantum in se est, iniquitatis suae coadjutorem, si quidem, ut in casibus propositis, per ipsum suam detractionem certiorem efficiat, aut efficacius inducat ad peccatum, quod certe etiam in peccato veniali est gravissime Deo injuriosum.

Veritas.

Veritas requisita ad juramentum est conformitas dictionis non tam ad rem juratam, quae dicitur veritas objectiva, quam ad mentem jurantis, quae dicitur veritas formalis excludens mendacium: quia saepe contingit rem juratam esse falsam, et tamen, quia reputatur vera a jurante, non est perjurium, sed juramentum licitum: et e contra contingit rem juratam esse veram, et tamen jurantem pejerare, quatenus reputat eam falsam: moralitas enim in actibus humanis petitur ex intentione agentis. Itaque ex parte rei juratae veritas sufficiens ad juramentum licitum habetur, si res jurata se habeat juxta communem, et humanam intelligentiam, sicut juratur: v. gr. juras Petrum Sacellanum toto anni tempore quotidie celebrasse, singulis diebus Dominicis et festis instructionem ad populum habuisse: verum juras, si id regulariter praestiterit, licet aliquoties omiserit, quia juxta communem, et humanam intelligentiam totus annus aestimatur, etsi modicum quid defuerit. Ex parte jurantis extrajudicialiter requiritur certitudo moralis de veritate rei juratae: est autem certitudo moralis, quando homo prudens, et timoratus nullatenus suspicatur de contrario. Ad jurandum vero judicialiter requiritur notitia experimentalis, sive per visum, si agatur de facto, sive per auditum, si agatur de verbis. Ita in jure causa 13. qu. 9. cap. *Testes* 15.

Petes 1. Qualiter peccet jurans id, quod putat certo verum, sed temere, quia non adhibuit sufficientem diligentiam ad inquirendam veritatem? R. 1. Sive verum sit, sive falsum, quod jurat, peccat ratione periculi pejerandi, cui se exponit, ideoque mortaliter, vel venialiter pro ratione negligentiae: tanto enim majus est periculum pejerandi, quanto major est negligentia discutiendi, et inquirendi veritatem; tanto minus, quanto minor defectus considerationis. R. 2. Si falsum sit, quod jurat, videtur etiam reus perjurii; quia illud vult interpretative, et indirecte in causa, nempe in illa negligentia, quae est ipsi directe voluntaria.

Petes 2. Quinam possint jurare? R. Attento jure naturae omnis creatura intellectualis ratione utens, sive Angelus, sive homo, sive pubes, sive impubes, etiam ipse Christus, qua homo, jurare potest, quia dictum suum confirmare potest per testimonium majoris veritatis, nempe divinae. R. 2. Attento jure positivo impuberes, et perjuri non coguntur, nec admittuntur jurare in judicio. Ita cap. *Pueri*, cap. *Perjuri*, cap. *Honestum* caus. 22. q. 5. R. 3. Nullus Clericus jurare debet in judicio in manu Laici, nisi Episcopus cum venia summi Pontificis, Clericus cum venia proprii Antistitis.

Articulus V.

De obligatione Juramenti promissorii.

Juramentum promissorium habet duplicem obligationem: Prima ut jurans habeat voluntatem implendi quod promittit, secunda ut revera adimpleatur, quod juratur. Et de hac obligatione potissimum hic agetur.

§. I. *Utrum et quantum obliget Juramentum promissorium ?*

Dico 1. Juramentum promissorium habet vim obligandi. Patet 1. ex illo Matt. 5. *Reddes Domino juramenta tua.* 2. Quia nisi is, qui juravit, adimpleat quod juravit, deerit juramento veritas, ut explicabimus concl. seq.

Dico 2. Juramenti promissorii obligatio est sub peccato mortali ex genere suo, admittit tamen probabiliter levitatem materiae, ita ut in re levi non sit obligatio, nisi sub veniali. Prima pars est communis, quia est contra Religionem et reverentiam Deo debitam, quod quis non satisfaciat obligationi, quam auctoritate divina interposita confirmavit. Etenim homo per juramentum promissorium velut sibi legem fert propria voluntate, quam auctoritate divini nominis veluti sigillo firmat, ut ejus reverentia a transgressione cohibeatur; quando ergo transgreditur, auctoritatem Dei quodammodo contemnit, et Deum instabilitatis atque infidelitatis humanae veluti confirmatorem statuit, quod est secundum se grave peccatum irreverentiae contra Religionem. Secunda pars maxime controvertitur, et utrimque probabiliter. Prob. Ideo in perjurio assertorio non datur levitas materiae, quia Deus adducitur in testem mendacii, quod etiam in re levissima est ipsi valde injuriosum, cum per hoc inducatur aut mendax, aut ignorans: atqui qui non implet juramentum promissorium, sincere tamen cum animo implendi factum, non adducit, nec facit Deum testem mendacii: ergo. Prob. min. Jurans in tali casu non mentitur, cum nihil dicat, aut faciat contra mentem suam, sed solum eam mutat, propter quod quidem est inconstans et infidelis, nolens hoc facere, quod prius voluit, et ad faciendum se obligavit, infidelitas autem admittit levitatem materiae, ita ut in re parva non sit grave peccatum: ergo.

Ast dices: esto Deum non adduci in testem mendacii, saltem adducitur in testem falsi, quantum est in jurante, jurans enim, quantum in ipso est, est causa, cur Deus fuerit attestatus falsum. Hoc est praecipuum adversae sententiae fundamentum, nec sane contemnendum. Attamen R. N. assumptum: non enim (quod bene nota) qui cum juramento aliquid promittit, proprie assumit Deum in testem actualis executionis juramenti; alioquin periculum esset, ne saepe in testimonium falsitatis adduceretur, si postea etiam justa de causa promissio non impleretur, sed in testem actualis voluntatis, sive promissionis, et obligationis, quae inde nascitur ad praestandum promissum, quamque Deus sua auctoritate foveat; sicut si sponsalia in praesentia Principis, auctoritatem suam interponentis, celebrarentur. Magis instauratur haec ratio. Testis in contractibus humanis non assumitur in testem actualis executionis contractus, sed actualis promissionis, et obligationis inde secutae; ita ut si postea contingat contrahentes non servare promissum, non ideo censetur testis inductus ad testificandum falsum, sicut nec Princeps in priori casu, si non celebretur matrimonium: ergo similiter in nostro, quando Deus assumitur in testem sincerae promissionis juratae, licet postea non impleatur, non ideo inducitur testis falsi.

Repones: juxta hanc doctrinam juramentum promissorium erit de re praesenti tantum, et sic non distinguetur a juramento assertorio. R. esse de re praesenti tantum directe, et primario, indirecte autem, et secundario de re futura, quia est de animo, sive promissione, atque obligatione praestandi rem futuram, per quod distinguitur a juramento assertorio.

Inferes: ergo male dicitur a D. Thoma et communiter a Theologis juramentum promissorium, quod non impletur, esse juramentum falsum, seu illi deesse veritatem, ut dicebamus ex D. Thoma in probatione primae partis conclusionis. R. quod, cum dicitur veritatem deesse juramento promissorio, quod non impletur, veritas non sumatur pro conformitate verborum cum mente loquentis, quae

habet pro opposito mendacium, sed pro conformitate dicti, aut promissionis cum factis, quae habet pro opposito inconstantiam in dictis, aut infidelitatem in promissis. Haec magis adhuc patebunt ex solutionibus objectionum.

Obj. Omne perjurium defectu veritatis praesentis est mortale: ergo et omne perjurium defectu veritatis de futuro, a pari. R. N. consequentiam. Disparitas patet ex dictis: quando enim deest praesens veritas, Deus invocatur, ut testificetur falsum pro vero, sicque cum eo agitur, quasi non esset aut verax aut omniscius, quod est ipsi maxime injuriosum, etiamsi id fiat in materia levissima. At quando deest solum veritas in futurum, nimirum executio rei promissae, non invocatur ad testificandum falsum, sed verum, quia, ut dictum est, non invocatur in testem executionis juramenti, sed in testem promissionis sincerae, et obligationis inde secutae, quod totum est verum, postea vero, quando res promissa omittitur, cum deberet poni, non amplius vocatur Deus in testem.

Instabis: qui promissionem juratam violat, facit praeteritum dictum suum *se daturum*, *se facturum*, etc. esse falsum: ergo quantum in se est, facit, ut Deus in confirmationem falsitatis adductus fuerit. R. N. anteced. Qui enim sive jurando, sive non jurando promittit se aliquid facturum, non affirmat se vere facturum esse, si quidem hoc ipsum nesciat, quia plane variabile, et contingens est, sed tantum se obligat ad faciendum.

Inferes: ergo juramentum promissorium falsum non est perjurium. R. D. illatum. Non est perjurium proprie, et principaliter, C. improprie, et minus principaliter, N. Non est itaque perjurium proprie, quod definitur mendacium juramento firmatum, sed est perjurium improprie, in quantum deest illi veritas sumpta pro conformitate dicti aut promissi cum factis, cui opponitur non mendacium, sed vel inconstantia vel infidelitas, ut dictum est supra.

§. II. *De requisitis ex parte jurantis ad validitatem Juramenti promissorii.*

Dico 1. Ad validitatem juramenti requiritur ex parte jurantis, quod fiat 1. cum deliberatione perfecta, qualis requiritur ad actum perfecte moralem. 2. Quod non fiat ex ignorantia circa substantiam vel accidentia notabilia. Haec duo patent ex dictis de Voto artic. 1. Require ibi. Quod spectat metum, dicam modo. 3. Requiritur, quod fiat cum intentione jurandi. Patet ex dictis artic. 1. hujus quaestionis; non tamen cum intentione se obligandi, nec a fortiori cum intentione adimplendi juramentum: hoc secundum patet ex dictis de voto loco citato. Circa primum, licet possit esse difficultas, tamen, ut jacet, non puto controverti; neminem enim scio, qui requirat ad validitatem juramenti intentionem formalem, et explicitam se obligandi; quia in juramento obligatio non nascitur ex intentione se obligandi, ut in voto, et in aliis promissionibus, sed ex ipsa natura juramenti, seu ipso actu jurandi; hoc ipso enim, quo vocas Deum in testem tui dicti, teneris ipsum verificare independenter a quavis alia intentione, sicut ex damno illato independenter a quavis intentione nascitur obligatio restituendi.

Restat ergo tantum difficultas, utrum posita intentione expressa se non obligandi, stet nihilominus juramentum obligans? R. sub distinctione. Si is, qui sic jurat, noverit obligationem esse juramento essentialem, et ab eo inseparabilem, hoc ipso, quo vult expresse non obligari, convincitur etiam nolle jurare, seu non habere sincerum animum jurandi, alias vellet duo contradictoria sibi cognita, quod non est admittendum. Si vero credat posse subsistere juramentum absque obligatione, tunc vere stat juramentum obligans, quia ex intentione non se obligandi non convincitur non habere animum jurandi, cum putet utrumque posse simul stare.

Petes 1. Utrum aliquando sit licitum jurare sive assertorie, sive promissorie sine animo jurandi ? R. nunquam esse licitum, etiamsi per injuriam extorqueretur juramentum, puta a latrone, vel a judice incompetente. 1. Quia sic jurans mentitur, dicit enim se invocare Deum in testem, cum tamen non invocet. 2. Hoc mendacium est directe contra finem juramenti, quod est confirmatio veritatis, estque ideo toti generi humano perniciosum, tollens medium efficax ad cognoscendam veritatem. 3. Est quaedam irrisio divini testimonii, quatenus actu exteriori inducitur, et interiori rejicitur. Hinc Innocentius XI. merito damnavit hanc propositionem : *Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.*

Petes 2. Quale sit peccatum jurare sine animo jurandi ? R. Jurare falsum sine animo jurandi videtur peccatum mortale, quia Deus saltem exterius adducitur in testem falsi, et hoc est ipsi graviter injuriosum, sicut siquis v. g. exterius adoleret thus Idolo absque animo venerandi. Insuper sic jurans utitur nomine Dei tamquam instrumento ad decipiendum. Ita Cajet. hic, Soto, Covarruvias, Lessius hic dub. 8. Item sic jurans, licet verum, quando est rationabiliter interrogatus in judicio, aut extra in re gravi, juxta eosdem Cajetanum, Soto, Lessium hic dub. 8. et Sylvium hic a. 7. quaesit. 3. conclus. 1. peccat mortaliter, quia videtur gravis deceptio, quae evertit finem, et usum juramenti rebus humanis tam necessarii, et interrogantem fraudat jure suo. Extra hos casus videtur peccatum veniale, puta, si sit in re levi, aut irrationabiliter interrogetur. Juramentum autem sine animo adimplendi certum est esse semper peccatum mortale defectu praesentis veritatis. Caeterum adverte, quod licet ex juramento sine animo jurandi nulla nascatur obligatio ex virtute Religionis, quia, ut diximus articulo primo, nullum est ; si tamen scandalum aut damnum alicujus immineat, si non servetur, servare debet qui sic juravit, alioquin scandalum aut damnum ipsi ut causae imputabitur. De illo, qui jurat alio sensu, quam intelligat is, cui jurat, dicemus infra, dum de perjurio sub restrictione mentali.

Dico 2. In juramento, quod quis metu coactus facit, duplex est obligatio. Una quidem, qua obligatur homini, cui aliquid promittit, et talis obligatio tollitur per coactionem, quatenus vel a jure positivo irritatur, vel est irritabilis ad nutum metum passi ; ille enim, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat, quod per nomen ejus promisit ; et talis obligatio non tollitur in foro conscientiae, quia id, quod fit ex metu, licet sit involuntarium secundum quid, est tamen voluntarium simpliciter ; unde cum tale juramentum supponatur aliunde factum cum aliis comitibus, nempe judicio, et justitia, nec Deus faciat injuriam juranti, servandum est propter ejus nominis reverentiam. Ita cum S. Th. communius Auctores contra quosdam.

Confirmatur ex jure canonico Cap. *Si vero* Extra. *de jurejur.* ubi Alexander III. dicit eum, qui gravissimo metu juramentum praestiterat, debere illud servare; *Quia*, inquit, *non est tutum quemlibet contra suum juramentum venire nisi tale sit, quod vergat in interitum salutis aeternae.* Et cap. *Verum*, eod. tit. Coelestinus III. interrogatus, *an Sacramenti vinculo absolvantur, qui istud inviti pro vita ac rebus servandis fecerunt ?* respondet sic : *Nihil arbitramur aliud, quam quod antecessores Romani Pontifices arbitrati fuisse noscuntur, qui tales a juramenti nexibus absolverunt* : ergo erant ligati ; alioquin non fuisset absolutioni locus.

Si dicas votum metu emissum esse irritum, R. sic esse non jure naturae, sed positivo, quod non ita disposuit erga juramentum, nisi forte excipias juramentum gravi metu extortum de contrahendo matrimonio, aut emittenda professione religiosa, quia jus hos contractus nullatenus admittit, ubi gravis metus intervenit.

§. III. *De requisitis ex parte materiae ad validitatem Juramenti promissorii.*

Revoca in memoriam, quae diximus supra artic. 2. nempe duplex distingui juramentum promissorium, unum absolutum et per se stans, quo quis jurat aliquid se facturum absque promissione, aut pacto erga alterum: alterum promissorium confirmatorium, et hoc triplex, ut ibidem diximus.

Dico 1. Omne juramentum quodcumque sit de re sive mortaliter, sive venialiter mala, ut de adulterando, de mentiendo, de non salutando inimico, de vindicta sumenda, etc. est invalidum, nec ullam ponit obligationem. Imo sic jurans, et peccavit jurando, ut dictum est supra, et peccat juramentum servando. Prob. 1. ex jure. Cap. *Quando* Extra. *De jurejur.* dicitur Juramentum *institutum non fuit, ut esset vinculum iniquitatis.* Probatur 2. ratione. Implicat contradictionem, ut aliquis obligetur facere id, a quo tenetur abstinere; non enim potest simul facere, et non facere idem: atqui ab omni peccato etiam veniali tenetur abstinere: ergo.

Dico 2. Juramentum confirmatorium promissionis Deo factae, aut per se stans solius honoris Dei intuitu praestitum, debet esse de meliori bono, ita ut, si sit de re indifferenti, qua tali, vel de re cujus oppositum sit melius, ut de matrimonio ineundo, de Religione non profitenda, de eleemosyna non facienda, etc. sit invalidum. Ratio est, quia tale juramentum aequivalet voto; votum autem debet esse de meliori bono, ut dictum est. Et eadem ratione, dato quod sit de re bona in se, adeoque validum, potest tamen arbitrio jurantis commutari in evidenter melius, ut dictum est de voto.

Dico 3. Juramentum per se stans de re indifferenti, qua tali, quod neque in honorem Dei, neque in utilitatem proximi praestatur, ut si nullo honesto fine, sed vel ex indignatione, vel ex levitate, jures te hodie non ambulaturum, te bibiturum vel non bibiturum vinum etc. est invalidum. Ita Cajet hic §. *Ad evidentiam*, Navarrus, Ang. et alii. Ratio est, quia actio humana, quae secundum se, vel ex objecto est indifferens, si in individuo ad nullum finem referatur, manet otiosa, adeoque mala, nec consequenter materia juramenti obligatorii.

Dico 4. Juramentum confirmatorium promissionis factae homini, aut per se stans, emissum in utilitatem alicujus, sive hominis, sive Ecclesiae, sive Communitatis, valet, et obligat in quacumque materia licita, etiamsi minus bona, aut secundum se indifferenti: nec est in potestate jurantis illud in aliud opus quamtumvis melius, et Deo secundum se gratius, commutare. Idque totum verum est, sive acceptetur promissio, sive non: cum hac tamen differentia, quod acceptatio superaddat obligationem justitiae obligationi Religionis. Prob. conclusio ex jure Extra. lib. 2. tit. 24. *de jurejur.* c. *Cum contingat*, et c. *Quamvis, de pactis* in 6. ubi decernitur omne juramentum in gratiam alterius praestitum esse servandum, *si non vergat in salutis aeternae dispendium, nec redundet in alterius detrimentum.* Prob. etiam ratione; quia in juramento, in utilitatem hominis emisso, non attenditur, an res promissa sit magis vel minus bona, aut secundum se indifferens, sicut fit in juramento in honorem Dei emisso, aut voto, sed an sit utilis illi, in cujus gratiam juratum est: id autem quod est minus bonum, aut secundum se indifferens, potest esse magis utile, quam id, quod est secundum se melius: ergo.

Hinc resolves 1. Qui juravit Puellae matrimonium, teneri illam ducere, nec posse sacros Ordines suscipere, posse tamen ingredi religionem ex speciali juris dispositione, modo matrimonium non juraverit titulo oneroso, puta quia Puel-

lam defloravit; quia si post matrimonium ratum id possit primo bimestri, a fortiori post juramentum, quod est minus vinculum. 2. Jurantem se daturum pecuniam Sicario, si occidat inimicum, opere perpetrato, teneri solvere pecuniam. 3. Jurantem intra se daturum centum florenos pauperibus, et similia, teneri solvere, non ex virtute justitiae, quia non est promissio, aut si sit, non est acceptata, sed tantum ex virtute religionis ratione juramenti per se stantis.

§. IV. *Resolvuntur quaedam difficultates circa praecedentem materiam.*

Petes 1. Quid censendum de frequentissimis parentum, et dominorum juramentis, quibus jurant se filios, aut servos tali, vel tali modo punituros, verberaturos, ejecturos, etc. R. plerumque non obligare, quia saepe vel non adest intentio jurandi, sed terrendi tantum, vel fiunt ex ira, et animo vindictae, adeoque de re mala: vel supervenit causa excusans subintellecta in juramento, puta, filius, aut servus se emendavit, veniam petiit, alii, quos decebat exaudire, pro ipso intercesserunt, turbaretur familia ex correctione, alio modo melius, et commodius correctio facienda judicatur, et emendatio speratur, et similia. His autem seclusis vera sunt juramenta, et obligant, sed secundum sententiam probabilem, de qua supra, plerumque sub veniali, quia plerumque est materia levis. Idem cense de juramentis etiam frequentissimis urbanitatis causa factis, quibus viri nobiles, aut alii jurant se non praecessuros in sedendo, ingrediendo, egrediendo, etc. plerumque scilicet non obligare. 1. Quia tacitam includunt conditionem hanc: *Quantum in me est, non praecedam.* 2. Quia juramentum in favorem alterius praestitum potest ab ipso remitti, ut dicemus infra; censetur autem is, cui juratum est, remittere, cum non acceptat praeferentiam oblatam, sed contendit e contra, ut jurans praecedat. Ita Cajetanus, et alii.

Petes 2. Quid dicendum de juramentis sat frequentibus mercatorum, non vendendi minoris, seu non emendi pluris? Respondent quidam non esse obligatoria, quia, cum sint in solius jurantis utilitatem, ille potest sibi remittere, sicut posset alter tertius, in cujus favorem jurasset. Attamen respondeo esse obligatoria: ideo enim alter tertius, in cujus gratiam juratum est, potest relaxare juramentum, quia jurans subintellexit hanc conditionem, *si is, in cujus gratiam juro, velit acceptare*, cum nemo intendat benefacere invito, ut dicemus modo: at qui jurat in sui gratiam non habet hanc conditionem, *si velim acceptare, si non mutem propositum.* E contra ideo jurat, ut sibi auferat libertatem mutandi deinceps propositum. Et ideo censeo praefata juramenta esse obligatoria, nisi forte ex mutatis circumstantiis cederent in grave, et improvisum damnum jurantis, quia non juravit nisi in suam utilitatem, ut suppono.

Quaeri posset etiam de juramentis assertoriis valde frequentibus mercatorum jurantium merces sibi tanti, vel pluris constare? R. esse vera perjuria, si revera merces non tanti constent.

Petes 3. Quomodo obliget juramentum etiam frequens non amplius ludendi? R. 1. Juramentum nullo lusu etiam honesto, et moderato ludendi, validum est, et obligatorium. Ita communius: quia licet ludus honestus, et moderatus sit licitus, et bonus ad virtutem Eutrapeliae spectans, melius tamen, et perfectius est ab eo abstinere mortificationis ergo, adeoque materia apta juramenti: sic matrimonium est bonum, melius tamen ab eo abstinere, ideoque materia sufficiens voti. Posset tamen contingere casus, in quo melius esset, imo necesse foret ludere, in quo casu juramentum non obligaret, imo qui talem casum comprehenderet sub juramento, nullum esset. Confer quae dixi de voto.

R. 2. Ubi dubium est, quem lusum sibi interdixerit jurans, an omnem, an solum immoderatum, an ludum per se tantum, an per alium, an ludum pro se

tantum, an etiam pro alio? Colligi debet ex ipsius intentione seu fine, quem habuit jurando. R. 3. Quantitas materiae, et peccati in praesenti juramento desumenda est etiam ab intentione jurantis: sic si intenderis vitare jacturam bonorum, ex ipso damno gravi, vel parvo, quod ex tali ludo pateris, aut cujus periculo te scienter exponis, et non a mora temporis aestimanda est culpa gravis, vel levis.

R. 4. Qui jurat se non amplius lusurum cum tali socio, in tali domo, tali ludo etc. si non ex aliquo honesto fine, sed ex vindicta contra colludentem, vel quia se putat infelicem in tali domo, in tali ludo, vel ex alia simili futili ratione, ut saepe solet, nullum est juramentum, quia est de re mala, aut indifferenti; si autem sic jurat ex justo, et honesto fine, puta, quia locus est ipsi perniciosus, ludus rixis obnoxius, colludens iracundus, etc. tenetur juramento.

Petes 4. Utrum obligatio juramenti transeat ad haeredes? R. 1. Cujuscumque juramenti obligatio propria, quae est ex virtute Religionis ad alium non transit, quia est personalis, nec ullus contrahere potest obligationem vi juramenti, nisi qui jurat, sicut nec voti, nisi qui vovet. Hinc inferes juramenta per se stantia, ut si v. gr. sine ulla promissione facta Deo, vel homini, simpliciter jures te aedificaturum Ecclesiam, te ingressurum Religionem, te dotaturum puellam, etc. non ligare haeredes jurantis, quia in iis est tantum obligatio vi juramenti ex virtute Religionis.

R. 2. Juramentum confirmatorium promissionis Deo factae, quod dicitur votum juratum; si sit personale, non obligat haeredes; quia, ut dixi de voto, haeres non succedit defuncto in privilegiis, aut obligationibus personalibus, sed realibus tantum. Si vero tale votum juratum sit reale, obligat haeredes, non quidem vi juramenti ex virtute Religionis, sed partim ratione promissionis a Deo acceptatae, et sic quodam modo ex virtute justitiae; partim quia secundum jura haereditas transit ad haeredes cum oneribus realibus, qualia sunt vota realia jurata. Idem a fortiori dicendum de juramentis confirmatoriis promissionis homini factae et acceptatae in materiis liberis, et a jure non prohibitis.

Petes 5. Utrum major sit obligatio voti, quam juramenti promissorii, in gratiam hominis facti? R. affirmative; quia obligatio voti est ex fidelitate, quam Deo debemus, ut ei solvamus promissum; obligatio juramenti est ex reverentia, quam ei debemus, ut verificemus, quod per nomen ejus promisimus. Atqui omnis infidelitas continet irreverentiam, sed non e contra. Ergo.

Articulus VI.

De interpretatione Juramenti promissorii in dubio.

Dico. In dubio juramenti promissorii interpretatio fieri debet juxta duas regulas sequentes. Prima regula. Juramentum est strictissimi juris et interpretationis, ita ut servata proprietate verborum interpretatio fieri debeat in favorem jurantis, et quanto minor potest inducenda obligatio. Ita Angelus, Sylvester, Azorius, quos citat et sequitur Sylvius hic art. 7. *Quaeritur* 4. et communiter. Partim propter gravem, quam inducit Religionis obligationem, et perjurii periculum, partim quia est in materia odiosa, ideoque restringenda: nec obstat, quod sit in favorem Religionis, magis enim promovebitur Religio per benignam interpretationem juramentorum, quia tunc frequentius observabuntur. Hinc

Secunda regula. In omni juramento promissorio, quantumvis absolute prolato subintelliguntur sequentes conditiones, et limitationes, sive ex consuetudine, sive ex communi hominum intelligentia, praeter eas, quas jurans apponere potest.

Prima, quae est ex natura rei, est haec : *Quantum in me erit*, seu, *si potero* : et haec conditio excludit non solum impotentiam physicam, sed etiam moralem, quae habetur, quando res non potest fieri sine peccato, aut sine magna difficultate, quae juranti, dum jurabat, non erat perspecta. Secunda : *Salvo jure et auctoritate Superiorum*, Extra. *De jurejur.* lib. 2. tit. 24. cap. *Venientes* 9. et cap. *Non est*, *de voto.* Tertia : *Si is*, *in cujus gratiam*, *et utilitatem juratum est*, *voluerit acceptare*, seu, *nisi obligationem remittat* 1. Quia nemo intendit benefacere invito. 2. Quia jurans intelligitur promissario solvisse promissum, quando facit de eo secundum ejus utilitatem, et intentionem. Quarta conditio *Si res in eodem statu permanserit*, seu *notabiliter mutata non fuerit* Extra. *De jurejur.* lib. 2. titul. 24. cap. *Quemadmodum.* Quia notabilis mutatio facit quasi aliud objectum, ad quod non praesumitur se extendisse intentio jurantis. Huc etiam pertinet alia conditio specialis in promissionibus seu contractibus mutuis observanda, scilicet, *si alter suis promissis steterit.* Cap. *Pervenit*, *De jurejur.* citat. Et quia ut fert commune adagium, *Frangenti fidem fides frangatur eidem.* Quinta tandem : juramentum confirmatorium promissionis, aut propositi easdem includit conditiones, seu limitationes, quas includit promissio aut propositum, cui additur: *Quia accessorium naturam sequi congruit principalis*, ut fert. Reg. juris 42. in 6.

Articulus VII.

Quot et quibus modis relaxetur obligatio Juramenti ?

Nota. Dupliciter potest tolli obligatio juramenti. 1. Impediendo, ne illam ab initio inducat. 2. Tollendo jam inductam.

Dico 1. Impeditur obligatio juramenti per legem, aut superiorem, quando nempe lex, aut superior statuit, ut juramentum, contractui, vel promissioni adjectum sit irritum, et nullam inducat obligationem, quod fit vel prohibendo executionem rei juratae ; ita ut sit illicita, vel reddendo eum in cujus favorem juratur, inhabilem ad acceptandum, vel remittendo ex justa causa obligationem hoc ipso, quo jurans tentat illam inducere, sicut posset remittere is, cui juratur.

Dico 2. Obligatio juramenti jam inducta relaxatur quinque modis sequentibus. 1. Simplici cessatione per mutationem materiae, ut si fiat impossibilis, illicita, etc. Eo modo quo diximus de voto, cum hac differentia, quod votum debet esse de meliori bono : ad juramentum autem sufficit, quod sit de re licita. Consule, quae ibi diximus. 2. Condonatione, seu remissione illius, in cujus favorem juratum est. Patet ex dictis art. praeced. Reg. 2. 3. Irritatione, unusquisque enim potest irritare juramentum, quod a sibi subditis factum est circa ea, quae ejus potestati subduntur ; sic pater potest irritare juramentum puellae, tutor pupilli, vir uxoris, etc. sicut supra diximus de voti irritatione, require ibi ; eadem enim est utriusque ratio. Excipe solum juramentum minorennis, quia licet curator possit irritare votum reale minorennis, quatenus ejus administrationi officit, non potest ejus juramentum irritare ex jure positivo. L. 1. et 2. C. *Si adversus venditionem.* Quatenus juramentum supplet defectum aetatis, et ea dispositione juris, facit esse majorem, ut notant Interpretes in hunc locum. 4. Dispensatione seu absolutione : et probatur iisdem rationibus, quibus probavimus esse in Ecclesia potestatem dispensandi in votis, scilicet ex potestate clavium concessa Petro, et Apostolis, et ex perpetuo usu Ecclesiae.

Quoad juramenta votorum confirmatoria, et per se stantia pia, hoc est, in solius Dei honorem praestita, possunt dispensare, qui ordinaria potestate dispensant in votis. Horum ratio est, quia juxta communem sensum Ecclesiae et Doctorum, haec juramenta pia votis aequiparantur. Similiter eadem potestate clavium

praefati dispensare possunt in juramentis per se stantibus, factis in favorem hominis ; quia in his est tantum obligatio religionis , non justitiae. [An vero qui habent facultatem delegatam dispensandi, vel commutandi vota , possint ea etiam dispensare, vel commutare, si sint juramento firmata, controversia est inter Theologos, quam refert, nec tamen definit Benedictus XIV. const. *Benedictus Deus* §. *Dum Jubilaei.* 2. 43.

Juramenta vero confirmatoria promissionis homini factae, et acceptatae solus relaxare potest is , cui juratum est, ut jam dixi articulo praecedenti reg. 2. Quia per illam acceptationem homo acquisivit jus, quo sicut aliis bonis suis privari non potest sine ejus consensu, nisi in certis casibus. 1. Si juramentum fraude, aut metu fuerit extortum, aut alia injuria intercesserit. 2. In poenam criminis ab eo , cui juratum est, commissi. 3. Si bonum commune relaxationem exigat. 4. Si dubium sit, an id , quod promissum est, sit licitum, an illicitum, proficuum, vel noxium. Caetera , quae spectant dispensationem in juramentis , habes in iis , quae fuse satis diximus de dispensatione in votis : illuc recurre.

5. Commutatione : ut si ille in cujus gratiam factum est juramentum , concedat aliud opus loco illius, quod sub juramento promissum est , praestari. Unde juramenta votorum confirmatoria, aut per se stantia commutari possunt ab iis , qui potestate ordinaria possunt commutare vota de eadem materia. Facta vero in gratiam hominis et ab eo acceptata ab eo solo commutari possunt, exceptis casibus , quos pro dispensatione modo excepimus. Plura alia huc spectantia require de voto §. *De commutatione votorum* , et quae illic resolvimus , habe hic pro dictis ; cum hac tamen differentia , quod facta juramenti commutatione jurans non teneatur vi juramenti ad opus subrogatum, quia illud non juravit, sed tantum vi pacti, quia illud loco alterius acceptat ; secus in commutatione voti, quia dum acceptas commutationem , tacite promittis Deo id , in quo fit commutatio , ut dixi loco citato.

Petes. Quomodo intelligitur fieri dispensationem et commutationem in juramentis ? Non enim quoad hoc est eadem ratio voti et juramenti. In votis superior nomine Dei condonat et remittit promissionem ipsi factam : at non potest nomine Dei condonare aut remittere obligationem , qua jurans tenetur verificare, quod promisit sub nomine et auctoritate Dei , cum Deus ipse hanc obligationem tollere non possit, hoc enim esset licentiam dare irreverentiae erga Deum. R. id fieri ratione alicujus conditionis in juramento intellectae, quales sunt, *Salvo jure superioris* , *Si is* , *cui juratum est* , *non remittat* , et aliae , de quibus articulo praecedenti.

Articulus VIII.

De adjuratione, et de assumptione divini nominis per laudem.

Adjurare latine idem est ac graece exorcizare, et adjuratio , seu exorcismus est contestatio, seu interpositio divini nominis, aut rei sacrae, cujus reverentia timore , vel amore, is, qui adjuratur, movetur ad aliquid faciendum, vel omittendum. Est duplex 1. Imperativa , seu compulsiva , qua utimur erga subditos, ad aliquod obsequium obtinendum , et qua adjurantur Daemones hostiliter tamen et increpatorie , ut Nobis, et Proximis non noceant , non vero imperative ad obtinendum ab ipsis obsequium , seu ad aliquod discendum, quod non conducat ad eorum expulsionem , quia haec pertinent ad aliquam amicitiam , seu societatem, quam prohibet Apost. 1. Cor. 10. *Nolo Vos fieri socios Daemoniorum.* 2. Deprecativa , qua utimur erga Deum , sicut Ecclesia terminat suas Orationes *Per Dominum Jesum Christum* ; erga Angelos , et Sanctos , a quibus licet petere suf-

fragia, et aliquid divinum interponere ad eos movendum, et etiam erga homines, si sint superiores. Quantum ad Creaturas irrationales, si spectentur prout aguntur ab alio intelligente, nempe vel a Deo, ut principaliter eos movente, vel a Daemone, ex divina permissione ad nostram perniciem eis abutente, possunte adjurari, et quidem deprecatorie in ordine ad Deum, imperative in ordine ad Daemones. Sic exorcizantur aqua, sal, domus nova, locustae, grandines, tempestates etc.

Petes. 1. Quis possit adjurare Daemones? R. Solis Clericis Exorcistis, quibus datur haec facultas in ordinatione, cum speciali licentia Ordinarii licitum est adjurare Daemones solemniter, et juxta ritum exorcismorum, ab Ecclesia praescriptum. Adjurare vero privatim Daemonem, sive possidentem, sive per spectra, et terrores infestantem, cuilibet licitum est. Effectus autem exorcismorum etiam solemnium non est ex se infallibilis. Sunt enim solum Sacramentalia, quae ex Ecclesiae institutione plurimum valent, sed effectum sortiuntur tantum cum fidei propagationi, et hominum saluti juxta consilium Dei conducunt. Verba autem Marci ultimo: *Signa autem eos, qui crediderint haec sequentur: in nomine meo Daemonia ejicient* : non continent absolutam promissionem, quod singuli fidelium semper, et ubique ea signa facient, sed quando Evangelii profectus id postulaverit.

Petes 2. Quibus signis dignoscatur, hominem a Daemone possideri? R. non praecise per motus corporis insolitos, dolores, clamores, membrorum contorsiones, raucitatem, et similia, quae sunt signa valde aequivoca; sed maxime si possessus legat, scribat, ludat instrumenta, etsi nihil horum antea didicerit, si loquatur idiomate prius sibi ignoto, si distantia, et vere occulta manifestet etc.

Petes 3. Utrum cantus divinis laudibus convenienter adhibeatur? Suppono Deum non solum corde, sed etiam ore esse laudandum. *Laus* enim *est sermo elucidans magnitudinem virtutis* : cum igitur bonitas, et virtus Dei sit maxima, ex qua homo non solum mentem, sed etiam corpus accepit, hinc eum debet, non solum corde, sed etiam ore laudare, non quidem secundum ejus essentiam, quae est major omni laude, sed secundum mirabilia ejus opera. His positis. Resp. affirmative. Prob. ex Script. Psal. 32. *Cantate ei canticum novum, bene psallite ei in vociferatione.* Christus *hymno dicto exiit in Montem.* Matt. 26. Hymni (inquit August. in Psal. 72) *cantus sunt continentes laudes Dei.* 1. Ad Colos. 3. *Commonentes vosmetipsos in Psalmis, et hymnis spiritualibus.* Pr. 2. ex constanti praxi Ecclesiae ab ejus incunabulis. Philo Judaeus Apostolis coaetaneus apud Euseb. l. 1. Hist. c. 16. narrat de Christianis, quod *unus ex omnibus, consurgens in medio, psalmum honestis modulis concinebat, et praecinenti ei unum versiculum, omnis multitudo respondebat.*

Obj. cum Wicleffo. Christus praecepit ut secreto oretur Matt. 6. Et Elias 3. Reg. 18. deridebat Prophetas Baal, quod clamando invocarent Deum suum. R. ad 1. Christus non prohibuit laudem publicam, sed intentionem, ne scilicet quis oret, ut ab aliis videatur. Ad 2. Elias deridet Prophetas Baal, quod crederent Deum suum clamore indigere, et magis audire voces altiores, quam submissas, quod procul est a laudantibus Deum verum.

Obj. 2. Apost. ad Ephes. 5. dicit: *Cantantes, et psallentes in cordibus vestris Domino.* Super quae verba S. Hieronymus scribit *Audiant haec adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officium est, non voces, sed corde cantandum.* Ergo. R. Apostolus docet non summis labiis, sed ex intimo cordis affectu esse cantandum. Cum autem praemisisset in eodem versu *loquentes Vobismetipsis in Psalmis, et Hymnis, et Canticis spiritualibus*, indicat allocutionem mutuam, et modum alternatim canendi, et psallendi; subjungens autem *cantantes, et psallentes in cordibus vestris*, significat cantum debere procede-

re ex corde, et non solum voce proferri. Ad verba S. Hieronymi dico, quod non simpliciter vituperat cantum, sed reprehendit eos, qui in Ecclesia cantant more theatrico, non propter devotionem, sed propter ostentationem, vel delectationem.

Petes 4. Utrum usus Organorum et aliorum musicorum instrumentorum sit conveniens in Officiis ecclesiasticis? R. Ecclesiam posterioribus Saeculis admisisse haec instrumenta in divinis Officiis, tum ad majorem solemnitatem, tum ad excitandam devotionem in plurimis Christianis infirmis, et imperfectis. Quamvis autem hic usus secundum se sit laudabilis, potest tamen per accidens reddi illicitus, si sonus sit talis conditionis, ut judicetur provocativus ad malum, et erit mortalis, vel venialis pro ratione mali, ad quod provocat, et scandali inde causati.

DISSERTATIO V.

De observatione Diei Dominicae et Festorum.

D. Th. Q. 122. *A* 4.

Articulus I.

Explicatur natura praecepti de observatione Sabbathi, Diei Dominicae, et Festorum.

Suppono 1. praeceptum de observatione Sabbathi convenienter reponi inter praecepta moralia Decalogi, quia licet quoad destinationem temporis, et cessationem ab operibus servilibus sit caeremoniale, est tamen morale quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitae suae ad vacandum divinis, id enim dictat ratio naturalis.

Suppono 2. in observantia hujus praecepti, sicut et aliorum duo esse consideranda. Unum quod est finis, et est cultus divinus, seu quod homo vacet rebus divinis, quod significatur in hoc, quod dicit, *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*: illa enim dicuntur sanctificari in lege, quae divino cultui applicantur. Aliud est objectum praecepti in ordine ad hunc finem, et est cessatio operum, quae significatur, cum subditur: *Septimo die Domini Dei tui non facies omne opus*, hoc est *omne opus servile*, ut exprimitur Levit. 23. cui cessationi operum Ecclesia in nova lege addidit auditionem Missae. Ut autem tollatur aequivocatio, duplex distingui debet, et solet finis praecepti: unus intrinsecus, qui ab ipsa re praecepta non separatur: alter extrinsecus, qui ab ipsa re praecepta distinguitur et separari potest. In praesenti itaque materia finis extrinsecus respectu totius praecepti est cultus interior: juxta autem principium S. Thomae, communiter receptum, finis extrinsecus praecepti non cadit sub praecepto.

Suppono 3. Ecclesiam rationabiliter loco Sabbathi instituisse diem Dominicam, nimirum in memoriam resurrectionis Christi, et redemptionis completae. Et sicut Judaei praeter Sabbathum, quod servabant in memoriam creationis mundi, alia etiam festa celebrabant ad recolenda alia Dei beneficia; ita nos Christiani praeter diem Dominicam varia alia festa per anni decursum celebramus ad recolenda plura alia beneficia circa idem opus nostrae redemptionis, vel Sanctorum merita et exempla.

Dico. Observantia diei Dominicae in nova lege non est juris naturalis, aut divini positivi, sed ex constitutione Ecclesiae, et consuetudine populi Christiani, ab ipsis Apostolis derivata. Ita post S. Thomam Cajetan. hic, Sylvius, Na-

varr. in Man. cap. 3. citans Turrecremata, Archid. Thomam Val. et alios contra Sylvestrum. Prob. Observatio diei Dominicae duo importat, determinationem temporis, hujus nempe diei, et determinationem materiae, seu ritus, nempe cessationis ab opere servili, et auditionis Missae : atqui neque temporis, neque materiae determinatio est ex jure naturali aut divino positivo : ergo ecclesiastico. Probat. min. Non jure naturali : quia quamvis jus naturae dictet Deum esse aliquando colendum, non tamen necessario determinat hunc diem potius quam alium, totam diem potius quam plurium dierum partes, neque hunc ritum externum, scilicet cessationem ab opere servili, et auditionem Missae potius quam alium, cum Deus possit alio ritu coli.

Non jure divino positivo : lex enim Sabbathi in veteri Testamento, quae erat caeremonialis, et figuralis quoad determinationem diei, et ritus, cessavit quoad utrumque adveniente nova lege. Quoad determinationem diei patet : etiam quoad determinationem ritus evidens argumentum est, quod non sit ita arcta prohibitio operandi in die Dominicae, sicut erat in die Sabbathi, sed quaedam opera conceduntur in die Dominicae, quae in die Sabbati prohibebantur, sicut decoctio ciborum, itineratio, et alia hujusmodi. Quantum vero ad jus positivum novae legis, nullibi legimus in Evangelio Christum praecepisse observationem diei dominicae, neque in ea cessationem ab opere servili, et auditionem Missae : ergo. Confirm. Ecclesia dispensavit, et saepe dispensat in observatione diei Dominicae tam quoad cessationem ab opere servili, quam quoad auditionem Missae, ut patet ex Cap. *Licet de Feriis* Extra. l. 2. tit. 9. et quotidiano usu : atqui Ecclesia dispensare non potest in jure naturali, aut divino : ergo.

Petes. Ubi habeatur hoc praeceptum ecclesiasticum? R. quantum ad determinationem temporis meminerunt diei Dominicae S. Joan. in Apocalypsi 1. S. Lucas. Act. 20. S. Ignat. Epist. ad Magnesianos, Innoc. I. ad Decentium. Cessationis ab opere servili meminerunt Concil. Aurelian. 3. anno 538. Can. 28., Matiscon. 2. anno 585. Can. 1. Cabilon. anno 650. Can. 18. Cap. *Licet de Feriis*, et alia deinde Concilia. Auditionis Missae Concil. Agath. anno 506. Can. 47. *de Consecr.* Can. 64. Dist. 1. ib. Cap. *Omnes* 62. Concil. Aurel. anno 511. Can. 22. et alia. Et quia haec jura non tam de novo instituunt hoc praeceptum, quam supponant jam institutum, cum plerumque de modo illud adimplendi tantum agant, atque consuetudo populi Christiani, cujus initium assignari non potest, semper habuit, et habet haec esse in praecepto, recte concludit Sylvius, hanc legem de observatione diei Dominicae ab ipsis Apostolis descendere juxta hanc Augustini regulam lib. 4. contra Donatistas cap. 25. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi auctoritate Apostolica traditum rectissime creditur.* Et cum ista lex sit ex motivo Religionis et de re gravi, indubie obligat sub peccato mortali, et hic est sensus communis fidelium. Unde merito Innoc. XI. damnavit hanc propositionem n. 52. *Praeceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.*

Articulus II.

Utrum opera quovis modo servilia prohibeantur Diebus Dominicis et festis?

Nota. Opus servile dicitur a servitute ; est autem triplex servitus. Una, qua homo servit peccato ; et secundum hoc omne opus peccati est servile. Altera est servitus, qua homo homini servit, et secundum hoc opera servilia dicuntur opera corporalia, ad quae solemus habere servos deputatos. Tertia est servitus Dei, et secundum hoc opus servile potest dici opus Latriae, quod pertinet ad Dei servitium.

Dico. 1. Opus servile tertio modo, quod scilicet proxime pertinet ad Dei servitium, non prohibetur diebus Dominicis et festis, quia hoc esset contrarium fini hujus praecepti; homo enim ad hoc ab aliis operibus abstinet his diebus, ut vacet operibus ad Dei servitium pertinentibus. Adde quod hujusmodi opera etsi aliunde corporalia et servilia non remaneant tunc proprie servilia, sed fiant servis et liberis communia. Licet itaque diebus Dominicis et festis pulsare campanas, gestare cruces et reliquias, pulsare organa, ornare altaria, et similia, quae, ut dixi, proxime ad Dei servitium pertinent: alias si remote tantum pertinerent, et aliunde forent servilia, prohiberentur plus vel minus, secundum quod plus vel minus remote ad Dei servitium pertinent: quia plus vel minus participant de servilitate.

Dico 2. Opus servile primo modo, hoc est peccatum commissum in die festo, gravius est, quam si committeretur altero die, quia contrariatur directe fini praecepti de observatione festorum, et quidem magis quam opus aliunde servile; ut enim dicit Catechismus Rom. *Non solum animam a divinorum studio avocat, sed nos a Dei amore prorsus sejungit*: hoc autem illi confert aliquam difformitatem.

Dico 3. Peccatum commissum in die festo non inducit novam speciem malitiae contra Religionem necessario aperiendam in confessione. Est communior. Prob. 1. ex principiis D. Th. de cujus mente potissimum litigatur. Quamvis peccatum sit contra finem extrinsecum praecepti de observatione festorum: non est tamen contra ipsum praeceptum: ergo. Prob. ant. Praecepto de observatione festorum prohibetur opus proprie, et litteraliter, non metaphorice, et secundum significationem mysticam servile: atqui peccatum non est opus servile litteraliter, et proprie, sed metaphorice tantum, et secundum significationem mysticam: ergo. Patet major: quia verba praecepti sunt intelligenda in sensu proprio, et litterali, non metaphorico, aut mystico; leges enim cum sint regulae actuum humanorum, doctis, et indoctis propositae, non solent tradi sub figurarum, et sensus mystici involucris, sed verbis clarissimis proprie, et litteraliter significantibus. Prob. minor primo ex S. Th. cujus est in terminis in 3. dist. 37. artic. 5. quaestiunc. 2. ad 2. ubi formalissime dicit: *Opera servilia mystice intelliguntur peccata, sed ad litteram opera servilia dicuntur, ad quorum exercitium servos deputatos habemus, in quibus debent artes mechanicae dirigere, quae contra liberales dividuntur.* Ergo. Probat. 2. eadem minor. Nemo proprie est sui ipsius servus, servitus enim exigit distinctionem personarum, sed sicut justitia in homine metaphorice dicitur respectu sui, ratione diversarum partium hominis, puta rationis, et sensualitatis, ita servitus: ergo opus servile dicitur de peccato non proprie, sed metaphorice, sicut esse servum peccati dicitur metaphorice de faciente peccatum. Prob. 2. ex communi praxi tum Confessariorum doctissimorum, cum poenitentium timoratorum, quorum neque hi solent se accusare, neque illi interrogare de circumstantia festi: ergo.

Dices. S. Th. hic ad 3. dicit: *Opus servile dicitur a servitute: est autem triplex servitus; una quidem, qua homo servit peccato . . . . alia vero, qua homo servit homini . . . . tertia est servitus Dei . . . . quae dicuntur servilia primo, et secundo modo, contrariantur observantiae Sabbathi.* Ergo peccatum prohibetur praecepto Sabbathi. R. verba sequentia explicare mentem sancti Doctoris, subdit enim immediate: *In quantum impediunt applicationem hominis ad divina*: quibus verbis significat, peccata eatenus contrariari observantiae Sabbathi, quatenus ejus finem nempe applicationem ad divina impediunt; sicut autem finis non praecipitur, ita non semper omne, quod illi obstat prohibetur, nisi exprimatur in praecepto, alias non solum opus corporale, sed etiam spirituale, puta acre et intensum studium, esset prohibitum, cum maxime impediat applicationem

ad divina. Id ergo solum inter impedientia finem censeri debet prohibitum quod in praecepto proprie, et litteraliter intellecto continetur, et hoc est opus corporale quod proprie servis competit.

Dico 4. Restat ergo inter opera servilia, sola servilia secundo modo, et proprie dicta prohiberi diebus Dominicis et festis. Pro quo Nota 1. opera proprie servilia, ut jam dixi, ex S. Thoma ea esse, quae corpore exterius exercentur, et corporis usibus, ac necessitatibus deserviunt, servis propria, seu per servos, et mercenarios exerceri solita, unde et servilia dicta: ut sunt opera artium mechanicarum, arare, fodere, etc., sicut e contra opera liberalia dicuntur, quae vel mente exercentur vel corpore quidem, sed potissimum animi excolendi gratia, ideoque homine libero digna, ut sunt opera artium liberalium studere, docere, scribere, cantare, etc. Sunt et alia media servis et liberis communia, ut itinerari, ludere, etc.

Nota 2. cum Cajet. hic §. ultimo, Sylvio hic, Cabassutio, et aliis communius, opus, quod ex se est liberale, aut commune, non ideo fieri servile, quia fit propter mercedem aut lucrum; nec e contra opus secundum se servile desinere esse servile, si fiat gratuito aut recreationis ergo, quia isti fines sunt his operibus extrinseci, nec naturam eorum mutant; sic actus docendi, aut cantandi v. gr. non est servilis, licet fiat propter mercedem, neque e contra arare, conficere calceos, desinit esse servile, licet fiat gratuito, aut animi recreandi causa. Neque dicas agere propter mercedem esse proprium servorum; negatur enim assumptum, ut patet in exemplis doctoris, et musici, et maxime in negotiatoribus, qui, quamvis lucrum maxime intendant, non tamen ideo sunt servi, quin potius maxime domini. De quo vide, si lubet, Cajet. cit.

Nota 3. hoc opus esse censendum servile, quod juxta usum patriae et communem hominum sensum aestimatur servile; quod enim unum opus competat servis, et non aliud, maxime pendet ex hominum voluntate. Unde fieri potest, ut idem operis genus diversimode factum sit servile: v. gr. piscari recreationis causa cum arundine, aut levi rete non censetur servile, sed servis, et liberis commune; piscari vero ex officio cum magno apparatu, et labore censetur servile.

Articulus III.

Utrum praeter opera servilia quaedam alia prohibeantur diebus Dominicis et festis?

Recole quod jam Art. superiore notavi ex S. Thoma: et ex Cajet, triplicis generis opera distingui, liberalia, servilia, et communia servis, et liberis. De servilibus jam dictum est, de aliis

Dico 1. Praeter opera servilia specialiter ab Ecclesia prohibentur diebus Dominicis, et festis quatuor, quae non sunt servilia, scilicet mercatus, placitum, judicium ad mortem, vel ad poenam, et juramentum judiciale; hoc ultimum, nisi pro pace, vel alia necessitate. Cap. *Omnes*, et cap. *Conquestus*. Extra. *De Feriis* lib. 2 tit. 9. Secundum, et tertium sic prohibentur, ut etiam irritentur, nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat. Cap. *Conquestus* cit. Quantum ad actum mercandi, grano salis indiget, inquit Cajet. in summa verbo *Festum*, quoniam consuetudo recepta populi Christiani in multis oppositum habet; panis enim, vinum, cerevisia, herbae, fructus, carnes, et similia ad usum quotidianum pertinentia, passim licite emuntur, et venduntur. Item rustici, qui prae continuo labore nonnisi diebus festis urbem frequentant, licite emunt sibi necessaria, ut calceos, vestes, pileos, etc. Item censendum puto de peregrinis seu itinerantibus, qui ad breve tempus morantur in urbe. Item privati contractus maxime inter ple-

beios, qui nonnisi diebus festis convenire solent, videntur ex consuetudine, et quadam necessitate liciti.

Dico 2. Praeter assignata opera nulla alia, sive spiritualia, sive corporalia servis, et liberis communia leguntur ullibi prohibita diebus Dominicis, et festis.

Hinc inferes 1. his diebus licere docere, studere, instruere, consulere advocatos, informare privatim Judices, et similia, quia sunt spiritualia: item pulsare organa, et alia instrumenta musicalia, quia sunt opera liberalia, non servilia. 2. Licet scribere, quia est quid spirituale, cum scriptio sit quaedam locutio, aut saltem est quid commune servis, et liberis, imo magis conveniens liberis, quam servis. 3. Artificum delineationes in charta, inquit Cabass. cit. post Soto, Navar. et Tolet. quales sunt architectorum, pictorum, sculptorum, acupictorum, fabrorum, lignariorum, et similium, nullatenus serviles censeri debent, quia sunt magis ingenii, quam corporis operationes, ingenuis magis, quam servis propriae. Secus pingere, quod communiter censetur servile contra Layman, et prohibetur in Concilio Meldensi anno 845. sub Sergio Papa II. cap. 77. Idem dic juxta communem sententiam de arte typographica, etiam quantum ad ordinationem characterum.

4. Itinerari pedibus, equo, curru, navi, est licitum, quia est quid commune servis, et liberis: ita tenet communissima sententia, et definivit Concil. Aur. can. 2. Consequenter licet agere omnia itineri necessaria, etiamsi sint servilia, ut equos disponere, currum jungere, regere, remigare in aquis, sarcinam portare, etc. ita fert consuetudo. Et quamvis itinerari ex officio, ut faciunt cursores, censeam esse servile, tamen etiam consuetudine ubique recepta, et ratione publicae utilitatis factum est licitum. At vero currus, naves, equos, mulos onustos agere est servile, et sic die festo iter inchoare illicitum, inchoatum tamen die non festo, licitum est prosequi die festo, modo Missa non omittatur. 1. Quia sic obtinuit consuetudo. 2. Quia interest Reipublicae, ne frugum, piscium, atque mercium comportatio retardetur. 3. Quia muliones, et aurigae damnum paterentur ob quietis expensas, et suas artes, alioquin Reipublicae necessarias, exercere non vellent, et difficile possent. Ita Cabass. cit. post S. Anton. Cajet. Aug. Rosell. Navarr. Suarez et alios.

5. Quamvis venatio secundum se non videatur opus servile, cum non minus, imo magis exerceri soleat a dominis quam a servis, per accidens tamen fit illicita ex adjunctione operum servilium in portandis, trahendis, disponendis magnis laqueis, aut retibus, in construendis sepibus, et aliis ejusmodi. Si dicas nos supra excusasse opera servilia necessaria ad itinerationem; disparitas est, quod ita ferat consuetudo pro itineratione, non pro venatione. Quantum ad piscationem dixi articulo praecedenti conclusione quarta not. 3. [Quantum vero ad Barbitonsores vid. Bened. XIV. hanc materiam fuso calamo discutientem Inst. 43 a num. 1. ad 9.]

Articulus IV.

Quae causae excusent a peccato operantes serviliter diebus Dominicis et festis?

Dico 1. Dispensatio et consuetudo legitima excusant a peccato laborantes diebus Dominicis, et festis, quia cum hoc praeceptum quoad determinationem temporis, et materiae sit ecclesiasticum, ut dictum est, in illud cadere potest dispensatio, et ei derogare potest consuetudo: unde male distinguunt quidam inter diem Dominicum, et festum, quasi dispensari possit in die festo, et non in die Dominico.

Dispensare autem potest pro tota Ecclesia summus Pontifex, Episcopus pro sua

dioecesi, Parochus in sua parochia, si non sit facilis recursus ad Episcopum; uterque ex consuetudine. Ubi evidens est laborandi necessitas, non opus est dispensatione, nisi ex decentia et ad vitandum scandalum, quia ipsa necessitas excusat, ut jam dixi, et dicam iterum modo: ubi vero de necessitate dubitatur, adhibenda est dispensatio.

Ex hac conclusione inferas sive ex dispensatione, sive ex consuetudine quatuor genera operum servilium juxta Concil. Aurelian. artic. praecedenti laud. esse licita. 1. Aurigarum, ut jam dixi. 2. Coquorum et pistorum, ut cibos parare et coquere, minora animalia ut pullos, columbas, etc. occidere, non tamen majora ut boves, oves, vitulos, nisi propter aliquam necessitatem, v. g. concomitantiam festorum, aëris intemperiem, etc. tortas, placentas, et alia minutiora conficere, non tamen panem, nisi ut jam dixi, propter populi aut festorum multitudinem. 3. Quae pertinent ad nitorem domus, ut verrere cameras, cubilia sternere, utensilia leviter lavare, etc. 4. Quae pertinent ad decentem hominis compositionem, ut vestes purgare, corpori aptare, ad id aliquid leve suere etc. Vide supra laudatam Synodum.

Dico 2. altera causa excusans operantes serviliter diebus Dominicis, et festis est necessitas sive privata, sive publica, sive propria, sive aliena, Patet 1. quia juxta S. Th. opera secundum se servilia fiunt in necessitate communia servis, et liberis. Patet. 2. ex hoc principio communiter recepto, quod leges Ecclesiae non obligent cum gravi detrimento. Hinc inferes excusari eos, qui propter pluviam foenum, et segetes ligant, asportant, congregant; Qui secreto ad vitandum scandalum, prae inopia laborant, ut sibi, et familiae victum comparent, nisi quis dicat, quod teneantur mendicare, *quod stultum est*, inquit Cajet. in Summa V. *Festum* n. 23.; Famuli, et famulae, qui coguntur ab Haeris laborare, si recusare, aut servitium deserere sine gravi detrimento non possint, etc.

Dico 3. inetr causas excusantes quidam numerant pietatem, et charitatem. Quantum ad pietatem, quae hic sumitur pro religione non aliter excusat, quam ut diximus Concl. 1. art. 2. Addimus tantum non excusari ex motivo pietatis opera minutiora, quae solent facere Moniales, ut scapularia, imagines cereas etc. maxime, si diu his immorentur, remote enim tantum ad Religionem pertinent, sicut Ecclesiam aedificare, Calices conficere etc. Quantum ad charitatem, non videtur excusare, nisi ratione adjunctae necessitatis, non enim excusaretur, qui in communi necessitate, cui aliunde varie succurritur, laboraret ad faciendas communes eleemosynas, secus, si ut gravem necessitatem patienti succurreret.

Dico 4. Levitas materiae excusat a toto vel a tanto. *A toto*, si ita sit levis, ut nullatenus contrarietur fini legis, et quasi pro nihilo reputetur, ut unum aut alterum punctum suere, unam aut alteram herbam in horto colligere. Ita S. Anton. p. 2. tit. 9. a. 7. *A tanto*, hoc est a mortali excusat, quando avertit quidem a fine praecepti, cultu divino scilicet, sed leviter: sic juxta communiorem opinionem laborare una hora circiter non excedit culpam venialem: imo ad duas horas non pauci extendunt, quod non absolute negarem, quando labor est valde levis, nec multum distrahens, ut nere, suere acu, vel pennicillo pingere, minutiora opuscula, ut solent moniales, conficere, aptare, texere etc.

Articulus V.

De auditione Missae.

Dico. Quilibet fidelis adultus ratione compos tenetur diebus Dominicis, et festis adesse moraliter, et religiose integrae Missae, seclusa justa causa excusante. Est communis quoad omnes partes, quae tantum indigent explicatione. 1. Dari prae-

ceptum ecclesiasticum, obligans secundum se sub peccato mortali audiendi Missam diebus Dominicis, et festis constat ex dictis art. 1. quibus adde hoc praeceptum numerari inter alia praecepta Ecclesiae, *Diebus Dominicis, et festis Missam reverenter audito.* 2. Dicitur: *Adesse moraliter*: quia neque praesentia mere corporalis, qualis esse potest in ebrio, dormiente, amente, laborante in templo sufficit; neque requiritur, quod quis sit celebranti corpore proximus, ipsum videat, aut audiat; potest enim esse praesens, qui distat corpore, neque videns, neque audiens celebrantem, ut in magno populi concursu, et potest esse absens, qui prope est, ut existens in vicina domo, aut etiam in ipso templo, sed labori suo addictus, et intentus. Sed hoc totum, inquit Sylvius, debet intelligi moraliter, secundum quod is communi hominum opinione censetur esse praesens alicui rei, qui scit quid agatur, et ad hoc seipsum praesentem exhibet: sic dicam illum praesentem, siqui eum vident interrogati quid faciat, attentis omnibus circumstantiis prudenter respondeant: *Audit Missam.* 3. Dicitur, *Adesse religiose*: hoc est per modum laudantis, et colentis Deum cum intentione, et attentione non quidem satisfaciendi praecepto; id enim non requiritur, quia id lex non praecipit, ut docetur in tractatu de legibus; et ideo qui audit Missam putans non esse Festum, fatisfacit praecepto, nec tenetur aliam audire, si postea resciat esse festum; sed cum intentione colendi Deum, aut faciendi quod fieri intendit Ecclesia, quod est implicite intendere colere Deum; quia auditio Missae, ut ab Ecclesia praecipitur, est actus Religionis, nempe cultus divinus: atqui secundum se physice sumpta est indifferens, vel ad cultum Dei, vel ad curiositatem, vel ad lucrum, vel ad libidinem: ergo debet determinari ad esse cultum divinum per aliquid aliud, quod non potest esse nisi intentio audientis.

Cum *attentione* saltem virtuali, non solum externa, qua nihil admittatur exterius distrahens, haec a nemine negatur, sed etiam interna, quae est ipsius mentis ad Deum, aut ad divina, excludens voluntarias mentis distractiones; haec a pluribus negatur. Probatur ex eodem principio. Ecclesia precipiens auditionem Missae praecipit actum religionis, scilicet cultum Dei. Atqui non est actus religionis, nec cultus Dei absque attentione interiori saltem virtuali: ergo Ecclesia praecipiens directe actum exteriorem auditionis Missae, indirecte praecipit attentionem internam tamquam conditionem sine qua non subsisteret actus exterior, prout praecipitur a lege. Major est certa: minor etiam patet 1. Quia ille censeri non potest colere Deum eo actu, in quo nec de Deo ipso vult cogitare. 2. Quia juxta Christi oraculum Jo. 4. *veri Adoratores* in nova lege debent adorare *spiritu*. Hanc materiam de intentione et praesertim de attentione interna fuse discussam habes Dissert. 1. de oratione: require. Attentio autem hic requisita est triplex. Prima ad Missam, seu ad verba, et actiones Sacerdotis. Secunda est ad sensum, et mysteria per verba, et actiones Sacerdotis significata, praesertim passionis, et mortis Christi. Tertia est generaliter ad Deum ipsum laudandum, et orandum per preces, meditationes, aliosve pios mentis, et cordis affectus. Secunda est optima, sed perfectorum, et intelligentium. Tertia est bona, convenit tamen, ut sic orantes sint attenti ad principaliores partes Missae, nimirum consecrationem, et communionem. Prima est minima, sufficiens tamen, modo sit cum intentione colendi Deum: non enim tenetur audiens sacrum, formare preces privatas, sed sufficit, quod assistat Sacerdoti celebranti, et oranti nomine, et in persona omnium praesentium, ac totius Ecclesiae.

4. Dicitur: *Integrae Missae.* Sic praecipitur in Concilio Agath. de Consecr. et aliis citatis. Art. 1. concl. 4. Vide. Adeo ut omnium consensu peccet mortaliter, qui omittit partem notabilem Missae: venialiter qui omittit partem non notabilem. Certum est enim in hoc praecepto non secus, ac in aliis praeceptis ecclesiasticis dari levitatem materiae. Porro pars notabilis censetur consecratio, vel

communio ; quia sunt partes essentiales sacrificii. Item communiter cum S. Antonino 2. p. tit. 9. cap. 10. §. 1. et Sylvestro verbo *Missa* 2. n. 1. tertia pars Missae : unde qui peracto Evangelio accederet ad Missam, secundum communiorem sententiam peccaret mortaliter, venialiter tantum, si finita dumtaxat epistola.

Petes, utrum die Nativitatis Domini teneamur audire tres Missas? R. negative : quia de hoc nullum extat praeceptum.

Articulus VI.

De Causis excusantibus ab auditione Missae.

Dico. Causae excusantes ab observatione hujus praecepti, sicut et aliorum praeceptorum ecclesiasticorum, generaliter sunt dispensatio, consuetudo legitima, et impotentia physica, vel moralis. Impotentia moralis dicitur magna difficultas quando nempe lex observari non potest absque gravi labore seu gravi damno temporali, vel spirituali proprio vel alieno; ex hoc principio communiter recepto quod Ecclesia benigna mater non intendat obligare suos subditos cum gravi detrimento.

Petes 1. Utrum antequam praeceptum obliget, liceat absque justa causa ponere impedimentum observationi illius, puta iter, venationem non necessariam suscipere, unde praevides fore, ut non possis audire sacrum die Dominico vel festo sequenti? R. negative; quia licet pro tunc non obliget praeceptum, est tamen positum, et certo obligabit tunc, imo obligat nunc pro tunc: non puto autem licere Christiano absque justa causa se reddere impotentem observationi legis latae pro tempore sequenti obligantis, siquidem tunc ejus omissio sit ipsi voluntaria, et imputabilis in causa.

Petes 2. Utrum qui legitime excusantur a Missa, teneantur ad aliquem alium actum Religionis indeterminate saltem diebus Dominicis? R. non teneri vi praecepti ecclesiastici, quippe quod nihil aliud praecipiat quam abstinentiam ab operibus servilibus, et auditionem Missae, ut patebit ex infra dicendis. Videntur autem teneri vi praecepti naturalis, quo jubemur aliquando vacare divinis, sed non praecise die Dominica potius, quam altera die, quia praeceptum naturale non determinat tempus : unde fidelis, qui quotidie mane, et vesperi preces recitat, aut Missam infra hebdomadam audit, aut aliquem alium religionis actum eo tempore exercet, videtur satisfacere praecepto naturali.

Petes 3. Utrum status gratiae requiratur in audiente Missam? R. 1. Quamvis id optandum foret, hujus tamen dispositionis nullum extat praeceptum, ut testatur generalis Ecclesiae praxis, cum neque Confessarii id inquirant, neque poenitentes id accusent. R. 2. Peccat, qui cum affectu actuali ad peccatum mortale Missam audit, quia videtur irreligiosum, Deo injuriosum, et hypocrisim sapiens, quod quis adsit, imo offerat cum Sacerdote sacrificium propitiatorium pro peccatis, in quibus vult obstinate perseverare ; non tamen sic affecti arcendi sunt a Missa, sed adhortandi, ut affectum deponant, et Missam audiant. Ita Natal. Alexand. Pontas verbo *Messe* cas. 45. et alii. Hoc autem peccatum non excedit culpam venialem, inquit Henricus a S. Ignatio auctor aliunde rigidissimus. R. 3. Quamvis, ut dixi, peccet, qui cum affectu ad peccatum mortale Missam audit, satisfacit tamen praecepto Ecclesiae de audienda Missa diebus Dominicis et festis, quia leges praecipiunt substantiam actus, non modum, nisi modus sit de intrinseca ratione actus vel secundum se, vel prout cadit sub lege, qualis est v. gr. attentio mentis in auditione Missae, aut recitatione Horarum, quia absque ea illi actus non forent actus religiosi, quales praecipiuntur; secus vero de voluntate non peccandi, quia absque ea auditio Missae supposita attentione remanet se-

cundum se, et quoad substantiam religiosa, licet prava agentis intentione vitietur.

Petes 4. Utrum Missa sit necessario audienda in Ecclesia parochiali? R. Quamvis consultum sit Christi fideles diebus Dominicis, et festis saltem solemnioribus audire Missam, eamque solemnem in Ecclesia sua parochiali, attamen secluso contemptu proprii Parochi nullus tenetur ex praecepto illam dictis diebus audire in Ecclesia parochiali, sed praecepto satisfacit eam audiendo in Ecclesiis Regularium Mendicantium. Constat 1. ex privilegiis Regularibus Mendicantibus cencessis a Summis Pontificibus Leone X. Paulo III. S. Pio V. et Clemente VIII. quorum duo posteriores floruerunt post Concilium Trid. cujus auctoritatem incassum reclamant adversarii. Constat 2. ex praxi generali fidelium, et usu ubique recepto, ita quod si extaret aliquod jus contrarium, per hanc generalem consuetudinem censeretur abrogatum. Imo ratione hujus cousuetudinis, inquit Sylvester Verbo Missa 2. qu. 5. ubicumque audiatur Missa est satisfactum praecepto.

Articulus VII.

Utrum ultra cessationem ab opere servili et auditionem Missae, ad aliquid aliud teneantur fideles diebus Dominicis et festis?

Dico 1. Conveniens Dominicae et festorum sanctificatio postulat, ut fideles praeter Missam et cessationem ab operibus servilibus hos dies sacros transigant in piis Religionis operibus sive internis, sive externis; ita ut merito sint reprehensibiles, qui cessatione ab operibus servilibus et sola Missa contenti reliquum diem agunt in nugis, in deambulationibus, colloquiis profanis, negotiis saecularibus, lusibus, spectaculis, choreis, venationibus, et quod pejus est, in compotationibus, commessationibus, ebrietatibus, impudicitiis, contentionibus et dissolutionibus, quia improbanda perversitas est directe agere contra finem Ecclesiae, et dies, quos ad Dei cultum, et propriam salutem promovendam instituit, otio et naeniis, et quod pessimum est vanitati, crapulae, et luxuriae, verbo dicam, ipsi Daemoni consecrare.

Dico 2. Qui diebus Dominicis et festis abstinet ab operibus servilibus et audit Missam neglectis aliis Religionis operibus, quamvis sit reprehensibilis, ut dixi in prima conclusione, satisfacit tamen praecepto de observatione festorum, sic ut non peccet mortaliter. Ita S. Antonin. 2. p. tit. 9. cap. 7. §. 4. et post ipsum Natalis Alexand. lib. 4. a. 6. Reg. 10. Cajet. in summa V. *Festum* n. 30. Pontas V. *Dimanche* cas. 1. et communiter Summistae. Ratio est, quia abstinentia ab operibus servilibus et auditio Missae tantum cadunt sub praecepto de observatione diei festi, illud autem sanctificare per alia opera pia tam externa quam interna, et iis vacare pro majori saltem parte diei est finis Ecclesiae praecipientis, qui non cadit sub praecepto.

Dixi: *Sic ut non peccet mortaliter*: quia videntur obligari fideles sub peccato veniali adesse Vesperis diebus Dominicis et festis: sic enim fert consuetudo populi Christiani, nec est ullus saltem in his partibus, qui aliquam obligationem audiendi Vesperas his diebus non apprehendat, minorem tamen obligatione audiendi Missam, et ideo de hujusmodi omissione se accusant, distinguendo tamen inter omissionem Missae et Vesperarum. Adde quod tempore Vesperarum soleant prohiberi specialiter mercatus, compotationes, lusus, spectacula, etc. quae omnia indicant, aliquam obligationem:

Si contra conclusionem opponas illud Exodi *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*; R. ex S. Doct. his verbis non importari praeceptum, sed finem dumtaxat praecepti, qui non cadit sub praecepto.

DISSERTATIO VI.

De vitiis oppositis Religioni, et primo de Superstitione.

D. Th. QQ. 92. 93. 94. 95. *et* 96.

Articulus I.

Quid et quotuplex sit Superstitio?

Dico 1. Superstitio est falsa Religio, sive *Vitium exhibens cultum divinum vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet.* Unde sunt duae species, in quas immediate dividitur, scilicet cultus indebitus veri numinis, et cultus falsi numinis.

Dico 2. Superstitio cultus indebiti veri numinis dividitur in cultum falsum et cultum superfluum. Cultus falsus, qui a S. Th. dicitur perniciosus (quia omnis falsitas in materia Religionis est Deo injuriosa, et perniciosa) fit dupliciter. Uno modo ratione falsae significationis, ut si quis modo vellet colere Deum caeremoniis Judaicis, quae significant Christum venturum. Alio modo ex parte colentis, ut si quis Deum colat, ut publicus Ecclesiae minister, qui tamen non sit; vel nomine Ecclesiae colat Deum ritu ab Ecclesia non probato.

Cultus superfluus non dicitur talis secundum absolutam quantitatem, quia quamtumvis homo Deum colat, minus est, quam ei debetur; sed secundum quantitatem proportionis, quia scilicet non est fini Religionis proportionatus. Finis autem Religionis est, ut homo det gloriam Deo, et ei se subjiciat mente et corpore; quare quod ad nihil horum conducit, aut si ab agente ad id ordinatur, sed praeter Dei, et Ecclesiae institutionem, vel contra consuetudinem communem, totum hoc reputatur superfluum, et superstitiosum: v. g. orare ante solis occasum cum certo numero, situ, vel colore candelarum; velle audire Missam a Sacerdote, qui vocatur Joannes; repetere in Missa *Alleluia*, vel facere cruces plusquam sit ordinatum ab Ecclesia, dicere *Gloria in excelsis Deo*, vel *Credo*, quando secundum rubricas sunt omittenda; non nere die Sabbathi in honorem B. V., et interim aliis operibus servilibus insistere, et similia. Ex hoc tamen capite si contemptus, et scandalum absit, non videtur plusquam veniale juxta Cajetanum, Sylvium, et alios; quia non videtur notabilis irreverentia.

Dico 3. Superstitio cultus falsi numinis dividitur in tres species, scilicet idololatriam, divinationem, et vanam observantiam. Sicut enim colimus Deum vel deferendo divinae ejus excellentiae cultum, sacrificia, etc. vel obsecrando ea, quae ipse solus nobis elargiri potest sive ad mentis nostrae instructionem, sive ad actionum nostrarum directionem: sic Daemon superbus, et invidus divinos honores affectans, ambit coli ab hominibus, idque eos edocet. Vel ergo colitur et honoratur tamquam numen, et haec est idololatria: vel ut aliquid occultum revelet, et est divinatio; vel ut juvet, et dirigat in agendo, et est vana observantia, ad quam reducitur Magia.

Articulus II.

De Idololatria.

D. Thom. Quaest. 94.

Petes 1. Quid sit idololatria, R. Idololatria, vel sumitur metaphorice, et est omne peccatum mortale, quo peccator adhaeret creaturae, ut fini ultimo, sicque quandam similitudinem cultus exhibet illi ut Deo; vel sumitur in sensu proprio, et *est cultus divinus alteri, quam Deo exhibitus*, vel quod idem est, *est cultus exhibitus creaturae ut Deo.*

Porro dupliciter divinus cultus idolis exhibebatur a gentibus. Quidam enim per quandam nefariam artem certas construebant imagines, quae virtute Daemonis aliquos certos effectus habebant: v. g. loquebantur, loco se movebant, etc., quae cum nullo manifesto auctore fieri conspicerentur, credebant ab ipsis idolis fieri, unde putabant in ipsis esse aliquid divinitatis, et per consequens, quod divinus cultus eis deberetur. Alii vero non exhibebant cultum divinitatis ipsis imaginibus, sed creaturis, quarum erant imagines, quatenus scilicet existimabant quosdam homines Deos evasisse, quos per eorum imagines colebant, sicut Jovem, Mercurium, et alios hujusmodi.

Dixi in responsione, *Cultus divinus*: id est quodcumque signum honoris exhibitum creaturae ut divinitati: licet enim solum sacrificium, et ea, quae ad ipsum pertinent, ut Templa, Altaria, Sacerdotes, etc. sint secundum se cultus divinus, quia soli Deo conveniunt: alii vero actus honorifici, ut genuflexio, incurvatio, oratio, et similes sint communes cultui Dei, et creaturae, si tamen eos exhibeas creaturae tamquam divinitati, vere es idololatra: quia tales actus ex intentione determinantur ad latriam.

Petes 2. Quotuplex sit idololatria? R. Praeter assignatos modos idololatrandi duplex insuper distinguitur idololatria. Interior, qua quis animo, et affectu veneratur creaturam ut Deum; et exterior, qua hanc internam reverentiam signis exterioribus protestatur, et significat, sicut diximus supra a contrario esse duplicem adorationem seu latriam internam, et externam. Et sicut exterior adoratio sine interiori non est propria, et formalis adoratio, sic idololatria exterior sine interiori non videtur formalis et vera idololatria, sed materialis tantum improprie dicta: est tamen multiplici modo peccatum gravissimum. 1. Est contra religionem, exhibens exterius creaturae honorem reputatum divinum. 2. Est plenissimum mendacium in cultu religionis, Deo valde injuriosum, et apud homines scandalosum. 3. Est contra praeceptum confessionis verae fidei, impingens in illud Christi Matth. 10. *Qui me negaverit coram hominibus, negabo eum coram Patre meo.*

Petes 3. Quandonam incepit idololatria? R. Probabile est, quod in prima mundi aetate, scilicet ab Adamo ad diluvium, non fuerit idololatria propter recentem memoriam creationis mundi, ex qua vigebat adhuc cognitio unius Dei in mente hominum: aliunde Scriptura nullam facit mentionem idololatriae toto illo tempore. Et ita sentiunt Irenaeus lib. 5. adversus Haeres. c. 29. Tertullianus de *Idololat.* c. 4. Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Julian. ante med. et l. 3. sub finem. In sexta mundi aetate, nempe a Christo nato ad finem mundi magna ex parte exclusa est idololatria per virtutem, et doctrinam Christi, qui de diabolo triumphavit.

In secunda mundi aetate scilicet post diluvium incoepit idololatria: sed quo praecise tempore, quisve primus ejus auctor fuerit, certo affirmari non potest. Qui-

dam dicunt fuisse Nembroth, seu Nemrod circa annum mundi 1800. qui cogebat homines adorare ignem. Alii ut SS. Hieronymus, et Cyrillus, Ninum circa annum mundi 2860. qui erexit elegantem statuam patris sui Beli, ut in ea divino honore coleretur, ad quam si quis mortis reus confugeret, poenam mortis evaderet.

Articulus III.

De Divinatione.

Dico 1. Divinatio proprie dicta est *praenotio, seu praedictio futurorum modo indebito.* Explicatur. Futura dupliciter praenosci possunt; in suis causis, et in seipsis. Cognoscere futura in seipsis antequam fiant, non est hominis, aut ullius creaturae, quae solum praesentia in se ipsis intuetur, sed solius Dei, qui solus in sua aeternitate videt ea, quae futura sunt quasi praesentia, ut dicitur in prima parte. Unde dicitur Isaiae 41. *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia Dii estis vos.* Causae autem futurorum tripliciter se habent: quaedam enim producunt ex necessitate, et semper suos effectus; quaedam non ex necessitate, nec semper, sed ut in pluribus; quaedam sunt indeterminatae, et ad utrumlibet, quales sunt potentiae rationis. Siquis ergo habens notitiam causarum necessariarum, aut plerumque contingentium, praenuntiet effectus, illarum certo, ut eclipses lunae, harum autem probabiliter, ut pluvias, ventos futuros, etc. non dicitur divinare, quia non praenuntiat indebito modo. Qui vero futura, quae ex causis liberis, et indifferentibus, aut etiam raro contingentibus pendent, praenuntiare tentant, indebito modo praenuntiant, et divinare dicuntur.

Dixi in conclusione: *Divinatio proprie dicta*, quia sola futurorum praenuntiatio dicitur proprie divinatio. Quia tamen multa alia, quae sunt, aut fuerunt, nobis sunt ignota, divinationis nomen extensum est ad omnem illicitam praenuntiationem rerum praesentium, aut praeteritarum ita occultarum, ut naturaliter, sive per humanam industriam sciri non possint: unde divini, et divinare dicuntur, qui v. g. occultum furem indicant, qui res perditas ostendunt, qui causas occultas mortis, aut morbi aperiunt, etc. Quapropter generaliter loquendo peccatum divinationis est, cum quis citra revelationem tentat praenoscere, vel praedicere res quaslibet ipsi naturaliter ignotas, quod fit auxilio daemonum tacite, vel expresse invocato: nec enim aliter potest. Pro quo

Nota, quod licet Daemones non possint certo cognoscere futura, quae pendent a libero arbitrio, longe tamen plura quam homines cognoscunt de futuris, aliisque occultis, idque variis modis. 1. Quia subtilitate suae naturae intellectualis, quae remansit integra, perfectius cognoscunt vim causarum naturalium, ut solis, lunae, syderum, plantarum, animalium, etc. unde facilius colligere possunt effectus ex eis secuturos, ut ventos, tempestates, naufragia, mortes, etc. 2. Quia Deo permittente possunt plura de rebus futuris cognoscere per revelationem a sanctis Angelis, cum quibus, licet non conveniant per conformitatem voluntatis, conveniunt tamen per similitudinem naturae intellectualis, secundum quam possunt accipere, quod ab aliis manifestatur. 3. Quia per experientiam longi temporis norunt quid, ex quo in causis liberis sequi soleat, quibus rebus voluntas humana huc, vel illuc impelli consuevit. 4. Quia vident in locis longinquis causas positas, vel effectus inchoatos, et celeritate suae naturae illos antevertere, et alibi praedicere possunt. 5. Quia possunt scire, quid ipsi, vel alii Daemones, Deo permittente, sint facturi.

Dico 2. Divinatio est species superstitionis, qua cultus divinus impenditur Daemoni non directe, et ex intentione honoris vel adorationis, ut in idololatria, sed

indirecte, et ex consequenti. Prob. Sicut ad cultum Dei pertinet non solum cum aliquid Deo offertur, ut sacrificium, oblatio, vel aliquid ejusmodi, sed etiam cum aliquid divinum assumitur, ut dictum est de juramento, ita ad superstitionem pertinet non solum cum Daemonibus sacrificium offertur per idololatriam, sed etiam cum eorum auxilium assumitur ad aliquid faciendum, vel cognoscendum: atqui omnis divinatio ex operatione Daemonum provenit, vel quia expresse invocantur ad futura manifestanda, vel tacite, quatenus se ingerunt variis inquisitionibus futurorum, ut mentes hominum implicent vanitate: ergo. Confirmatur. Vel assumitur auxilium daemonis ad praenoscenda, seu praedicenda ea, quorum notitia est soli Deo propria, et tunc manifestum est, quod illi tribuatur aliquid, quod nulli creaturae, sed soli Deo competit: vel assumitur ad scienda seu praedicenda, quae quidem sunt ignota, possunt tamen naturaliter sciri, et tunc licet divinans non confugiat ad daemonem pro notitia Deo propria, tamen daemoni cooperatur in usurpatione alicujus honoris, et excellentiae divinae, quam affectat, et requirit per istam societatem, et auxilium a se praestitum, intendens ut divinus, Deo relicto, ipsi in hoc confidat, quod est aliquem cultum divinum illi deferre, adeoque superstitiosum.

Dico 3. Duplex est genus divinationis. Primum, quod est per expressam Daemonis invocationem, secundum per tacitam: et hoc est iterum duplex. Unum quod fit per considerationem, vel motum alterius rei, aliud per considerationem alicujus operis necessarii. Unde universaliter est triplex genus divinationis, sub quorum singulis continentur variae species juxta diversos modos, quibus vel daemon consulitur, vel consultus respondet, vel occultum investigatur.

Sub primo genere, quod est per expressam daemonis invocationem, continentur praestigium, divinatio somniorum, Negromantia, divinatio per Pythones, Geomantia, Hydromantia, Aeromantia, Pyromantia, et Haruspicium.

Sub secundo genere, quod fit absque expressa invocatione daemonum per inspectionem dispositionum et motuum aliarum rerum, quae ad futurorum cognitionem nihil conferunt, continentur Astrologia judiciaria, augurium, auspicium, omen, Chiromantia, et Physiognomia. De quibus omnibus vide S. Thom. locis cit. [Censuram, quam incurrunt Astrologi judiciarii de statu. Reip. Christianae, declarat Bened. XIV. in Const. *Pastor bonus* § 13. non posse absolvi nequidem a Majori Poenitentiario his verbis: „ Nec pariter possit etiam in occultis, etiam in „ foro conscientiae tantum, eos cujuscumque qualitatis, status, dignitatis prae- „ minentiae, et conditionis fuerint, absolvere, et absolvi mandare, qui astro. „ logia judiciaria vel per se, vel pro alios, de statu Reip. Christianae, sive de „ vita, et morte Romani Pontificis, per tempore existentis inquirentes ejusdem „ Urbani litteris, contra praedicta perpetrantes editis, contravenerint „]

Tertium genus divinationis communi nomine dicitur Sortilegium, et est, quando absque expressa daemonis invocatione aliquis tentat cognoscere aliquid occultum ex consideratione eorum, quae eveniunt ex actione sua, vel alterius serio facta, nihil ad hoc pertinente; v. g. siquis considerando ex projectione taxillorum, quis plura puncta projiciat, vel quid aperienti librum occurrat, vel quae figura in plumbo liquefacto in aquam projecto appareat, et ex similibus tentet cognoscere, vel praenuntiare futurum aut occultum, quae omnia sortium nomen habent.

Petes, utrum omnis divinatio sit peccatum mortale? R. Omnis divinatio, quae fit cum expressa daemonis invocatione, est semper peccatum mortale tum propter divinum cultum, qui diabolo per talem invocationem exhibetur, ut dictum est, tum propter manifestam societatem cum infensissimo Dei hoste, quae in magnum Dei contemptum, et injuriam redundat, tum denique propter periculum apostasiae, quia diabolus facile Deo permittente, hominem, qui suam socie-

tatem quaerit, suis artibus a Deo avertit, et sibi totaliter obstringit. Neque a mortali excusantur saltem fideles propter ignorantiam ob nimis evidentem talis actus malitiam. Divinatio vero per tacitam daemonum invocationem, licet sit ex genere suo mortale peccatum, utpote cultus falsi numinis : tamen propter fidem, simplicitatem, aut ignorantiam non nimis crassam agentis, potest quandoque excusari a mortali. Quapropter, inquit Sylvius hic post Cajetanus, et alios, si quis hujus specici divinationem tentet ex joco, et levitate non credens eam utilem, sed potius vanam, et inutilem, aut nesciens esse ibi aliquam daemonis invocationem, non peccat plusquam venialiter. Idem esto judicium, si ex somnio, augurio, et similibus aliquem timorem de futuris concipiat, sed tamen non eis adhibeat fidem, aut si semel et iterum faciat aut omittat aliquid sibi liberum ex tali timore, non tamen vitam, et actiones suas ad talium divinationum norma dirigat.

[Romani Pontifices salubriter providere nisi sunt, ut Christiani homines ab improbo divinationis studio deterreantur. Huc spectant Decretal. c. 1. et 2. de Sortil., et his recentiores Const. *Supernae* Leonis X., Const. *Coeli, et Terrae* Sixti V. Const. *Omnipotentis Dei.* Gregorii XV., et Const. *Inscrutabilis* Urbani VIII., quibus sortilegiorum rei poenitentiae subjiciuntur, et infamia notantur, perseverantes autem in scelere, laici excommunicationis, Clerici depositionis poena plectuntur, et beneficiis privantur ; sed etiam a Sacrificio Missae celebrando perpetuo repelluntur Sacerdotes, qui ipso sacrificio abuti ad sortilegia ausi sunt, ex Decr. S. Rom. Inquis., a Bened. XIV. comprobato]

Articulus IV.

De Vana Observantia.

Nota. Vanae observantiae dicuntur, cum aliqua fiunt ad aliquem effectum, ad quem nec a Deo, nec a natura ullam vim habent : vel cum ex consideratione alicujus eventus fortuiti conjicit quis aliquid prosperi, vel adversi, et inde actiones suas moderatur. Tres sunt species, scilicet ars notoria, observantia sanitatum, et observantia eventuum.

Ars notoria est quaedam ratio adipiscendi scientiam sine labore per inspectionem quarumdam figurarum, aut prolationem quorumdam verborum, adhibitis interdum jejuniis, et orationibus. Observantia sanitatum est, quando adhibentur quaedam verba vel alia signa, vel caeremoniae inanes ad morbos curandos, ad se reddendum immunem contra ictus, et similes effectus. Observantia eventuum est, quando ex eo, quod fortuito accidit homini, aliquis sibi, vel alteri conjectat aliquid adversi, vel prosperi, et inde suas actiones moderatur : ut si quis mane egrediens offendat pedem, ideo domum revertatur, metuens inde iter infaustum. Licet autem iste modus superstitionis sit valde affinis cum divinatione, differt tamen in eo, quod in divinatione principaliter quaeratur futurorum notitia, hic vero directio operationum.

Dico 1. Ars notoria est illicita, et superstitiosa, quia illae caeremoniae, quae in hac arte adhiberi solent, non habent vim infundendi scientiam, neque a Deo (id enim nosceret Ecclesia) neque ut patet ex natura rerum adhibitarum, aut ex astris : ergo consequens est, hunc effectum expectari a diabolo.

Dico 2. Adhibere simpliciter res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosa, et illicita observantia, quia licet adhibere causas naturales ad proprios effectus : si vero adjungantur vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliae quaecumque observantiae, quas manifestum est non habere naturaliter efficaciam ad effectus intentos, erit superstitiosa, et illicita observantia, quia hujusmodi non adhibentur, ut can-

sae effectus expectati, cum non sint tales, neque ex se, neque a Deo, neque ab astris, sed tamquam signa; non sunt autem signa, neque a Deo, neque ab Ecclesia instituta: ergo sunt signa ex pacto expresso, vel tacito cum daemone.

Hinc inferes superstitiosos esse, qui sive cum remediis naturalibus, sive sine illis, adhibent quaedam verba, quosdam characteres, quasdam figuras, aut alias res, seu caeremonias vanas, et impertinentes ad curandos morbos, sive hominum, sive brutorum, ad sistendum sanguinem, ad impedienda vulnera. Item qui herbas certa die, certa hora collectas dicunt valere ad hoc, vel illud curandum. Item qui certo, et infallibiliter sibi pollicentur felicem exitum, bonam mortem, etc., si talem Sanctum colant, si certam orationem recitent; Deus enim tali devotioni non annexuit infallibiliter talem effectum; secus, si bona cum fiducia divini auxilii Deum, aut Sanctos colant, et orent.

Dico 3. Observantia eventuum est superstitiosa, quia cum fortuiti casus non sint causae, neque signa divina, vel ecclesiastica fortunarum, vel infortuniorum, sequitur, quod sint istorum signa ex pacto tacito, vel expresso cum daemone. Sic superstitiosus est, qui ex eo, quod egrediens domo pedem offenderit, aut ipsi lupus occurrerit, timet infaustum iter, et ideo domum regreditur; qui accipit in malum omen, quod surgendo sternutaverit, et ideo lectum repetit; qui cum videat tredecim assidere mensae, timet alicui assidentium mortem, et ideo a mensa recedit.

Articulus V.

De Magia.

§ I. *Quid et quotuplex, quale peccatum sit Magia? quae ejus signa et remedia?*

Dico 1. Magia generaliter sumpta est duplex, naturalis, et superstitiosa. Magia naturalis est ratio quaedam operandi mira per causas naturales: et haec quamvis non sit secundum se illicita, est tamen periculosa, quia illi se facile immiscet diabolus. Magia superstitiosa est ratio quaedam operandi mira ope daemonis per signa, ab ipso instituta; sicut enim Christus signa sensibilia Sacramentorum instituit ad animae salutem, sic daemon Christi aemulus sensibilia signa imponit, quorum exhibitione, et usu aliquid operari solet ad animae perniciem.

Est iterum duplex magia superstitiosa, seu potius habet duplicem finem: vel enim refertur ad ostentationem, sive aliud commodum proprium, vel alienum, et tunc communi nomine dicitur *Magia*; vel refertur ad inferendum nocumentum alteri, et dicitur maleficium, quod qui facit, dicitur sortiarius, aut sortiaria.

Maleficium vero est duplex: unum veneficum, aliud amatorium. Veneficum est, quo redduntur homines infirmi, foeminae steriles, proles languidae, pecora morbida, arbores siccae, etc. Amatorium, quo excitatur amor venereus erga certam personam. Dico: *Erga certam personam*, quia dicuntur esse quidam lapides, et herbae, quae naturaliter concupiscentiam inflammant, at non erga determinatam personam, quod ideo fieri debet a daemone, vel phantasiam immutante, vel species objecti pulchriores exhibente, aut aliis modis. Advertendum tamen personam, hoc maleficio affectam, non cogi ad peccatum, sed liberam manere, et cum gratia Dei tentationem vincere posse, adeo ut si illi amori inordinato obsequatur, peccet mortaliter: tamen ratione passionis vehementis est facilius venia digna.

Dico 2. Magia ex genere suo est grave peccatum mortale, utpote continens societatem cum daemone Dei nostri infensissimo hoste: nec admittit levitatem ma-

teriae ; quod enim in re parva daemon invocetur ut amicus , semper et graviter est Deo injuriosum ; attamen in pacto, seu invocatione implicita posset fieri veniale ratione ignorantiae. Huic vero peccato plura alia solent adjungi , de quibus Confessarius magos et sortiarias interrogare debet. 1. Haeresis : multi enim credunt diabolum , non esse damnatum , et alia contra fidem. 2. Idololatria , saepe enim daemonem loco Dei colunt , eique sacrificia offerunt. 3. Apostasia , plerumque enim abnegant Christum , et Dei fidem , baptismo renunciant etc. 4. Blasphemia in Deum , Christum , B. Virginem , Christi , et SS. imagines. 5. Sacrilegium , quatenus saepe abutuntur rebus sacris , imo quandoque SS. Eucharistia. 6. Luxuria , ut nefandae cum diabolo commixtiones. 7. Damna proximi , homicidia, morbi , mortes animalium , vastationes segetum etc.

Dico 3. Ex duplici capite dignoscitur opus magicum , ex causis , et ex effectibus. Ex causis , quando adhibentur causae , quae nec ex natura sua , neque instituto Dei , aut Ecclesiae tales effectus producere possunt : v. gr. si ad sanationem vulnerum , aut morborum adhibeantur characteres , sigilla , cruces , exotica nomina , aut etiam sacra verba , quatenus non proferuntur ut sacra , nec in ordine ad Deum , sed profano modo. Si baculus terrae infigatur , ut cesset febris, si pungatur imago Petri , aut vestis separata feriatur , ut Petrus dolore afficiatur, si tangatur leviter , et statim morbo inficiatur.

Ex effectibus , quando effectus superat naturalem industriam, nec ulla est ratio illum exspectandi a Deo per miraculum in praesentibus circumstantiis ; ut si aëre sereno subito excitentur tonitrua , fulgura , inundationes , eradicentur arbores , repente sanetur homo , vel equus , conficiantur brevissimo tempore plures leucae , et similia.

Dico 4. Remedia curandi maleficia alia sunt naturalia , sed haec raro prosunt , quia diabolus facile eorum vim elidit ; alia supernaturalia , ut exorcismi Ecclesiae , aqua benedicta , reliquiae Sanctorum , signum Crucis, invocatio nominis Jesu et Mariae , frequentatio Sacramentorum , oratio juncta jejunio , et magna in Deum fiducia ; juxta illud Psalmi 90. *Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei coeli commorabitur.* Alia dicuntur remedia moralia , quae pertinent ad dissolvendum pactum cum daemone , quando ex pacto nocet, quod fit amovendo signa , ad quorum praesentiam noxam infert. De quo sit

§. II. *Utrum liceat tollere signa maleficii eo fine, ut Daemon cesset nocere ?*

Suppono 1. ut certum nunquam licitum esse maleficium maleficio tollere , nec petere , ut sic tollatur a malefico , etsi ad id se offerente ; quia nec peccare , nec alterius peccato positive cooperari unquam licet. Suppono 2. ut certum licitum esse tollere ea signa , quae vi sua naturali nocent , v. gr. venenum , quod maleficus miscuisset alimentis , aut injecisset in puteum , ex quo familia haurit aquam , cum hoc sit praecise amovere causam naturalem nocumenti.

Unde quaestio est tantum de illis signis , quae de se non sunt noxia , ad quorum tamen positionem daemon nocet ex pacto cum mago , vel sortiaria. Et quidem nemo negat , quin liceat ea tollere ex indignatione , et odio facinoris , atque ex contemptu , et detestatione tum magicae artis , tum ipsius daemonis , quia cum eum debeamus habere ut hostem , ita ejus artes , et artificia detestari, et destruere debemus. Utrum vero id etiam liceat sub spe nocumenti cessaturi , seu eo fine , ut daemon nocere desinat , difficultas est , quae utrinque disputatur probabiliter. Pro cujus resolutione

Dico. Cuivis licitum est tollere nuda signa maleficii sub spe nocumenti cessaturi , seu eo fine praecise , ut daemon nocere desinat. Ita communius, et nobis

probabilius cum Henrico a Gandavo, Scoto, Cajetano, Soto, Sylvestro, Binsfeldio, et pluribus aliis contra Estium, Sylvium, Loth, et quosdam alios. Probat. 1. Illa amotio signorum nullatenus est invocatio tacita daemonis: ergo non est illicita. Patet consequentia: quia hac dumtaxat ratione contendunt adversarii esse illicitam. Prob. ant. Illa amotio signorum non est invocatio daemonis neque ex natura sua, siquidem licite fiat ex detestatione, ut dixi; neque ex intentione amoventis, non enim amovens intendit daemonem invocare, sed e contra ejus invocationem per magum illo signo factam impedire: neque tandem ex pacto praecedente, quia amovens non est pactus cum daemone, ut amoto signo desinat nocere, et licet magus id pactus sit, tamen amovens signum non intendit ex illo pacto operari, quasi daemonem moneret ac induceret, ut pactum servet, sed e contra intendit pactum illud nocendi rescindere: ergo.

Respondet Sylvius hanc amotionem, quatenus fit eo fine, ut daemon cesset nocere, esse ex natura sua implicitam daemonis invocationem, quia est res vana et ad effectum expectatum nihil valens, neque ex virtute naturali, neque ex institutione Dei aut Ecclesiae, sed ex sola voluntate daemonis, a qua proinde ille effectus expectatur ex pacto inito cum mago. Sed contra: nihil hic expectatur a voluntate daemonis, sed tantum impeditur mala ejus nocendi voluntas. Confirmatur a simili. Si quis esset pactus cum hoste, ut dato signo ignem urbi injiceret, is, qui talis pacti esset conscius, posset et deberet tale signum removere, nec propterea censeretur expectare aliquod beneficium ab hoste, sed tantum malam ejus voluntatem impedire, nec ejus pacto consentire magis, quam ego censerer consentire hosti, cujus oppugnationi resisterem, vel cujus artes et artificia dissolverem.

Petes 1. Utrum sit licitum non solum tollere signum maleficii, sed etiam aliud signum apponere, quo prius vim suam amittat, aut pactum prius evertatur, et diabolus nocere desinat? R. ex principiis positis responsionem affirmativam videri valde probabilem. 1. Quia id non est signum novi pacti, sed eversio et impedimentum antiqui. 2. Non videtur magis illicitum apponere signum, ut desinat pactum et nocumentum, quam tollere positum ad eumdem finem 3. Non expectatur hic ullus effectus positivus, sed tantum cessatio actionis noxiae daemonis, quod expectari potest modo non ex amicitia. 4. Licet petere verbis a diabolo, ut cesset nocere, modo id non petatur deprecando aut ex amicitia aliqua, sed indignando, v. gr. Cessa immunde spiritus: ergo id etiam licet petere signis.

Hinc inferunt patroni hujus sententiae, quod si saga te percutiente inficiaris, et si tu eam repercutiens non inficiaris, possis eam repercutere, ut impedias noxam; sive quia diabolus statuit tunc non nocere, sive quia signum veneficae non est tale, quale ipse daemon requirit.

Petes 2. Utrum sit licitum petere dissolutionem maleficii a malefico, qui potest illud tollere licite et illicite? R. 1. Quando probabilius puto illum dissoluturum maleficium licite, possum petere, quia petitio est ex se indifferens, et cessat morale periculum ex parte tollentis. R. 2. Si dubitem, an maleficus sit dissoluturus maleficium licite, est etiam licitum juxta Suarez, Torre, Delrio, quos citat et sequitur noster Loth, petere dissolutionem, quia in dubio debet praesumi bonus, et sic est praesumptio, quod dissolvet licite. Intellige tamen; quando est dubium de futura voluntate, quia si dubitarem, an possit aut sciat licite dissolvere, non liceret petere, quia id, de quo dubium est, an possit sine peccato fieri, sicut absolute non est faciendum, ita nec absolute ab alio petendum. Ita praelaudati auctores. R. 3. Si certum, aut etiam probabilius sit maleficum arte sua magica usurum ad dissolvendum maleficium, non licet ab eo petere dissolutionem maleficii. Ita Cajetanus, Delrio, Binsfeld apud Loth. Item

Sylvester et alii contra Suarez, Lessium, et alios, qui hoc nituntur fundamento, quod liceat justa causa premente mutuum petere ab usurario, juramentum ab infedeli, Sacramentum a malo ministro, quia cum possint licite praestare, quod petitur, si male praestent, id suae malitiae imputare debent: ita, inquiunt, similiter in praesenti casu.

Sed contra accipe disparitatem et rationem responsionis nostrae. Non prohibetur nobis omne commercium, omnis societas cum homine peccatore, neque justa urgente causa petere, aut recipere ab eo beneficium, quod potest licite praestare, et ideo non est illicitum in necessitate petere mutuum ab usurario, juramentum ab infideli, Sacramentum a malo ministro. At prohibetur nobis cum daemone omne commercium, omnis societas, item et petere, aut recipere, vel etiam permittere, ut per eum conferatur nobis aliquod beneficium: censetur enim reus divinae majestatis, qui ab ejus hoste ad defectionem sollicitante sibi beneficium conferri permittit aut cum eo societatem init: atqui qui petit dissolutionem maleficii ab eo, quem scit aut probabilius credit ope daemonis usurum ad dissolutionem maleficii, habet societatem cum daemone, siquidem habeat societatem cum malefico, ut maleficus est, implicite petit a daemone in persona malefici opem et beneficium, aut saltem permittit sibi a demone beneficium conferri: ergo.

S. Th. q. 97. agit de tentatione Dei. Est autem Dei tentatio, cum quis absque utilitate aut necessitate petit a Deo, sive expresse, sive interpretative aliquid miraculosum. Est peccatum contra debitam Deo reverentiam, adeoque contra Religionem, et ex genere suo peccatum mortale. Quando autem subest justa causa expectandi, vel petendi a Deo aliquem effectum miraculosum, vel extraordinarium, sive in propriam, sive in aliorum utilitatem, non est tentatio Dei, quae sit peccatum. Sic Gen. 15. Abraham petit ex divina inspiratione signum futurae possessionis terrae promissae. Quoad vero purgationes vulgares, olim adhiberi solitas per ferrum candens, per aquam ferventem, et per monomachiam, quae quamvis possent praecipue dici sortes divinatoriae, cum ordinarentur ad aliquid occultum cognoscendum, pertinebant etiam ad tentationem Dei, dicendum est, eas fuisse illicitas. Quod si Deus his purgationibus aliquando favit per miracula, id factum est, vel ob simplicitatem illius saeculi, in quo etiam multi Episcopi putabant eas licitas in aliquibus eventibus, vel ob simplicitatem Innocentium, qui ad has purgationes cogebantur.

DISSERTATIO VII.

De Mendacio et Perjurio.

D. Th. Q. 98. et 110.

Licet non sit hic proprie locus disserendi de mendacio, quia tamen est sedes perjurii, ad faciliorem intelligentiam eorum, quae dicenda sunt de perjurio, opportunum duxi praemittere de mendacio, et de celebri quaestione restrictionum mentalium.

Articulus I.

De Mendacio.

Petes 1. Quid sit mendacium? R. Mendacium est *Sermo prolatus cum intentione dicendi falsum.* Dicitur, *Cum intentione dicendi falsum*, quia ratio es-

sentialis mendacii sumitur a falsitate formali, ex hoc scilicet, quod aliquis habeat voluntatem falsum enuntiandi: unde mendacium nominatur ex eo, quod contra mentem dicitur. Et ideo si quis dicat falsum putans dicere verum, non mentitur. Et e contra si dicat verum putans dicere falsum, mentitur. Quod autem aliquis intendat alterum fallere, non pertinet ad speciem mendacii, sed ad quandam ejus perfectionem, seu effectum: sicut in rebus naturalibus aliquid speciem sortitur, si formam habeat, quamvis desit formae effectus, ut patet in gravi, quod violenter sursum detinetur, ne descendat secundum exigentiam formae.

Unde sequitur recte a nobis traditam esse definitionem mendacii, et male a quibusdam defendi, intentionem fallendi esse essentialem mendacio; licet enim qui mentitur, regulariter intendat alterum fallere, et mendacium ex natura sua sit fallax, haec tamen intentio non est necessaria ad rationem essentialem mendacii, ut constat ex dictis, et patet in eo, qui praesente judice crimen commisit, et tamen ne convincatur, ei perfracte negat se illud commisisse; mentitur indubie, et tamen non habet intentionem fallendi judicem.

Dicitur: *Sermo prolatus.* Per quod mendacium distinguitur a simulatione, et hypocrisi, quae consistunt in factis, mendacium autem in verbis, scriptis, aut signis illis, quibus dicimur loqui. Sed haec distinctio est valde levis, et superficialis. Qui enim rebus, aut factis aliquid simulat esse verum, quod scit esse falsum, etiam recte dicitur mentiri, omnisque simulatio proprie dicta est verum mendacium; unde fit, quod aliquis dicatur mentiri sexum, sanctitatem, etc. Itaque si sumatur mendacium in tota sua latitudine, prout comprehendit etiam simulationem proprie dictam, et hypocrisim, est *omnis significatio falsa ex mente significantis*, sive fiat verbis, sive factis. Simulatio autem proprie dicta, quatenus est mendacium, est fictio, qua quis per exteriora signa factorum, vel rerum significat contrarium ejus, quod in eo est.

Sed adverte, quod fictio non sit simulatio proprie dicta, nec mendacium, quando est tantum celatio, seu dissimulatio veritatis, quam aperire non expedit, etiamsi inde praevideatur aliquis decipiendus, deceptione ejus ex causa permissa, non intenta: sicut enim aliquis non mentitur, quando tacet, quod est, sed quando verbis significat, quod non est; ita non est simulatio proprie dicta, quando aliquis praetermittit significare factis, quod est, sed quando iis significat, quod non est: unde potest aliquis peccatum suum occultare sine simulatione, utendo dissimulatione. Hoc enim, quod bene nota, diversa sunt: simulamus falsa, dissimulamus vera: simulamus esse, quae non sunt, dissimulamus non esse, quae sunt.

Petes 2. Quotuplex sit mendacium? R. Communiter dividitur mendacium ex parte finis seu effectus in jocosum, officiosum, perniciosum. Jocosum est, quod causa voluptatis suae, vel alienae dicitur. Officiosum, quod causa utilitatis suae, vel alienae. Perniciosum est, quod alicui injuste nocet.

Petes 3. Utrum omne mendacium sit peccatum? R. Omne mendacium, sive in verbis, sive in factis, est peccatum, et in nullo casu est licitum. Probat. ex Scriptura, quae indiscriminatim omne mendacium prohibet. Exod. 23. *Mendacium fugies.* Levit. 9. *Non mentiemini.* Coloss. 3. *Nolite mentiri invicem.* Prob. 2. ratione. Quod est ex se seu ex genere suo malum, nullo modo potest esse bonum et licitum, quia ad hoc, quod aliquid sit bonum, requiritur, quod omnia recte concurrant; bonum enim ex integra causa, malum vero ex quovis defectu: atqui mendacium est ex se, et ratione sua intrinseca malum: ergo. Probatur minor. Rerum abusus contra suam institutionem est ex se malus: atqui tale est mendacium: ergo. Probat. min. Facultas loquendi seu voces aliave signa sunt naturaliter instituta ad manifestandos aliis nostros conceptus: atqui qui mentitur, illis utitur contra id, quod concipit in mente: ergo mendacium est abusus, etc. Et

hinc fluit altera ratio. 2. Quamvis non sit necesse ad rationem mendacii, quod mentiens habeat intentionem expressam fallendi, ut dictum est: attamen omne mendacium hoc ipso, quo est abusus signorum, est fallax de se, et deceptivum, proindeque violativum amicitiae et nocivum vitae sociali, et ita ex se malum.

Petes 4. Quantum peccatum sit mendacium? R. Mendacium ut sic praecise consideratum secundum se, abstrahendo a tali vel tali materia, tali vel tali fine, non videtur esse per se mortale: quia inordinatio illa, scilicet abusus signorum, et hinc deceptio proximi, praecise secundum se neminem graviter laedit, nec evertit vitam socialem; etsi illi nonnihil noceat. Quapropter cum mendacium jocosum et officiosum non habeant aliam inordinationem praeter istam, quae etiam ex parte materiae et intentionis minuitur, non excedunt culpam venialem, licet quandoque per accidens ratione scandali, aut damni sequentis possint esse mortalia. At vero mendacium perniciosum est ex genere suo peccatum mortale: quia secundum se repugnat charitati, per quam anima vivit Deo conjuncta. Potest tamen esse veniale, vel ex imperfectione actus, vel ex levitate damni.

Articulus II.

De Restrictionibus mentalibus, Amphibologiis, seu Aequivocis.

Nota 1. Restrictionem mentalem esse actum mentis, quo dum loquimur, verba restringimus seu retorquemus ad aliud, quam ad id, quod significant: ut si petenti eleemosynam, respondeam *nihil habeo*, subintelligendo, *ad tibi dandum*; ut si judici interroganti reum, an commiserit furtum, respondeat fur, *non commisi*, subintelligendo, *manu sinistra*.

Nota 2. Recentiores plerumque distinguere restrictiones in pure, seu stricte mentales, et late mentales. Restrictio pure mentalis est, quae ita menti interior est, ut nullatenus per verba, aut circumstantias exteriores manifestetur, ut in exemplis allatis. Late mentalis est, quae vel ex modo interrogandi, aut respondendi, vel ex usu, vel ex aliquibus circumstantiis exterioribus sic apparet exterius, ut ab audiente possit percipi, licet forte non percipiatur defectu intelligentiae, vel advertentiae; ut si v. g. quaerenti a me, utrum non viderim patrem meum, respondeam, *non vidi*: quamvis sensus horum verborum praecise secundum se sit, quod nullatenus viderim patrem meum, tamen interrogatione, et circumstantiis attentis palam est sensum esse, me non vidisse patrem ea visione, qua illi hic, et nunc eum indicare possim: similiter si amico viro prudenti, et religioso interroganti, an Titius revera commiserit homicidium, de quo est accusatus, respondeam ego Confessarius, *nescio*; quod tamen scio ex confessione, quamvis sensus naturalis hujus vocabuli *nescio* sit me nullo modo scire, sensus tamen obvius ex circumstantiis, et ex usu est me nescire ut hominem, sive ad revelandum.

Ubi vides verba, sub restrictione late mentali prolata, importare duplicem sensum, unum ex sua primaria significatione, seu impositione, quem voco naturalem, alterum ex circumstantiis consignificantibus, quem voco accidentalem: ut ly *nescio* in praecedenti casu Confessarii, ex sua institutione significat simpticiter nescire, ex circumstantiis significat nescire ut homo, seu ad revelandum, sicque coincidere cum aequivocis.

Verum improprie hae, et similes locutiones dicuntur continere restrictiones mentis, siquidem, si non secundum se, saltem secundum modum communem loquendi, et circumstantias personarum, ac negotiorum significent, quod intendit loquens, quamvis forte subobscure non secus ac verba aequivoca, ac figuratae locutiones, ut ironiae, hyperbolae, joci, parabolae, fabulae, etc. in quibus

non dicuntur esse restrictiones mentis : unde rectius vocarentur restrictiones dictionis, quam mentis. Caeterum, ut non recedamus a communi modo loquendi, dicantur, per me licet, restrictiones improprie, seu late mentales.

Dico 1. Nunquam est licitum uti restrictione proprie, et pure mentali. Prob. 1. ex condemnatione sequentis) propositionis ab Innoc. XI. 11. Maji 1679. *Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio fine juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel alium diem ab ea, in qua fecit, vel quovis aliud additum verum, revera non mentitur, nec est perjurus.* Est vigesima septima inter damnatas.

Prob. 2. ratione. Restrictiones pure mentales sunt pura, putaque mendacia : ergo. Prob. ant. Ille proprie mentitur, qui scienter dicit falsum ; atqui loquens sub restrictione pure mentali scienter dicit falsum. Patet in eodem exemplo. Fur dicens, *Non sum furatus*, falsum dicit, quia vere furatus est, et scienter, quia scit se furatum fuisse ; nec obstat, quod non furatus fuerit manu sinistra, prout mente intelligit : haec enim verba, *Non sum furatus*, non significant ipsum non furatum fuisse manu sinistra, sed simpliciter non furatum fuisse : ergo. Confirmatur. Si iste fur absque restrictione mentis diceret, *Non sum furatus*, procul dubio secundum ipsos adversarios mentiretur, quia diceret falsum : ergo etiam quando restrictionem adhibet. Probatur consequentia ; restrictio illa mentis non mutat verborum significationem, non enim est unius particularis verbis significationem, quam libuerit, imponere, aut positam mutare : ergo etiam adhibita restrictione scienter dicit falsum. Id itaque solum praestat restrictio illa, quod corrigat loquentis conceptum, non sermonem, sicque non sibi, sed audienti mentiatur.

Dices. Mendacium supra definitum est sermo prolatus cum intentione dicendi falsum : atqui loquens cum restrictione mentali non habet intentionem dicendi falsum ; ideo enim adhibet restrictionem mentalem, ut non dicat falsum : ergo. R. N. minorem : implicat enim, quod quis dicat scienter falsum, et non intendat dicere falsum. Unde distinguo assumptum : ideo adhibet restrictionem mentalem, ut non dicat falsum, et istud medium impedit efficaciter ne dicat falsum, N. et non impedit efficaciter, C. Fateor ergo sic loquentem habere quandam velleitatem non dicendi falsum : at cum revera dicat falsum, et quidem scienter, non obstante illa restrictione mentis, ut probatum est, habet vere intentionem efficacem dicendi falsum, et consequenter mentitur.

Prob. 3. conclusio ad inconvenientibus. 1. Si licitus foret usus restrictionum pure mentalium, nullus nisi hebes, et plumbeus mentiretur, cum nihil sit facilius quam mentaliter detorquere sensum verborum ad quodvis aliud. 2. Usus restrictionum mentalium non minus nocet societati humanae, quam mendacia, cum inde aeque decipiantur audientes : ergo.

Dico 2. Uti restrictione improprie et late mentali, vel verbis aequivocis, quando sensus a loquente intentus aperte innotescit ex circumstantiis, quovis casu est licitum secundum se : sicut quovis casu licet secundum se uti figuris, et tropis, narrare fabulas, edicere parabolas, etc. Quia tunc nullus est dolus, nullum mendacium, nullum inconveniens ; imo potius foret dolus, et mendacium ; si adhiberentur verba contraria, ut patet in exemplo prius allato de quaerente, num viderim patrem meum, cui respondeo, *non vidi.*

Dico 3. uti restrictione improprie mentali, aut verbis aequivocis, quando sensus a loquente intentus est obscurus, et ipse loquens intendit celare veritatem, licet quidem, at ex gravi dumtaxat causa et urgente necessitate. Probatur prima pars. 1. ex variis Scripturae locis, quae verificari non possunt absque ope talis restrictionis improprie mentalis, ut patebit ex solutionibus objectionum adversus

primam conclusionem. Probatur 2. ratione. Usus restrictionum late mentalium, et aequivocorum in casu conclusionis neque est mendacium, neque dolus, aut injustitia, neque societati humanae est noxius: ergo est licitus. Patet consequentia, quia non potest esse illicitus nisi propter aliquam rationem ex assignatis. Probatur antecedens quoad primam partem, nempe non esse mendacium: et quoad aequivoca patet, quia vere significant, quod intendit loquens, licet forte non ita distincte, nec communiter; suppono enim manere aequivoca, ut explicabo sub finem articuli. Quoad restrictionem etiam patet, quia licet verba naturaliter et secundum suam institutionem non significent id, quod intendit loquens, illud tamen significant ex circumstantiis, vel materiae, vel loci, vel temporis, vel personae interrogantis, vel respondentis, vel secundum usum receptum in tali casu, alias foret restrictio pure mentalis: ergo.

Probatur idem antecedens quoad secundam partem, nempe non esse dolum neque injustitiam. Loquens non intendit decipere audientem, sed tantum celare quod habet justam causam celandi: neque etiam, quantum est ex se, decipit, si quidem verba ejus significent id, quod intendit, ut dictum est; quod si decipiatur audiens, non intelligendo sensum loquentis, imputet suae vel inadvertentiae, vel inscitiae, vel aliquando malitiae, quatenus indebite interrogat, atque injuria vult extorquere secretum: ergo.

Probatur idem antecedens quoad tertiam partem, nempe non esse noxium societati humanae. Societas humana non exigit, ut quisque semper, et omnibus suos sensus, et secreta distincte pandat: imo prodere secretum quandoque non est minus noxium societati humanae, et interdum religioni, quam mendacium, ut patet in Confessario, Legato Principis, Duce exercitus, etc. Atqui saepe non est aliud medium illud servandi, quam uti restrictione improprie mentali, vel aequivocis: talis enim est hominum indoles, ut, si taceas, vel dicas interrogationem non mereri responsum, sive te ad illam non teneri respondere, statim concludant rem ita se habere, sicut existimant, vel interrogant: ergo talis usus non nocet societati humanae, sed potius illi prodest.

Probatur secunda pars conclusionis. Uti promiscue talibus restrictionibus in communi hominum convictu pro rebus levibus, aut etiam gravioribus, sed sine necessitate, nocet societati humanae, derogat sinceritati christianae, et simplicitati, quam commendavit nobis Christus Matth. 5. his verbis: *Sit autem sermo vester, Est, Est, Non, Non*, etc. Et licet non sit mendacium, est tamen dolus malus, et peccatum contra virtutem veritatis, seu veracitatis ob affirmativum ejus praeceptum, quo obligamur propter vinculum societatis humanae et bonum publicum aperire proximo, dum loquimur, veritatem, de qua est quaestio, aut de qua interrogamur: ergo. Porro justa causa utendi his restrictionibus late mentalibus aut amphibologiis est utilitas gravis, propria vel aliena, sive vitatio gravis damni, proprii vel alieni.

Obj. contra primam conclusionem plura loca Scripturae sacrae, quae a mendacio excusari non possunt absque restrictione proprie mentali. 1. Christus Joan. 7. petentibus discipulis ut ascenderet ad diem festum, respondit: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego non ascendo ad diem festum istum*: et tamen versu sequenti legitur, quod ipse postea ascenderit ad diem festum. 2. Gen. 12. et 20, Abraham dixit de uxore sua Sara, quod esset soror sua. 3. Genes. 27. Jacob, dixit patri suo se esse Esau, et multa alia finxit. 4. Tob. 5. Angelus dixit se esse ex filiis Israel Azariam Ananiae magni filium. 5. Multa praedixit Deus, quae non evenerunt, scilicet 4. Reg. 8. de Benadad: *Dic ei sanaberis*; et tamen non fuit sanatus. Cap. 20. de Ezechia: *Morieris tu, et non vives*, qui tamen convaluit. Jonae 3. *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*, et tamen non est subversa. 6. His addi possunt variae simulationes: sic Christus Luc. ultimo: *finxit se longius ire*. Josue cap.

8. simulavit fugam fugiens coram rege et habitantibus Hai. Haec, inquam, dicta, et facta et plura alia, quae videri possunt in priori nostro opere, excusari non possunt a mendacio, et simulatione, nisi recurratur ad restrictiones mentales: ergo. R. N. ant., et dico haec dicta, et facta, aut excusari posse a mendacio absque restrictione mentis, aut non esse excusanda. Ad primum R. 1. Christum non ascendisse revera ad diem festum istum, ad quem invitabatur ab Apostolis, scilicet ad primum, sed ad alium sequentem, et ut insinuatur versu 14. circa medium octavae: durabat enim octo diebus festum Scenopegiae. 2. Dato Christum ascendisse eodem die, quo invitabatur ascendere, vere tamen respondit absque restrictione proprie mentali, se non ascensurum, eo scilicet modo, quo rogabatur a discipulis solemniter et publice; dicebant enim Apostoli: *Transi hinc et vade in Judaeam, ut Discipuli videant opera tua, et manifesta teipsum mundo.* Non sic autem ascendit, sed ut notat Evangelista ibidem: *Non manifeste, sed quasi in occulto*: et sic vera fuit, et aperta ad sensum, et intelligentiam interrogantium ejus responsio. 3. In Graeco habetur: *Nondum ascendo*, et hoc sensu intelligendum esse ly *Non* in latino, patet ex sequentibus verbis: *Quia tempus meum nondum impletum est.* Postea autem ascendit, quia tempus ejus impletum est, quando nempe deferbuerat furor Judaeorum, qui quaerebant eum interficere.

Ad secundum, Sara erat neptis Abrahae, nimirum filia Aran fratris Abrahae: Abraham enim, et Aran erant ex eodem patre Thare, licet non ex eadem matre, quia Thare habuit duas uxores: et ideo vere dixit Abraham de Sara: *Soror mea est*; quia more usitato Scripturarum consanguinei vocantur fratres, aut Sorores: sic Abraham ipse cap. 13 vocat Loth *fratrem suum*, cum solum esset nepos, sic consanguinei Christi in Evangelio vocantur ejus fratres: *Aliquid ergo veri tacuit Abraham*, inquit Augustinus, *non falsi aliquid dixit, quando tacuit uxorem, dixit sororem.*

Ad tertium juxta SS. August. et Thomam et plures alios Jacob mystice dixit se esse Esau primogenitum Isaac, quia videlicet primogenitura illius ei debebatur, tum ex decreto divino, tum jure emptionis. Usus est autem hoc modo loquendi per spiritum prophetiae ad designandum mysterium, quia videlicet minor populus, nempe Gentilium substituendus erat in locum primogeniti, scilicet in locum Judaeorum. At vero juxta Chrysostomum, Scotum, Cajetanum, a Lapide, et plures alios Jacob veste, factis, et verbis mentitus est officiose, quia in his omnibus persuadere voluit patri se esse Esau, non solum quoad jus primogeniturae, sed etiam in persona: et ideo dixit: *Feci sicut praecepisti mihi.* Et licet hoc facto significatum fuerit mysterium, illud erat tamen ex parte Dei, non ex parte Jacob, qui illius erat inscius, et intendebat tantum obedire matri, et patris benedictionem surripere. Utravis autem solutio admittatur, non opus est restrictione mentali. Vel enim Propheta fuit Jacob in omnibus hujus facti circumstantiis, vel a mendacio officioso non est excusandus.

Ad quartum, Angelus Raphael locutus est secundum similitudinem personae assumptae, et ideo praeferens similitudinem, et formam unius ex filiis Israel, scilicet Azariae, vere poterat dicere absque restrictione stricte mentali: *Sum ex filiis Israel, Azarias Ananiae magni filius*: sicut Genes. 31. et alibi, quia Angelus praeferebat personam Dei, vere dicebat: *Ego sum Deus.* Sic etiam imago S. Petri vocari solet S. Petrus.

Ad quintum, prophetia, quae est impressio divinae praescientiae, aliquando est de futuris, ut sunt in se, et quae sic prophetantur, semper eveniunt; aliquando est de futuris prout sunt in causis, et tunc quandoque aliter evenit, quam prophetatur, nec tamen prophetiae subest falsum: nam sensus prophetiae est, quod inferiorum causarum dispositio hoc habet, ut talis effectus eveniat. Hoc notato: Ad id quod objicitur de Rege Benadad, sensus aperitur ex sequen-

tibus verbis: sic enim legitur: *Dixit ei* (scilicet Azaeli misso a Rege) Elisaeus: *Vade, dic ei, sanaberis: porro ostendit mihi Dominus, quia morte morietur.* Haec ultima verba aperte indicant aliquid aliud importari per τὸ *Sanaberis*, quam absolutam sanitatem; alias foret contradictio in verbis Prophetae. Quando ergo dicitur, *Sanaberis*, verum erat secundum causas, quia infirmitas non erat ad mortem. Et quando additur, *Morte morietur*, verum erat de futuro simpliciter, et absolute, quia mortuus est, non quidem ex morbo, sed suffocatione ipsi allata ab Azael. Juxta priorem sensum intelligendum est verbum Isaiae dicentis Ezechiae: *Morieris tu, et non vives*: id est, dispositio corporis tui ad mortem ordinatur, seu morbus tuus est lethalis. Et similiter quod dicitur Jonae 3. *Adhuc quadraginta dies, et Ninive subvertetur*; id est, hoc praesentia ejus merita exigunt, ut subvertatur, nisi poenitentiam agat: unde quidam vocant tales prophetias comminatorias, quae intelliguntur cum conditione subaudita in comminationibus, nisi convertatur, nisi emendetur, resipiscat, etc.

Ad sextum, quantum ad fictionem Christi jam dixi articulo praecedente fictionem, quae refertur ad significandam aliquam veritatem, non esse mendacium: finxit autem Christus se longius ire secundum Greg. ut significaret se a fide Discipulorum longe abesse. Huic solutioni hanc alteram adde cum Estio, Tirino, et aliis: *Christus finxit se longius ire*: id est, composuit incessum suum ad longius eundum, quod et revera fecisset, si a Discipulis non fuisset invitatus ad manendum cum illis: sicut qui dicunt se velle domum redire, eo tamen animo, ut, si invitentur ab amico ad coenam, constituant illi acquiescere, et apud ipsum manere: ubi sicut non est mendacium, nec restrictio pure mentalis in dicto, ita nec hic fuit in facto Christi.

Quantum ad Josue, fictio ejus fuit cautelae, et licita, quia poterat significare vel fugam ejus, vel prudentiam. Pro quo nota attente discrimen inter voces, et gesta, quod voces non sint institutae nisi ad significandum, et plerumque unum determinate significant; gesta autem habent alium usum quam significandi, et si sumantur ut signa, plerumque sunt aequivoca. Hinc excusantur satis communiter a mendacio, et simulatione proprie dicta, qui gerunt vestes Turcicas, non ut se simulent Turcas, sed ut se dissimulent esse Christianos, qui insidiis in bello justo utuntur, qui signa militaria hostium assumunt, ut se, vel sua consilia occultent.

Consectaria praecedentis doctrinae.

Colliges 1. ex dictis juste damnatam esse ab Innocentio XI. hanc propositionem num. 28. *Qui mediante commendatione vel munere ad Magistratum vel officium publicum promotus est, potest cum restrictione mentali praestare juramentum, quod de mandato regio a similibus exigitur* (nimirum se non mediante commendatione vel munere ad Magistratum esse promotum) *non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.* Quia cum Respublica habeat jus exigendi tale juramentum ob bonum publicum, ne indigni promoveantur, obligatio est in jurante nude aperiendi veritatem, adeoque si restrictionem aliquam adhibeat, quam nec supponunt, nec supponere debent interrogantes, erit stricte mentalis. Si tamen non velit cogi fateri crimen occultum, muneri renuntiet.

Colliges 2. Confessarium sive in judicio, sive extra interrogatum de crimine, quod ex sola confessione novit; si aliter non possit evadere, posse dicere *se nescire*, quia juxta usum communiter receptum in his circumstantiis, *nescio* significat *nescio ut homo, nescio, ut revelem*; et ita intelligunt, aut intelligere debent, qui interrogant. Si autem magis urgeatur et interrogetur, utrum ne-

sciat ullo modo, etiam ex confessione, debet respondere se, sive sciat, sive nesciat, nec posse nec debere respondere ad hanc impiam, et sacrilegam interrogationem; sed non potest dicere, *nescio*; quia tunc ly *nescio* non significat amplius, ipsum nescire ut hominem, nec ita potest intelligi ab interrogante, cum expresse sua interrogatione excludat hunc sensum: unde sic respondere foret restrictio pure mentalis, et mendacium.

Quod dico de Confessario, idem videtur censendum quoad utrumque casum de Secretario, et de Legato interrogato circa secretum sui regis. Idem etiam quidam censent de obstetrice, medico, chirurgo, advocato, consiliario, exercitus aut provinciae praefecto, et similibus personis publicis, quia, inquiunt, usus invaluit, ut quando ex revelatione aperta sequeretur grave damnum, terminus *nescio* in his, aut similibus personis significet, *nescio ut persona particularis*, aut supponat vel subaudiat aliquam aliam restrictionem. At quid si agatur de personis privatis, puta in his, aut similibus casibus: maritus stricto gladio intentat mortem uxori, nisi fateatur adulterium occultum: latro tibi minatur mortem, nisi ipsi aperias tuum thesaurum, et sic in aliis? Respondi olim videri nobis illicitum respondere, *non feci*, *nescio*, *non habeo*, subintelligendo mente aliquam restrictionem, quia in his, et similibus non videntur adesse neque usus, neque circumstantiae aliquae, quae hanc restrictionem exterius manifestent, sicque maneret pure mentalis. At re attentius considerata resolutio mihi nunc videtur dubia: forte enim posset dici, quod qui alium injuste interrogat in re gravi, strictim, et quasi naturaliter rei gravitas ipsum admonet suae injustae interrogationis, et juris, quod habet alter secretum suum per aliquam aequivocationem aut restrictionem celandi, si aliter evadere non possit. Quo supposito foret restrictio late mentalis. Doctioris judicium expecto.

Colliges 3. eos, qui petentibus mutuum, commodatum, eleemosynam, etc. respondent, *non habeo*, subintelligendo ad tibi dandum, commodandum, etc. plerumque mentiri, supposito quod habeant, quia cum talis restrictio ordinarie nulla aliqua circumstantia manifestetur exterius, remanet mentalis, et consequenter mendacium. Secus autem si habeant quidem, sed tantum, quod sibi necessarium est, aut quod aliunde non possunt dare, quia tunc ly *non habeo*, subintelligendo *quod possum tibi dare*, est ad sensum interrogantis: non enim interrogans censetur petere, quod non possis dare. Sic etiam *non possum*, quod secundum se significat impossibilitatem, in certis tamen circumstantiis significat, *non placet*, *non convenit*: et sic de variis aliis formulis loquendi.

Colliges 4. reum contra juris ordinem interrogatum, si aliter subterfugere non valeat, posse respondere, *non feci*, *non occidi*: quia licet illa verba sint generalia, et secundum suam naturalem significationem simpliciter negent, quod quaeritur, tamen propter circumstantias loci, temporis, et personarum juxta communem usum loquendi in judiciis admittunt sensum restrictum hunc, aut similem: *Non probor fecisse*; *non feci*, *quod quaeratur a me juridice*; *non feci quod tu possis inquirere*, etc.

Sed quid si juridice interrogatus (in quo casu reus tenetur fateri veritatem) sit innocens; puta, quia fecit homicidium inculpabiliter, sive se defendendo, sive putans invincibiliter occidere feram: vel non fecit, sed de eo accusatus interrogatur de indiciis, v. g. an sit iste ejus pugio, an fuerit in tali loco, an per hanc viam transierit, etc. tenebiturne fateri veritatem simpliciter, sicut si esset reus, etiamsi inde immineat mors, aut grave malum? Eadem est quaestio de teste. R. plures existimant, nec improbabiliter, hunc, de quo est quaestio, posse restrictione uti, et dicere: non feci homicidium, subintelligendo, criminosum, seu de quo interrogas: non est meus pugio, subintelligendo, quo crimen commisi; non fui in tali loco, subintelligendo, ad crimen patrandum. Similiter testis de

visu. Quia, inquiunt, interrogatio, seu praeceptum superioris est in falsa praesumptione, et responsio est ad sensum ejus; non enim interrogat, aut interrogare intendit de homicidio nisi ut criminoso, atque ita restrictio non est pure mentalis.

Eadem ratione, inquiunt, et eodem sensu interrogatus, an veniat e loco, puta Leodio, qui creditur falso peste infectus, potest negare, etsi veniat. Clericus, seu Religiosus, qui non est obnoxius tributo, potest respondere exactori se non habere mercem, tali tributo obnoxiam, licet habeat. Qui justa compensatione occulto accipit pecuniae summam, quaerenti de furto potest respondere, se nihil accepisse, subintelligendo, injuste, et furtive. Qui de successione alterius subtrahit, quod vere suum erat, judici interroganti, an aliquid subtraxerit, potest respondere negative, subintelligendo, quod sit alienum. Qui foro cessit et de bonis subduxit praecise, ut non mendicato vivat, respondere potest, se nihil subduxisse, scilicet injuste. Mutuatarius, qui fideliter reddidit mutuum, quod iterato repetit mutuans, negare potest judici se accepisse mutuum, scilicet quod solvere debeat: et sic sexcenta alia: quia, ut dictum est, in his et similibus, cum interrogatio sit de re culpabili, seu injusta, responsio est ad mentem interrogantis, ideoque restrictio late mentalis.

Caeterum te, lector, monitum velim in hujus sententiae praxi subesse periculum in pluribus casibus, ne passio sibi blandiatur, et reputet se a crimine, de quo interrogatur, immunem, cum revera coram Deo sit nocens. Unde quantumvis eam reputes speculative probabiliorem, auctor tamen tibi sum, ut ante factum eam in praxi non consulas, nisi cum magna cautela.

Articulus III.

De Perjurio.

Quid et quotuplex sit perjurium et quale peccatum? Dico 1. Perjurium stricte et proprie dictum essentialiter importat falsitatem, definiturque ideo communiter, *juramentum falsum*, seu *mendacium juramento firmatum*. Quia perjurium, quod idem est ac perversitas juramenti, dicitur, quod contrariatur directe fini juramenti, qui est confirmatio veritatis, hoc autem praestat juramentum falsum.

Dico 2. Perjurium late, et generaliter sumptum est omne juramentum illicitum, hoc est destitutum aliquo ex tribus comitibus, nempe veritate, judicio, et justitia, de quibus supra diss. de Juram. art. 4. juxta illud Hieron. in cap. 4. Jer. *Jusjurandum habet comites veritatem, judicium, atque justitiam; si ista defuerint, nequaquam erit juramentum* (nempe legitimum) *sed perjurium*. Quapropter est triplex. Unum stricte dictum, cui deest veritas, de quo in prima conclusione. Secundum, cui deest justitia: quocumque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatur non praestare, quod juravit. Tertium, cui deest judicium, quia cum quis indiscrete jurat, ex hoc ipso periculo se committit falsitatem incurrendi. Primum primo, et principaliter participat rationem perjurii, ut patet; alia duo secundario, et imperfecte.

Dico 3. Perjurium defectu solius justitiae quandoque est mortale, quandoque veniale; defectu solius judicii ex parte causae jurandi est communiter veniale, ex parte sufficientis inquisitionis de veritate est mortale vel veniale pro ratione negligentiae. Ista require supra dissert. de Juramento art. 4. circa comites Juramenti.

Dico 4. Omne perjurium assertorium proprie dictum, si sit perfecte deliberatum, est peccatum mortale, nec admittit levitatem materiae, quia quod ali-

quis Deum testem invocet falsitatis, per hoc dat intelligere, quod vel Deus veritatem non cognoscat, vel falsitatem testari velit, proindeque quod sit vel ignorans vel mendax et improbus, quod involvit gravem Dei irreverentiam et contemptum etiam in re levi. Imo quod pejeret in re levi, quantum ad aliquid magis auget injuriam Deo factam, quatenus sine ulla causa urgente Deum in testem falsitatis adducit. Hinc merito ab Innocentio XI. damnata est haec propositio num. 24. *Vocare Deum in testem mendacii levis, non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.*

Dico 5. Perjurium promissorium, cui deest veritas praesens, scilicet animus adimplendi, quod juratur, est semper mortale, quia ex hac parte est assertorium. Si autem deest tantum veritas de futuro, quatenus non impletur, quod est juratum, est quidem mortale ex genere suo, admittit tamen levitatem materiae, ita ut in re levi sit tantum veniale. Ita juxta sententiam, quam ut probabiliorem elegimus de juramento a. 5. require ibi.

Dico 6. Qui jurat cum restrictione proprie mentali peccat graviter, et multipliciter: non videtur tamen stricte, et simpliciter perjurus, sed secundum quid tantum. Prob. 1. pars. 1. Mentitur dupliciter, et in quantum utitur restrictione stricte mentali, et in quantum simulat se juramento confirmare, quod exterius exprimit, cum revera, et ex animo non confirmet. 2. Utitur juramento exteriori, et nomine Dei ad decipiendum, quod est graviter Deo injuriosum, fini juramenti contrarium, bono communi, et societati humanae perniciosum. 3. Invocando exterius Deum in testem mendacii actu exteriori, est in eum irreverens et injuriosus, non secus ac is, qui actu exteriori coleret idolum absque animo colendi; sicut enim iste foret idololatra exterius, sic ille esset perjurus exterius. Prob. secunda pars. Perjurium stricte et simpliciter non est absque animo Deum vocandi in testem falsitatis: atqui qui jurat cum restrictione proprie mentali, non habet animum vocandi Deum in testem falsitatis, quam exterius verbis exprimit, sed veritatis, quam in mente retinet: ergo. Minor est evidens. Major etiam constat ex dictis supra de juramento: non enim est juramentum stricte et simpliciter sine animo jurandi seu vocandi Deum in testem: ergo nec falsum juramentum seu perjurium stricte et simpliciter sine animo vocandi Deum in testem falsi. Confirmatur. Qui jurat falsum sine animo jurandi praecise, non est stricte et simpliciter perjurus: ergo similiter qui jurat falsum sine animo jurandi pro re falsa, non est simpliciter et stricte perjurus, sed uterque est perjurus secundum quid nempe exterius.

Objicies propositionem hanc damnatam, de qua supra: *Si quis . . . . juret se non fecisse aliquid, quod revera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit . . . revera non mentitur, nec est perjurus.* Resp. Quod is, de quo agitur, non sit stricte et simpliciter perjurus, quia non est talis animo, est tamen perjurus secundum quid, scilicet exterius et in foro fori; sicque falsa est propositio damnata, quae simpliciter et absolute negat esse perjurum: et eo maxime quod illius sensus sit, neque exterius esse perjurum, cum dicat eum non mentiri.

Dico 7. Non est perjurium nec ullo modo illicitum jurare cum restrictione late mentali et sub aequivocis, manentibus aequivocis, urgente gravi causa, eo scilicet modo, quo dixi articulo praecedenti, conclusione 2. et 3. licitum esse uti restrictionibus; cum tamen hac differentia, quod propter reverentiam divini nominis major adhuc causa requiratur ad jurandum, quam ad simpliciter asserendum, seu negandum.

Dico 8. Jurare cum restrictione late mentali, vel cum aequivocis sine causa gravi, licet non sit perjurium, quia, ut dixi loco citato, non est mendacium, est tamen illicitum propter rationes, quas deduximus in probatione secundae par-

tis tertiae conclusionis ibidem : quae rationes adhuc magis militant contra jur amentum , quam contra simplicem assertionem vel negationem . Vide ibi.

Articulus IV.

De Consuetudine jurandi et pejerandi.

Dico 1. Consuetudo voluntaria jurandi est mala, quia inclinat ad malum ; licet enim jurare secundum se non sit malum, facile et frequenter jurare est malum; ut dixi de juramento. Dixi , *Consuetudo voluntaria* ; sub hac enim conditione haec et sequentes conclusiones debent intelligi. Censetur autem voluntaria in eo, qui non solum eam fovet , sed qui non curat eam eradicare. In eo vero , qui eam sincere retractat et studet eam corrigere, etsi nondum sit penitus eradicata desinit tamen esse voluntaria et consequenter peccaminosa.

Dico 2. Qui consuevit jurare , ita ut neque velit , neque solitus sit jurare falsum , ordinarie non peccat mortaliter consuetudinem illam non extirpando , aut jurando , etiam quando subinde jurat falsum ex inadvertentia, et subreptione , quia talis regulariter peccat tantum defectu judicii in juramento, nec se exponit periculo saltem proximo pejerandi. Quia tamen talis consuetudo , quamvis non sit de se mortalis , facile potest degenerare in mortalem , tum propter periculum scandali , et contemptus , tum quia proclive est , ut inde facilitas pejerandi oriatur , hinc sedulo incumbendum est ad ejus eradicationem.

Dico 3. Consuetudo voluntaria jurandi indiscriminatim , sive verum, sive falsum , constituit hominem in statu peccati mortalis , ita ut toties actu peccet mortaliter peccato omissionis (de peccato commissionis dicam modo) quoties recordatus suae pravae consuetudinis illam extirpare non proponit , nec procurat ; non secus ac si concubinam domi haberet , et advertens periculum peccandi illam non removeret. Ratio est, quia talis consuetudo ipsi est occasio proxima pejerandi ; qui autem remanet voluntarie in proxima occasione , seu in proximo periculo peccandi mortaliter , est in continuo statu peccati mortalis , ipsique incumbit sub mortali obligatio hanc occasionem amovendi , dum potest ; quod si omittat , consequenter peccat mortaliter : et ideo qui versantur in tali consuetudine, quam nolunt , aut non curant corrigere, non sunt absolvendi ; et omnes confessiones , quas durante illa voluntaria consuetudine fecerunt , sunt repetendae , quia invalidae..

Dico 4. Qui ex jam dicta consuetudine jurat falsum etiam inadvertenter, reus est peccati mortalis perjurii , juxta Navarr. Medinam , Valentiam , et alios, quos citat et sequitur Sylvius hic. qu. 98. art. 3. Quia tale perjurium , etsi non sit voluntarium in se , est tamen voluntarium in sua causa , nempe in prava consuetudine , quam debuit , et potuit auferre , et non abstulit. Imo juxta eundem Sylvium , cum supponatur paratus jurare quodlibet sive verum , sive falsum , nec tunc etiam excusatur a peccato mortali, quando jurat verum , nisi advertat esse verum ; quia alioquin per accidens est , quod juret verum , siquidem sit aeque paratus jurare falsum , ac verum , et ex illa prava animi praeparatione procedat ejus juraramentum.

Dico 5. Qui jurat inadvertenter falsum ex hac prava consuetudine, quam tamen serio retractavit , et sedulo conatur extirpare, excusatur a peccato , quia perjurium non est amplius illi voluntarium in causa, quae ipsi nunc est odiosa, et involuntaria. Quod hic dixi de consuetudine pejerandi , proportione servata dicendum est de aliis pravis consuetudinibus , v. g. blasphemandi , turpia loquendi , detrahendi , etc.

Articulus V.

Utrum liceat exigere, seu recipere Juramentum a pejeraturo, vel juraturo per falsos Deos?

Nota sensum tituli non esse, utrum liceat exigere ab aliquo ut pejeret, vel juret per falsos Deos, hoc enim esset exigere ab eo peccatum formaliter, et directe, quod nunquam licet: sed utrum liceat exigere simpliciter, ut juret, licet aliunde sciatur pejeraturus, aut juraturus per falsos Deos.

Dico 1. Si aliquis exigat juramentum tamquam persona publica, secundum quod exigit ordo juris, ad petitionem alterius partis, ut judex, v. g. non videtur esse in culpa, etiamsi sciat alterum juraturum falsum, quia 1. non tam judex videtur tunc exigere juramentum, quam ille, ad cujus instantiam exigit, qui non evadit culpam mortalem, si conscius futuri perjurii non desistat urgere, ut dicam modo. 2. Quia judex tum ratione officii publici, quod gerit, tum ratione partis, quae urget, et cui tenetur administrare justitiam, habet justam causam non impediendi, seu permittendi perjurium, quod alter ex propria malitia est commissurus. Licet enim malo uti propter bonum, sicut et Deus utitur.

Dico 2. Privatus nesciens, aut dubitans, an alter sit pejeraturus nec ne, potest ex causa ab eo exigere juramentum, etiamsi iste fortasse pejeret, quia nemo praesumitur malus nisi probetur, et exigens utitur jure suo ad habendam notitiam rei, quam refert ipsum scire.

Dico 3. Privatus sciens, aut probabiliter credens alterum pejeraturum, non potest regulariter absque gravi peccato exigere, vel etiam a parato recipere juramentum, quia est praebere alteri occasionem peccandi absque ulla spe alicujus boni, cum sit juraturus contra exigentem, et id quod praetendit negaturus, aut quod negat asserturus; unde veritas non solum obscurabitur magis, sed evertetur

Dixi 1. *Sciens aut probabiliter credens.* Tunc censetur aliquis *scire*, quando ipsi certo constat de opposito, quod alter vult determinate jurare; *probabiliter credere*, quando novit jam alias pejerasse, esse malae conscientiae, nihili facere juramentum. Dixi 2 *regulariter*: quia quidam non improbabiliter excipiunt quosdam casus. 1. Si agas causam alterius, et ratio officii tui postulet, ut ab adversario jusjurandum petas, ita ut si omittatur, habearis praevaricator. 2. Si speres, illum metu, et reverentia divini nominis non ausurum pejerare, et alias magni tua intersit. 3. si ejus perjurio uti possis in tuum commodum; v. g. aliquis, qui apud alios habetur verax, te falso crimine infamavit, exigis ex causa ab eo juramentum in alia re, quam alii norunt esse falsam, praevidens ipsum pejeraturum, ut sic fides ei detrahatur et calumniam propulses, quia in his casibus est spes alicujus boni, ob quod potest negligi peccatum alterius.

Dico 4. Licet ex causa gravi exigere juramentum ab infideli, qui scitur juraturus per falsos Deos. Ita post Aug. epist. 154. ad Publicolam S. Thomas et Theologi communiter. Prob. 1. ex Scriptura Genes. 31. ubi Jacob recepit juramentum Laban jurantis *Per Deum Abraham, et per Deum Nachor*. Item ex praxi quotidiana mercatorum, qui contrahunt cum infidelibus, et Principum, qui ineunt foedera cum illis. Probatur etiam ratione, quia in juramento per falsos Deos habetur bonum fidei, seu finis juramenti, nempe confirmatio veritatis, ex quo vel sequitur lucrum, vel vitatur damnum; proindeque subest justa causa permittendi peccatum alterius, quod non reperitur regulariter in perjurio, ut dictum est.

Plures poenae adversus perjuros sunt constitutae. 1. Perjurus notorius est ipso facto infamis, infamia scilicet facti, quae non inducit irregularitatem, sed tol-

litur bona vita, mutatione loci etc. Si vero irrogetur per sententiam Judicis, ut cum quis de perjurio est condemnatus, tunc est infamia juris induceus irregularitatem. 2. Perjuri arcentur a ferendo testimonio. 3. Sunt inhabiles ad beneficia, et aliis etiam pro rerum, criminisque ratione poenis subjiciuntur.

DISSERTATIO VIII.

De Sacrilegio.

D. Thom. Quaest. 99:

Articulus unicus

Quid et quotuplex sit Sacrilegium?

Dico 1. Sacrilegium est *Violatio, seu indigna, et irreverens tractatio rei sacrae*: ex hoc enim, quod aliquid deputatur ad Dei cultum, efficitur quiddam divinum, et sic debetur ei quaedam reverentia, quae refertur ad Deum. Et ideo omne illud, quod ad irreverentiam rerum sacrarum pertinet, ad injuriam Dei pertinet, est contra religionem, et habet rationem sacrilegii.

Dixi *Rei sacrae*, quod intellige formaliter, et reduplicative; non enim omnis violatio, seu irreverens tractatio rei, quae est sacra, est sacrilegium; sed tantum quando violatur, irreverenter tractatur res sacra in eo, in quo est sacra. Quapropter sedulo est advertendum, ad quid res sit sanctificata, et utrum contra id agatur. Nam v. gr. Religiosus per votum solemne castitatis est sanctificatus ad munditiem carnis, et ideo erit sacrilegus, si fornicetur, secus si detrahat, mentiatur, perjuret, etc. quia ad haec non est sanctificatus. Similiter ager Ecclesiae est sacer quoad exemptionem ab oneribus saecularibus, et jurisdictionibus, et ideo sacrilegium erit, si illis gravetur, secus si quis ibi fornicetur, quia non est sacer ad puritatem a libidine.

Petes, quid requiratur, ut res censeatur sacra? R. probabilius ad consecrationem loci vel rei requiri, quod publico ritu aut institutione ad Dei cultum sit deputata, ad consecrationem vero personae sufficere quodlibet privatum votum: unde communiter violatio voti simplicis castitatis habetur pro sacrilegio. Ratio disparitatis est, quod persona vovens non se deputet Deo nisi quoad proprios actus: unde sufficit propria voluntas. Locus autem aut res deputatur cultui divino quoad communem usum, sicque requiritur auctoritas publica.

Dico 2. Sunt tres species sacrilegii, quia cum debeatur reverentia rei sacrae ratione sanctitatis, tanto sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem; ideo secundum diversam rationem sanctitatis rerum sacrarum, quibus irreverentia exhibetur, necesse est distingui species sacrilegii: atqui attribuitur sanctitas 1. personis sacris, id est divino cultui deputatis, ut subjectis sanctitatis, qua formaliter sunt sanctae; 2. locis ut contentivis personarum, et rerum sacrarum, 3. aliis rebus relative, quatenus causant, vel significant sanctitatem, aut ad Sanctos ordinantur alio modo; ergo sunt tres species sacrilegii; una contra personam sacram, secunda contra locum sacrum, tertia contra rem sacram, strictius sumpto nomine rei, prout distinguitur a persona, et loco, quarum singulae in varias species, seu gradus subdividi possunt.

Quantum ad primam speciem, fit quatuor modis. 1. Inferendo manus violentas in Clericum. 2. Violando luxuriose corpus Deo sacrum per votum continentiae. 3. Trahendo personas ecclesiasticas ad tribunal saeculare. 4. Exigendo ab

eis per potestatem saecularem tributa et vectigalia. Si tamen haec duo ultima fiant aliter, quam Ecclesiae, seu Romani Pontificis indulta permittant.

Quantum ad secundam speciem notandum locum sacrum dici eum, qui auctoritate publica deputatus est ad sacrificium Missae, Ecclesiae Sacramenta, et divina officia celebranda, modo tamen saltem secundum communem praxim sit consecratus, seu benedictus, quales sunt Ecclesiae et coemeteria, non tamen sacristiae, aut camerae adjacentes; quamvis in favorabilibus puta quoad immunitates locis sacris annumerentur sacristiae, et camerae adjacentes intra 30. passus caus. 17. q. 4. *C. Quisquis* 21.

Ad eam ergo speciem pertinent omnia, quae fiunt contra sanctitatem loci sacri. Et 1. quae illum pollunt, scilicet homicidium culpabile, aut injuriosa sanguinis effusio, quae sit mortalis, et copiosa: effusio enim dicit plusquam aliquam guttam; sufficit tamen vulnus infligi homini existenti in loco sacro, licet ab homine existente extra, aut sanguis extra effundatur, aut vulneratus extra moriatur. Item effusio voluntaria seminis, etiam probabilius in actu conjugali, de quo plura de sacrilegio carnali in Tract. de Temperantia. Item sepultura excommunicati vitandi, aut infidelis. Per infidelem non intelligitur catechumenus, nec proles nondum nata cum matre defuncta, quia censetur pars matris. Nota, quod, ut locus sacer per praecedentes actus censeatur pollutus sic ut indigeat reconciliatione, debeant esse notorii, notorietate facti, vel juris, non tamen ut sacrilegii reatus incurratur.

2. Ad eandem speciem pertinent effractio, aut spoliatio, aut incendium loci sacri, eversio altaris; ubi nota quod effringens simul et spolians excommunicatur ipso facto, C. *Conquesti* 22. *De sent. Excom.* non effringens tantum, nec spolians tantum.

3. Ad eandem speciem pertinent extractio violenta aut fraudulenta personae, quae asyli causa ad locum sacrum confugit, exceptis iis, quos excipit Gregor. XIV. Bulla *Cum alias* data 1591. scilicet publici latrones viarumque grassatores, depopulatores agrorum, qui homicidia vel mutilationes in ipsis Ecclesiis vel coemeteriis committunt, qui proditorie hominem occidunt, assassini et rei haeresis aut laesae majestatis in personam ipsiusmet Principis. [Constitutio Gregorii ampliata fuit a Benedicto XII. Const. *Ex quo divina* Vid. Bened. XIV. notif. 41. §. 5., et utraque deinde fuit ab eodem Bened. XIV. confirmata, Const. *Officii nostri ratio*, in qua Pontifex nonnulla dubia excitata declarat, aliaque opportune statuit, et praecipit]

4. Ad eandem speciem pertinet furtum in loco sacro, sive res furtiva sit illic deposita causa asyli et securitatis, sive non. Ita probabilius Sylvester. Cajetanus V. *Sacrilegium*, Sylvius hic et alii. 1. Quia in jure sic legitur caus. 17. q. 4. cap. *Quisquis*: *Similiter sacrilegium committitur auferendo sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro.* Ubi cum jus non distinguat, nec nos distinguere debemus. 2. Quia, ut discurrit Sylvius, hoc ipso, quo locus est sacer, tanta ei debetur reverentia, ut sit asylum omnibus rebus, quae in eo sunt, etiamsi eo animo non fuerint illic depositae; ac proinde contra loci reverentiam est, si quodlibet furtum ibi perpetretur.

5. Tandem ad eam speciem pertinent actus profani a jure prohibiti specialiter in reverentiam loci sacri, nempe strepitus forensis saecularis, mercatura, convivia, confabulationes, etc. quae tamen communiter non excedunt culpam venialem, nisi sit gravis excessus, aut notabilis officii divini perturbatio, aut scandalum.

Caetera vero peccata sive interna, sive externa commissa in loco sacro, quae non contrariantur ei, ad quod sanctus est, neque jure positivo in ejus reverentiam prohibentur, ut detractiones, mendacia, perjuria, blasphemiae, et similia, non sunt sacrilegia.

Quantum ad tertiam speciem sacrilegii, quae circa res sacras alias a personis, et locis committitur, diversos etiam habet gradus secundum differentiam rerum sacrarum. Primum locum tenent Sacramenta, quibus homo sanctificatur, quorum praecipuum est Eucharistiae Sacramentum, quod continet ipsum Christum. Ad hanc ergo speciem reducitur omnis abusio Sacramentorum, et eorum perceptio, seu ministratio in statu mortifero.

Secundum locum obtinent vasa ad susceptionem, seu administrationem Sacramentorum consecrata, vel benedicta: item cruces, immagines, reliquiae Christi, et Sanctorum. Huc etiam revocari possunt sacrum Chrisma, Oleum benedictum, sacra nomina Christi et Sanctorum, sacrum Evangelium et tota Scriptura sacra, hymni, caeremoniae ecclesiasticae, ita ut eorum indignae tractationes sint sacrilegae plus, vel minus, secundum quod res sunt plus, vel minus sacrae.

Tertium locum obtinent, quae pertinent ad ornatum Ecclesiae, et ministrorum, ad quae reduci possunt cerei, aqua benedicta, et alia sacramentalia, ut, si vestibus sacerdotalibus utaris ad usus profanos, aut ad ludicra.

Quarto loco reponuntur jura, et bona ecclesiastica, hoc est bona deputata, seu legata ad sustentationem ministrorum, et Ecclesiae obsequium tam mobilia, quam immobilia: haec enim licet in se nullam sanctitatem habeant, tamen Jure Canonico ob reverentiam, quae debetur cultui divino, ad quem ordinantur, debent esse immunia a saecularium invasione, detentione, et defraudatione, quae ideo in jure saepe dicuntur sacrilegae; secus, inquit Layman lib. 4. tract. 10. cap. 7. n. 15. quando per legitimam distributionem facta sunt propria pauperum, aut ministrorum Ecclesiae.

Petes, utrum omne sacrilegium sit peccatum mortale? R. Sacrilegium, quod fit ex directa, et formali intentione res sacras inhonorandi, est semper mortale propter contemptum formalem rei sacrae, qui reducitur ad Deum; si vero fiat ob alium finem, admittit levitatem materiae. Ad quod discernendum tenenda est regula S. Doctoris, de qua jam supra, nimirum: *Tanto sacrilegium est gravius, quanto res sacra, in quam peccatur, majorem obtinet sanctitatem*: addo *et quo gravior est profanatio.* Sic furtum leve in loco sacro est peccatum veniale.

DISSERTATIO IX.

De Simonia. *D. Th. q.* 100.

Articulus I.

Quid, et quotuplex sit Simonia?

Dico 1. Simonia, sic dicta a Simone Mago, qui primus tempore novi Testamenti hoc peccatum commisit; communiter definitur, *Studiosa voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* Dicitur: *Emendi vel vendendi*, per quod intelligitur omnis contractus non gratuitus, id est contractus, quo res spiritualis aliquo pretio temporali, vel alia re pretio aestimabili appretiatur et compensatur, ut sunt locatio, conductio, commutatio, do ut des, do ut facias, facio ut des etc. Ad simoniam ergo proprie dictam essentialiter requiritur, quod temporale intendatur explicite vel implicite ut pretium rei spiritualis, alias non erit venditio aut emptio, neque quivis alius contractus sic onerosus, qui nomine venditionis, vel emptionis possit intelligi. Et haec est communis sententia Theologorum, et Canonistarum, et maxime S. Thomae non solum in definitione tradita, sed etiam in sequentibus articulis, ubi probat non esse simoniam aliquid temporale recipere pro Missis, pro concionibus, pro

orationibus, et aliis similibus spiritualibus, modo non recipiatur ut pretium, sed ut stipendium, vel aliquo alio honesto titulo.

Dicitur, *Spirituale*: hoc est supernaturale, nimirum ut a Deo auctore supernaturali proveniens, aut ad Deum ut salutis spiritualis auctorem ordinans. Est triplex. Spirituale per essentiam, ut gratia, jurisdictio ecclesiastica, etc. Spirituale causaliter, quatenus est causa spiritualis effectus, ut Sacramenta. Spirituale effective, quatenus provenit a causa spirituali, ut sanitas collata per gratiam miraculorum. Dicitur, *Vel spirituali annexum*, scilicet consequenter, ut explicabimus infra.

Dico 2. Simonia non solum prohibetur jure positivo caus. 1. qq. 1. et 2. et L. 5. Decret. toto titulo 3. sed etiam est ipso jure naturae mala. Probatur 1. Res spiritualis utpote superioris ordinis non potest aliquo terreno pretio aestimari, et compensari absque eo, quod deprimatur, et ei gravis injuria irrogetur; atqui in hoc sita est simonia, quod res spiritualis pretio terreno aestimetur, et compensetur: ergo. Probatur 2. Id non potest esse debita venditionis materia, cujus venditor non est dominus; atqui homo non est dominus spiritualium rerum, sed dispensator tantum secundum illud 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*: ergo.

Dico 3. Peccatum simoniae est genere suo peccatum mortale, nec admittit levitatem materiae. Probatur prima pars; quia gravis injuria irrogatur rei spirituali, dum rebus vilibus terrenis aequiparatur, et non secus ac istae venditioni subjicitur. Unde Act. 8. Petrus Simoni Mago imprecatur: *Pecunia tua tecum sit in perditionem.* Et in jure caus. 1. qu. 1. cap. 7. dicitur *Flagitium execrabile.* Probatur secunda pars; quia quantumvis res sit in parvo gradu spiritualitatis, semper est magna injuria eam terreno pretio aestimare, et quo minus pretium datur pro re spirituali, eo minus videtur aestimari.

Dico 4. Simonia dividitur 1. in simoniam juris naturalis, seu divini, et in simoniam juris ecclesiastici. Prima prohibetur, quia mala; altera est mala, quia prohibita. Primi generis est, dum ea, quae sunt ex se spiritualia, aut spiritualibus annexa consequenter, ut gratiae, sacramenta, beneficia, etc. venduntur, vel emuntur. Secundi generis est, dum ea, quae quidem ex se non sunt sacra aut spiritualia, tamen ab Ecclesia vendi, aut emi prohibentur propter propinquitatem, vel ordinem, quem habent, aut quem ipsis confert Ecclesia ad sacra, et spiritualia, qualia sunt officia ad temporalium Ecclesiae bonorum administrationem, ut oeconomatus, advocatio, judicatura, etc. Quamvis enim Ecclesia sua prohibitione non faciat rem non sacram esse sacram, nisi benedictione, aut consecratione adhibita, quod hic non intervenit, facit tamen, ut sit invendibilis ratione conjunctionis, aut ordinis ad rem sacram, et cum dignitas rei sacrae servandae sit motivum, et objectum formale talis prohibitionis, violari non potest prohibitio, nisi ipsa dignitas rei sacrae violetur, quod constituit vitium simoniae.

2. Simonia dividitur in mentalem, conventionalem et realem. Mentalis est, cum nullum intercedit pactum aut conventio, sive expressa, sive tacita, sed solum est animus vendendi, seu emendi, sive dandi, vel accipiendi aliquid temporale ut pretium pro spirituali, vel e contra; et est duplex. Una consistens in mala voluntate committendi simoniam, v. g. emendi beneficium absque eo, quod aliquid exterius agatur, sicut voluntas occidendi inimicum dicitur homicidium mentale. Altera consistens in actione externa facta animo simoniaco, sed nullatenus exterius manifestato, ut si collator exterius gratis conferat Petro beneficium, intendens tamen ipsum obligare ad gerenda sua negotia. Conventionalis est, cum intercedit quidem pactum, aut conventio expressa, vel tacita dandi temporale pro spirituali, et e contra, sed tamen executioni non mandatur saltem ex utraque parte. Si ex nulla parte impleatur, est pure conventionalis; si ex una, di-

citur conventionalis mixta. Realis simpliciter est, quando conventio expressa, vel tacita ex utraque parte impletur, saltem quoad aliquid, si non quoad totum.

Nota diligenter pro tota hac materia de simonia regulam generalem juris, scilicet: *Omnem pactionem, omnem conventionem in spiritualibus obligantem ad id, quod non inest jure, cessare debere, nullam esse, et esse simoniacam, ad minus simonia juris ecclesiastici.* Caus. 1. qu. 1. C. *Quam pio.* Lib. 1. Decretal. titul. 35. *De pactis*, Cap. ultimo. Ibid. lib. 5. tit. 3. de simonia, cap. *Tua nos.* Et alibi pluries. Huic tamen regulae generali derogatum est in quibusdam rebus, et functionibus spiritualibus per contrariam consuetudinem communiter receptam videntibus, et non contradicentibus Ecclesiae Praelatis, v. g. viri religiosi paciscuntur absque scrupulo pro precibus mutuis, pro reliquiis, etc. ministri Ecclesiae quandoque paciscuntur de certo stipendio pro Missis, pro concionibus.

Articulus II.

Utrum sit simonia dare temporale tamquam motivum obtinendi spirituale, et e contra, aut ex mera gratitudine?

Dico 1. Dare temporale tamquam motivum proxime et immediate obtinendi spirituale, et e contra, absque interventu alterius motivi veri et honesti, propter quod temporale detur, aut ex quo expectetur spirituale, est vera simonia. Mihi videtur certa et communis saltem nunc, nec nisi a casuistis longe plus aequo mollioribus non satis tuto impugnanda. Probatur 1. ex damnatione propositionum sequentium ab Innocentio XI. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali aut e contra.* Est 45. Eandem propositionem jam antea confixerant Universitates Parisiensis et Lovaniensis. *Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, imo etiamsi sit finis rei spiritualis, sic ut illud pluris aestimetur quam res spiritualis.* Est 46. Ergo est vera simonia dare temporale tamquam motivum obtinendi spirituale absque interventu alterius motivi veri, et honesti, propter quod detur temporale.

Probatur 2. ratione. Dare temporale ut motivum proxime, et immediate obtinendi spirituale, et e contra, absque interventu alterius motivi veri, et honesti, propter quod detur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, est dare temporale virtualiter ut pretium spirituale, atqui in hoc sita est ratio formalis simoniae; ergo. Minor est certa. Probatur major, in qua est difficultas. Tunc habetur saltem virtualiter, et secundum moralem aestimationem intentio pretii, quando una res datur, et commutatur pro altera, licet non intendatur explicite, et quasi in actu signato hanc rem esse pretium alterius; id enim non requiritur ad contractum onerosum, puta venditionis, sed sufficit, ut detur una res in commutationem alterius; per hanc enim habitudinem moralem unius rei cum altera commutandae, habetur ratio formalis constitutiva pretii, ut patet in omnibus contractibus onerosis: atqui qui dat temporale tamquam motivum proxime, et immediate obtinendi spirituale absque interventu alterius motivi veri, et honesti, propter quod detur temporale, aut ex quo expectetur spirituale (quale foret v. g: motivum stipendii, aut injustae vexationis redimendae) nihil aliud facit, quam commutare temporale pro spirituali: ergo.

Prob. 3. ab absurdis, quia nullus foret simoniacus, cum nihil sit facilius, quam offerendo munus, illud intendere ut motivum, et non ut pretium.

Dico 2. Dare temporale tamquam motivum obtinendi spirituale et e contra, non immediate, sed mediante aliquo motivo vero, et honesto propter quod detur temporale, aut ex quo exspectetur spirituale, probabilius non est simonia. Est plurium et omnino consentanea principiis D. Th. et omnium scholarum. Probatur. Simonia ex sua ratione formali essentialiter requirit, ut temporale detur pro spirituali tamquam pretium vel formaliter, vel virtualiter, ut explicatum est : atqui dare temporale ut motivum obtinendi spirituale, quando intervenit aliud motivum verum, et honestum, propter quod detur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, non est dare temporale ut pretium spiritualis neque formaliter, neque virtualiter : ergo. Major constat ex definitione simoniae, quam art. 1. tradidimus ex D. Th. et quam omnes scholae communiter recipiunt : et sane si a notione simoniae rationem pretii saltem virtualiter intenti semoveas, omnem simoniae malitiam abstergis, quandoquidem tota ejus essentialis malitia sita sit in hoc, quod res spiritualis vili et terreno pretio aestimetur, et compensetur, quodque non sit debita materia venditionis tum ratione originis, tum defectu dominii, ut arguit S. Doctor hic et alibi constanter.

Probatur ergo minor. Qui dat temporale tamquam motivum obtinendi spirituale, interveniente altero motivo vero, et honesto, propter quod detur temporale aut ex quo expectetur spirituale, non dat temporale formaliter, et explicite in pretium, ut patet, neque virtualiter, quod probatur. Tunc habetur intentio virtualis pretii, quando una res commutatur pro altera, ut dicitur in prima conclusione: atqui qui dat temporale ut motivum obtinendi spirituale interveniente altero motivo, propter quod detur temporale, aut ex quo expectetur spirituale, non commutat temporale pro spirituali, sed dat temporale propter illud aliud motivum, aut expectat spirituale ex illo, et non immediate, nec praecise vi doni temporalis; v. g. qui dat Sacerdoti pecuniam pro Missa, alias non daturus, dat temporale ut motivum obtinendi Missam, ut patet, non tamen commutat pecuniam pro Missa; nec consequenter dat illam ut pretium Missae, quia subest illi vera, et legitima causa, propter quam dat pecuniam, scilicet sustentatio Sacerdotis : ergo.

Quapropter (et hoc est diligenter notandum, in quo nempe nonnulli hallacinantur) ex illa conditione negativa praecise, quod sine commodo temporali non esset quis daturus spirituale, aut e contra, quod sine spe spiritualis non esset daturus temporale, non colligitur sufficienter virtualis intentio simoniae, sed requiritur, ut reipsa non interveniat alia causa honesta dandi, vel recipiendi temporale, seu spirituale, aut certe quod non intendatur ab operante. Patet ex jam dictis, et est in terminis D. Thomae. Sic juxta ipsum Canonicus, qui vadit ad Ecclesiam propter distributiones, *alias non iturus*, non est simoniacus: *quia non ponit impretiabile sub pretio*, sed habet causam intendendi stipendium ut conditionem, sine qua Ecclesiam non frequentaret. Sic iterum juxta eumdem S. Doctorem, qui provocat aliquem ad devotionem monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur ad monasterii ingressum, ingressus monasterii est finis hujus beneficii temporalis, et tamen non est simoniacus, quia intervenit aliud motivum immediatum, scilicet affectus et devotio erga monasterium : sic etiam Sacerdos, qui recipit stipendium pro celebranda Missa, alias non celebraturus, aut non sic applicaturus, non est simoniacus ; quia habet justam causam intendendi stipendium ut conditionem, sine qua non diceret Missam, aut tali non applicaret.

Dico 3. Dare temporale pro spirituali, et e contra sincere, et non ficte ex mera gratitudine, amicitia, aut benevolentia, ita quod sit donum reipsa absolute et omnino liberale, et gratuitum, non videtur simoniacum. Probatur ex variis locis juris C 1. qu. 2. Cap. *sicut Episcopum* ibid. Cap *Placuit* ibid. q. 1. Cap. *Placuit*. Extra. lib. 5. tit. 3. Cap. *Etsi quaestiones*, ibid. Cap. *Dilectus*, et Cap.

Tua nos, in quibus declaratur non prohiberi dare, aut accipere, quae pro spirituali ex gratitudine offeruntur. Probatur 2. ratione. Simonia ex sua ratione formali essentialiter requirit, ut temporale detur pro spirituali tamquam pretium vel formaliter, vel virtualiter, ut probatum est in praecedentibus conclusionibus: atqui donum ex mera gratitudine, et pretium habent rationes contradictorias, pretium enim est proprie, et in rigore debitum, donum ex gratitudine est omnino liberum, et spontaneum: ergo. Confirmatur a pari de usura. Mutuatarius potest licite dare mutuanti aliquid ultra sortem, non quidem vi mutui, sed sponte titulo gratitudinis, aut benevolentiae: atqui eadem est ratio simoniae, et usurae, saltem quantum ad hoc, ut omnes conveniunt: ergo potest licite collatarius dare collatori aliquid temporale et e contra, non vi, aut titulo collationis, sed titulo gratitudinis, aut amicitiae.

Dixi in conclusione *sincere*, *et non ficte*; fateor enim sub ementitae gratitudinis, aut benevolentiae pallio non raro veram simoniam occultari, et eum, qui re ipsa solo titulo beneficii accepti, aut accipiendi munera confert, sibi mentiendo, et conscientiae remorsibus fucum faciendo, titulum gratitudinis, aut amicitiae saepe fingere, et allegare. Non equidem nego in pluribus casibus simoniam ab intentione pendere, sed errant, qui putant totum negotium hic agi in intentione, quasi ex sola intentionis directione factum reipsa simoniacum posset excusari. Ut ergo dignoscatur, an verus, an fictus sit gratitudinis vel amicitiae titulus, attendendum est ad circumstantias juxta rescriptum Alexandri III. cap. citato *Etsi quaestiones*, Extra. *de Simonia*, ubi ait: *In accipiendis vel dandis muneribus tria sunt maxime attendenda, personae scilicet dantis, et accipientis qualitas; quantitas muneris, et donationis tempus. Qualitas personarum, ut a quo et cui, videlicet an a paupere diviti, vel e converso, an a divite locupleti datum fuerit. Aestimatio muneris, et donationis tempus, si magni, vel minoris pretii res data fuerit, et an instanti necessitate seu alio tempore conferatur.*

Igitur quando sunt munera magni momenti, maxime si fiant in pecunia, quando correspondent circiter valori beneficii, quando a paupere fiunt diviti, nulla necessitate, aut opportunitate exigente, quando collator ante collationem insinuavit se aliquid praetendere, ut si inquisiverit, an is, cui vult conferre beneficium, sit vir honestus, vir gratus, an sciat vivere, etc. in his, inquam, et similibus circumstantiis, crede, aut saltem suspicare pro qualitate circumstantiarum, haec munera revera collata esse solo titulo beneficii accepti, aut accipiendi, fictam esse gratitudinem, seu amicitiam, et veram simoniam. Secus si munera sint leviora in vino, et similibus, prout solent fieri inter amicos, si dantur a divite, si ab amico, consanguineo, si a generoso, qui solet similia elargiri iis, qui de ipso bene merentur; si exigente aliqua necessitate, aut opportunitate, in qua convenit gratificari benefactori, etc.

Petes, utrum liceat etiam dare sub spe obtinendi a donatario spirituale, et e contra titulo amicitiae, et gratitudinis? R. affirmative, modo, ut dixi supra, sincere, et non ficte expectetur ut donum spontaneum ex mera gratitudine, amicitia, et liberalitate, nullo modo tamquam vi aut titulo muneris temporalis debitum. Patet 1. quia hoc est dare temporale, ut motivum quidem obtinendi spirituale, sed mediante alio motivo honesto scilicet gratitudine, et amicitia, pro qua concilianda datur temporale, quod licere diximus in secunda conclusione. 2. Quia licet sperare, quod licet accipere, licet autem accipere ex mera gratitudine, et liberalitate donatum, ut dicitur in praesenti conclusione: ergo et sperare.

Obj 1. contra secundam et tertiam conclusionem sequentes propositiones damnatas ab Innocentio XI *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tamquam ex benevolentia, et gratitudine debitum, sed solum si exigitur tamquam ex justitia debitum.* Est 42. *Dare temporale pro spirituali non est simonia, quan-*

do temporale non datur tamquam pretium, sed dumtaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando per temporale fit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra. Est 45. R. has propositiones, quatenus spectant secundam conclusionem, esse damnatas in sensu reprobato per primam conclusionem, in quantum scilicet ad simoniam exigunt, quod intendatur formaliter, et explicite pretium, nec volunt sufficere, ut intendatur virtualiter in solo motivo obtinendi spirituale nullo alio interveniente. Quantum vero spectant tertiam conclusionem, sunt damnatae, in quantum sub ementito nomine gratitudinis important strictam obligationem vi mutui, aut vi collati beneficii, ut explicui in nota ad calcem tertiae conclusionis et maxime in responsione ad secundam petitionem in majori opere: idque ex ipsis earum terminis innotescit. Etenim τὸ *Exigere debitum* in prima innuit pactum saltem implicitum et obligationem plus quam gratitudinis, licet pro pallio addatur *ex gratitudine.* In secunda τὸ *Compensatio*; compensare enim est *Quasi pari pondere rependere*, et compensatio auctore Modestino L. 1. ff. *de compensatione* est debiti et crediti inter se contributio; non sic autem fiunt remunerationes vere gratuitae et liberales. Ita has propositiones intelligunt graves Auctores, inter quos Steyartius in propositiones damnatas pag. 56. [Quidquid sit de hac sententia Auctoris speculative loquendo, non potest negari eam esse in praxi saltem maxime periculosam, unde omnimode rejiciendam].

Articulus III.

Utrum sit simoniacum spiritualia dare non solum pro munere a manu, sed etiam pro munere ab obsequio, et a lingua?

Nota. Triplicis generis pretium distingui in venditione, seu emptione spiritualium, non secus ac in usura, ex Urbano II. caus. 1. q. 3. *Salvator*, scilicet munus a manu, munus ab obsequio, munus a lingua. Munus a manu est pecunia data, vel promissa, seu quodvis aliud donum pecunia aestimabile. Munus ab obsequio est ministerium, seu officium temporale alteri exhibitum vel exhibendum. Munus a lingua est laus, seu commendatio, qua quis apud alium laudatur seu commendatur ad aliquem favorem humanum obtinendum. Item preces, quae pro aliquo funduntur ad procurandum ei bonum, vel malum ab eo avertendum. Imo preces ipsae, quae fiunt pro obtinendo beneficio, si in eis attendatur favor precantis tamquam merces beneficii.

Dico 1. Non est minus simoniacum dare, vel accipere munus ab obsequio, vel a lingua, tamquam pretium, aut ex pacto pro re spirituali. Patet ex Urbano II. loco citato, ubi dicit: *Quisquis res ecclesiasticas non ad quod institutae sunt, sed ad propria lucra, munere linguae, vel indebiti obsequii, vel pecuniae largitur, vel adipiscitur simoniacus est*: et ratio est, quia haec pecuniae pretio aequivalent, et aestimari possunt.

Dico 2. Collatio beneficii seu alterius rei spiritualis facta alicui ratione consanguinitatis, amicitiae, aut alterius affectus carnalis est illicita, quia est acceptio personarum, et deest recta intentio, nisi aliunde consanguineus, aut amicus foret aeque dignus, aut dignior aliis. Non est tamen simoniaca, quia nihil ibi accipitur, aut exigitur, saltem quod sit pretio aestimabile: unde hoc non pertinet ad contractum emptionis, aut venditionis, in quo fundatur simonia. Si tamen aliquis det beneficium ecclesiasticum alicui hoc pacto, vel intentione, ut exinde suis consanguineis provideat, est manifesta simonia.

Dico 3. Qui precibus pro indigno porrectis motus ei confert beneficium; aut est revera simoniacus, si nempe preces ut civilem obligationem, vel precantis

favorem ut pretium attendat, aut praesumitur talis in foro exteriori, quia cum non promoveat talem indignum ratione capacitatis, quam scit non adesse, praesumitur promovere spe alicujus mercedis, quam expectat a rogante, aut ejus precibus, quasi civili obligatione constrictus. Et hoc sensu, inquit Sylvius, intelligendum est, quod dicit S. Th. hic ad 3. esse simoniacum, *Qui preces pro indigno porrectas exaudit.* Si autem preces pro digno porrigantur, non est simonia, quia subest debita causa, ex qua illi, pro quo preces porriguntur, spirituale aliquid conferatur : tamen potest esse simonia in intentione, si non attendatur ad dignitatem, sed ad favorem humanum.

Si tandem aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum proprio judicio se reputans dignum, aut digniorem, regulariter ex ipsa praesumptione redditur indignus, et sic preces sunt pro indigno, ideoque simoniaca collatio, eo nempe sensu, quem modo initio hujus assertionis exposuimus, vel realiter, vel praesumptive. Licite tamen potest aliquis si sit indigens, pro se beneficium ecclesiasticum petere sine cura animarum ; tum quia erga beneficium simplex vix reperitur praesumptio, cum minima capacitas ad illud sufficiat, et aliunde id spectetur velut supplementum tituli, qui non sufficit ad congruam sustentationem Clerici. Id autem S. Doctor non concedit Clericis divitibus, quia id videtur a jure prohibitum, Extra. *C. Ad aures, de Rescriptis*, et alibi. Utrum vero haec jura non obligent ; et an usu legitimo, vel potius abusu, beneficia saepius conferantur divitibus, quam pauperibus, viderint collatores.

Dixi 1. *Proprio judicio se reputans dignum aut digniorem* : sic enim juxta Sylvium, et alios S. Thomae interpretes intelligendus est S. Doctor, cum dicit hic : *Si aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus, et sic preces sunt pro indigno.* Dum enim quis petit beneficium, cui annexa est cura animarum, habens aliunde testimonia capacitatis, aut volens se subjicere examini, et judicio superiorum, qui judicent, an sit dignus, vel dignior, nihil videtur de se praesumere, nec consequenter indignus ex isto capite ; idque maxime, cum tunc non censeatur petere absolute, sed conditionate tantum, si nempe judicetur dignus. Hanc interpretationem esse legitimam confirmant concursus in multis casibus instituti, et a Concilio Trid. sess. 24. *de Refor.* c. 18. ordinati, in quibus plures se offerunt ad beneficium pastorale, adeoque petunt ; suffragantur insuper jura graduatorum in Academiis, qui beneficia ratione graduum postulant, nec a quoquam damnantur.

Petes, utrum dare spirituale ad vitandum imminens damnum temporale sit simonia ?

R. Dare spirituale, v. g. beneficium ad vitandum damnum in temporalibus si nullum omnino interveniat pactum, nec cessatio nocumenti spectetur ut pretium beneficii, sed beneficium gratis detur, ut motivum placandi animum vexantis, et ut ipse placatus absque nova obligatione, vi collationis contracta, amicabiliter cesset a nocumento, non est simonia. Patet ex dictis art. praecedenti concl. 2. et 3. Quia scilicet tunc non datur spirituale immediate pro cessatione a nocumento, sed intervenit aliud motivum. Si vero conferens beneficium ineat pactum, ut alter cesset a vexatione, est simonia. Idque verum puto, sive sit obligatio cessandi a praesenti vexatione, sive cessandi in posterum, contra quosdam, qui id negant de obligatione cessandi a praesenti vexatione. Ratio est, quia sic est dare spirituale immediate pro temporali, nullo alio motivo interveniente, scilicet pro ipsa liberatione a vexatione temporali, quod est pretio aestimabile.

Articulus IV.

De Simonia circa res spirituales in particulari.

Diximus simoniam versari circa spiritualia, et spiritualibus annexa. Sed quia multi casus occurrunt circa utraque in particulari, agimus hic 1. de simonia circa spiritualia, articulo sequenti de simonia circa annexa spiritualibus. Diximus item spiritualia esse multiplicis generis. Quaedam sunt spiritualia secundum se, ut gratia, usus jurisdictionis spiritualis, sacrificium Missae, etc. alia sunt spiritualia causaliter, ut Sacramenta, quae causant gratiam; alia sunt spiritualia effective, ut sanitas miraculose causata. Constat ex dictis, dare, vel accipere pecuniam, aut aliquid aliud pecunia aestimabile tamquam pretium pro istis omnibus, et aliis hujusmodi, esse simoniam juris naturalis, quae nulla consuetudine excusari potest.

Attamen non est simonia dare vel recipere pro pluribus spiritualibus ex praefatis, ut pro administratione Sacramentorum, pro celebratione Missarum, Officiorum divinorum, Exequiarum, Praedicatione, Catechismo etc. aliquid temporale, non ut pretium, sed ut stipendium sustentationis. Est autem discrimen inter pretium, et stipendium, quod pretium dicatur per respectum ad rem, cum qua commutatur, et cui appretiatur, et aequiparatur; stipendium vero dicitur per respectum ad personam, quam aequum est sustentari ab iis, quorum utilitati deservit. Haec assertio constat ex ordinatione Christi apud Apostol. 1. Cor. 9. ubi sic discurrit: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem et de lacte gregis non manducat?.. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus..... Nescitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quae de Sacrario sunt edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant: ita et Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Id quoque probat ratio naturalis: qui enim ministeriis spiritualibus incumbunt, privant se facultate vacandi aliis negotiis temporalibus, ex quibus sibi necessaria ad sustentationem compararent, idque in commodum populi: ergo tenetur populus ipsis necessaria sustentationi ministrare; sicut ei, qui utiliter alterius negotia gerit, debetur ex justitia sustentatio necessaria; quam aliunde acquisivisset, si per ea negotia impeditus non fuisset.

Consectaria praecedentis Doctrinae.

Ex his colliges 1. ea, quae Ecclesiae ministris a populo conferuntur, non esse puras eleemosynas, sed stipendia sanctis laboribus ex justitia debita, sicut debentur ei, qui alterius negotia utiliter gerit, ut dixi; eleemosyna enim datur simpliciter intuitu paupertatis absque obligatione ad aliquod opus, nisi quod pauper jure naturae teneatur esse gratus suo benefactori. Non sic autem stipendia collata ministris Ecclesiae. Unde merito damnatur in Concilio Constant. sess. 8. art. 18. sententia Wicleffi dicentis: decimas esse puras eleemosynas, et Parochianos posse ob peccata suorum Praelatorum eas ad libitum subtrahere.

Colliges 2. simoniacum esse dare, vel accipere etiam titulo sustentationis aliquid temporale pro dispensatione in votis, juramentis, impedimentis matrimonii, et quibusvis legibus ecclesiasticis; item pro censuris ferendis, aut earum absolutione, sive Praelati ea per se praestent, sive vices suas aliis committant, perinde est enim. Ratio est, quia in his omnibus est usus spiritualis potestatis: ille autem, cui committitur spiritualis potestas, obligatur ex officio ad usum po-

testatis sibi commissae, et habet pro sua sustentatione statuta stipendia suae dignitati annexa ex redditibus ecclesiasticis: et ideo, si acciperet aliquid pro usu spiritualis potestatis, non intelligeretur locare suas operas, quas ex debito suscepti officii jam debet impendere, nec accipere temporale ut stipendium, quod jam aliunde habet, sed ut pretium, et consequenter vendere ipsum spiritualis gratiae usum, eo maxime quod in dispensationibus, aut censuris, earumve absolutione nihil laboris intervenit, ratione cujus percipi possit stipendium. Unde Trident. sess. 25. cap. 18. *de Reformat.* praecipit, dispensationes *gratis a quibuscumque esse dandas, aliterve factam dispensationem subreptitiam censeri.* Id tamen non impedit, quin petentibus dispensationem possit imponi a superioribus aliquid erogandum in causas pias per modum mulctae, ut sic coerceatur nimia dispensationum postulatio, contineantur homines intra communes leges, et compensetur quodammodo haec deformitas, sive recessus a communi lege. Circa collationem ordinum, litteras dimissorias, et testimoniales, aliaque huc pertinentia, Concil. Trid. ses. 21. de reform. prohibet quidquam pro his dare, vel accipere: excepto, quod Notarii, si nullum sit eis salarium constitutum pro officio exercendo, possint accipere decimam partem unius aurei (quam quidam auctores dicunt esse sex asses); secus autem facientes, tam sponte dantes, quam accipientes poenis a jure inflictis ipso facto subjaceant. Haec autem poena est excommunicatio, ut patet ex Concil. Braccarensi cap. 3.

Colliges 3. Simoniam esse juris naturalis, dare, seu accipere aliquid tamquam pretium pro statu Religionis, item et pro jure ad sustentationem. Ratio primae partis est, quia status religiosus est vere quid spirituale, utpote continens jus et obligationem Deo serviendi sub praescripta regula. Et ideo in jure Extrav. 1. *De Simonia*, excommunicantur excommunicatione reservata Papae dantes aut accipientes aliquid pro ingressu Religionis. Ratio secundae partis est, quia jus ad sustentationem est annexum statui religioso, sicut praebenda in beneficiis est annexa officio ecclesiastico: atqui exigere, seu recipere aliquid pro praebenda, seu jure ad fructus beneficii, est simonia juris naturalis ut dicemus infra: ergo. Prob. maj. Licet olim cum Monachi se seorsim labore manum sustentarent, non consequerentur ex suo statu jus ad sustentationem; modo tamen cum monasteria sunt dotata, aut conferuntur eleemosynae ad sustentationem Fratrum, et auctoritate Ecclesiae sic sunt instituta, hoc ipso, quod quis est talis monasterii Religiosus, habet jus ad sustentationem, et monasterium ex justitia tenetur ipsi suppeditare, cum sit pars seu membrum illius communitatis, quae illorum bonorum habet dominium, aut saltem liberum usum: ergo.

Confirm. Jus ad sustentationem est debitum ratione status: ergo qui vendit jus, censetur vendere ipsum statum, ex quo jus provenit, ut dicam de beneficiis. Ad haec si attendisset R. P. Concina, non dixisset T. 10. suae Theologiae christ. pag. 105. meam, quae sequitur, interpretationem S. Thomae esse arbitrariam. Si tamen monasterium sit tenue, quod non sufficiat ad tot personas alendas, licet aliquid exigere, aut recipere, non quidem pro jure sustentationis, quod bene nota, hoc enim ubique censeo simoniacum, ut patet ex dictis, sed tamquam conditionem, ut monasterium aliorum accessu non gravetur, et hoc sensu intellige, quod a D. Th. et aliis dicitur, licere in hoc casu accipere aliquid pro sustentatione, non praecise, sed quatenus per eam causatur gravamen. Ratio est, quia sic nihil spirituale, aut spirituali annexum venditur, aut emitur, sed spirituali gratis concesso, et simul cum eo temporali annexo, nempe jure ad sustentationem, consulitur per dotem indemnitati monasterii, et Religiosorum, qui alioquin gravarentur a supervenientibus, quod aequitati naturali omnino consentaneum est: non enim aequum est, ut Religiosi majorem subeant inopiam causa eorum, qui petunt admitti, quando hi ipsi facile possunt istud incommodum avertere.

Verum si monasterium sit ita pingue, ut possit sine gravamine recipere supervenientes, videtur simoniacum ex natura rei aliquid accipere, seu exigere pro eorum admissione. Ita cum S. Thoma Adrianus, Victoria. S. Antoninus, Sylvius, Pontas, et alii contra plures alios, Sylvestrum, Soto, Toletum, etc. Ratio est, quia non apparet, quod temporale exigatur pro sustentatione, quatenus est causativa gravaminis, cum supponatur nullum esse, et monasterium abundare, sed pro ipso statu, aut saltem pro jure ad sustentationem, sicque quod praetextus indemnitatis monasterii sit praetextus fictus, et falsus, quo vera simonia palliatur. Sicut si Capitulum praetextu sustentationis novi beneficiarii, aut indemnitatis Capituli exigeret aliquid in ejus admissione.

Colliges 4. eum, qui habet jus acquisitum, sive in re, sive ad rem, certum, et liquidum ad aliquid spirituale, puta beneficium, et injuste vexatur vexatione, quae sit certo et absolute injusta, posse absque simonia per pecuniam, aut aliud temporale redimere hanc injustam vexationem, quia hoc non est dare temporale pro spirituali, ad quod jam supponitur jus habitum, et acquisitum, sed pro amotione injusti impedimenti: non est autem magis simoniacum amovere per pecuniam injustum suo juri nocumentum, quam jus ipsum tueri: ergo:

Dixi 1. *Qui habet jus, sive in re ad rem.* Jus ad rem v. g. in materia beneficiali habet, qui est electus, vel praesentatus, vel postulatus, sed nondum confirmatus, vel institutus; jus in re, qui est confirmatus, vel institutus, licet nondum sit in possessione. De utroque autem loquitur S. Thomas, et non solum, ut quidam volunt de jure in re; patet ex ipso textu. *Antequam*, inquit, *alicui acquiratur jus in Episcopatu, vel quacumque dignitate, vel praebenda per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset pecunia redimere: sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam: sed postquam jus alicui jam acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere.* Ubi evidens est S. Doctorem loqui in hac ultima propositione de eodem jure, de quo in prima, nempe de jure acquisito per electionem, vel provisionem. etc. jus autem acquisitum per electionem est tantum jus ad rem.

Est tamen quaedam distinctio ponenda inter utrumque jus; qui enim habet jus in re, a quocumque, et quomodocumque injuste vexetur, sive ut cadat a possessione jam obtenta, sive ut eam non obtineat, potest hanc injustam vexationem pecunia redimere; quia cum jus integrum habeat, in quo consistit spiritualitas beneficii, non dat temporale pro spirituali, quod jam habet, sed tantum pro amotione impedimenti. Si dicas pecuniam dari ab eo, qui nondum est in possessione, ut obtineatur, hanc autem possessionem videri spiritualem; R. possessionem secundum se non esse quid spirituale, cum in facto tantum consistat, sed quod sit spiritualis, habet ex titulo, vi cujus capitur, quem titulum cum ille jam teneat, accedente nova possessione, non accedit nova ratio spiritualis, sed possessio ipsa, secundum se indifferens, fit Spiritualis ex conjunctione cum titulo, unde non dat pretium pro re spirituali.

Qui vero habet tantum jus ad rem, si vexetur injuste ab his, qui prodesse possunt, ut si electus, aut praesentatus repellatur ex odio, vel aliter injuste a confirmatore, seu institutore, non potest absque simonia redimere pecunia hanc vexationem, quia dare pecuniam pro amotione talis injuriae est dare pecuniam pro confirmatione, vel institutione, cum haec injuria tolli non possit, nisi per confirmationem, vel institutionem; negatio enim non tollitur, nisi per affirmationem, quae in proposito est confirmatio, seu institutio. Et quamvis quidam non improbabiliter opinentur hanc simoniam non necessario esse juris naturalis; quia, inquiunt, posset aliquis pecuniam dare confirmatori, aut institutori praecise ad removendum ejus odium, quo remoto is postea non ex positiva obligatione, seu ex pacto datae pecuniae, sed ex naturali dictamine moveatur ad

confirmandum, instituendum, etc. nihilominus fatentur habere magnam praesumptionem simoniae, et esse revera simoniam saltem juris positivi, argumento ducto ex cap. *Sicut tuis.* Extra *De Simonia.*

Quod si is vexetur injuste ab his, qui prodesse non possunt, seu etiam ab iis, qui prodesse possunt, sed non nocent in eis, in quibus prodesse possunt, ut si Collator, institutor, aut a fortioni quicumque alius, qui nullum habet jus, illum captivum detineat, illum diffamet, vi aut fraude a confirmatione, institutione, etc. obtinenda impediat, potest absque simoniae labe hanc injustam vexationem pecunia redimere, quia hoc non est jus spirituale emere, sed jam habitum tueri, neque est parare sibi directe, et proprie per temporale viam ad spirituale, quo sensu intelligendus est S. Th. supra citatus, ut statim dicam; sed indirecte tantum, et remote, quatenus est amotio injusti impedimenti ad jus habitum prosequendum, et propulsatio nocumenti illati famae, et libertati, etc. ad quae jus habet.

Sed quid si is, qui vexatur injuste, nullum habeat jus acquisitum, nisi forte remotum, consistens puta in dignitate, omnis enim dignus habet jus remotum ad beneficia, potestne pecunia redimere hanc injustam vexationem? R. ut supra sub distinctione. Si injuste vexetur ab his, qui prodesse possunt, et in quo prodesse possunt, ut si elector, aut collator in eo molestus sit, quod hunc ex odio, vel aliter injuste nolit eligere, vel praesentare, non licet hanc injustam vexationem pecunia redimere, quia ut dicebam modo, hoc esset emere electionem, collationem, etc.

Si vero vexetur ab his, qui prodesse non possunt, sive etiam ab his, qui prodesse possunt, sed non nocent in iis, in quibus prodesse possunt, ut si elector detineat eum captivum, ne cum aliis compareat, si ipsum diffamet, si vi, fraude alios electores corrumpat, etc. cum Soto, Sylvio, Lessio, et aliis probabilius puto licere hanc injustam vexationem pecunia redimere, modo absit scandalum, quia per eam pecuniam nihil sibi spirituale acquirit neque ullum jus ad illud, sed tantum redimit injustam vexationem, quam patitur in fama, corpore, libertate, ad quae habet jus; quod etiam licitum reputat Sylvius cum aliis, si inique impediatur a consecutione beneficii per injustitiam improprie dictam, puta per munera, blanditias, preces importunas, apud electorem, collatorem, etc. Quia licet ista vexatio non sit hoc sensu injusta, quod sit contra justitiam, est tamen hoc sensu injusta, quod sit contra charitatem; cessatio autem a nocumento, quod est contra charitatem, non est quid magis spirituale, quam cessatio a nocumento quod est contra justitiam.

Verum contra hanc sententiam statim occurrit textus D. Thomae supra citatus, ubi accusat simoniae eum, qui antequam habeat jus acquisitum, injustam vexationem pecunia redimit. R. cum eodem Sylvio S. Thomam loqui de injusta vexatione illorum, qui prodesse possunt et vexant in eo, in quo prodesse possunt, sic ut per remotionem hujus vexationis directe, proprie, et immediate sternatur via ad beneficium: addit enim pro ratione S. Doctor, *Quia per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam*, quod intelligi debet de via directa ad rem spiritualem, ut modo dicam. Vel dicendum est, S. Doctorem loqui secundum praesumptionem fori exterioris, in quo facile praesumitur velle emere beneficium, qui antequam ullum jus in illud habeat, offert pecuniam, licet revera offerat tantum, ut injusta impedimenta removeantur, et sic coram Deo non sit vere simoniacus.

Dixi 2. *Vexatione, quae sit certo et aperte injusta*; quia si sit dubia injustitia, ex eo, quod jus non sit certum et liquidum, pecunia redimere talem vexationem esset redimere juris incertitudinem, adeoque ipsum jus aliqua ex parte emere; si autem alia ratione dubia sit injustitia vexationis, eam pecunia re-

dimere in tali dubio esset se exponere periculo emendi spirituale, seu jus ad illud, pro quo adimendo, seu impediendo forsitan juste agitur.

Hinc sequitur, quod si Beneficium sit jure utrimque probabili litigiosum alterum litigantium non posse sine simonia juris divini dare pecuniam, seu solvere expensas litis eo fine, ut alter cedat juri suo. Ex quibus intelligitur non posse partes litigantes auctoritate privata inter se transigere, posse tamen per sententiam judicis amicabiliter inter se componere, item et compromittere arbitros, qui vel simpliciter assignent beneficium uni, qui potiori jure nititur, vel ita ut teneatur alteri solvere pensionem, seu aliquid aliud, non quidem pro compensatione juris, sed ob compensationem laborum, et expensarum in lite, vel in ejus sustentationem, vel pro bono pacis, sic tamen ut Possessor Beneficii ipsum non dimittat sine auctoritate superioris, quia id jure prohibetur. Si vero hujusmodi compositiones fiant auctoritate privata, sunt simoniacae, quamvis fiant sub conditione approbationis a superiore obtinendae, quam superior tunc dare non potest.

Articulus V.

De Simonia circa annexa spiritualibus.

Nota, aliquid posse esse annexum spiritualibus multipliciter. Uno modo consequenter, sic ut a spiritualibus dependeat, ipsaque praesupponat, sicut habere beneficium ecclesiasticum dicitur spiritualibus annexum, quia non competit nisi habenti officium clericale: unde hujusmodi nullo modo esse possunt sine spiritualibus. 2. Quaedam sunt annexa spiritualibus antecedenter, in quantum ad spiritualia ordinantur, sicut jus patronatus, quod ordinatur ad praesentandum Clericos ad ecclesiastica beneficia, et vasa sacra, quae ordinantur ad Sacramentorum usum: unde hujusmodi non praesupponunt spiritualia, sed magis ea ordine temporis praecedunt. 3. Modo potest aliquid dici annexum spirituali concomitanter, ut labor, qui in Sacramentorum, vel aliorum actuum spiritualium administratione suscipitur. His notatis.

§. I. *De simonia circa annexa spiritualibus antecedenter.*

Dico. 1. Quae sunt annexa spiritualibus antecedenter sic, ut independenter ab ordine, quem habent ad spiritualia, sint per se aestimabilia ratione materiae, possunt absolute vendi, et emi, modo ipse ordo ad spiritualia non appretietur: quia totum, quod hic venditur, aut emitur, est mere temporale. Hujus generis sunt vasa sacra, ornamenta Ecclesiae, terra ad sepulturam, etc. Notandum tamen, quod si ad usus profanos vendantur, praemissa oratione prius debeant confringi, aut lacerari. Notandum insuper, quod nunc accipere, aut dare aliquid pro sepultura etiam ratione terrae prohibetur in jure Extrav. *de sepulturis* c. 13. Item pro actu religioso sepeliendi, Clerici possunt accipere aliquid tanum ut stipendium. At jus sepulchri in posterum tali, vel tali loco, pro se, et suis potest emi, quia est quid temporale. Item licet exigere aliquid ab iis, qui in segregato, et honoratiori loco volunt sepeliri.

Dico 2. Quae sunt antecedenter annexa spiritualibus sic, ut independenter ab ordine, quem dicunt ad spiritualia, non sint moraliter loquendo aestimabilia, non possunt absolute vendi: quia, cum non possent vendi nisi ratione aestimabilitatis, venderentur ratione ordinis, quem habent ad spiritualia, et consequenter ratione spiritualitatis. Hujus generis sunt praesentationes, electiones, etc. ad beneficia; item jus patronatus; hoc autem licet per se vendi non possit ob ra-

tionem datam, nec in feudum dari, transit tamen cum fundo, qui venditur, et hoc sensu dixit S. Th. posse aliquo modo vendi.

§. II. *De Simonia circa annexa spiritualibus concomitanter.*

Quaestio est de labore, qui in administratione Sacramentorum vel aliis actibus spiritualibus reperitur. Est duplex; unus intrinsecus, qui ipsi administrationi est necessario annexus, qualis est labor in ipso actu baptizandi, celebrandi etc. alter extrinsecus, qui per accidens Sacramenti administrationi est annexus, ut celebrare in dissito loco.

Dico 1. Licitum est aliquid accipere etiam ut pretium pro labore extrinseco, quia iste labor est aliquid temporale pretio aestimabile secundum se seorsum a re spirituali, nec ei sic annexum, ut ipso vendito censeatur vendi res spiritualis. Est communis. Similiter licet aliquid accipere tamquam pretium pro obligatione celebrandi v. g. tali tempore, tali hora, toties in hebdomada, etc. quia talis obligatio est onerosa, et pretio aestimabilis seorsim a re spirituali. Insuper obligatio ad opus est distincta ab ipso opere: unde licet in mutuo non liceat aliquid accipere pro mutuo, licet tamen pro obligatione mutuandi. [Caeterum cavendum, ne vel iste labor, vel ista obligatio pluris aestimetur, quia est ad actionem sacram; sic enim foret simonia, quia sub illo respectu non est pretio aestimabilis, sed tantum prout includit onera corporalia.

Dico 2. Pro labore intrinseco licet aliquid accipere ut stipendium, quandoquidem id liceat pro ipso actu, ut dictum est: at nullatenus licet aliquid accipere ut pretium, quia labor intrinsecus moraliter, et quoad aestimabilitatem est quid unum cum ipsa actione: ergo ubi actio est invendibilis, ut in nostro casu, ita et labor. Unde habet hic locum haec regula Paschalis Papae in cap. *Si quis objecerit* 1. q. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum relinquit.*

§. III. *De Simonia circa annexa spiritualibus consequenter, hoc est circa Beneficia.*

Beneficium ecclesiasticum communiter definitur: *Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiae ratione spiritualis officii, auctoritate ecclesiastica fundatum.* Patet ex ultimis particulis quod illa officia, v. g. Capellanias, quae fundantur in perpetuum auctoritate propria, non ecclesiastica, non esse beneficia. Unde est duplex jus in beneficio, unum ad officium spirituale, et aliud ex primo consequens ad temporales fructus. Hoc jus secundum primario, et directe importatur in definitione beneficii, ut patet, et est proprie beneficium, unde communiter dicitur *Beneficium propter officium*: ex Concil. Constant. Sess. 23. decreto *De dispensationibus.*

Beneficium dividitur 1. in *simplex*, quod obligat ad servitium Altaris, vel Chori absque ulla speciali qualitate. Canonicatus autem ob praecellentiam Canonicorum dicuntur beneficia simplicia majora, et in materia odiosa, et in rescriptis provisoriis non veniunt nomine beneficii simplicis, et in *duplex*, cui aliqua specialis qualitas est injuncta, ut *Dignitas*, cui annexa est jurisdictio pro foro externo. *Personatus*, cui annexa est sola praecedentia, ut in Choro etc. *Cura*, *seu Beneficium curatum*, cui annexa est cura animarum, et jurisdictio pro foro interno. *Officium* specifice dicitur (nam generice vagatur per omnia beneficia) cui annexa est cura rerum ecclesiasticarum sine jurisdictione, ut Officium Primicerii etc. 2. dividitur in *saeculare*, quod Clericis saecularibus competit, et in *regulare*, quod regularibus addictum est 3. *in titulare*, quod confertur in ti-

tulum perpetuum, ita ut sine gravi causa Beneficiatus eo privari non possit, et in *manuale* quod confertur in titulum, sed revocabiliter ad nutum vel Praelati, vel Patroni, ut Prioratus sub Abbate, Sacristae etc; et alia, quae non sunt curata, aut electiva; imo curata, quae pleno jure sub sunt Monasterio, sunt etiam manualia.

Beneficia sex modis acquiruntur 1. *Praesentatione Patroni, et institutione*, quae est beneficii concessio, facta ad praesentationem ejus, qui habet jus patronatus 2. *Electione*, quae est idonea Personae ad beneficium vacans canonice facta vocatio, ut autem robur obtineat debet per Superiores confirmari. 3. *Postulatione*, quae est petitio facta ab Electoribus apud Superiorem ejus, qui ob canonicum impedimentum eligi non potest. Item Postulantes debent adire Superiorem, qui jus confirmandi habet. Hodie tamen, qui habent impedimentum quominus eligi possint, a Sede Apostolica indultum eligibilitatis impetrare solent. Tam institutio, quam confirmatio sunt verae beneficii collationes, conferentes jus in re, et ideo debent fieri per Ecclesiasticos 4. *Collatione libera*, quae est beneficii vacantis ab habente potestatem libere facta concessio. [Omnium beneficiorum suae Dioecesis collator est Episcopus. Summus tamen Pontifex quorumdam collationes sibi reservavit. Plures harum reperiuntur *clausae in corpore juris* et aliae *extra corpus juris* esse dicuntur, ut quae in Extravagantibus, in Bullis Romanorum Pontificum, et in Cancellariae regulis. Nobis sufficiat innuere quod hodie Episcopis residentibus permititur remunerationis loco libera collatio, (quam tamen postulare debent) omnium beneficiorum, quae vacaverint in sex mensibus Anni, scilicet Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, et Decembri, mensibus reliquis summo Pontifici reservatis] 5. *Permutatione*, quae est mutua beneficiorum dimissio, ut alter alterius dimittentis beneficium consequatur. Episcopatus sine auctoritate summi Pontificis, caetera beneficia sine venia Episcopi Dioecesis permutari non possunt. 6. *Resignatione in favorem eum collatione sequuta.* Est autem resignatio spontanea proprii beneficii dimissio coram legitimo Superiore, cujus est beneficii collatio; Resignatio autem in favorem non potest fieri nisi in manus summi Pontificis, sicut etiam resignatio reciproca, secus est simoniaca saltem jure positivo humano. Quod dic a fortiori de resignatione triangulari, vel quadrangulari. Si Resignans sit infirmus debet supervivere dies viginti a die resignationis, alias beneficium censetur vacare per obitum.

Jus patronatus est potestas praesentandi aliquem ad beneficium ecclesiasticum vacans. Acquiritur 1. ex dispositione juris vel dotatione, vel aedificatione Ecclesiae, vel concessione fundi, in quo Ecclesia aedificetur. 2 Ex concessione Papae, et multiplicatis praesentationibus, quae excedunt memoriam hominum. Est duplex 1. Ecclesiasticum, quod competit alicui, eo quod ex bonis ecclesiasticis fundavit Ecclesiam, vel habetur ratione alicujus dignitatis ecclesiasticae 2. Laicum; quod quis habet ex eo, quod de bonis saecularibus vel Ecclesiam fundavit, vel beneficium erexit. Si transferatur in Ecclesiam, vel annectatur beneficio, vel dignitati ecclesiasticae fit ecclesiasticus. Patronus laicus tenetur praesentare intra quatuor menses a beneficii vacantia, Ecclesiasticus intra sex menses, alias Episcopus potest providere.

Pensio est jus percipiendi aliquos fructus ex alieno beneficio titulo officii ipsi impositi, aut concessionis ipsi factae a Superiore. Est duplex 1. *Laicalis* quae datur etiam laicis propter ministerium temporale praestitum, aut praestandum, ut Oeconomi, Organistae, Principi ob navatam, vel navandam operam in defensionem Ecclesiae. 2. *Clericalis*, quae datur Clericis, qua Clericis vel ob ministerium spirituale, ut Coadjutori Episcopi, vel Parochi, Concionatori etc., et dicitur *spiritualis*; vel ad sustentationem, ut Pastori seni, resignanti, permutanti etc., et dicitur *mixta*. Pensio extinguitur 1. morte Pensionarii. 2. ejus

matrimonio, aut professione religiosa. 3. renunciatione etiam absque licentia Superioris. 4. redemptione. Pensionarii ex Constit. S. Pii V. supra relata tenentur ad Officium marianum, et omittentes non faciunt fructus suos. Plurima, quae in hac materia dici possent, reperies fuse tractacta apud Canonistas.

Tria itaque possunt spectari in beneficio, jus ad officium spirituale, jus ad temporales fructus, et fructus ipsi. Certum est 1. jus ad officium spirituale esse jure naturae omnino invendibile, quia est spirituale. Certum est 2. fructus utroque jure naturali, et positivo esse vendibiles, quia sunt mere temporales. Certum est 3. jus percipiendi fructus temporales propter officium spirituale, quod jus est proprie beneficium, esse jure positivo invendibile. Quapropter tota controversia ad hoc devolvitur, utrum id etiam sit illicitum jure naturae, ita ut nihil hic valeat dispensatio pontificia. Negant plerumque Canonistae: affirmant communiter Theologi, cum quibus

Dico. Vendere vel emere beneficium, quoad jus percipiendi fructus temporales, est simonia juris naturalis. Probatur. Jus ad temporales fructus in beneficio est ita essentialiter annexum titulo seu juri spirituali ad ecclesiasticum officium, ut sine isto, nec esse, nec aestimari, imo nec concipi possit, salva manente natura beneficii; si enim sit, aut concipias jus ad temporales fructus sine jure ad spirituale munus, non est, nec concipis beneficium, ut patet ex ejus definitione, ita ut tota ratio juris ad temporales fructus sit ipsum jus ad spirituale munus: ergo vendi non potest jus ad temporale, nisi spirituale intelligatur venditioni subjici.

Petes 1. An possit resignari, vel procurari alicui beneficium cum pacto ut illud sibi, vel alteri in posterum resignet, aut pensio ex eo tibi vel alteri solvatur? R. negative, quia est simonia juris naturalis, quae dicitur *confidentialis*, incurrens poenas juris positivi juxta Bullam Pii IV: et maxime S. Pii V. Si sit sine pacto, sed cum intentione interna obligandi resignatarium ad aliquid istorum, erit simonia mentalis, sed poenas non incurrens. Si solum cum spe resignatarium sibi, vel amico sponte aliquando resignaturum non videtur simoniacum, simoniae tamen vicinum.

Petes 2. utrum resignans beneficium possit exigere sumptus, quos fecit pro illius adeptione? R. negative. 1. Quia, ut saepe dixi, omne pactum in spiritualibus obligans ad id, quod non inest jure, simoniacum est. 2. Quia non conferret beneficium gratis, sed pro talibus sumptibus recuperandis, cum non alia sit ratio eos exigendi quam resignatio.

Dices, abesse simoniam, ubi nihil praeter indemnitatem quaeritur: ergo. R. veram esse majorem, ubi agitur de indemnitate, quae compenset expensas ipsi resignationi conjunctas in favorem resignatarii; falsam autem, si agatur de indemnitate, quae compenset expensas, quas olim resignans fecit, ut beneficium sibi assereret, ut in casu posito. Hae enim nihil habent commune cum resignatione, neque factae sunt propter praesentem resignationem, sed propter commodum ejus qui resignat: et quamvis resignatarius inde commodum reportet, hoc est per accidens et indirecte.

Articulus VI.

Utrum et cui simoniace accepta sint restituenda?

Dico 1. Beneficia et quaecumque alia spiritualia simoniace accepta sunt ipso jure naturae restituenda ante sententiam Judicis. Probatur. Nullus potest licite retinere id, quod contra voluntatem Domini acquisivit; puta si aliquis Dispensator de rebus Domini sui daret aliquid contra voluntatem, et ordinationem domini

cui, ille qui acciperet, licite retinere non posset : atqui Dominus, cujus Praelati Ecclesiarum sunt dispensatores, et ministri, ordinavit, ut spiritualia gratis darentur secundum illud Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date* : ergo qui muneris interventu spiritualia quaecumque assequitur, ea licite retinere non potest, et consequenter ipso jure naturae tenetur restituere ante sententiam Judicis. Conf. Contractus simoniacus; quo spiritualia venduntur est ipso jure naturae absolute nullus : atqui quod acquiritur per contractum absolute nullum, est ipso jure naturae restituendum ante sententiam judicis : ergo. Probat. maj. Ille contractus est absolute ipso jure naturae nullus, quo venditur. 1. id, quod ex se non est vendibile; 2. id, cujus venditor non habet dominium, neque domini consensum : atqui spiritualia quaecumque secundum se non sunt vendibilia, ut dictum est supra, neque vendens habet eorum dominium aut domini consensum, ut modo dicebamus : ergo.

Si petas, utrum intelligenda sit conclusio etiam de illo, cui inscio collatum est beneficium, puta, quia alii ipso inscio dederunt pecuniam, vel temporale pretio aestimabile collatori ? R. affirmative propter rationes datas, exceptis duobus casibus. Primus est, si inscio beneficiario simonia per ejus inimicum commissa sit, quippe qui fraudulenter dederit pecuniam pro ejus promotione. Secundus est, si beneficiarius simoniae a quovis committendae expresse contradixerit, modo postea facto non consentiat solvendo, quod fuit promissum. Ita Cap. *Sicut tuis* Extrav. de Simonia. Non quidem, quod talis collatio sit jure naturae valida, sed quia Ecclesia in hoc casu supplet, quod deest ad validitatem, ita ut auctoritate sua suprema censeatur conferre beneficinm.

Dico 2. Pretium simoniace acceptum pro quacumque re spirituali est pariter jure naturae restitutioni obnoxium ante sententiam Judicis. Ita cum D. Thom. et pluribus aliis contra plures. Probatur quia ut dictum est, contractus, vi cujus illud pretium accipitur, nempe venditio rei spiritualis, est nullus, ideoque ex hac parte recipiens nullum habet titulum illud retinendi, sicut qui in civilibus accipit pretium pro re aliena, quam vendere non poterat, illud retinere non potest. Confirm. Usurarius tenetur jure naturae ante sententiam Judicis restituere lucrum usurarium : ergo et simoniacus pretium rei spiritualis.

Verum major est difficultas de simoniaco mentali, non quidem pure mentali qui solo affectu talis, nihil exterius dedit, aut accepit; sed de illo, qui nullo pacto etiam implicito exterius interveniente, accepit tamen, aut dedit aliquid tamquam pretium pro re spirituali; quaestio, inquam, est, utrum teneatur ad restitutionem non secus ac simoniacus realis ? utrimque probabiliter disputant Auctores. Sub distinctione respondendum existimo. Unde

Dico 3. Si simonia mentalis interveniat ex utraque parte, collatoris scilicet, et collatarii, uterque debet restituere; si ex una parte tantum, pars simoniaca nihil debet restituere, sed altera, dum simoniae alterius erit conscia. Probatur et et elucidatur conclusio in exemplo. Sempronius ex intentione simoniaca contulit beneficium Camillo, et Camillus pari intentione dedit Sempronio temporale pro beneficio. Camillus debet restituere beneficium : quia Sempronius illud ei contulit titulo venditionis, quod non potuit valide, cum ad id non haberet consensum domini et res esset invendibilis. Pariter Sempronius debet restituere pretium, quia Camillus illud ei dedit titulo emptionis, quod etiam valide non potuit : unde neuter habet titulum retinendi vel beneficium vel pretium; Si vero Sempronius intendit vendere beneficium, sed Camillus ei dederit gratis temporale, Camillus non potest quidem retinere beneficium, quia illud ei invalide contulit Sempronius, ut patet ex dictis, sed Sempronius potest retinere temporale, quia illud ei valide dedit Camillus, scilicet liberali donatione. Et e contra, si Sempronius gratis contulit beneficium et Camillus intendit illud emere, potest Camillus retinere

beneficium utpote gratis et valide ei collatum a Sempronio, sed Sempronius non potest retinere pretium, quia invalide collatum a Camillo.

Dico 4. Abdicatio beneficii simoniace accepti fieri debet inter manus collatoris, cum non sit alius, qui illud legitime conferre possit. Sed quid si collator etiam in ipsa beneficii collatione sit simoniacus, ideoque excommunicatus ? respondet Pontas V. *Collation*, cas. 9. Quod si ejus excommunicatio sit occulta non privetur jure collationis, quia tolleratur ab Ecclesia quoad forum exterius ; si autem sit publica, privatur jure collationis, in quo casu devolvitur ad Ordinarium in cujus proinde manibus facienda erit abdicatio beneficii.

Dico 5. Pretium simoniace acceptum, sive sit pecunia, sive possessio, sive fructus, debet restitui Ecclesiae, in cujus injuriam datum fuit, non obstante quod Praelatus, vel aliquis de collegio illius Ecclesiae fuit in culpa, quia eorum peccatum non debet aliis nocere ; ita tamen, quod quantum fieri potest, ipsi, qui peccaverunt, inde commodum non consequantur. Si vero Praelatus, et totum collegium sunt in culpa, tunc debet cum auctoritate Superioris vel pauperibus, vel alteri Ecclesiae erogari. Cap. *De hoc* 11. Extra. *De Simon.* et Cap. *Audivimus* 41. eodem titulo.

Dico 6. Haec restitutio in usus pios, de qua in praesenti conclusione, facienda est ante sententiam Judicis. Ita post D. Thomam communius Doctores. Ratio petitur ex juribus laudatis C. *De hoc* et cap. *Audivimus*, ubi praecipitur Regibus, Principibus, Episcopis, ut quae simoniace receperint, restituant Ecclesiae seu in utilitatem locorum, in quorum fuerint soluta dispendium : non est autem verisimile, quod jura praecipiant haec fieri post sententiam Judicis, cum ordinarie non sit Judex, qui Reges, Principes, Episcopos ad hujusmodi restitutionem condemnet.

Articulus VII.

De poenis Simoniacorum.

Suppono 1. ut certum, nullam simoniam inducere poenas juris ipso facto, nisi sit commissa in his tribus. In Ordinibus sive majoribus sive minoribus ; sive susceptis, sive collatis 2. In beneficiis. 3. In ingressu vel professione Religionis. Simoniacus in aliis licet graviter peccet et possit iisdem poenis puniri per sententiam Judicis, eas tamen ipso facto non incurrit ; Ecclesia enim solum tres assignatos casus ipso facto poenis subjecit, quia frequentius accidunt et sunt magis nocivi regimini Ecclesiae. Ita communiter.

Suppono 2. ut probabilius, nullam simoniam inducere ipso facto poenas juris, nisi sit realis completa ; hoc est, nisi ex pacto explicito vel implicito sit datum spirituale ex una parte, et ex altera temporale saltem quoad aliquid : unde neque mentalis neque conventionalis etiam mixta, seu ex una parte completa eas inducunt, quia poenae tam graves, quae ipso facto incurruntur, strictae interpretationis esse debent ; ita ut dum feruntur in aliquod opus peccaminosum, intelligantur tantum de opere completo, nisi contrarium aperte exprimant, et ita quoad praesentem casum fert stylus Curiae Romanae teste Navarro apud Lessium et Layman.

Excipe tamen simoniam confidentialem, quae, licet non sit completa ex utraque parte, inducit tamen ipso facto excommunicationem, et alias poenas juris propter citatas Bullas Pii IV. *Romanum Pontificem*, et Pii V. *Intollerabilis*. Quapropter hoc ipso, quo alteri confers, seu procuras, aut resignas beneficium cum pacto explicito, vel implicito, ut ex illo aliquid tibi, vel

alteri conferatur, quod est simonia confidentialis, ipso facto omnes juris poenas incurris. His notatis

(*Circa Ordines*): Dico 1. conferens simoniace ordines sive majores, sive minores 1. est excommunicatus Extrav. *cum detestabile* de Simonia 2. Est suspensus a cujusvis ordinis etiam tonsurae collatione, et ab executione omnium munerum pontificalium, et a consecratione templorum, benedictione vestium sacrarum etc. Bulla *Sanctum, et salutare* Sixti V. data anno 1588. 3. Est illi interdictus ingressus Ecclesiae, ibidem. Poenam excommunicationis innovat Trident. sess. 25. c. 1.de reform.

Dico 2. Suscipiens simoniace aliquem ordinem 1. est excommunicatus Extrav. cit. *cum detestabile* 2. est suspensus ab executione Ordinum, et probabilius omnium ibid. 3. Si in ea suspensione ministret fit irregularis, utpote violans censuram, et privatur ipso facto omnibus dignitatibus, beneficiis officiis, et fit inhabilis ad omnia. Bulla Sixtin. cit.

Circa beneficia: Dico 1. Simoniace conferens, aut suscipiens beneficium excommunicatur ipso facto. Extrav. *cit. cum detestabile.* Et insuper suscipiens fit inhabilis ad illud possidendum Extrav. cap. *Non fecit* tit. de simonia. Non tamen ad alia beneficia sive obtenta, sive obtinenda, nisi per sententiam judicis id statuatur; nullum enim jus hanc poenam de facto imponit. Profertur quidem Bulla S. Pii *Cum primum*, sed observat Laymam hic §. 7. in fine post Suaresium, illam secundum hanc sui partem non esse usu receptam. Dico 2. Mediatores in simonia ordinis, et beneficii excommunicantur ipso facto. Extrav. cit. *Cum detestabile.*

Circa ingressum Religionis: Dico. Personae particulares simoniace in ingressu, vel professione Religionis, tam dantes, quam accipientes excommunicantur ipso facto, et communitas, si in hanc simoniam consenserit, suspenditur, nimirum ab officio capitulari, pertinente ad jurisdictionem, vel administrationem ecclesiasticam. Extrav. *Sane* de Simonia. Porro nota has omnes censuras hucusque recensitas esse Pontificias.

[Addendum quod dantes, aut promittentes aliquid pro obtinenda aliqua justitia, aut gratia apud sedem Apostolicam, incurrunt ipso facto excommunicationem reservatam Pontifici, et gratia vel justitia obtenta est nulla, quamvis nondum completa fuerit promissio. Ita Extrav. *de sent. excom. in* 6. quod fuit innovatum a Gregorio XIII. Const. *Ab ipso* 1574.]

APPENDIX

De caeteris virtutibus justitiae annexis, et vitiis oppositis.

S. Thomas a qu. 101. ad 122. agit de caeteris partibus potentialibus justitiae, quae sunt Pietas, Observantia, Dulia, Obedientia, Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, Liberalitas, Epikeia; quas pro meritis expendimus in majori nostro opere, nunc compendio intendentes, pauca de his tamquam minus necessariis, referimus.

Petes 1. quid sit Pietas? R. ex Aug. lib. 83. Qu. 3. Est *virtus per quam sanguine junctis, Patriaeque benevolis, officium et diligens tribuitur cultus.* Unde sicut debemus exhibere cultum Deo ut primo nostri esse, et gubernationis principio, qui cultus dicitur religio, ita etiam Parentibus, et Patriae, ut secundariis principiis nostri esse, et educationis, qui cultus dicitur pietas, quamvis per excellentiam etiam cultus Dei nominetur pietas, et opera bona opera pietatis, et ea exercentes Pii juxta sensum usitatum in ipsis Scripturis. Sub cultu autem parentum includitur cultus omnium consanguineorum, sicut in cultu Patriae

Concivium, et Patriae amicorum. Itaque objectum *quod* pietatis est cultus, et obsequium, ad quae ordinatur, objectum vero *formale quo* est debitum ratione principii ortus nostri. Nota tamen non solum obsequia ex pietate deberi, sed etiam aliud, per accidens, scilicet subventio in necessitatibus; non tamen aequaliter omnibus, sed praecipue Parentibus; Consanguineis autem, et Patriae benevolis secundum propriam facultatem, et decentiam Personarum

Petes 1. Utrum opus Religionis sit praetermittendus ratione officii pietatis? R. Id fieri posse in duplici casu 1. Si cultus Dei sit liber, et Parentes necessitatem patiantur. 2. Si sit tantum debitus ex lege ecclesiastica: sic omisso Sacro in die festo, succurrendum est Patri periclitanti; plus enim praestat obligatio juris naturalis, quam humani. Hinc inferes Filium non posse ingredi religionem, si Parentes sine ipso commode sustentari non possent, hoc est si paterentur non solum extremam, sed etiam gravem necessitatem. [Si vero non sint in tali necessitate potest religionem ingredi etiam contra praeceptum Parentum. S. Th. hic q. 189. a. 6.] An vero post emissam professionem teneatur egredi ut Parentibus succurrat? Dicendum juxta multos teneri, si eorum necessitas sit extrema, vel quasi extrema, cui aliter subvenire nequeat, sive illa ante, sive post professionem evenerit. Ut autem egressus sit licitus requiritur 1. ut petatur licentia, quam Praelatus concedere tenetur, ita ut etiam negata possit egredi. 2. ut egressus gestet habitum suae religionis. 3. ut manens in saeculo servet, quoad fieri potest, regulas suae Religionis. 4. Ut redeat ubi primum Parentum necessitati providit]

Petes 3. Quid sit Observantia? R. Ex Aug. l. 83. quaest. 31. Est *virtus per quam homines aliqua dignitate antecellentes quodam cultu, et honore dignantur.* Et sicut pietas defert cultum Parentibus, ut auctoribus vitae nostrae, ita observantia Superioribus, ut auctoribus gubernationis nostrae, unde ab ea differt, cum objectum *formale quo* observantiae sit debitum ratione principii gubernationis. Observantiae quaedam species est *Dulia stricte sumpta*, per quam servus honorem, et reverentiam exhibet homini dominanti. Honor qui per duliam stricte sumptam hominibus exhibetur consistit in signis exterioribus, quae sunt 1. Verba honorifica 2. actiones honorificae, ut inclinationes etc. 3. Res exteriores, ut munerum oblatio, imaginum institutio, collatio dignitatum, quae ideo per tropum solent vocari honores. Reverentia autem differt ab honore, nam ex una parte est causa honoris in quantum aliquis ex reverentia, quam habet ad alium, movetur ad eum honorandum; ex altera parte est finis honoris, aliquis enim honoratur ad hoc, ut in reverentia habeatur ab aliis.

Petes 4. Quid sit obedientia? R. obedientia formalis est virtus, *per quam aliquis sui Superioris praecepto obtemperat ex intentione satisfaciendi ejus praecepto.* Dixi formalis ad differentiam obedientiae *materialis*, quae est virtus generalis, seu potius circumstantia cujuslibet actus boni praecepti, sicut inobedientia materialis est circumstantia generalis cujusvis peccati. Objectum prioris est praeceptum Superioris formaliter qua praeceptum.

Petes 5. Utrum in omnibus sit obediendum? Ante responsionem nota diversas esse potestates imperandi. Summa et praecipua *est divina*, quae fundatur in ratione causae, et effectus, qui naturaliter subest suae causae. Ab hac derivantur licet diversimode humanae potestates 1. *Spiritualis*, seu *ecclesiastica* derivatur a Deo per positivam ordinationem, quatenus Christo *data est omnis potestas in Coelo, et in terra* Matt. 28; a quo descendit in Summos Pontifices, et ab isto in omnes ecclesiasticos Rectores. 2. *Civilis*, seu *politica* derivatur a Deo per naturalem rerum institutionem; Cum enim dederit Deus homini inclinationem ad vitam socialem, censetur dedisse communitati potestatem se, et singulos

regendi : a tota vero communitate derivatur potestas in Reges, et Principes, et ab his ad Officiales inferiores. Mediante autem auctoritate Reip., a qua est instituta, derivatur a Deo servitus, seu potestas herilis 3. *Oeconomica* derivatur a Deo ex institutione conjugii, quo datur parentibus potestas in liberos, et Marito in Uxorem. His notatis, Resp. obediendum esse Deo in omnibus, ut patet; Obediendum est etiam homini Superiori juxta illud ad Rom. 3 *omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit*; Ab hac tamen obedientia excipiuntur duo casus. 1. Si superior aliquid praecipiat contra mandatum majoris Superioris 2. Si praecipiat id, ad quod non se extendit ejus potestas. Sic homo non subditur homini in his, quae pertinent ad interiorem motum voluntatis, neque in his, quae ad naturam corporis pertinent, ut circa corporis sustentationem, et prolis generationem, in quibus nemo alteri subditur, nisi vinculo voti, vel alio aliquis se obstrinxerit.

Hinc inferes, Filios esse liberos in eligendo statu sive Coelibatus, sive Matrimonii saltem in communi, et Parentes peccare mortaliter, qui sive directe metu, vi, vel fraude, sive indirecte durius cum Liberis agendo, invitos compellunt ad Religionem, Clericatum, aut Matrimonium, et a Trid. Sess. 25 *De Regul.* c. 18. excommunicantur qui quocumque modo virginem, viduam, aut aliam mulierem invitam cogunt *ad ingrediendum monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendum professionem* ut dicitur in Tract. *de Statu religioso.* Ex eadem etiam ratione graviter peccant Parentes, qui sine justa causa Filios sive directe, sive indirecte impediunt, aut retrahunt a statu assumendo; unde Trident. cap. cit. excommunicationi etiam subjicit eos, *qui sanctam Virginem, vel aliarum Mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi quoquo modo sine causa impedierint* Causae autem poterunt esse vel infirma Filii complexio, vel pravi mores, vel ineptitudo ad Religionem, vel statum clericalem propter ignorantiam vel hebetudinem.

Dixi supra *matrimonii saltem in communi*, quia quantum ad Matrimonium in particulari quamvis non possint ad illud Parentes Filios cogere; eos tamen possunt ex rationabili causa ad illud inducere, ut si jubeant ducere puellam, quam Filius defloravit, si tale matrimonium sit necessarium ad sedandas veteres inimicitias, aut ad sustendandam inopiam Patris etc. Et similiter possunt impedire tale matrimonium filii, aut filiae ex rationabili causa, ut si matrimonium sit in dedecus familiae, si puella sit malae indolis etc. Si vero contradicant sine rationabili causa, peccant Parentes, et non peccat Filius contrahendo, quia nihil debemus Parentibus contra rationem.

Obedientiae opponitur inobedientia, quae pariter est vel materialis, et est generalis circumstantia omnis peccati, ut diximus, vel formalis, quae est transgressio praecepti ex ejus, aut praecipientis contemptu, et sic est speciale peccatum in confessione aperiendum, quod gravius est, si contemnatur praecipiens, quam si contemnatur solum praeceptum.

Ex hactenus dictis colliges 1. Filios debere parentibus 1. Amorem, ita ut graviter peccent non solum eos interius odio prosequendo, aut exterius affligendo, sed etiam quando malum ab eis pro posse non avertunt. 2. Reverentiam, ita ut peccent Filii non solum eos afficiendo verbis duris, et contumeliosis, aut illudendo subsannationibus etiamsi absentes, sed etiam magis eos vel leviter percutiendo, imo etsi tantum manum, aut instrumentum ad percutiendum levent. Item si e domo, aut e societate repellant; si accusent, aut contra eos testentur in judicio sive civili, sive criminali, nisi ad avertendum malum commune, aut divinum. Peccant praeterea, si juxta morem patriae reverentiae paternae signa non exhibeant, vel si eos agnoscere recusent. 3. Obedientiam in his scilicet, quae spectant bonos mores et disciplinam domesticam. Transgressio praecepti, vel prohibitionis, censetur ma-

teria gravis respectu obedientiae, si independenter a praecepto foret jam peccatum mortale facere, vel omittere, vel etiam si graviter conducat ad pravos mores, ut frequentatio popinae aut lusus, vel valde abducat a salute, et bonis moribus, ut negligentia in frequentandis Sacramentis, Concionibus etc. 4. Subventionem non solum in necessitate corporali, sed etiam in spirituali, unde Filii peccant, si negligant in periculo mortis eis providere de Sacramentis, si eos impediant sine justa causa disponere testamento ea, quae referuntur ad salutem animae suae, si legata relicta, non dico, omittant, sed etiam, quamprimum fieri potest, non impleant. Haec enim dilatio saepe defunctis, in Purgatorio poenas luentibus, est damnosa. Et nota quod quae respectu alterius forent levia, sunt gravia respectu Parentum.

Colliges 2. Eos peccare contra pietatem, qui etiam omnibus aliis sanguine junctis, ad quos pietas secundario se extendit, denegant amorem, reverentiam, et in necessitate subventionem plus, vel minus, prout plus, vel minus accedunt ad Parentes. Ita ut quoad Consanguineos, vel Affines in secundo gradu probabiliter videtur pietas graviter obligare, leviter tantum quoad remotiores.

Colliges 3. ex eadem virtute pietatis debere Parentes Filiis amorem, et educationem tam temporalem quam spiritualem. Unde peccant qui filios odio habent, domo ejiciunt, imprecationibus ex animo obruunt, uni prae aliis totum affectum impendunt, eorum aspectum non ferunt, nisi forte ad tempus correptionis causa, ut fecit David erga Absalom. Quoad educationem corporalem peccant Matres, quae foeto conceptu a noxiis non se abstinent, quae tempore lactationis se non observant, prolem in eodem lecto secum collocant cum periculo suffocationis, quae sine causa alieno lacte prolem nutriunt. Peccant Patres, qui Uxores praegnantes percutiunt, et inhumane tractant. Peccant saltem venialiter Patres, et Matres, qui tempore purificationis, aut menstrui impuris vacant commixtionibus. Peccant Parentes, qui proli, nondum per aetatem sibi sufficienti, non ministrant victum, et amictum juxta statum suum, qui non curant, ut discant scientiam, aut artem, qua honeste vivant, qui omnia dilapidant commessationibus, lusibus etc. filiosque miseros relinquunt, pro quibus, thesaurizare deberent, qui sine urgente necessitate proles exponunt in Xenodochiis, quo casu tenentur re sarcire damna loco pio illata, ni forte ex opulentia Xenodochii jure praesumatur, Fundatores intendisse cujusvis generis hominibus providere. Quoad vero educationem spiritualem peccant Parentes qui per se, vel per alios non instruunt Filios in omnibus necessariis ad salutem, qui eorum vitia extirpare, et a malis consortiis evocare non satagunt; qui vel nimis raro, et indulgentius corripiunt, vel continuo, et in omnibus, vel ex impetu irae potius, quam charitatis impulsu corripiunt, et lacessunt; nec emendatis placari volunt, unde in se indignationem filiorum incitant, qui aliquando in desperationem, et pusillanimitatem incidunt. Atque eo magis peccant, qui scandalose coram prolibus agunt, sive male agendo, sive male loquendo, cum exempla Parentum magnam habeant efficaciam ad movendum animos Filiorum. Atque hinc sequitur Tutores etiam, et Curatores debere curam Pupillis, et Minoribus in temporalibus, et spiritualibus non secus ac ipsi Parentes, quorum officio publica auctoritate succedunt. Nota. Certo constat Parentes debere filiis illegitimis sive naturalibus, sive spuriis amorem, et educationem spiritualem utrorumque enim sunt Parentes. Quoad verum educationem corporalem vid. in majori Opere tract. de Contract. Diss. 2. a. 3. §. 6. *Haeres ex testamento.*

Colliges 4. ex virtute observantiae inferiores debere Superioribus honorem et obedientiam, ut peccent proportionali modo, quo dixi, Filios peccare contra Parentes, si eos odio, vel contemptui habeant, aut iis intra limites suae potentiae inobediant. Et si peccatum sit mortale, circumstantia superioritatis debet in confessione exprimi. Inter Superiores recensentur 1. Omnes, qui in ordine ad bonum publicum jure aliis praeficiuntur 2. Tutores, et Curatores 3. Qui dicuntur

Patres spirituales, Episcopi, Pastores, Patrini. 4. Magistri. 5. Haeri 6. Maritus respectu Uxoris, et Uxor respectu Mariti quantum ad debitum conjugale. Adduntur et senes.

Colliges 5. ex correlatione obligationum Superiorum, et inferiorum 1. Superiores temporales ut Reges etc. debere subditis administrationem justitiae, bonorum morum, boni communis, et publicae tranquillitatis conservationem, et defensionem. Hinc peccant, qui Judices ignaros aut corruptos instituunt, qui populum tributis ultra modum gravant, qui justitiam distributivam in oneribus, et favoribus non servant, qui gravia crimina bono communi noxia tolerant, aut non puniunt, et in quantum possunt non impediunt, occasionesque publicas peccatorum pro modo non auferunt, qui pauperes, viduas, et pupillos injuste vexatos non defendunt, etc., et tandem qui scandalose vivunt, ut enim fert tritum adagium *Regis ad exemplum totus componitur Orbis.* In his peccant contra justitiam, quia ad haec tenentur ex officio. 2. Superiores spirituales debent suis subditis instructionem, bonum exemplum, correptionem, et suffragia orationum. Hinc graviter peccant contra justitiam Pastores, qui absque sufficienti capacitate onus pastorale suscipiunt, qui pravis moribus sunt suis ovibus scandalo, qui conciones negligunt, aut eae, quas habent captum audientium superant, qui peccatores maxime publicos ad meliorem frugem reducere non satagunt, qui Parochianorum confessiones nisi tempore paschali audire recusant cum teneantur eos audire toties quoties rationabiliter petunt, qui visitandis, et administrandis infirmis sunt notabiliter negligentes, qui numquam, aut raro pro Parochianis orant, seu sacrificium offerunt. [Statuit hac de re Benedictus XIV. Constit. *Cum semper: Quod ii qui animarum curam exercent Sacrificium missae pro populo celebrent, atque applicent in Dominicis, aliisque per annum diebus festis de praecepto.* Et quia in aliquibus Dioecesibus imminuto numero Festorum de praecepto, firma remanente obligatione audiendi Missam, permissum erat Fidelibus in iis diebus opera servilia exercere prosequitur Pontifex. *Nos ut obortae jam dubitationes Missae parochialis in hujusmodi festis diebus penitus eliminentur, statuimus, et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus Populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare, et applicare teneantur.* Ad quod obligat Parochos sive saeculares, sive regulares, et Vicarios quoscumque sive perpetuos, sive amovibiles, etiamsi congruis redditibus sint destituti, dans tamen Episcopis facultatem, ut cum Parochis egentibus dispensent ad hoc, ut etiam diebus festis recipiant ab aliquo offerente eleemosynam, et pro eo applicent, si requirantur, dummodo ad *populi commoditatem in ipsa Ecclesia parochiali Missam celebrent, ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadam pro populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint*]. Quoad Patrinos vero, hi peccant contra justitiam, si deficientibus Parentibus, et Parochis filios spirituales rerum fidei ignaros non instruunt, vitam dissolutam agentes non corripiunt, aut ipsis sunt malo exemplo. Ad quae tenentur etiam Magistri in ordine ad discipulos, qui praeterea peccant, negligendo scholam, vel correptionem, vel indiscrete puniendo. Et insuper heri, qui debent pariter curare instructionem, et bonos mores suorum domesticorum, et reddere compensationem ex contractu pro laboribus debitam, et peccant qui infra infimum pretium conducunt, aut nulla praevia conventione solvunt, qui infirmos negligunt, aut expellunt; non tenentur tamen ex justitia ad expensas pro Medico, Pharmacopola, Custodibus, neque ad mercedem tempore infirmitatis.

3. Conjuges 1. debent sibi invicem amorem, quia sunt una caro. Hinc pec-

cant sese invicem odio habendo; peccat vir qui graviter, et sine causa uxorem percutit; peccat mulier, quae virum inhonorat, irridet, ad iracundiam provocat. Huc pertinet Zelotypia infinitorum malorum origo, cui passioni extirpandae sedulo adlaborare debent Conjuges. 2. sibi debent Conjuges cohabitationem. Hinc peccat vir, qui absque consensu, et causa legitima, diu abest ab Uxore, et Uxor, quae maritum alio commigrantem comitari renuit, nisi grave damnum corporale, aut spirituale inde ipsi immineat, aut nisi Maritus absque gravi necessitate ad remotissimas partes, ut ad Indias, discedat. 3. Sibi debent conjuges debitum conjugale, de quo dum de Matrimonio. 4. Necessaria ad victum, et statum, quod primario, et per se competit marito; per accidens tamen tenetur etiam Uxor, si Maritus indigeat, nec possit sibi procurare necessaria, utpote vel infirmus, vel incarceratus, licet sua culpa. Tandem debet specialiter vir Uxori curam, et gubernationem in his, quae spectant salutem, et rei domesticae administrationem, et Uxor debet in his obedientiam marito. Hinc peccat Vir, qui Uxorem licentiose viventem non corripit, et Mulier, quae in his, quae spectant salutem, et rei domesticae curam, viro inobediens existit.

Petes 6. Quid sit gratitudo? R. *Est virtus respiciens debitum ex beneficio, ad illud aliquo modo compensandum*; quod fit tribus modis 1. Animo ex agnitione, et memoria beneficii accepti. 2. Verbis, declarando beneficium acceptum, Benefactorem laudando etc. 3. Factis, aliud beneficium retribuendo. Debitum autem gratitudinis postulat, ut compensatio non solum aequet beneficium, sed ipsum superet, saltem secundum affectum; ut enim gratitudo possit vere dici talis, debet qui beneficium accepit praestare aliquid gratis suo Benefactori, quod non evenit, nisi compensatio superet quantitatem beneficii.

Petes 7. Utrum magis teneatur ad gratias Deo agendas innocens, quam poenitens? R. Ratione gratiae collatae absolute, et per se innocens tenetur ad majores gratiarum actiones; quia majus donum ei datur a Deo, et magis continuatum: inquantum vero donum magis datur gratis, cum detur poena digno, poenitens magis tenetur ad gratiarum actiones. Unde licet donum innocenti datum sit absolute majus, quod datur Poenitenti est majus comparative ad ipsum. Haec autem posterior consideratio praeponderat, quia actus sunt circa singularia, et in agendis magis consideratur, quod est hic, et nunc tale, quam quod est simpliciter tale?

Gratitudini opponitur ingratitudo, quae est contemptus beneficii, vel benefactoris, ut quis non videatur ipsi obstrictus. Sive sit privativa, sive contraria triplicem habet gradum, ordine tamen inverso a gratitudine 1. gradus privativae est, ut homo beneficium non retribuat; contrariae, ut retribuat mala pro bonis. 2. gradus privativae est, ut non demonstret se beneficium accepisse; contrariae ut beneficium vituperet. 3. gradus privativae est, quod beneficium non recognoscat, imo obliviscatur; contrariae, quod beneficium quasi maleficium accipiat. De reliquis partibus potentialibus justitiae, vel jam alibi satis dictum est, vel non sunt adeo utiles ut his amplius immoremur.

TRACTATUS

DE STATU RELIGIOSO

S. Th. 2. 2. a. q. 186. ad ult.

DISSERTATIO I.

Articulus I.

De his, in quibus principaliter consistit status religiosus.

Nomen *status* generaliter sumitur pro quavis vitae conditione, stricte vero pro conditione vitae immobili, per quam quis alteri perpetuo adstringitur, in quo sensu tres status distinguuntur in Ecclesia. Status Episcoporum, qui perpetuo vinculo adstringuntur obsequio suae Ecclesiae; Religiosorum, qui divino cultui; Conjugatorum, qui mutuis obsequiis. Conjugium est status saecularis; Episcopatus et Religio sunt status spirituales, et status perfectionis. Perfectior tamen est status Episcoporum, qui dicitur status perfectionis acquisitae, statu Religiosorum, qui dicitur status perfectionis acquirendae. Episcopi enim sunt in statu perfectionis, ut perfectores, et Magistri, et qui perfectionem doceant; Religiosi vero ut perficiendi, et qui acquirendae perfectioni studeant.

Religio sumitur tripliciter 1. pro virtute Religionis, de qua satis dictum est. 2. pro formula cultus divini omnibus communi, per quam homo addicitur obsequio divino, quantum est necessarium ad salutem, ut est religio christiana. 3. pro formula speciali cultus divini, per quem homo ex libera voluntate totaliter mancipatur divino obsequio, superaddens his, ad quae obligat religio christiana, alia, quae maxime ad perfectionem conducunt. Unde haec antonomastice dicitur religio, ejusque Professores *Religiosi* vocabantur ab Apostolis; teste Dionys. c. 6. de coel. Hierarc.: *Terapeutae* a puru Dei cultu; et etiam *Monachi a vita indivisibili, et singulari, qua in Deiformem colliguntur, et perficiuntur*; secundum quam significationem omnes religiosi sunt Monachi; licet juxta vulgarem sensum ii soli Monachi dicantur, qui vitam solitariam agunt, vel contemplationi sunt totaliter dediti; in favorabilibus tamen nomine Monachi veniunt omnes Religiosi. Sacerdotes religiosi praesertim mendicantes vocantur communiter Patres, quod est nomen significativum paterni affectus, quem Plebi, et pauperibus exhibent, potius quam honoris, quale est nomen Dominus, quo caeteri Religiosi, et Sacerdotes saeculares vocantur. Virgines, quae religionem profitentur jam tempore S. Augustini vocabantur *Sanctimoniales*, nunc brevitatis causa vocantur *Moniales*; Ex Hieron. epist 22. c. 6. dicebantur etiam *Nonnae*.

Dico 1. Status religiosus consistit in immobili vitae conditione, ab Ecclesia approbata, in qua homines per tria vota paupertatis, continentiae, et obedientiae, et certam regulam tendunt ad perfectionem. Explicatur, et prob. Dicitur *immobilis vitae*, quia status exigit firmitatem perpetuam. Dicitur *ab Ecclesia*

approbata. Ad statum enim Religionis requiritur non solum promissio ex parte voventis, sed etiam hujus promissionis acceptatio nomine Dei. Atqui nemo potest nomine Dei acceptare nisi Ecclesia, aut is, cui Ecclesia committit. Ergo. Per approbationem Ecclesiae intellige nunc approbationem summi Pontificis, et quamvis olim plures religiones fuerint admissae, seu usu receptae ab Episcopis non contradicente Romano Pontifice, postea id summi Pontifices sibi reservarunt, ut ex Conc. Later: 4. c. *Re nimia* de relig. Domibus. Hinc professio in religione non approbata est invalida. Dicitur: *per tria vota paupertatis, continentiae, et obedientiae*, et dicitur *per tria vota* simpliciter, et non solemnia, quia licet jure antiquo requireretur ad statum religiosum, quod tria vota essent solemnia, idest quod esset perpetua, et totalis traditio et parte voventis, et perpetua acceptatio ex parte religionis, jure tamen novo sufficiunt vota simplicia.

[Declaravit enim Gregorius XIII. Constit. *Ascendente Domino* vota emissa a Scholaribus Societatis Jesu, licet simplicia, esse tamen substantialia religionis vota, et eos, qui ea emiserint, vere, et proprie religiosos fuisse et esse quamvis acceptatio ex parte Societatis non sit absoluta, et perpetua, sed possit Professum dimittere. Advertendum namque est statum religiosum ex divina institutione profluere, ejusque originem SS. Patres repetunt ex Verbis Christi, vel ubi dixit *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et Ego reficiam Vos* Matt. 11. 28., vel ex illis Verbis: *Siquis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur Me.* Matt. 16. 24., vel etiam ex aliis: *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus.* Matt. 19. 21., et graves Auctores satis probant religionem clericalem a temporibus Apostolorum numquam in Ecclesia defecisse. Haec autem divina institutio plures in Ecclesia vicissitudines passa est, ut videri potest in tam multiplici religionum varietate, quae quamvis eumdem perfectionis finem servent, in mediis, et modo vivendi pene omnino differunt. Quamvis itaque Christus statum religiosum instituerit quoad substantiam, reliquit tamen Ecclesiae plenam potestatem determinandi modum, et conditiones, sub quibus constitueretur, et subsisteret; sicut potest Ecclesia, servata Sacramenti substantia conditiones apponere Sacramento Matrimonii, pariter a Christo instituto. *Solemnitas voti* (inquit Sylvius 2. 2. q. 88. a. 7.) *dicitur esse ex sola Ecclesiae constitutione, quia ex sola Ecclesiae constitutione habetur, quis, et quomodo possit vovendo se tradere, et acceptari.* Hac fretus doctrina Gregor. XIII. jus novum promulgavit, declarans ad substantiam status religiosi sufficere vota etiam simplicia, ita ut professio votorum, licet simplicium, ab Ecclesia probata, sit vera professio religiosa, eaque emittentes sint vere, et proprie religiosi. Nec nisi ineptissime diceretur Gregorium declarasse professores votorum simplicium Societatis religiosos tantum in favorabilibus, et ex privilegio, vel solum in ordine ad unionem cum Professoribus votorum solemnium, cum quibus unum corpus religionis efficiunt; utraque enim interpretatio est expresse contra sensum declarationis Gregorianae. Nam. 1. Religiosi tantum in favorabilibus, et ex privilegio non essent vere, et proprie religiosi, quales declarat Constitutio professores votorum simplicium; sicut tyrones communicant professorum privilegiis, et in favorabilibus religiosis accensentur, nec tamen sunt vere, et proprie tales. 2. Nec magis constituerentur religiosi per unionem cum Professis votorum solemnium, haec enim nihil aliud addit, quam denominationem extrinsecam, et analogiam quamdam, quae cum formam intrinsecam non afferat, non posset eos constituere vere, et proprie religiosos, qui sine forma intrinseca constituente esse non possunt. Unde ait Suares de Statu relig. tract. 10. l. 3. c. 3. n. 7. „ Licet in societate nulla fieret profes-„ sio solemnis, sed instituta solum fuisset cum caeteris gradibus (quod auctori-„ tate Pontificis fieri potuisset) et illam futuram fuisse veram religionem, et ejus

„ vota emittentes aeque futuros fuisse vere, ac proprie religiosos, ac nunc sunt „ approbati Scholares, vel formati Coadjutores; quia vota, et receptio essent „ ejusdem rationis; et quoad hoc alter gradus Professorum solum se habet „ concomitanter „

Si dicas: Vota dispensabilia non possunt constituere immobilitatem status Religiosi; sed vota simplicia sunt dispensabilia. Ergo. Resp. Dist. Maj. Vota dispensabilia, nec firma ex parte voventis non possunt constituere immobilitatem status religiosi C. maj; dispensabilia ex parte acceptantis subdist. si dispensabilitas simpliciter, et per se intendatur transeat Maj.; si tantum per accidens, et conditionate N. Maj., et in eodem sensu distincta Minori, N. Cons. Profitens enim in aliqua religione vota perpetua, licet simplicia, quantum est ex se, absolute, et irrevocabiliter se tradit Religioni, quae absoluta traditio ad status immobilitatem sufficit. *Ibi est* (inquit Suarez de Stat. relig. tract. 7. l. 2. c. 14. n. 13) *sufficiens stabilitas, quae ex parte religiosi est absoluta.* Quod si acceptatio ex parte religionis non est absolute irrevocabilis, habet tamen firmitatem moralem, et quantum *bono communi in tali vivendi modo expedit.* Suar. ibid. Nec dispensabilitas unquam per se intenditur, ut quasi a puro acceptantis arbitrio dependeat, sed conditionate tantum, et per accidens, attentis nimirum professi demeritis, vel alia justa de causa, suprema auctoritate interposita. *Licet enim* ait Rodericus de regul. t. 1. q. 1. a 4.) *ex parte Praelatorum sit revocabilis, hoc non intenditur per se, sed per accidens ab ipsa Religione, suppositis demeritis profitentium, et hoc in favorem religionis fuit a Sede apostolica concessum.* Et Passer. ad q. 186. a. 6. n. 8. *Et sic voti obligatio non dissolvitur ex hominis libertate, sed solum ex ipsius Dei auctoritate justa causa existente.*

Si petas an votorum simplicium Religiosi possint etiam dici vere ac proprie regulares? Resp. Haec vox *regularis* secundum jus antiquum, et ex communi usu Ecclesiae consecrata erat ad significandum Professum votorum solemnium, quo sensu est frequentissima in jure canonico, et decretis; nec enim alia professio nisi votorum solemnium tunc admittebatur, et per hanc solam professionem poterat aliquis esse vere, et proprie religiosus; Et quamvis novum profitendi modum per vota simplicia, quo jus novum Greg. XIII. instituit, in Ecclesiam inducendo, ad hujusmodi Professos nomen religiosorum vere, et proprie talium transtulerit, licet antea solis Professis votorum solemnium in sua proprietate hoc pariter conveniret; non tamen legitur nomen etiam regularium eisdem communicasse, quin imo ipsos in dicta Constit. *Ascendente* a regularibus discernit, distinguens emittentes vota simplicia, quos vere religiosos appellat, a professis votorum solemnium, quibus velut proprium, et distinctivum nomen regularium relinquit. Significationem autem vocis *regularis*, quam Pontifex ad professos votorum simplicium extendere noluit, nec jura posteriora mutaverunt; unde tam leges priores, quam posteriores Constit. Gregorianae, regularis denominationem votorum solemnium professis servaverunt; nec secundum jura religiosi votorum simplicium dici possunt vere, et proprie regulares.

Sed statim insurgit difficultas: Si regularium nomine in jure accipiuntur tantum religiosi votorum solemnium, leges plurimae, quae pro recto regularium regimine latae sunt, afficiunt ne etiam religiosos votorum simplicium? R. cum Suarez de Statu Relig. tract. 8. l. 3. c. 5. n. 3. et seq. Si jura loquantur de gratiis, et favoribus extendenda sunt ad professos votorum simplicium. Colligitur ex regula generali Innocentii, Panormitani, et aliorum in Rubrica de Regal: qui dicunt sub nomine religiosi quoad favorabilia plures comprehendi, qui variis modis divino cultui omnino dicati sunt, quamvis non sint solemniter professi„ ergo multo magis sunt extendenda similia jura ad Religiosos, qui non utcumque sunt divino servitio mancipati, sed tamquam veri, et proprii religiosi.

Si vero jura loquantur de re odiosa v. g. si excommunicentur, qui hoc, vel illud fecerint, vel qui professionem hoc, vel illo modo faciunt, distinguendum est. Si res, de qua jus loquitur, peculiari modo respiciat, vel fundetur in solemnitate professionis, sub talibus juribus religiosi votorum simplicium non comprehenduntur. Si vero jura respiciunt statum religiosum simpliciter, et professionem, quatenus illum constituit, sub nomine regularium comprehenduntur etiam professi votorum simplicium. Hinc inferes hujusmodi Professum deserentem criminose suam religionem cum animo non amplius redeundi, esse vere apostatam, et incurrere omnes poenas jure communi apostatis impositas, est enim vera discessio a bono religionis.

[Petes, an in Ecclesia Dei sit aliqua vera, et propria religio in solis votis simplicibus instituta? R. Haec praerogativa videtur, quod non sit neganda Congregationi Clericorum excalceatorum Passionis D. N. J. C. quae vere, et proprie religio est, in eaque professi sunt vere, et proprie religiosi, quamvis vota tantum simplicia emittant. Prob. Ad constituendam veram religionem tria requiruntur 1. Vota substantialia; 2. Professio religiosa; 3. Approbatio Ecclesiae. Atqui haec tria reperiuntur in dicta Congregatione. Ergo. Prima pars minoris constat ex dictis, quod vota licet simplicia, ex declaratione Gregoriana sufficiunt ad constituendum verum statum religiosum. Prob. 2. pars minoris. Emissio votorum, quae fit in Congregatione Passionis, in ejus constitutionibus vocatur professio religiosa cap. 10: *Antequam Novitii religiosam professionem emittant.* Qui vota emiserunt vocantur assidue Professi tum in iisdem Constitutionibus, tum in Bulla erectionis *Supremi Apostolatus* Clem. XIV. qui per Breve *Salvatoris nostri* easdem constitutiones sine ulla exceptione probavit: *Praeinserta statuta, regulas, seu constitutiones una cum omnibus additionibus et declarationibus praedictis auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, et approbamus.* Quod etiam expressius Pontifex declaravit in alio Brevi *Dilette in Christo* directo Monialibus, quae idem Passionis institutum profitentur, et vota simplicia juxta morem Clericorum excalceatorum emittunt, ut ex Constit. Religiosarum Pass. cap. 1. in quo emissionem votorum ab ipsis factam (superaddito etiam voto servandi perfectam clausuram) professionem votorum religiosorum vocat. Ergo ex S. Sedis judicio professio Clericorum Passionis est vera professio religiosa.

Insuper ex professione religiosa sequitur obligatio tendendi ad perfectionem. Atqui constitutiones Congreg. Passionis hanc obligationem deducunt ex professione, quam sui Clerici emittunt. Sic enim legitur c. 10. *Antequam religiosam professionem Novitius emittat, exacto expendetur examine, an constantem voluntatem habeat acquirendi pro viribus christianam perfectionem ad nostrarum Constitutionum praescriptum, et normam.* Quae obligatio rata habetur in Constit. Pii VI. *Praeclara virtutum.* Ergo. Praeterea non deest traditio ex parte profitentis, nec acceptatio ex parte religionis. Et quidem quoad traditionem religiosam ex Gregoriana declaratione vota simplicia sufficiunt. Ea enim profitentes se Religioni dedicant, atque actu tradunt, seque divino servitio in ea mancipant. cit. Const. *Ascendente* § 18. Nec deest acceptatio facta ab habente potestatem in religiosam societatem aggregandi: *Professionem autem Novitii emittant ante praesidem Generalem, vel Provincialem, aut alium ex alterutrius mandato.* Const. Pass. cap. 11. Ergo vota, quae nuncupantur in congreg. Passionis constituunt veram professionem religiosam. Si dicatur quod acceptatio non est absoluta, sed conditionata; Resp. quod jam dictum est, non esse conditionatam, quasi ex arbitrio Superioris eam evacuare dependeat, sed tantum, quod suprema auctoritate interposita; vota solvi, et irritari possint, vel ex professi demeritis, vel aliis justis de causis, quae enumerantur in cit. Const. *Supremi* § *Siqui*, quaeque plene conve-

niunt cum causis, ex quibus Superiores Societatis votorum simplicium professos dimittunt.

Tertia pars patet ex Bullis plurium Pontificum, qui dictam Congregationem probarunt, et confirmarunt. Si opponatur: Sunt aliae plures Congregationes, in quibus vota simplicia emittuntur, et approbationem ab Ecclesia retulerunt, nec tamen sunt verae, et propriae religiones? Resp. inquirendum esse an in his Congregationibus nihil desit ex iis, quae statum vere religiosum constituunt, sicut in Congregat. Passionis reperiuntur. In pluribus tamen aliquis occurrit defectus, vel quia prohibetur acceptatio a Superiore facienda, vel quia non alio modo sunt probatae, quam in Congregationes Presbyterorum Saecularium, vel aliud simile invenitur, quod statum religiosum excludit. Si enim nihil desit, etiam alia congregatio votorum simplicium poterit esse vera, et propria religio]

Dico 2. Tria vota paupertatis, continentiae, et obedientiae sunt essentialia statui religioso. Prob. 1. Status religionis est exercitium tendendi ad perfectionem charitatis. Ergo debet a se removere ea, quae prohibent, ne totaliter ejus affectus tendat in Deum; nimirum cupiditatem exteriorum bonorum, quae tollitur per votum paupertatis; concupiscentiam sensibilium delectationum, inter quas praecellunt venereae, quae tolluntur per votum castitatis; inordinationem voluntatis humanae, quae excluditur per votum obedientiae. Prob. 2. Status religiosus, est holocaustum, per quod aliquis totaliter se, et sua offert Deo; atqui per votum paupertatis offertur Deo bonum rerum exteriorum; per votum continentiae bonum corporis; per votum obedientiae propria voluntas, per quam homo utitur omnibus potentiis et habitibus animae. Ergo haec tria vota constituunt holocaustum, quod sine ipsis perfectum esse non posset. Inter haec autem potissimum est votum obedientiae, per quod offertur Deo majus bonum, quam per reliqua, propria enim voluntas est quid majus bonis fortunae, et corporis.

Ex dictis sequitur religiosos debere tendere ad perfectionem est enim Status religiosus status perfectionis. Non inde tamen sequitur, quod illum assumentes, illico profiteantur se esse perfectos, sed solum tendere ad perfectionem; unde non transgreditur suam professionem religiosus, qui non est perfectus, sed solum si contemnat tendere ad perfectionem, seu ab intentione perfectionis animum revocet, statuens manere in statu mediocritatis, in quo est, vel dicens: Nolo ad perfectionem tendere, vel contentus servare praecepta obligantia sub mortali proponat, vel non curet transgredi obligantia sub veniali, vel ad solam poenam. Ad perfectionem autem assequendam non tenetur amplecti omnia consilia, sed potest eam consequi servando regulam sui instituti, utpote quae ab Ecclesia, ut ad hunc finem sufficiens, sit approbata.

Articulus II.

De voto Paupertatis

Dico. Paupertas religiosa est voluntaria abdicatio, voto firmata, rerum temporalium, quantum ad dominium, proprietatem et usum juris, seu iis utendi irrevocabiliter, et independenter a voluntate Superioris, non tamen quantum ad usum facti, seu simplicem usum revocabilem, et dependentem a voluntate Superioris. Ita Conc. Trident. sess. 25. de Regular. c. 2. Et patet, non enim censetur vere pauper, qui habet aliquid irrevocabiliter, et independenter ab alterius voluntate, nec e contra paupertatem tollit usus facti revocabilis, et dependens, sicut Servi sunt vere pauperes, quamvis habeant usum facti vestium, et ciborum, quae illis a Dominis conceduntur. Dixi *rerum temporalium*; potest enim religiosus sine consensu Praelati pro amico orare, praedicare, Missas celebrare, si habeat inten-

tiones liberas, ut amicus accipiat stipendium; item dare reliquias Sanctorum, Agnus Dei etc. non vero Scapularia, Numismata, Rosaria, quae pretio temporali aestimantur. Item est Dominus sui honoris, et famae, ut docet S. Th. hic. q. 186. a. 7. ad 4.

Ex hac conclusione sequitur 1. Religiosum nulla re temporali posse uti tamquam sua, ideoque animo debet esse dispositus ea carere ad nutum Praelati, alioquin est votifragus, ut ii, qui aliqua occultant, ne a Superiore auferantur. 2. Religiosum ullam rem temporalem, licet ex concessis ad usum, posse dare, vendere, mutuari, commodare, seu extraneis, seu domesticis sine licentia Praelati. [Notandum, quod si Religiosus sine licentia Superioris aliquid donet, vel alienet, accipiens tenetur illud restituere religioni; Et quoad accipientes dona a Regularibus haec habet Bened. XIV. in Constit. *Pastor bonus.* § 26. „ Accipientes mu„ nera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, „ ultra valorem decem scutorum monetae contra praescriptum a Praedecessoribus „ nostris Clem. VIII., et Urbano pariter VIII., . . . non absolvat (*summus Poe„ nitentiarius*) nisi facta prius restitutione, vel si eam de praesenti nequeant a„ dimplere, cum obligatione eamdem quamprimum poterunt faciendi. Qui vero „ infra praedictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos injuncta arbitrio „ ipsius majoris Poenitentiarii, seu Confessarii per eum eligendi eleemosyna, quae „ in beneficium religionis, seu conventus, cui de jure facienda esset restitutio, „ si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit „ Hujusmodi autem nullam censuram incurrunt.]

Sequitur 3. Religiosum sine licentia Praelati nullum temporale posse recipere, sive ab extraneis, sive a domesticis, aut acceptum retinere [Accipere ab extraneo aliquid ad custodiam, vel depositum, non videtur esse contra votum; in monasteriis tamen ordinatae disciplinae id solet esse prohibitum ad vitandas perturbationes in casu, quo res deposita, aut amittatur, aut surripiatur. Accipere ab extraneo pecuniam erogandam in eleemosynam, si a dante destinentur pauperes, quibus est eroganda, non videtur contra votum, si vero electio pauperum religioso relinquatur, controvertitur, an requiratur Superioris licentia. Et hic obiter adverte, quod docet Sanchez, non peccare Religiosum contra votum paupertatis, si nconsulto Superiore recuset acceptare rem sibi ex liberalitate oblatam, quia vi llius non obligatur ad acquirendum Religioni, sed ad non alienandum, acciiendum, utendum sine licentia. Potest tamen peccare contra charitatem, impeiendo sine justa causa bonum religionis. At non peccabit, subdit Antoine, si onum non necessarium religioni, recuset ex justa causa, v. g. ut liberior sit ad aa ministeria obeunda, vel ad majorem aedificationem]

Sequitur 4. Religiosum ea, quae sibi ad usum sunt concessa, non posse ependere in res illicitas, aut vanas, ut in turpia, vestes sericas, canes venatios, sumptuosa convivia etc; quia secundum jura *Clement.* 1. *de statu Monchor.* Praelatus non potest illud permittere; et ex eodem jure non potest Reliiosus habere superflua in notabili quantitate, quae mediocritatem religiosam ntabiliter superet. Potest tamen cum licentia Praelati exponere ludo aliquid mderatum juxta consuetudinem sui conventus. Sequitur 5. Religiosum sub praetexu, quod omnia sint in Religione communia, non posse res communitatis, aut particularibus ad usum concessas, sibi appropriare. Si tamen Praelatus denegaret religioso simpliciter necessaria ad victum, et amictum, non peccaret rdigiosus ea accipiendo, sive data a Saecularibus, sive ex bonis communibus etiam sine licentia Praelati, qui foret irrationabiliter invitus. Dixi *simpliciter necessaria*, quia secus esset, si essent tantum utilia, seu necessaria secundum quid; vere enim pauperes non raro sentire debent incommoda paupertatis. Sequitur 6. Religiosum teneri res sibi concessas rationabili cura conservare, non de-

struere, et cum gravi negligentia tractare, debet enim eis uti modo religiosae paupertatis congruo. Sequitur 7. Officiales in Monasteriis non posse res suae administrationi commissas, dispensare pro libitu, sed juxta mentem Superioris.

Petes 1. quae licentia Superioris requiratur, et sufficiat? Resp. requiri necessario vel expressam, vel tacitam, seu probabiliter praesumptam, ut in terminis S. Th. 2. 2. q. 32. a. 8. ad 1., quae scilicet ex circumstantiis, et signis probabiliter conjicitur, et praesumitur actualiter adesse. Sic si sit consuetudo in aliqua religione quaedam levia recipiendi, vel expendendi sine licentia Superioris, indicat tacitum ejus consensum. Similiter si Superior sciat, quaedam recipi aut expendi, et toleret, cum posset facile impedire; secus si toleraret, quia non posset facile impedire, puta propter gravia quaedam inconvenientia. Item si Praelatus conferat officium, tacite concedit ea omnia, quae ad debitam administrationem pertinent. Item si permittat alicui emere, aut recipere ea, quibus non indiget, ut Imagines, Rosaria etc. tacite permittit, ut aliis donet. Item Religiosus absens, ut studens, aut itinerans merito praesumit consensum Praelati ad expensas, et donationes, quas facere solent Religiosi ejusdem ordinis, et conditionis. Dixi licentia, *quae ex circumstantiis, et signis probabiliter conjicitur, et praesumitur actualiter adesse*, non vero quae praesumitur danda si peteretur, quae non est de facto licentia sed tantum foret, si peteretur. Requiritur ergo non solum ut Superior concederet, si peteretur, sed etiam ut attenta ejus habituali dispositione censeatur de facto concedere, neque velle, ut in his circumstantiis expresse petas. Non potest autem praesumi haec praesens habitualis dispositio Superioris in omni casu, et in rebus gravioribus, quia inde evanesceret religiosa paupertas, et obedientia regularis, sed in rebus tantum levioribus, et ordinariis poterit praesumi praesens consensus ex circumstantiis, et signis jam positis, praesertim ex consuetudine, et silentio Praelati.

Petes. 2. Quanta materia requiratur ad peccatum mortale in transgressione voti paupertatis? R. Quanta requiritur in furto. Plures dicunt: Quanta requiritur in furto Filiorum familias, de qua in tract. de Justit. Verum si agatur de rebus usu consumptibilibus ut sunt esculenta, et poculenta, existimo de iis loquendum esse ac de furtis Filiorum familias in eadem materia; in his enim Praelati non censentur regulariter inviti quoad substantiam, sed quoad modum tantum. Quoad res vero permanentes, cum Religiosi numquam futuri sint illorum bonorum Domini, sicut Filiifamilias, si eadem in eorum furtis requireretur quantitas, cum plura esse soleant in Monasteriis, gravi bonorum communium dissipationi janua aperiretur, unde est etiam probabile Praelatum respectu illorum non esse minus invitum, quam respectu extraneorum. Advertе tamen majorem quantitatem requiri ad peccatum mortale in his, quae ab extraneis recipiuntur, quam quae a Monasterio surripiuntur, minorem e contra in iis, quae dantur extraneis, quam quae suis, aut Confratrum usibus applicat Religiosus; item minorem, si detur ex bonis communibus, quam si ex propio peculio, quia ubi major, vel minor fit injuria monasterio, censetur Praelatus magis, vel minus invitus.

Petes 3. Utrum liceat Religiosis habere peculium? Nomine peculii intelligo non solum aliquam pecuniae summam, sed etiam annuam pensionem, vel a parentibus, aut a Monasterio religioso concessam, aut ante professionem sibi reservatam, aut aliunde acquisitam. R. Affirmative, quia peculium a Superioris voluntate dependens, et ad ejus nutum revocabile non repugnat paupertati religiosae. Unde non potest Religiosus illud retinere animo celandi, aut expendendi absque Superioris licentia, sed (ut solet esse in omni religione bene ordinata) debet illud reponere in deposito communi seu apud communem depositarium.

Petes 4. Quid possint Praelati Regulares circa alienationem bonorum com-

munium monasterii? Bona vel sunt immobilia, ut praedia etc., vel sunt mobilia; atque haec vel pretiosa, quae servando servari possunt saltem ad triennium; ut vasa argentea, vel aurea, gemmae, ususfructus longi temporis, census annui, reliquiae insignes Sanctorum, bibliothecae, et etiam unus, vel alter liber (si sit specialiter rarus, et utilis, nec facile acquisibilis), actiones rerum immobilium, et pretiosarum, arbores praedio utiles, ac necessariae, integra armenta gregesque integri, et caetera, ex quibus annui fructus capiuntur; alia sunt non pretiosa ut vinum, frumentum etc. item et pecunia, si tamen non sit in valde notabili quantitate juxta aliquos, aut non sit voto, vel juramento emendis immobilibus destinata, vel etiam nisi proveniat ex redemptione census, aut ex venditione immobilium vel mobilium pretiosorum. His positis resp. 1. Praelati regulares possunt alienare sive dando, sive vendendo, sive permutando, bona mobilia non pretiosa, seu etiam pretiosa, quae servando servari non possunt ad triennium, prudenter tamen, et discrete, et juxta constitutiones, et consuetudinem sui Ordinis. Sunt enim administratores absoluti bonorum communitatis, et ad eos pertinet illa dispensare juxta statuta, et usus suae religionis.

Resp. 2. Praelatus regularis non potest alienare immobilia, et mobilia pretiosa, quae servando servari possunt saltem ad triennium, sine Sedis Apostolica consensu. Ita Extravag. *Ambitiosae* de rebus Ecclesiae alien. [Alienationis nomen comprehendit venditionem, donationem, permutationem, emphytheusim, locationem, et conductionem ultra triennium, pignoris constitutionem, seu nexum, et hypothecam, in feudum traditionem, denique omnem concessionem, per quam res Ecclesiae deterior efficitur. Hae alienationes factae sine consensu Sedis apostolicae irritae sunt, ut nullam producant obligationem ex parte Ecclesiae; obligant tamen alterum contrahentem, ut non possit resilire, si deinde contractus appareat utilis loco pio, et per ratihabitionem Superioris consolidetur. Praeterea ex eadem Constit. *Ambitiosae* qui rem distraxerunt, aut qui distractam acceperunt, poena plectuntur excommunicationis, si non sint Episcopi, vel Abbates; (Nam his Ecclesiae ingressus interdicitur, et si sex Menses in interdicto fuerint, ab omni suspenduntur administratione Ecclesiarum, aut Monasteriorum, quibus praefecti sunt) Insuper Praelati inferiores incurrunt ipso facto poenam privationis officii, et beneficii, et administrationis bonorum, quae alienare intendunt; quae omnes poenae locum habent in Regularibus, imo ex Decret. Congr. Conc. 2. Mart. 1689. in Roman. pro Cisterciens. eas *incurrunt absque declaratione Superiores, si negligentes sint in redimendo census passivos, licet tempore suorum Antecessorum impositos* Ita Girald. in notis ad Masch. l. 3. tit. 13. ad n. 25.

Excipiuntur tamen quidam casus in quibus res ecclesiasticae alienari possunt. 1. est casus necessitatis, et si sit periculum in mora, ita ut non vacet petere, et obtinere dispensationem, in quo casu lex positiva cedit juri naturali 2. Quae vetusto usu locari, aut in emphytheusim dari consueverunt, finita locatione, aut emphytheusi, iisdem conceduntur, quibus antea, pactis, et legibus. 3. Collata in Monasterium, aut locum pium, a quo ea retineri non possunt, ut bona immobilia legata, vel donata Regularibus, ad ea possidenda incapacibus, recte distrahuntur, modo pretium in utilitatem Monasterii convertatur. 4. Alienari possunt terrulae, vineolae non fertiles, resque caeterae exigui pretii. Can. 35. *Terrulas* 12. q. 2., cui canoni non fuit derogatum per Extrav. *Ambitiosae* V. Bened. XIV. Instit. 69. n: 9. Observat tamen Girald. in notis ad Masch. loc. cit. ad n. 3. „ Haec eadem facultas ex Decret. Congr. Conc.... competit etiam Ab- „ batibus vere nullius, non vero aliis superioribus regularibus etiam Majoribus „ ex Decret. Congr. Episcop.... qui in hujusmodi rerum exiguarum alienatio- „ ne indigent licentia, et decreto Ordinarii, ut firmat etiam Bened. XIV. Instit.

„ eccles. 69. Res vero exigui, vel modici valoris ex Decret. dictae Cong. Episc. „ etc. ex stylo curiae dicuntur, quae non excedunt summam XXV. scutorum aureorum, licet Congr. Conc. teste Fagnano in c. *Nulli* hoc eodem titulo usque „ ad annum 1613. duxerit, nihil circa hanc valoris summam statuere, sed deducendum esse ex jure communi. Nec ultra dictam summam suffragatur consuetudo, ut ex aliis ejusdem Congr. Conc. decretis, relatis a d. Petra n. 65., „ a quo solide reprobatur abusus, et dolus, quo res magni valoris per plures „ alienationes modicas, diversis vicibus concedi posse ab Episcopis aliqui dicti„ tarunt, cum id fieret in fraudem legis „ Addit idem Girald. loco cit. in not. ad n. 5. „ Non est tamen prohibitum arbores nocivas eradicare alias subrogan„ do in aptiori loco ex Decr. Congr. Conc. 20 Jul. 1684. Imo Passerinus de Stat. „ hom. t. 1. q. 85. a. 7. n. 340. tenet, arbores licite incidi posse, si materia „ sit parva, et fundus notabiliter non deterioretur „

Quoad renunciationem legati, vel haereditatis rei immobilis, vel mobilis pretiosae, conventui relictae, quidquid sentiendum sit de ejus validitate, illicitam graviter esse docet communis apud Salmant. tract. 25. c. 7. punct. 2. n. 39., quia est prodiga renunciatio, graviter laedens charitatem Conventui, et Religioni debitam, nisi forte justissima, et urgentissima causa id facere compellat. Quoad locationem bonorum religiosorum dictum est in tract. de contract.]

Articulus III.

De Votis castitatis, et obedientiae.

Dico 1. Vi voti castitatis tenetur Religiosus abstinere ab omni actu venereo tam interno, quam externo; ita ut ejus peccatum in hac materia importet semper duplicem malitiam, unam contra virtutem castitatis, aliam sacrilegii contra religionem. Habet praeterea proprium votum solemne castitatis, quod irritet non solum sponsalia, ante, et post ipsum contracta, et matrimonium subsequens, sed etiam antecedens nondum consummatum, ut fusius alibi dicitur [An vero eosdem effectus producat votum castitatis, emissum in Religione votorum simplicium, sententiam negativam tenet Suarez de Stat. relig. tr. 10. l. 4. c. 1. et 2. tam quoad matrimonium ratum antecedens, quam quoad matrimonium subsequens, exceptis quoad hoc secundum professis votorum simplicium Societ. Jesu durante illo statu, ratione juris positivi specialiter lati a Gregor. XIII. inConst. *Ascendente Domino*] Pro voto castitatis melius servando inducta est clausura tam religiosorum, quam monialium.

Dico 2. Voto obedientiae religiosus tenetur obedire praecepto legitimi Superioris in iis, quae pertinent directe, vel indirecte ad vitam regularem, hoc est ad observantiam votorum, regulae, et constitutionum, in his enim consistit vita regularis. Dicitur *obediendi praecepto Superioris*, qui ex usu recepto in religionibus non censetur obligare sub mortali etiam in re gravi, nisi his, aut similibus formulis utatur: *Sub formali praecepto. In virtute Spiritus S. In virtute sanctae obedientiae*: nisi aliunde constet de ejus intentione. An vero si similibus formulis non utatur obliget sub veniali? Puto quod sic, si revera intendat sic obligare, quod censetur meo saltem judicio, si alicui particulari dicat. *Mando praecipio tibi*: quia his terminis non censetur velle consulere, aut suadere, sed praecipere, et obligare; si autem sit mandatum commune toti communitati, non censetur velle obligare sub culpa, sed sub poena tantum, et correctione regulari, quomodo ipsae regulae obligant.

Dicitur *praecepto Superioris legitimi*, ut distinguatur a voto, quod quis faceret obediendi Confessario, vel alteri non habenti jurisdictionem, sicut habet

Superior in Religione. Unde juxta probabilem sententiam inobedientia in Religioso continet duplicem malitiam, inobedientiae scilicet Superiori legitimo, et sacrilegii ratione voti, quod addit novam obligationem illi, quam quisque habet obediendi suo Superiori. Dicitur *in his, quae pertinent ad observantiam votorum, regulae, et constitutionum*, quia obedientia, ut dicit S. Th. quodl. 10. a. 10. non se extendit ultra potestatem et jus praelationis, quae secundum regulam limitatur, et ideo concludit, quod *si aliqua sunt, quae nullatenus* (scilicet neque directe, neque indirecte) *ad regulam reducantur, videtur esse verior opinio, quod obedire in hujusmodi non sit de necessitate obedientiae, sed de perfectione, ut dicit S. Bernardus l. 1. de praecepto, et dispensatione.*

Hinc sequitur 1. non unam esse omnium religiosorum obedientiam, sed alii plus, alii minus juxta diversitatem regulae, tenentur obedire. Sequitur 2. Subditum non teneri obedire, si Praelatus praecipiat contra regulam, v. g. manducare carnes, nisi Praelatus possit dispensare, et adsit justa causa dispensandi: a fortiori Subditum non teneri obedire, si praecipiat rem illicitam; in dubio tamen debet deponere dubium, et obedire, ut prob. in tract de Actib. human. Sequitur 3. non teneri obedire si superior praecipiat supra regulam, ut ire ad infideles cum manifesto periculo mortis, aut servitutis, diu jejunare, aut abstinere a carnalibus, et similia, quando non habentur in regula, nisi injungantur in justam punitionem criminis, vel propter aliquam necessitatem publicam, sicut Ecclesia quandoque praecipit Fidelibus. Seq. 4. non teneri obedire, si Superior praecipiat indifferentia, et impertinentia ad regulam. Posse autem praecipere actus mere internos dictum est de legibus.

Dicitur *in his, quae pertinent directe, vel indirecte ad Regulam.* Directe pertinent, quae in ea expresse continentur, ut servare silentium, jejunia etc. Indirecte, quae licet in ea non contineantur, sunt valde utilia ad ejus observationem, ut mutua obsequia, poenae transgressorum, statuta regularitati servandae, vel restaurandae opportuna. Qui enim promittit servare, quae expresse continentur in Regula, promittit etiam servare ea, quae regulae observationi sunt necessaria, aut valde utilia. Hac ratione Ecclesia in Conc. trident., et in variis Summorum Pontificum Constitutionibus praecipit clausuram monialibus, licet non contineretur expresse in earum regula, nec unquam in earum Monasteriis fuisset observata, quia judicavit eam servandae castitatis voto necessariam.

Articulus IV.

An et quando peccat religiosus transgrediens regulam

Nomine Regulae hic intelligimus etiam constitutiones Regulae superadditas. Itaque, Dico: Religiosus transgrediens regulam non semper peccat mortaliter, sed aliquando venialiter et aliquando non peccat, prout scilicet quae praecipiuntur in regula vel obligant sub mortali, vel sub veniali, vel sunt consilia, seu monita non obligantia sub aliqua culpa. Quod verum est non solum in his qui in eorum professione profitentur vivere secundum regulam, atque magis in his, qui tamen profittentur obedire secundum regulam; sed etiam in his qui vovent simpliciter servare regulam, ut sunt Fratres Minores, pro quibus definitum est in jure cap. *Exiit* § *Imprimis* de verb. signif. in 6., et Clement. 1. § *Cum igitur* eod. tit., quod non omnis eorum transgressio sit culpa mortalis, sed secundum quod contenta in regula obligant vel rigorose sub mortali, vel tantum sub veniali, vel sunt solum consilia sub nulla culpa obligantia. Et revera si religiosi tenerentur sub mortali ad omnia, et singula, quae in Regulis continen-

tur ; cum multa , et minima in Regulis religionum contineantur , religio foret jugum intollerabile , et status religionis , qui debet esse securior , quam status saecularis , foret isto periculosior [S. Thom. 2. q. 186. a 7. ad 1: affert quamdam regulam discernendi ea , quae in constitutionibus religionum sunt praecepta. *Interiores actus virtutum (puta humilitatis , patientiae , et hujusmodi) non cadunt sub voto religionis, quod ordinatur ad ipsos sicut ad finem.* Et ad 2. *Siquae vero in Religionibus instituta sunt pertinentia ad humanos actus , quibus aliquis ordinatur ad religionis finem , scilicet ad dilectionem Dei , et proximi (puta lectio , oratio , visitatio infirmorum , vel si aliquid aliud est hujusmodi) comprehenduntur sub voto obedientiae , quod pertinet ad voluntatem , quae secundum dispositionem alterius , suos actus ordinat ad finem*]

Ex dictis sequitur quod in iis ordinibus religiosis , in quibus regulae , et constitutiones , exceptis votis, et praeceptis , expresse non obligant ad culpam etiam venialem, sed solum ad poenam sub culpa a lege taxatam , eorum transgressio non sit nequidem culpa venialis ex genere suo , seu ex parte operis , quamvis possit esse culpa ex parte operantis, quod evenit ex triplici capite 1. Ex negligentia , cum quis sine rationabili causa , seu fine honesto non implet statutum , agere enim etiam in indifferentibus, qualis in casu est transgressio regulae absque rationabili causa , est peccatum veniale. 2. Ex libidine , seu cupiditate , quae est inordinata voluntas , qua aliquid concupiscitur plusquam dictat recta ratio. Unde religiosus , qui ex nimia cupiditate cibi frangeret jejunium regulare , aut ex nimia curiositate , aut loquacitate frangeret silentium , peccaret venialiter 3. Ex contemptu , quando voluntas renuit subjici ordinationi legis, et ex hoc procedit ad faciendum contra illam ; si enim ex aliqua alia causa , puta ira etc. etiam frequenter legem transgrediatur , non peccat ex contemptu , frequentia tamen peccati dispositive ad contemptum inducit. Contemptus autem est duplex, perfectus , et imperfectus ; ut dictum est in tract. de peccat. [Quid vero dicendum , si in constitutionibus negetur obligatio sub mortali , de obligatione vero sub veniali omnino taceatur ? Respondet Suarez , quod ex eo , quod regulae praecise excludant solum obligationem sub culpa mortali , videntur totam aliam obligationem , quae ex vi legis inferri potest , admittere , adeoque etiam ex vi regulae obligare sub veniali , quam sententiam eruit ex S. Thoma hic q. 186 a. 9. ad 1. Vide . si lubet Suarez de stat. relig. tract. 8. l. 1. c. 3. , hanc quaestionem de obligatione regulae religiosae fuse tractantem]

Petes. Utrum Religiosus eodem genere peccati gravius peccet , quam saecularis ? R. Peccatum religiosi esse gravius 1. si sit simul contra votum , et contra legem Dei , vel Ecclesiae propter duplicem malitiam. 2. ratione majoris ingratitudinis propter majora beneficia a Deo accepta. 3. ratione scandali , si sit publicum , quia ad vitam religiosi , ut ad exemplar virtutum respiciunt saeculares. Aliunde vero est levius , quia si sit veniale , quasi absorbetur a multitudine bonorum operum , quae facit ; si vero mortale , facilius , et citius ab eo resurgit tum propter consuetudinem rectae intentionis , quae licet ad horam interrupta , facilius per Dei gratiam reparatur ex restantibus reliquiis pristinae pietatis ; tum quia ad resurgendum juvatur a Fratribus per salubres exhortationes , et ferventes preces.

DISSERTATIO II.

De Clausura Religiosorum

Clausura dicitur a Claustro. Clausura autem et Monasterium pro eodem sumuntur apud Canonistas , et est locus , in quo clauduntur Religiosi , et Moniales ad quietius Deo vacandum. Sumitur etiam pro obligatione non egrediendi a monasterio , et non ingrediendi monasterium sine licentia.

Nota 1. Non esse eamdem rationem clausurae respectu egressus religiosorum e Monasterio, et respectu ingressus mulierum in Monasterium. Etenim respectu Mulierum ingredientium, Ecclesia, Chorus, Sacristia, Atrium, seu Locutorium non sunt intra Clausuram. Respectu vero religiosorum egredientium sunt intra clausuram. Unde sequitur quod in clausura religiosorum idem locus potest esse extra Clausuram respectu ingredientium, et intra respectu egredientium; secus vero in clausura monialium, in qua quicumque locus, ad quem accedere possunt saeculares, ut Ecclesia, et locutorium, est extra clausuram respectu monialium egredientium, et quicumque locus, ad quem accedere possunt moniales, est intra clausuram respectu saecularium ingredientium, ita ut Moniales, et saeculares non possint accedere ad eumdem locum absque violatione clausurae, ut eruitur ex Constit. *Deo sacris* Gregor. XIII. Ann. 1572; §. *Caeterum*

Articulus unicus

§. I. *De clausura religiosorum quoad egressum.*

Dico. Egressus e monasterio sine Superioris licentia non solum est prohibitus Religiosis ex Constit. Clem. VIII. de reform. regul., confirmata ab Urbano VIII., et praeterea ex usu, et consuetudine juxta praxim omnium religionum, in quibus hujusmodi egressus semper fuit habitus, ut res gravis, et gravi poena mulctatus, sed, supposita institutione, et professione vitae coenobiticae, etiam jure naturali videtur prohibitus. Quia religio coenobitica est coetus virorum in eodem loco sub obedientia Superioris viventium. Atqui juxta S. Th. hic q. 186. n. 5. ad 4. votum obedientiae se extendit ad dispositionem totius vitae humanae, ita ut Religiosus teneatur obedire pro quocumque loco, et tempore. Ergo vi status coenobitici, et voti obedientiae non potest exire e Coenobio, nisi consentiente Superiore, ne exeat ab obedientia, quam vovit et se ponat in statu, in quo Superior non potest pro eo tempore illi praecipere. Hinc inferes hujusmodi egressum, etiam abstrahendo a pravis circumstantiis esse ex genere peccatum mortale, poterit tamen fieri veniale ex levitate materiae, quod tamen non videtur dici posse de egressu furtivo, et nocturno, cum ex Clem. VIII. sit casus reservabilis: de hoc vide, sicut de Apostatis, et fugitivis aliisque ad hanc materiam spectantibus, quae dicta sunt in Tract de Fide. Diss. 2. a. 3.

§. II. *De Clausura Religiosorum quoad ingressum.*

Dico. Prohibitum est mulieribus quibuscumque sub poena excommunicationis latae sententiae Papae reservatae, ne accedant, aut praesumant ingredi monasteria Religiosorum; ipsis vero religiosis, ne illas introducere, vel admittere praesumant sub poena privationis officiorum, quae in praesentia obtinent, et inhabilitatis in posterum ad illa, et omnia alia, et suspensionis a divinis ipso facto, absque alia declaratione incurrenda, ex Constit. S. Pii V. *Regularium Personarum*. Et quamvis in hac Constitutione videatur Pontifex loqui de mulieribus, quae sub praetextu privilegiorum ingredi praesumunt, in posteriori Constit. *Decet Romanum Pontificem* declarat, mentem suam in priori Bulla fuisse comprehendere omnes, et quascumque mulieres, tam in genere, quam in specie. Suspensio a divinis, quam incurrunt Religiosi est suspensio ab exercitio ordinum, a qua, cum non inveniatur reservata, possunt absolvi a suis Superioribus, imo videtur etiam a quovis alio Confessario sui ordinis. Si vero in illa suspensione exercerent ex officio actum ordinis, quem habent, etiamsi minoris, peccarent mortaliter, et incurrerent irregularitatem. Dixi *exercerent ex Officio*, quia sine

peccato, et irregularitate exercere quis potest ut laicus, qui a laico exerceri possunt, ut cereos deferre etc.

In alia Constit. Gregorii XIII. *Ubi gratiae* eadem excommunicatio Papae reservata fertur non solum contra mulieres, ingredi audentes claustra, seu clausuram religiosorum, sub qua continentur similiter Comitissae, Marchionissae, Ducissae, revocando omnes licentias, sed etiam contra Abbates conventus, et alios monasteriorum Superiores, et Personas, quocumque nomine vocentur, in Monasteria, domos, et sua loca, mulieres quocumque praetextu facultatum ibi revocatarum ingredi facientes, aut permittentes. Quae constitutio communiter ampliatur, et in praxi observatur, etiamsi non eo praetextu mulieres in claustra inducantur. Notant tamen Auctores, quod quamvis excommunicatio, et suspensio incurrantur ante sententiam Judicis, non item aliae poenae, non solum quia inhumanum foret hominem teneri se sponte prodere, infamare, et bonis habitis privare, sed etiam quia est communis Auctorum sententia, nec aliter hae, et similes leges sunt usu receptae. Neque obstat, quod ponatur absque *alia declaratione*, id enim spectat ad poenam, non culpam, aut factum, ita ut sensus sit absque alia declaratione poenae, non tamen absque alia declaratione facti, cui est annexa poena.

Nota pro praxi, quod S. Poenitentiaria, quando absolutionem, vel dispensationem concedit regularibus super introductione Mulierum intra claustra ad malum finem scilicet luxuriae, solet decernere, ut remaneant privati officiis, et dignitatibus sui Ordinis, et inhabiles in futurum ad similia, quia non intendit cum talibus dispensare in totum, sed super sola irregularitate, si celebrarunt in talibus censuris; quando autem introductio non fuit ad malum finem, tunc solet in totum eos rehabilitare.

Non nominantur in Bullis Pontificum Imperatrices, et Reginae, nec earum filiae: unde et propter maximam earum dignitatem Auctores communiter eas excipiunt cum suis sequacibus. Caeterum circa ingressum mulierum in clausuram regularium hodie attendenda est Const. Bened. XIV. *Regularis disciplinae* 3. Januar. 1742. in qua inter abusus recenset, et improbat mulierum ingressum in Monasteria regularium, etiam occasione publicarum supplicationum ibi. „ Quoniam autem sicut dolentes accepimus, alii quidem apostolicas leges, ac „ praecepta hujusmodi, vel ausu temerario parvipendentes, vel ad eorum arbi„ trium interpretantes, foeminis quibuscumque aditum, ingressumque, tam ma„ nifeste, ac tanta solemnitate vetitum, permittunt, alii vero privilegia, indul„ ta, praerogativas, facultates, licentias, et alias quocumque pacto excogitatas „ concessiones, sibi sive a jure, sive ab homine factas, et impertitas, seu facta, „ et impertita, ac quorumcumque munerum, dignitatum, ac praeeminentiarum „ ratione debitas, seu debita, arrogantes, praetendentes, obtendentesque, foe„ minas quaslibet intra monasteriorum claustra, septa, caenacula, cubicula, „ aliasque officinas, aut admitti, aut recipi sinunt, mandantque, aut una secum „ ducunt; alii denique sub pietatis, ac religionis praetextu cum supplicationes „ sive cum SS. Eucharistiae Sacramento, sive cum sacris Sanctorum, Sanctarum„ que reliquiis, Statuis, et imaginibus per claustra, septa, et alia monasterio„ rum loca de more, ut asserunt, habentur, sine ullo prorsus discrimine ma„ sculos, et foeminas supplicationes hujusmodi per eadem loca sequi, et comi„ tari licitum, quin imo ut indulgentias lucrari valeant, necessarium esse osten„ dunt etc „. Primo itaque Pontifex constituit haec omnia abolere, ac improbare. 2. Abolet, et revocat quascumque facultates, licentias, et quocumque alio pacto nuncupatas concessiones factas, sive per S. R. E. Cardinales, sive per eorumdem Congregationes, sive per Legatos a latere, vel apostolicos Nuncios, et Internuncios *quocumque modo, et tenore, et sub quibuscumque verborum formis ex-*

pressas. 3. declarat subjectos censuris, absque alia declaratione ipso facto incurrendis, Papae reservatis, iis facultatibus temere uti audentes. 4. declarat hac sua Constitutione non derogatum esse „ iis concessionibus, quae ad favorem quarum- „ cumque nobilium Foeminarum, ex eo quod sive earumdem Majores, ac pro „ tempore existentes de Familia, fuerint, vel habeantur Fundatores, vel insi- „ gnes Benefactores illius monasterii, intra cujus claustra, vel septa foeminas, „ etiam de Familia, ingredi vel concessum, vel cautum esse sibi voluerunt, et „ de concessione hujusmodi confirmationem ab apostolica hac S. Sede obtinue- „ runt, sive Foeminae hujusmodi sint consanguineae, et affines eorum, qui sunt „ Domini in temporalibus locorum, in quibus monasteria sita reperiuntur, et „ quacumque legitima tituli vel consuetudinis causa, et occasione ingressu hu- „ jusmodi de praesenti gaudent, factae, et impertitae fuerunt; dummodo con- „ cessiones hujusmodi per apostolicas in simili forma Brevis, vel sub Plumbo „ desuper expeditas litteras dumtaxat, et non aliter omnino factas, et imper- „ titas fuisse, prius Ordinariis locorum, Antistitibus, vel Praesulibus, per legi- „ tima, et authentica documenta constare fecerint, et dummodo nec vagandi, „ nec otiandi, nec comedendi, coenandique, nec per ambulacra, cubicula, coe- „ nacula, aliaque loca, et officinas discurrendi causa, sed ad Ecclesias acceden- „ di, sacrosanctum Missae sacrificium audiendi, aliaque erga Deum pietatis officia, „ et opera exercendi studio ingrediantur, et dummodo de earum adventu, et „ ingressu, interdiu, et opportune faciendo, Superiores pro tempore existentes „ prius certiores fiant ad hoc, ut absque Fratrum incommodo, et offensione „ recto tramite ad Ecclesiam pergatur, et alia de jure servanda serventur „]

Petes 1. Ad quem pertineat designare terminos clausurae? R. communiter pertinere ad Praelatos Religiosorum, salvis tamen legibus canonicis clausurae; unde non possunt ponere extra Clausuram Claustrum integrum, Dormitorium, et officinas interiores, quia haec de jure continentur intra Clausuram; possunt tamen ponere extra Clausuram alia loca, ad quae patet aditus per proprias portas sine transitu per Claustrum [Addit tamen Passerinus de Hom. Stat. q. 189. a. 8. *de fugitivis a Claustro* Insp. 1. n. 379., quod statutis terminis non potest Superior nequidem materialiter eos ad libitum mutare, non enim potest clausuram restringere, vel muros ad arbitrium diruendo, vel partem domus alienando, et concludit: *Itaque dicendum, quod termini clausurae formaliter sunt determinati a lege juxta constitutiones cujuscumque religionis ab Ecclesia approbatae, sed materialiter subduntur arbitrio Superiorum non libero, sed regulando juxta leges tam proprias, quam communes canonicas, et hoc tam in terminis clausurae ponendis, quam in eis conservandis posteaquam positi sunt*]

Petes 2. Utrum sepes possint esse termini, et limites clausurae? R. Affirmative respective ad egressum religiosorum e clausura. Imo addit Passerinus quod ad virorum clausuram respectu egressus sufficiat, quod quomodocumque sit a Superiore designata, etiam sine muro, aut sepe, quia linea a Superiore descripta sufficit, ut in virtute obedientiae contineat religiosos, ne illam transgrediantur sine licentia. At vero respective ad ingressum Mulierum in monasteria religiosorum, et virorum, ac mulierum in monasteria monialium videntur non sufficere sepes, sed requiri muros, aut parietes ad Clausuram, facile enim est sepes vel frangere, vel aperire, vel transilire, atque hic videtur sensus communis.

§ III. *De Clausura Monialium quoad egressum*

Dico. Nemini Sanctimonialium licet post professionem exire e monasterio etiam ad breve tempus, quocumque praetextu, nisi ex aliqua causa legitima, ab Episcopo approbanda, indultis quibuscumque, et privilegiis non obstantibus. Ita

in terminis Conc. Trid. Sess. 25. *de Regul.* c. 5. Aliter egredientes, seu licentiam exeundi quomodolibet concedentes, nec non comitantes, ac illarum receptrices Personae, sive laicae, aut saeculares, vel Ecclesiasticae, consanguineae, vel non, excommunicationis majoris latae sententiae vinculo eo ipso absque alia declaratione subjacent, a quo praeterquam a Romano Pontifice nisi in mortis articulo absolvi nequeant. Ita S. Pius V. Const. *Decori et honestati* 1570. Dicitur *exire e Monasterio*: Nomine Monasterii Monialium tam quoad egressum Monialium, quam quoad ingressum Saecularium intelligitur illud spatium muro circumseptum, quod intra januam, quae solet esse semper clausa continetur. Et talis egressus, vel ingressus si sit completus, ita ut totum corpus egredientis sit extra clausuram, aut totum corpus ingredientis sit intra clausuram, juxta communem sententiam non admittit levitatem materiae [Eamdem poenam incurrit Monialis ascendens supra tectum cum vere dicatur esse extra ambitum, et terminos clausurae ut etiam declaravit Congr. Conc. in Comen. et Licien. 16. Sept. 1709. Ita Girald. in notis ad Thesaur. Verb. Clausura cap. 8.]

Dicitur *nisi ex legitima causa.* Causas legitimas assignavit, et restrinxit S. Pius V. Constit. cit. ad tres dicens: *Nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis leprae, et epidemiae.* Sub nomine autem leprae, et epidemiae intelligitur omnis morbus contagiosus. Item non obstante dictione taxativa *nisi*, auctores communiter extendunt ad omnes alios casus similes, in quibus eadem, vel urgentior ratio militat. Hinc inferunt Moniales posse exire cum licentia Superioris 1. propter ingruens bellum 2. propter ingentem alluvionem, ruinam monasterio minantem, et similia, quae subitam fugam postulant. Quae autem exeunt propter aliquam ex his causis, ea cessante, debent statim moraliter redire ad monasterium. Ita ex cit. Const. *Ab Episcopo approbanda.* Approbationem Episcopi requiri pro monialibus sibi subjectis est extra dubium ex Trid. cit.; requiri autem etiam pro monialibus ab Episcopi jurisdictione exemptis, et solis regularibus subjectis certum pariter est ex cit. Costit. S. Pii V., in qua praecipitur licentiam egrediendi pro Monialibus Regularibus subjectis, dandam esse a Superioribus ordinis, et ab Episcopo.

[Notandum ex Bened. XIV, lib. 9. de Syn. Dioec. c. 15. n. 8. quod cum concessio licentiae egrediendi e monasterio sit Sedi Apostolicae reservata, solum adveniente repentino aliquo casu, quo haberi nequeat ad eam recursus, suppleri posse licentia in scriptis obtinenda ab Episcopo, et respective a Superiore regulari. Tres autem tantum casus repentinos ponit, enumeratos scilicet a S. Pio V. Refert tamen sententiam Cardin. De Lugo dicentis etiam sine interventu Sedis Apostolicae licitum esse transferre Monialem ab uno ad aliud monasterium in poenam delicti propter evidens periculum scandali, et perversionis aliarum monialium. quem casum vere putat esse aequipollentem morbo epidemiae, in Bulla S. Pii V. expresso, quam sententiam idem Pontifex non reprobat, nisi quatenus aliqui ulterius progressi sunt, contendentes translationem in his casibus posse fieri solo Praelati regularis judicio, non requisita, aut obtenta Episcopi licentia. At Apostolicae sedi privative reservatam esse vult licentiam egrediendi e Monasterio, si aliqua Monialis *affectae valetudinis causa, coeli mutatione indigeat, aut necesse habeat salubres aquas potare, earumve balneis mergi et quidem in locis, in quibus ex ipso naturali fonte erumpunt; vel, quod deplorabilius, insania, et furore correpta, aut phthisi, vel scorbuto infecta, ad eum valetudinis statum redacta dignoscatur, ut si in monasterio maneat, verendum sit, ne caeteras Moniales inficiat.* Ita de Syn. Dioec. l. 13. 12. n. 27.]

§. IV. *De Clausura Monialium quoad ingressum.*

Dico. Ingredi intra septa Monasterii monialium nemini licet cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis fuerint sine Episcopi, vel Superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis poena ipso facto incurrenda. Dare autem tantum Episcopus, vel Superior licentiam debet in casibus necessariis, neque alius ullo modo potest, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel concedendi. Ita in terminis Conc. Trid. Sess. 25. de Regul. c. 5.; Gregorius. XIII. Bulla *Ubi gratiae*, et Paulus V. Bulla *Monialium* idem prohibent sub excommunicationis poena reservata Papae iis, qui sub praetextu alicujus indulti dicta monasteria ingredi audent. Abbatissis vero, nec non Abbatibus, et aliis Monasteriorum utriusque sexus personis, sub eadem, et privationis suorum Officiorum, quae obtinent, et inhabilitatis ad illa, et alia in posterum obtinenda, ipso facto sine alia declaratione incurrendis poenis ne ingredi faciant, aut permittant, inquit Gregorius, introducere, seu admittere, vel admissum quoquo modo retinere audeant, inquit Paulus V. Imo idem Gregorius ibidem sub iisdem poenis ipso facto incurrendis prohibet generaliter quibusvis Personis, ne praetextu licentiarum ab Episcopis, vel a Superioribus, Monasteria ipsa Monalium, nisi in casibus necessariis ingredi, neve Moniales sub iisdem poenis illas aliter admittere praesumant.

[Citatae omnes constitutiones, et aliae ad Monialium clausuram pertinentes innovatae, et confirmatae fuerunt a Bened. XIV. Const. *Salutare* 3. Jan. 1742., ubi sub iisdem poenis in eis contentis interdicitur ingressus in dictarum Monialium clausuram quibuscumque Personis, etiam S. R. E. Cardinalibus, Legatis a latere, et Nunciis, revocando, et irritando facultates, ipsis fortasse hactenus concessas super hujusmodi ingressu tam pro se, quam pro aliis; exceptis tamen locorum Ordinariis, aliisque Superioribus, quibus tamquam ordinariis, et ordinaria jurisdictione utentibus, dicta monasteria subjecta, et addicta sunt, in casibus necessariis, et servatis aliis de jure servandis. Insuper in Epistola ejusdem Bened. *Per binas* 24. Januar. 1747. ad Episc. Portugall. statuitur per viam legis universalis, ne recipiantur in monasteria Monialium tam educandae, quam famulae sine licentia Sedis apostolicae, toties quoties opus fuerit, impetranda, et praevio examine super earumdem moribus, fama, habilitate, et necessitate ab Episcopis, et non ab aliis quibuscumque Superioribus faciendo sub poenis impositis contra frangentes clausuram monialium tam in foeminas aliter admissas, quam in Moniales, aliasque in Monasteriis degentes, aliter admittentes. Hanc eamdem prohibitionem fecerat Congr. Episc., et Regul. generali decreto edito 17. Maj. 1603. per haec verba *Nullatenus permittant Episcopi puellas educationis causa in Sanctimonialium monasteria introduci, nisi S. Congr. licentia suffultas.*

Quamvis excommunicatio lata a Tridentino non sit reservata, si tamen violatio clausurae fiat per ingressum ad malum finem est specialiter reservata ex Decreto Clem. XI., ut alibi dicetur. Aliae vero Constitutiones licet videantur loqui de ingredientibus, et de admittentibus praetextu facultatum, vel licentiarum, tamen ex stylo Curiae, et multorum Doctorum sententia generaliter intelliguntur, etiamsi non eo praetextu id fiat. Non desunt tamen Doctores, qui contrarium dicant, sed ex horum sententia sequeretur, quod hodie introducentes nullam incurrerent excommunicationem, aut poenam latae sententiae

Dicitur in Decreto Trident. *Nemini liceat cujuscumque generis, aut conditionis, sexus, vel aetatis.* Movetur hic quaestio an hoc textu prohibeantur ingredi infantes, id est ante usum rationis, ita ut saltem introducentes incurrant excommunicationem. Sententiam negativam tenet Reinf. l. 3. tit. 35 de statu Monach.

§. 2. n. 39. cum DD. ibi citat. Paulus tamen Comitulus Soc. Jesu cum aliis affirmativam tenet. Respons. moral. l. 6. q. 19. n. 6, testaturque ita etiam rescriptum fuisse a Card. S. Severinae Majori Poenitentiario ad Episcopum Perusinum, cujus litteras dicit insuper se legisse. Idem mordicus sustinet Matthaeuc. Offic. Cur. c. 32. n. 22., ubi refert plura S. Congr. decreta hoc declarantia, et de stylo Curiae dicit, introducentes absolvi a Sede Apostolica. Et quidem merito. Cum enim in citata Constit. *Ubi gratiae* prohibeatur ne ingredi faciant, vel permittant *Quemquam*, hoc generali nomine comprehenduntur omnes, cujuscumque aetatis sint, potissimum cum dicta Constitutio sit ampliativa decreti Trid., a quo prohibitus erat ingressus cuicumque cum Clausula *cujuscumque aetatis fuerit.*, Ab hac autem prohibetur introductio, ideoque relationem necessariam habere debet ad eos omnes, quibus Trident. ingressum prohibuit. Quae hic dicuntur militant etiam pro introductione Puellarum ante usum rationis in Clausuram Virorum.

Dicitur *sine Episcopi vel Superioris licentia.* Quamvis disjunctiva particula sit in Verbis Concilii, si agatur tamen de monialibus exemptis, ut regularibus subjectis, declaratum est Decreto Congr. Concil. approbato ab Urbano VIII. 13 Nov. 1620, et relato a Benedicto XIV. de Syn. Dioec. c. 12. n. 23. licentiam dandam esse tam pro ingressu in casibus necessariis, quam pro accessu ad loquendum cum ipsis, nedum ab earum Superioribus, sed etiam a locorum Ordinariis, non obstante quod Trident. utatur particula disjunctiva. Imo in altero decreto ejusdem Congreg. pariter a dicto Pontifice approbato 21. Maj. 1630, et pariter relato cit. n. 23. sufficit tantum ipsorum Ordinariorum licentia, ubi viget consuetudo, ut ab iisdem dumtaxat petatur.

Dicitur *licentia in scriptis obtinenda.* Communius censent Auctores facultatem generalem concessam Abbatissae ad concedendas licentias in casibus ordinariis, et necessariis, non requiri, quod sit in scriptis, sed posse oretenus dari. Dare autem Episcopus, vel Superior debet licentiam tantum in casibus necessariis. Intellige necessitatem non physicam, sed moralem. Itaque possunt ingredi Medici, Opifices necessarii, et omnes, qui requiruntur ad debitam monasterii conservationem, seu administrationem sive temporalem, sive spiritualem. Haec autem necessitas moralis admittit latitudinem, minor enim causa requiritur pro concedenda licentia foeminis, quam Viris, minor pro Matre, aut Sorore, quam pro extraneis, minor ad ingredienda loca viciniora portae clausurae, quam interiores officinas.

Etiam quoad ipsos Praelatos Monialium, tam saeculares, quam regulares per Bullam Greg. XIII. *Dubiis quae emergunt* limitata est facultas sibi ex officio attributa ingrediendi Monasteria ad casus necessarios, et paucos, in quibus incedant senioribus, ac religiosis Personis comitati, etiamsi Superiores sint Episcopi, vel Cardinales. Alias transgressores Episcopi incurrunt eo ipso interdictum ab ingressu Ecclesiae pro prima vice, pro secunda suspensionem a munere pontificali, pro tertia, et ulteriori excommunicationem, quae tamen non est reservata. Quoad Superiores vero regulares ex Const. Alexandri VII. *Felici* 13 Kal. Nov. 1664. pro Italia, et Insulis adjacentibus lata est in eos excommunicatio, ac privatio Officiorum, praeterea inhabilitas ad illa, ac privatio vocis activae, et passivae, ipso facto absque alia declaratione incurrenda (quae tamen poenae non sunt reservatae) si contra quascumque ordinationes, et regulas infra praescriptas facere vel moliri praesumant, aut adimplere negligant videlicet 1. Si ultra unam vicem quolibet Anno ex causa visitationis monialium septa ingressi fuerint; atque ita, ut si eo anno Provincialis visitaverit, eodem Anno Generalis visitare nequeat. 2. Si causa reparandae clausurae pluries ingrediantur sine praesentia Episcopi Dioecesani, vel alterius Ecclesiastici ab eo ad hoc deputati 3. Si non vi-

sitent per seipsos, sed per Substitutos, etiamsi fuerint legitime impediti) quo casu differatur visitatio in aliud tempus, quo cessaverit impedimentum) tam in visitatione locali, quam personali; personali quidem peragenda ad crates extra septa, localis vero cum assistentia quatuor Monialium ex senioribus, numquam separandis a Visitatore, ejusque sociis, unica die post ortum, et ante occasum solis nulla sumpta in monasterio refectione; reliquis interim Monialibus, et puellis saecularibus in Monasterio degentibus, convenientibus in Choro ante ingressum Visitatoris, ibique permanentibus, quousque ipse egrediatur cum Sociis. Visitator autem, si sit Generalis, possit secum ducere duos Socios sui ordinis, si alius a Generali unum tantum, numquam in actu visitationis ab invicem separandos 4. Si non separaverint a Monasterio habitationem Confessarii, tam per parietes, quam per tecta, in qua praeter ipsum, ejusque socium nemo alius regularis, etiamsi Superior sit, pernoctare possit, 5. Si Confessarius tam ordinarius, quam extraordinarius ingrediatur monasterium, praeterquam in casu administrationis sacramentorum, et commendationis animae aegrotantium, et tunc si ingrediatur sine socio probatae vitae, ac maturae aetatis, qui ita manere debet, ut semper ad invicem videri possint. Et nota quod si extra dictum casum ingrederetur excommunicationem reservatam incurreret, de qua supra. Praeterea in citata Constitutione statuitur, ut Episcopus tamquam Delegatus Sedis Apostolicae dictos Superiores contravenientes corrigere, et punire valeat, non obstantibus eorumdem privilegiis, et exemptionibus.

§. V. *De prohibitione alloquendi Moniales, et de earum Confessariis.*

Crebrae allocutiones Regularium cum Monialibus, visae sunt quodammodo adversari fini perfectae clausurae, cujus praecipuus scopus fuit segregare Moniales ab hominum consortio, ut liberius orationi vacent, et Deo unice animum intendant. Idcirco pluribus Pontificiis sanctionibus vetitus fuit regularibus accessus ad Moniales etiam sui ordinis, suisque Praelatis subjectas, sine expressa licentia non solum ejusdem Praelati regularis, sed etiam Episcopi sub poena privationis vocis activae, et passivae ipso facto incurrendae. Sancitum id fuerat a Sixto V. anno 1590: cujus decretum Paulus V. Urbanus VIII., aliique posteriores Pontifices confirmarunt. Tentantibus vero Regularibus varia effugia, ut ejusmodi sanctiones eluderent prodierunt nova decreta a S. Congr. Concil. quae die 11. Maji. 1669. declaravit Regulares quoscumque *absque legitima facultate* accedentes ad colloquendum, *etiam per quodcumque modicum temporis spatium cum Monialibus, aut aliis intra Clausuram degentibus, peccare mortaliter, eosque sub excommunicationis, privationis vocis activae, et passivae, aliisque contra Regulares accedentes sine licentia ad monasteria monalium statutis poenis, posse ab Ordinario tamquam Sedis Apostolicae Delegato coerceri.* A qua excommunicatione nequeunt absolvi a suis Superioribus, etiamsi agatur de accessu, et colloquio cum Monialibus proprii ordinis, ut ex altero decreto in Viterb. 26. Iun. 1627. Die vero 26. Novemb. 1672. respondit nullam quantumvis honestam, et rationalem causam eximere a gravi culpa regulares accedentes ad Moniales sine Episcopi licentia; Et die 21. Maj. 1678. iisdem poenis affici Regulares, qui post habitam ad Moniales concionem, de quibuscumque rebus cum iisdem loquuntur, nisi specialem quoad hoc facultatem ab Episcopo antea impetraverint. Sub nomine autem Monialis comprehendi etiam Abbatissas jam declaraverat die. 14. Nov. 1654. Excipiuntur tamen ab hac prohibitione Superiores ipsarum Monialium, Visitatores, et Confessarii tam ordinarius, quam extraordinarius, cum ad tempus deputabitur.

Pluries praeterea dicta S. Congr. Conc. decrevit posse Episcopum impone-

re censuras, aliasque poenas, nedum contra Regulares, sed etiam contra Clericos, et Laicos colloquentes sine ipsius licentia cum Monialibus. Qua de re Bened. XIV. in Epist. decret. ad omnes Archiep., Episcopos, aliosque Ordinarios ditionis Ecclesiasticae incip. *Gravissimo* die 31. Octob. 1749. declaravit eidem prohibitioni subjacere quoad vim directivam etiam Episcopos alienae Dioecesis, Vice Legatos, et actuales locorum Gubernatores, licet Praesules. Quia vero hi ordinariae Episcoporum jurisdictioni non subsunt, ac proinde immunes sunt a vi coactiva, et a poenis statutis, praecipit quod *si aliquando contigerit, ut eorum aliqui.... ad Monasteria monialium se conferant; et cum iis Episcopi injussu agant, infringentes Synodorum sanctiones, atque Episcoporum edicta.... hi Romanum Pontificem, aut Congr. Episc. et Regul. certiorem faciant ad contemptam episcopalem auctoritatem vindicandam.*

Ad idem rerum genus pertinent, quae de Monialium Confessariis addenda sunt. Et quidem ex Constit. *Inscrutabili* Gregor. XV. 5. Febr. 1622. Regulares nec audire possent confessiones monialium iisdem subjectarum sine approbatione Episcopi nisi sint Generales, vel Provinciales ex Const. Bened. XIII. *Pastoralis Officii* 27. Mart. 1726. ibi Ab *hujusmodi tamen lege, et ordinatione eximimus Superiores Generales, ac etiam Provinciales cujuscumque Ordinis Regularis, quibus, ut confessiones Monialium, sibi tamen subjectarum dumtaxat absque istiusmodi speciali approbatione Episcopi Dioecesani audire licite et valide possint, permittimus, et indulgemus.* Approbati in Confessarios ordinarios pro uno monasterio, non intelliguntur approbati pro altero, nec approbati pro una vice, expleta deputatione, audire possunt sine nova approbatione, toties quoties obtinenda, earundem monialium confessiones ex declarat. Clem. X. Const. *Superna.* Ex decreto Conc. Trid. Sess. 25. c. 10. Praelati monialibus sibi subjectis extraordinarium confessarium bis, aut ter in anno exhibere tenentur, quod decretum a Bened. XIV. Const. *Pastoralis* 5. Aug. 1748. ampliatum est ad pluries etiam, quam tribus vicibus in Anno, quodque cupit extendi ad omnium mulierum communitates: imo vult extraordinarium concedi etiam singulis Monialibus, vel aegrotantibus, vel etiam ex alia justa causa petentibus; statuitque Praelatum regularem saltem semel in Anno teneri deputare extraordinarium monialibus sibi subjectis vel ex clero saeculari, vel ex alio ordine regulari. Si Praelati regulares in his deficiant, datur facultas Episcopis supplendi eorum defectum. Coram extraordinario omnes moniales debent se sistere, et si nolint illi confiteri, saltem ad salutaria monita, extra confessionem accipienda. Expleto vero suo munere, sive deputatus fuerit communitati, sive alicui particulari in monasterio degenti, interdictus est Extraordinario accessus ad idem monasterium sub poenis in accedentes ad Moniales. Ordinarius autem durante extraordinario non potest audire confessionem cujuscumque intra Monasterium, aut piam Domum degentis. Poena statuta contra Ordinarium est privatio ab officio Confessarii: contra Moniales vero apud ipsum confessionem sacramentalem peragentes, quoad Superiorissam privatio ab officio, quoad moniales vocis activae per unum Annum, quae tamen poenae sunt ferendae sententiae. Girald. Expos. Jurjs Pontif. p. 2. sect. 105. pag. 972.]

DISSERTATIO III.

De iis, quae competunt Religiosis, et de Religionum distinctione

S. Thom. 22. *QQ.* 187. 188.

Articulus I.

De actionibus, et privilegiis Religiosorum

Suppono 1. contra Magistros Parisienses, et Guillelmum de S. Amore religiosos vi status non prohiberi docere, praedicare, Sacramenta Eucharistiae, et Poenitentiae administrare, aliasque functiones ecclesiasticas exercere, quas tamen vi status praecise licite exercere non possunt, sed solum si ipsis a Superioribus quibus ex officio competunt, committantur. [Quid autem possint regulares quoad administrationem sacramentorum Poenitentiae, et Eucharistiae videbitur in propriis locis. Quoad praedicationem vero Verbi Dei ex Decr. Conc. Trident. sess. 5. c. 2. de Reform. Regulares praedicare volentes etiam in propriis Ecclesiis praeter examen, et approbationem suorum Superiorum, tenentur petere benedictionem ab Ordinariis, et contrafacientes ex Const. Greg. XV. *Inscrutabili* 5. Febr. 1622. puniendi sunt ab Episcopis tamquam Delegatis Sedis Apostolicae etiam extra visitationem, censuris, aliisque poenis; sicuti si praedicaverint in alienis Ecclesiis sine eorum licentia. Clemens autem X. Const. *Superna* 21. Jun. 1670. statuit, ut iidem Regulares praedicare possint in propriis Ecclesiis quamvis petitam benedictionem non obtinuerint; non possunt autem, si Ordinarii ne dum illam non concesserint, sed etiam contradixerint, qui tamen sine justa, et rationabili causa contradicere non debent. Et haec omnia intelligenda sunt, etiamsi Regulares habere voluerint sermonem in quibusvis Oratoriis sui ordinis coram Populo, vel in Ecclesiis, aut ad crates Monialium sibi subjectarum, licet clausis januis, et nullus saecularis intersit. Potest tamen Episcopus, licentiam concessurus, eosdem examinare si praedicare voluerint in alienis Ecclesiis, licet nominati fuerint ab Universitatibus, et Magistratibus, ac ab immemorabili tempore Episcopi antecessores concedere consueverint licentiam praedicandi absque examine; item suspendere potest licentiam semel concessam ob rationabiles causas etiam occultas, praedicationem concernentes. Praeterea vetitum est Regularibus ne in suis Ecclesiis conciones habeant ea hora, qua Episcopus per semetipsum praedicat, qui potest habere concionem ad Populum in qualibet suae Dioecesis Ecclesia, etiamsi ad Regulares pertineat. Alteram vero prohibitionem, ne regulares praedicent quando Episcopus coram se solemniter praedicare facit, S. Congr. Concilii censuit limitandam ad casum, quo Episcopus *ex causa publica, convocatis Clero, magistratu, et Populo, coram se praedicare facit*, tunc enim illi licere dixit praecipere regularibus, ut a praedicando abstineant, atque inobedientes poenis etiam censurarum coercere. V. Bened. XIV. de Syn. Dioec. L. 9. c. 17. n. 7.]

Suppono 2. licere Religiosis cum debita moderatione secundum licentiam Superioris gerere negotia saecularia non ex cupiditate, aut alio motivo profano, sed ex charitate; hoc ipso enim quod proximo serviunt propter Deum, obsequuntur dilectioni divinae, in qua sita est perfectio religiosa. Dixi *cum debita moderatione* quia sunt quaedam negotia saecularia, quae omnino dedecent statum religiosum; quae ideo non per se, sed exercere possunt per alios dirigendo, instruendo, alloquendo etc.

Petes 1. an Religiosi per se, et secluso praecepto regulae teneantur laborare

manibus? Dixi *secluso praecepto regulae*, quia fuit hujusmodi praeceptum in variis regulis, ut S. Benedicti. c. 48., S. Macharii c. 10., et 11., S .Basilii. reg. 37. et sequ., et in aliis pluribus. Resp. non magis teneri, quam saeculares. Prob. Labor manuum est necessarius vel ad quaerendum victum, vel ad otium vitandum, vel ad carnem macerandam, vel ad eleemosynam faciendam in urgente pauperum necessitate. Atqui religiosi non secus ac saeculares possunt habere unde vivant, vel ex possessione bonorum in communi, vel ex eleemosynis fidelium: possunt etiam vitare otium, et carnem macerare per vigilias, orationes, jejunia, et alia exercitia spiritualia; tandem necessitas laborandi ad dandam eleemosynam non urget nisi in pauperum necessitate, cui non possit aliter subveniri, quo casu non magis obligantur religiosi quam saeculares. Ergo. Responsio est pariter contra Guillelmum de S. Amore, contra quem scripsit S. Thom. opusculum, cui titulus *Contra impugnantes Dei cultum, et religionem* et hanc praesentem quaest. 187. in Summa 2. p. Hinc sequitur licitum esse religiosis vivere ex eleemosynis sive sint parvae, et quotidianae, sive consistant in perpetuis reditibus; sunt enim suae, saltem quantum ad usum, utpote ipsis donatae, vel ex liberalitate, vel ex aliquo debito ratione ministerii spiritualis.

Petes 2. An licitum sit Religiosis mendicare? R. Non esse licitum causa acquirendi divitias, vel victum otiose ut patet, et talis mendicitas jure civili prohibetur Cod. de mendicis lib. 11. Licere tamen 1. *causa humilitatis* cum sit laudabile colere virtutem, et mendicitas, quae habet adjunctam abjectionem, est efficax remedium contra superbiam. Ergo laudabile est, abdicatis divitiis propter Christum mendicare causa humilitatis. 2. *Causa necessitatis*, ut cum quis non potest habere unde vivat, nisi mendicando.

[Petes. 3. An regulares gaudeant aliquibus privilegiis, et quae ea sint.?(Revocanda hic sunt, quae de privilegiis diximus in Append. ad dissert. 5. in tract. de Legibus.) Resp. Regulares, quatenus Clerici sunt, gaudent privilegiis, quae sunt Clericis communia, praesertim iis, quae fori, et canonis nuncupantur. Quatenus vero regulares sunt, habent quaedam privilegia singulis Ordinibus specialia, quae in illos Romani Pontifices contulerunt, et quaedam omnibus communia, quorum praecipua haec sunt: Ut domus quaeque regularium suos Ministros habeat, et Praefectos, omnesque uni capiti, tamquam summo Moderatori, subjiciantur; Ut quaelibet regularium Familia propriam habeat Ecclesiam, seu Sacellum, ubi non solum preces Deo fundant, sed etiam privilegio Sedis Apostolicae Liturgiam celebrare, et plura sacra facere possint, quae propria sunt Ecclesiarum Cathedralium, et Parochialium; Ut omnes regulares sint exempti ab Episcopi potestate, et Sedi Apostolicae subjecti, quod intelligendum est secundum mentem Concil. Trident., et recentiores constitutiones Romanorum Pontificum. Hinc plures casus sunt, in quibus Episcopi jurisdictionem debent in regulares, sive ordinariam, sive delegatam. Nimis tamen longum esset eos singillatim recensere, sed videre eos quisque poterit apud Natal. Alex. in Append. 1. ad tom. 1. Theol. Dogm. citat. a Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 9. c. 15. n. 4. et seq.; ubi etiam plures hujusmodi casus referuntur. Praesertim vero Episcopi jurisdictio sese exerit in Regulares, animarum curam exercentes, cujus actus jurisdictionales describit, et determinat Ben. XIV. Constit. *Firmandis.* 4. Nov 1744.

Quoad vero privilegia specialia cujuscumque Ordinis noverint Regulares, horum plurima jam concessa, fuisse in posterum revocata, ut notat Girald. apud Maschat Inst. Can. l. 5. tit. 33. de Privil. et excess. §. 2. post. n. 24.; hinc, antequam iisdem utantur, serio perpendant, an revera hactenus subsistant. Insuper in communicatione, quam cum aliis religionibus habent, advertant, eam non se extendere 1. ad privilegia adversantia eorum instituto, sicut privilegia laxioris

religionis, quae strictiori accommodari nequeunt 2. ad privilegia poenalia, et odiosa, nisi et hoc cederet in favorem religionis 3. ad privilegia exorbitantia, quae non intuitu religionis, sed alterius causae particularis sunt concessa. Hinc quamvis detur inter Regulares communicatio indulgentiarum, ita ut Religiosus praestitis praestandis, non tantum lucrari possit indulgentias, cuicumque Religioni concessas, sed etiam indulgentiae concessae pro festivitate S. Fundatoris unius Ordinis, applicantur Festivitati Fundatoris alterius Ordinis in privilegiis communicantis, non tamen communicant in Indulgentia Portiunculae, imo nec privilegio Altaris ut declaravit S. Congr. Indulg. die 5. Febr. 1748.]

Articulus II.

De Religionum distinctione

Petes 1. Utrum sit una tantum Religio, an plures? R. si spectetur finis remotus, et principalis Religionum, scilicet perfectio charitatis, et media principalia ad hunc finem consequendum, scilicet tria vota essentialia, est unica tantum religio, ut patet. Si vero spectentur fines proximi, et diversa media ad hos fines, sunt diversae religiones. Atque id fuit conveniens ad decorem, et utilitatem Ecclesiae, majusque Dei obsequium. Antiquissima autem est in Ecclesia ista Religionum varietas. V. S. Hier. Epist. ad Eustoc. de virgin. S. August. l. de moribus Ecclesiae c. 31; Cassian. coll. 18.

Petes 2. Ad quid potest institui Religio? R. 1. Potest institui religio aliqua ad corporalia opera vitae activae, ut ad suscipiendos peregrinos, redimendos captivos, et ad alia charitatis, et misericordiae opera. Status enim religionis ordinatur ad perfectionem charitatis, haec autem se extendit ad dilectionem Dei, et proximi. Hinc sequitur potuisse institui Religionem ad militandum propter defensionem sive fidei, et Religionis, sive Reipub., sive pauperum, et oppressorum, haec enim sunt opera vitae activae, subventionem proximorum spectantia. Sequitur 2. a fortiori posse institui Religionem ad praedicandum, et ad confessiones excipiendas, quia per hujusmodi officia spiritualia magis procuratur utilitas proximorum, et Dei obsequium.

Resp. 2. Congrue potest institui religio ad studium sacrae Doctrinae, et earum doctrinarum, sine quibus sacra doctrina haberi non potest. Si enim religio sit ordinata ad praedicandum, et administrandum sacramenta, patet ad haec requiri studium sacrae doctrinae. Si vero sit ordinata ad vitam contemplativam, opus est etiam sacra doctrina, qua illustretur intellectus, et dirigatur in consideratione divinorum, removeanturque pericula contemplationis, scilicet errores, qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant. Insuper in quacumque religione etiam contemplativa oportet esse aliquos, qui conscientias dirigant. Quibus addi potest illud. S. Hieronymi *Ama scientiam Scripturarum, et carnis vitia non amabis.*

Petes 3. Quae sit Religio excellentior? Nota excellentiam unius religionis supra aliam primario attendi secundum religionis finem, secundario secundum media ad illum finem. Hoc posito Resp. 1. Inter religiones supremum gradum tenent mixtae, quae ex plenitudine contemplationis, cui vacant, comtemplata fidelibus communicant per doctrinam, praedicationem, et alia officia spiritualia; atque hoc fuit officium Christi, et Apostolorum. Secundum gradum tenent religiones, quae ad comtemplationem ordinantur. Tertium gradum quae circa res corporales occupantur, quia vita contemplativa praeeminet activae solum; juxta illud Christi Luc. 10. *Maria optimam partem elegit quae non auferetur ab ea.*

R. 2. In singulis ex praedictis gradibus praeminentia attenditur ex triplici

capite 1. Ex fine si una religio ordinetur ad perfectiorem actum in eodem genere; sic in vita activa potius est captivos redimere, quam peregrinos hospitio suscipere, in vita contemplativa melior est oratio, quam lectio 2. Si una religio ad plures actus in eodem genere ordinetur. 3. Quando eumdem, seu aequalem finem habent, desumitur praeminentia ex parte mediorum, seu statutorum, et observantiarum, non secundum se, seu secundum quantitatem, sed quatenus sunt convenientiora, et majori discretione ad finem consequendum accomodata.

Petes 4. Utrum habere aliquid in communi minuat perfectionem religionis? Dicitur *in communi* quia habere aliquid proprium repugnat perfectioni Religionis. R. Religionibus, quae ordinantur ad corporales actiones vitae activae ut ad militandum, ad curandum infirmos etc., competit habere abundantiam divitiarum, alioquin non possent assequi finem, ad quem sunt institutae. Religionibus accommodatis ad contemplandum competit habere divitias moderatas, quia quo minor est sollicitudo circa illas, eo magis animus est contemplationi idoneus. Religionibus tandem, quae ordinantur ad contemplandum, et ad contemplata aliis tradendum per praedicationem, et alia spiritualia exercitia, competit habere quam minimum bonorum in communi, ea scilitet mobilia vitae necessaria, quae congruo tempore procurata conservantur. Haec enim religio majorem spiritualium sollicitudinem requirit, quam quae est instituta ad contemplandum tantum, quae sollicitudo spiritualis per sollicitudinem temporalium impediretur.

Petes 5. Utrum perfectior sit religio in societate viventium, quam agentium vitam solitariam? R. 1. Cum solitudo non sit instrumentum congruum actioni, sed contemplationi, non congruit religionibus ordinatis ad opera vitae activae, sive corporalia, sive spiritualia, nisi forte ad tempus exemplo Christi, qui *exiit in montem solus orare, et erat pernoctans in oratione Dei.* Luc. 6. Quoad religiones vero soli contemplationi vacantes, R. 2. majorem esse perfectionem eorum, qui vitam solitariam ducunt, quam qui coenobiticam, et socialem. Vita enim coenobitica est eorum, qui ad perfectionem tendunt, vita autem solitaria, si debite assumatur, est perfectorum, tam quoad intellectum, quam quoad voluntatem; alioquin qui nondum perfectus solus vivit, a quo instruetur ad contemplandum sine errore? quomodo virtutes, et passionum mortificationem discet, et acquiret? Quapropter vita solitaria indebite sumpta est periculosissima.

DISSERTATIO IV.

De Religionis ingressu, novitiatu, et professione

S. Th. q. 189.

Articulus I.

De conditionibus recipiendorum ad Religionem

Petes. 1. Qui possint admitti ad Religionem? Resp. Quisquis baptizatus, qui est sui juris, et nullo aliunde impedimento irretitus, potest admitti ad Religionem, quia Religio est bonum commune, a quo nemo repelli potest absque justa causa. Dixi *qui est sui juris* quia alioquin non posset se totum tradere religioni. Hinc sequitur 1. quod Servus seu mancipium non potest admitti sine consensu Domini, nec valida est ejus professio, nisi fiat post triennium ab ingressu, in quo a Domino non sit requisitus. Si tamen admittentes noverint ab initio esse Servum, invalida est professio etiam post triennium. Sequitur 2. Episcopos, qui ratione voti taciti, quod emittunt in sua consecratione, perpetuo adstringuntur suae Ec-

clesiae sub obedientia Papae, nec licite, nec valide posse admitti ad religionem Cap. *Licet quibusdam* 18. de Regul. l. 3. tit. 31. Secus dicendum de Presbyteris etiam Curatis, et Archidiaconis, hi enim licite, et valide possunt ingredi, et profiteri religionem, etiam contradicente Episcopo, non tamen eo inconsulto. Ita cap. *Duae sunt* 19. q. 2. Sequitur 3. Conjuges consummato matrimonio nec valide nec licite posse admitti ad religionem, nisi ex consensu compartis, quae debet pariter ingredi, et profiteri religionem. Dixi *consummato matrimonio*, quia primum bimestre a jure conceditur conjugibus ad deliberandum de ingressu religionis, unde in eo non tenentur reddere debitum, ita ut adveniente professione dissolvatur Matrimonium, et pars remanens in saeculo potest transire ad alias nuptias. Utrum vero uxor vi oppressa a Marito intra bimestre possit adhuc ingredi, et profiteri religionem, resolutio mihi videtur dubia, quia (etsi per violentiam) matrimonium est consummatum, et conjuges facti una caro, sicque non sunt sui juris. Pro injuria autem satisfaciat oppressor meliori quo potest modo. Sequitur 4. a fortiori non impedire ingressum in Religionem sponsalia etiam jurata, quae sunt minus vinculum, quam Matrimonium ratum. Excipe casum quo Sponsus violaverit Sponsam sub promissione Matrimonii, quia tunc res promissa non est tantum matrimonium ratum, sed etiam consummatum, et hoc nomine matrimonii intelligunt promittentes, et promissarii. Idem dic de illo, qui sine promissione, vi, vel fraude virginem defloravit, nec potest nisi nubendo ejus infamiam impedire. In his tamen casibus esset valida professio, licet illicita. Dixi *et nullo aliunde impedimento irretitus*. Hinc

Petes 2. Quotuplicis generis sint impedimenta religionis suscipiendae? Resp. Quaedam sunt ex jure naturae, quaedam ex jure positivo, quaedam impedientia tantum, quaedam dirimentia non secus ac in matrimonio. Impedimenta dirimentia sunt, praeter jam dicta de defectu juris in seipsum, primum differentia sexus, ita ut vir nec valide, nec licite potest recipi, aut profiteri in conventu mulierum, nec mulier in conventu virorum, hujusmodi enim professio non fieret in Religione ab Ecclesia approbata. 2. Si recipiendus sit Hermaphroditus. 3. est amentia, ad professionem enim requiritur consensus liber, cujus amens est incapax 4. est defectus aetatis sexdecim annorum, et anni novitiatus. Ita Trident. sess. 25. de Regul. c. 15.

Ratione vero impedimentorum impedientium illicite admittuntur, et profitentur 1. Filius, cujus parentes sunt in gravi necessitate, de quo casu dixi in Append. ad Tract. de Relig., ubi de Virtut. justitiae annexis. 2. Criminosi, idest gravium criminum rei, si tamen sint notorii aliqua notorietate juris, puta quod de iis facta sit accusatio, seu inquisitio a Judice saeculari. Ita Sixtus V. Const. *Cum omnibus*, qui illorum professionem irritaverat; sed quam irritationem sustulit Clemens VIII. Const. *In suprema* relictis tamen poenis inrecipientes, scilicet privatione vocis activae, et passivae, et officiorum, graduum, dignitatum, ac inhabilitatis ad illa. 3. Excommunicatus etiamsi tolleratus. Aliae autem censurae, quatenus impediunt a divinis, etiam impediunt susceptionem habitus. 4. Illegitimus illicite recipitur in Religione, in qua ejus Pater professus adhuc vivit, et recipiens excommunicatur ex Gregor. XIV. Bulla *Circumspecta*; valide tamen recipitur, et profitetur, quia non irritatur. 5. Ingenti aere alieno supra vires suarum facultatum gravati, vel ratiociniis reddendis obnoxi. Admittentes privantur voce activa, et passiva, officiis, dignitatibus, gradibus, et sunt perpetuo inhabiles ad illa. Ita Sixtus V. cit. Bulla *Cum omnibus*, in qua etiam irritaverat illorum professionem, quam tamen irritationem sustulit Clemens VIII.

Observandum hac Constit. Sixtina non comprehendi 1. Moniales, ut idem Sixtus declaravit alia Const. *Ad Romanum* 2. Ordines militares 3. Debitores incerti,

qui scilicet ignorant cui debeant, ut ex Bulla Sixtina 4. Debitores ex liberali promissione, comprehenduntur tamen debitores ex delicto.

6. Illicite recipiuntur infames sive ex delicto enormi notorio notorietate juris, sive ex poena ignominiosa a Judice imposita, nisi poenitentia diuturna, et morum sanctitate infamiam diluerint; sive infames ex genere artis, seu facti, ut carnifices, scurrae, histriones, lenones, nisi officio dimisso singularibus meritis diluerint infamiam.

Articulus II.

De Novitiatu.

Petes 1. Quid sit novitiatus, et quae conditiones ad illud peragendum requirantur? R. Novitiatus est mutuum experimentum, quo religio ex una parte experitur mores, et qualitates Novitii, ut videat an expediat illum admittere, vel ejicere; et Novitius ex altera parte experitur religionem, austeritates, et statuta, suamque indolem, ut videat an sibi expediat illam profiteri. Quod cum sit nunc institutum in bonum totius religionis, et Ecclesiae, non potest illi renuntiari ex consensu utriusque partis.

Conditiones ad illum requisitae sunt 1. quod Novitiatus debet regulariter peragi in habitu religionis, quam intendit profiteri novitius. Nullo autem jure sive antiquo, sive novo statuitur quod debeat esse distinctus ab habitu Professorum, et servandus est ritus cujusque religionis, et si forte ex alicujus statuto declaretur irritus Novitiatus non peractus in habito distincto, habendus est pro irrito. Habitus vero debet recipi a legitimo Superiore.

2. Novitiatus debet fieri in monasterio ad hunc finem designato, alioquin est irritus, et professio nulla.

3. Novitiatus ex Trid. sess. 25. de Regul. debet durare per annum integrum, et communior sententia tenet, debere esse integrum mathematice a momento ad momentum, ita ut siquis inchoet Novitiatum hora decima primae diei hujus anni, non possit valide profiteri, nisi hora decima primae diei anni sequentis, sitque invalida professio, si fiat ante dictam horam; et quantum ad annum bissextilem annus non censetur integer, nisi computato die superaddito, quia politice, et civiliter ille annus non censetur integer, nisi constans 366. diebus; et duo dies qui dicuntur Sexto Kalendas Martii, pro uno habentur, unde qui incoepit novitiatum 27. Februarii an. 1755., non potest profiteri nisi 28. Febr. anni sequentis. S. Pius V. tamen Const. *Summi Sacerdotis* anno 1570. concessit Monialibus S. Dominici, consequenter per communicationem aliis tam mulieribus, quam viris ut, in casu morbi, medici judicio, mortalis, possint profiteri ante annum completum Novitiatus, dummodo habeant aetatem requisitam, scilicet annum 16. completum. Ex verbis tamen ejusdem Bullae multi conjiciunt quod hujusmodi professio non sit absoluta, et rata, sed solum facta, et acceptata sub conditione mortis sequuturae, ita ut si mors non sequatur, nulla sit, sed debeat fieri altera, completo anno novitiatus. Si tamen mors sequatur, purificata conditione evadit absoluta [Est tamen proficua solum ad spirituales effectus, ad assequendas nimirum indulgentias, numquam vero ad temporales effectus, videlicet ad tribuendam monasterio actionem, qua dotem, ac reliqua bona sic professae monialis petere valeat. Atque ita declarasse S. Congreg. Concilii. refert Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 12. n. 6. Quae S. Congregatio in alia etiam causa rescripsit professionem puellae, educationis causa in Monasterio Monialium S. Dominici receptae, nullam fuisse licet in exitu vitae emissam, propterea quod religiosae probationis annus non praecesserit, ut pariter refert idem Pontifex loc. cit. n. 3.]

Etiam transeuntibus ab una religione ad aliam sive strictiorem sive laxiorem necessarius est novus annus probationis. Quamvis autem annus novitiatus secluso privilegio non possit minui, potest tamen prorogari ex causa legitima, puta infirmitatis, defectus scientiae, aut morum, qui tamen defectus sperentur corrigibiles. Vid. Passerin. ad qu. 189. inspect. 4. n. 57., et sequ.

4. Annus Novitiatus debet esse continuus, alias nulla est professio; ita communissime Theologi, Canonistae, et Juristae. Hinc per exitum a conventu dimisso habitu, et cum animo relinquendi religionem, sive id faciat Novitius propria voluntate, sive juste ejectus, interrumpitur Novitiatus, ita ut si post unam, vel alteram diem, vel etiam post aliquot horas Novitius redeat, teneatur denuo probationis annum inchoare. Qui vero dimisit habitum animo redeundi ad saeculum, si antequam exeat a conventu facti poenitens, habitum resumat, non interrumpit Novitiatum: imo nec interrumpit, qui retento habitu exiit sine licentia e conventu etiam animo non redeundi, si iste animus non manifestetur exterius per aliquam circumstantiam, qualis esse potest diuturnior permanentia extra conventum; cum enim religio sit status visibilis in facie Ecclesiae, ita continuatio, vel discontinuatio novitiatus debet esse visibilis, unde cum Ecclesia non judicet de internis, quivis animus religioni contrarius, si non manifestetur exterius non interrumpit Novitiatum, qui est de jure ecclesiastico. Item valide incipit, et peragit novitiatum, qui ficte ingreditur religionem animo non profitendi, vel etiam qui tempore novitiatus mutat animum, quem prius habuerat profitendi, si uterque finito anno intendat sincere profiteri, valide enim profitetur absque novo novitiatu. Idem dicendum de eo qui vi, aut metu suscipit habitum, et in eo perseverat usque ad finem Anni, modo cessante vi, aut metu libere profiteatur [Advertendum hic est, quod eogentes quocumque modo foeminas, praeterquam in casibus a jure permissis, ad ingrediendum Monasterium vel ad suscipiendum habitum cujuscumquae religionis, vel ad emittendum professionem, quique consilium, auxilium, vel favorem dederint, imo etiam praesentiam, consensum, vel auctoritatem interposuerint incurrunt excommunicationem latam a Trid. sess. 25. c. 18. de Regul. Vid. Append. ad Tract. de Relig. ubi de obedientia. Est insuper sciendum a Benedicto XIV. in Const. *Pastor bonus* § 27. facultatem concedi Majori Poenitentiario dispensandi *in occultis, et in foro conscientiae tantum, cum Virginibus quae petunt vel obtinuerunt ingredi, vel jam ingressae sunt in Conventus, seu in Monasteria destinata pro Mulieribus ad bonam frugem traductis ad effectum ea licite ingrediendi, ac profitendi, et officia quaecumque suscipiendi, et exercendi*]

Petes 2. An Novitii gaudeant aliquibus privilegiis? R. affirmative et quidem privilegiis Professorum, quia secundum jura in favorabilibus reputantur Religiosi. Hinc gaudent 1. privilegio canonis, et fori 2. Possunt per Praelatos, aut per alios legitime deputatos, absolvi ab omnibus censuris, et casibus, a quibus absolvi possunt Professi, ita ut si egrediantur non reviviscant ea, a quibus fuerunt absoluti. 3. possunt confiteri religiosis a Superiore deputatis, etsi non approbatis ab Ordinario [4. Ex Trident. sess. 25. c. 16. de Regul. „ Nulla quoque „ renuntiatio aut obligatio antea facta etiam cum juramento, vel in favorem cu„ juscumque causae piae valeat, nisi cum licentia Episcopi, aut ejus Vicarii fiat „ intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligatur effectum „ suum sortiri, nisi secuta professione; aliter vero facta, etiamsi cum hujus fa„ voris renunciatione expressa etiam jurata, sit irrita, et nullius effectus „ Cum autem Concilium non exprimat in suo decreto tempus novitiatus, satis probabile videtur, sub irritatione comprehendi etiam renunciationem, seu donationem factam ante susceptionem habitus, intuitu tamen religionis ingrediendae]

Petes 3. Utrum Novitius, de cujus idoneitate dubitatur, sit recipiendus? R. esse reficiendum, quia juxta Trid. sess. 25. *de Regul.* c. 16. ii solum sunt reci-

piendi, qui post probationem inventi fuerint habiles: is autem de cujus idoneitate vere dubitatur, non censetur habilis.

Articulus III.

De professione religiosa

Petes 1. Quid et quotuplex sit professio religiosa? Resp. 1. professio religiosa est promissio, et simul sui traditio ad cultum divinum, seu ad vivendum caste, sine proprio, et sub obedientia in religione approbata, et simul traditionem acceptante; profitens enim se, sua libertate, et suarum rerum dominio, et usu libero privat, illudque dominium religioni transfert. Unde perinde est, ac siquis alteri promitteret fructus agri, et promittendo daret ipsum agrum, seque obligaret ad illum excolendum juxta voluntatem acceptantis. Ista autem traditio non fit per contractum reciprocum, quo Religiosus se mancipet religioni ad obsequia spiritualia, et religio se obliget profitenti ad ejus alimenta, et vestimenta; id enim foret aperte simoniacum, et nimis turpe foret, quod religiosus se daret religioni principaliter, et ex pacto, ut aleretur ab ea, et quod religio daret illi alimenta ut pretium conversionis in Deum; sed est donatio, et traditio liberalis ex parte profitentis ad suam utilitatem, et perfectionem, et acceptationem ex parte religionis. Quod autem religio teneatur ad alimenta, et vestimenta profitentis, est ex vi institutionis vitae monasticae, et quia monasteriorum bona instituta, et ordinata sunt in victum, et amictum Religiosorum. Qui admittendi sint ad professionem, qui rejiciendi patet ex dictis Art. 1. hujus Dissert. Quibus adde quod tam professio, quam acceptatio debent esse liberae. Unde gravis metus injuste incussus in ordine ad Professionem emittendam, vel ad ejus acceptationem per religionem, utramque irritat, ut dixi in tract. de Contract.

Resp. 2. Duplex est professio, expressa, quae verbis, tacita, quae factis exprimitur. Cum non differant essentialiter, sed in modo tantum, quae requiruntur ad professionem expressam, ut sit licita et valida, requiruntur pariter ad tacitam. Ut autem sit professio tacita requiritur ex una parte, quod actus, per quem dicitur induci, fiat sciente, et consentiente eo, ad quem spectat admittere ad professionem, non enim est professio religiosa, nisi acceptata a religione; ex altera parte quod Novitius exercens actum inductivum professionis, illum cognoscat ut talem, et intendat per eum profiteri, unde fit, quod rarae sint professiones tacitae coram Deo, licet in foro fori possint praesumi.

Petes 2. quot modis inducatur professio tacita? R. duplici modo 1. gestando habitum proprium professis, si habitus novitiorum sit in aliquo distinctus ab habitu professorum. 2. exercendo actus professis proprios, qui sunt vel jure tales, ut vox activa, et passiva in electionibus, susceptio sacrorum Ordinum etc. vel ex consuetudine ut certae oblationes a Professis fieri solitae. Cap. *Viduae* de Regul. l. 3. tit. 31.

Petes 3. Quinam sint effectus professionis validae? Resp. 1. est quod Professus non sit amplius sui juris, sed quod transeat sub potestate, et dominio religionis ratione traditionis. 2. est remissio omnium poenarum peccatis debitarum non ex opere operato, quia non est sacramentum, sed ex eccellentia operis, quod est condigna satisfactio pro tota poena peccatis debita, unde professio debet fieri in statu gratiae. 3. est extinctio omnium votorum praecedentium, sive sint reservata, sive non, sive realia, sive personalia, sive in saeculo, sive in novitiatu emissa. Ita S. Thom.; (quem unanimiter sequuntur Theologi) qui sic habet. 2. 2. q. 80. a. 12. ad 3. *Dicendum quod omnia alia vota sunt quorumdam particularium operum, sed per religionem homo totam vitam suam Dei obse-*

quio deputat, particulare autem in universali includitur. 4. effectus est dissolvere praecedens matrimonium ratum, non consummatum, et dirimere subsequens contractum. 5. est tollere irregularitatem ortam ex defectu natalium in ordine ad sacros ordines suscipiendos, non tamen in ordine ad Praelaturas, et dignitates. Cap. 1. de Filiis Presbyter. 6. est eximere professum a patria potestate: Item a jurisdictione laicali, ita ut professus gaudeat privilegio canonis, et fori.

Petes 4. An liceat reclamare contra professionem invalidam. Resp. 1. Reclamare contra professionem invalidam, est petere facultatem dimittendi habitum, et statum religiosum, allegando causas nullitatis professionis. De ista reclamatione extat speciale decretum Con. Trident. Sess. 25. c. 19. his verbis „ Quicumque regularis praetendat se per vim, et metum ingressum esse religionem, aut „ etiam dicat ante aetatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque „ habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine „ licentia Superiorum, non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die pro„ fessionis, et tunc non aliter, nisi causas, quas praetenderit, deduxerit co„ ram Superiore suo Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit nulla„ tenus ad allegandum quamcumque causam admittatur, sed ad Monasterium „ redire cogatur, et tamquam Apostata puniatur, interim vero nullo privilegio „ suae religionis juvetur „ Benedictus vero XIV. in Const. *Si datam hominibus* die 4. Martii 1748. praescribit ordinem servandum in his causis, quam nimis longum foret referre.

TRACTATUS

DE FORTITUDINE, ET VIRTUTIBUS EI ANNEXIS

D. Th. a q. 123. *ad q.* 140.

DISSERTATIO UNICA

Articulus I.

De Fortitudine, et vitiis oppositis

Petes 1. Quid sit Fortitudo? R. *Fortitudo* (quae inter omnes virtutes cardinales ordine dignitatis est tertia) definitur *virtus moderans motus animi circa quaecumque terribilia, praesertim circa pericula mortis sustinenda, vel repellenda.* Unde hic non sumitur pro qualibet firmitate in bono honesto, quae est conditio generalis cujuscumque virtutis, ad quam, si est perfecta, requiritur firmiter, et immobiliter operari; sed pro speciali firmitate animi in sustinendis, et repellendis iis, in quibus maxime difficile est firmitatem habere, scilicet in gravibus periculis, et maxime mortis, unde constituit virtutem specialem. Quamvis autem immediate versetur circa timores, et audacias illos, et illas moderando secundum rationem, mediate tamen versatur circa pericula, praesertim mortis, quae tamen *honeste* suscipi, et sustineri possint (materia enim virtutis non potest esse nisi honesta). Hinc colliges 1. Fortitudinem versari circa pericula belli justi non solum communis, sed etiam particularis, quod intentetur propter aliquam virtutem, ut mors Judici, nisi ferat iniquam sententiam; virgini, nisi consentiat strupratori; Fideli nisi fidem abneget: Colliges 2. latrones, duellantes, injusta bella gerentes habere tantum similitudinem fortitudinis, nec dicendos esse fortes, sed temerarios, et crudeles.

Petes 2. Utrum Martyrium sit actus maxime perfectionis? Ante responsionem praemittendum est *Martyrium* graece, *Testimonium* latine usu ab Ecclesia recepto sumi pro testimonio singulari veritatis christianae per tolerantiam mortis; nos hic sumimus martyrium pro actu, quo pro veritate sustinenda mors acceptatur. Unde sequitur martyrium esse actum fortitudinis, cui praemium beatitudinis debetur. Matt. 5. *Beati qui persecutionem patientur propter justitiam quoniam ipsorum est regnum Coelorum*: quamvis possit etiam accipi pro ipsa morte tolerata, quod vel maxime dicendum est de Sanctis Innocentibus, in quibus licet voluntaria mortis acceptatio non fuerit, martyrii tamen gloriam, quam in aliis propria voluntas meretur, illi parvuli occisi per Dei gratiam sunt assecuti. Nam effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismatis, unde sicut in pueris baptizatis per gratiam baptismi meritum Christi operatur ad gloriam obtinendam, ita et in occisis propter Christum meritum martyrii operatur ad palmam martyrii consequendam. Sunt ergo SS. Innocentes dicendi martyres martyrio sumpto non pro voluntaria mortis acceptatione propter Christum, sed pro ipsa morte propter Christum tolerata, sicut

nunc forent martyres infantes, qui in odium Christi occiderentur. Unde inferes in martyrio conferri gratiam vi operis operati, licet ipsum martyrium non causet instrumentaliter gratiam, sicut sacramenta.

Secundo praemittenda est explicatio textus *Jo.* 5. *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Cujus textus non est sensus, quod martyrium semper imperetur a charitate habituali, cum constet adultum nondum justificatum, si vere attritus mortem pro Christo subeat, esse vere martyrem, siquidem ut tradunt SS. Patres *Effusio sanguinis propter Christum vicem gerit baptismi.* Neque verborum Christi sensus est, quod ipsa mortis perpessio pro Christo praecise secundum se sit essentialiter dilectio super omnia, aut eam necessario involvat; ut patet ex 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Sed est sensus quod martyrium sit opus maxime idoneum, quod a charitate imperetur, aut etiam quod semper imperetur a charitate vel habituali ut in justo, vel actuali per auxilium Dei moventis licet nondum inhabitantis, ut in vero poenitente, a qua regulariter procedit acceptatio mortis pro Christo, quamvis possint concurrere alia motiva, ut spes gloriae, metus inferni, dignitas fidei etc. Insuper etiamsi martyrium procedat ex charitate, non est sensus illorum verborum, quod sit semper major charitas illius, qui subit martyrium, quam aliorum, cum certo constet B. Virginem superasse omnes Martyres in charitate, licet martyrio vitam non finiverit. Sensus ergo est, quod inter humanos actus nullus est, quo magis demonstrari possit perfectio charitatis, quando habetur, quam martyrio, quasi diceret majorem dilectionis probationem nemo habet, quam dare animam pro amicis

His positis Resp. si martyrium consideretur secundum speciem, non est actus maximae perfectionis, quia est actus fortitudinis, quae non est maxima virtus; si vero consideretur ex parte charitatis imperantis, in tantum est actus maximae perfectionis, in quantum est maximum signum dilectionis, ut explicatum est.

Petes 3. Quae conditiones requirantur ad verum et salutare martyrium? R. quatuor conditiones requiri. Prima est ut vere sequatur mors, alias non erit perfectum testimonium; quod etiam verum est in iis, qui talem cruciatum passi sunt, ex quo mors naturaliter sequi debuerat, sed miraculose sequi prohibita est, ut in S. Joanne Evangelista; quamvis tamen hi ob bonam martyrii partem sint, et dicantur incomplete martyres. Unde inferes B. Virginem non fuisse vere, et proprie martyrem, sed metaphorice, et incomplete propter vehementissimos dolores, quos passa est in anima in morte Filii. E contra esse vere martyrem qui ex accepto propter Christum vulnere lethali tandem occumbit, licet aliquandiu supervixerit. Item qui occumbit ex accepto vulnere ex se non lethali, modo non intercesserit negligentia mortalis in curatione, quia vulnus acceptum pro Christo est prima occasio mortis. Similiter si ex carcere, exilio, inedia etiamsi sine vulnere mors sequatur.

Secunda conditio est, quod martyrium voluntarie acceptetur, quia est actus virtutis, qui debet esse voluntarius. Hinc si adultus dormiens causa fidei occidatur, nec antea de martyrio cogitaverit, probabile est, quod non sit vere martyr; secus si conjectus in vincula martyrium subire proposuerit. Nisi forte admitti possit cum Cajetano hic. a. 2., et Sylvio 3. p. q. 66. a. 11. quaer. 3., eum, qui omnia sua in Deum ut in finem retulerit, et dormiens pro Christo occidatur, quin explicite de martyrio cogitaverit, esse martyrem, quia in ea dispositione censetur mors voluntarie suscepta. De infantibus supra dictum est.

Tertia conditio est ut acceptetur mors propter causam honestam, et piam, ita tamen ut non solum qui directe pro fide christiana, sed etiam pro cujusvis virtutis christianae officio, aut quavis offensa Dei vitanda mortem oppetit, vere dicendus est Martyr, ut S. Thomas Cantuariensis pro defensione jurisdictionis eccle-

siasticae, et plures Virgines pro conservatione castitatis, vel propter alias virtutes. E contra non possunt esse vere martyres haeretici, nec qui moreretur pro confessione veritatis geometricae, aut alterius scientiae profanae; imo nec qui moreretur pro virtute morali, quia dedecet Philosophum, secus si quia dedecet Christianum. Inter Martyres etiam recensentur, qui occiduntur in bello justo prodefensione reipublicae, contra infideles, qui fidem Christi corrumpere moliuntur, si militent non aliquo intuitu humano, sed ex zelo fidei, et religionis Christianae. Non ita vero constat de iis, qui occiduntur in bello justo propter defensionem boni communis tantum, quamvis militent cum relatione ad Deum, puta ut satisfaciant debito justitiae legalis, qua tenentur erga rempublicam.

Quarta conditio est dispositio interior quoad gratiam, et charitatem, pro qua ad ea, quae in praemissis dicta sunt, addimus non sufficere praecise hunc actum : *volo mortem subire pro Christo* secluso omni motu poenitentiae, sed requiri veram poenitentiam, seu attritionem de omnibus peccatis saltem mortalibus; si enim Baptismus hanc requirit in adulto, a fortiori martyrium, quod non est institutum contra peccatum, sicut baptismus.

Petes 3. Utrum licitum sit se offerre martyrio? R. negative regulariter loquendo; quia regulariter loquendo est dare Tyranno occasionem injuste agendi, quod non est licitum, nec ordinarie subest rationabilis causa se offerendi, quin potius est temerarium, et praesumptuosum. Illae vero mulieres, quae se in aquas projecerunt, ut insectatores suae pudicitiae vitarent, vel praevenientes manus carnificum sponte in ignem prosilierunt, a quibusdam excusantur propter inculpatam ignorantiam; sed melius cum SS. August., et Thoma dicendum est, eas excusari, quod id fecerint ex instinctu Spiritus S., latenter id suggerentis, et jubentis.

Petes 4. Quot sint vitia opposita fortitudini? R. Sunt tria 1. Timiditas, quae est excessus in timendo quod, quando, ubi non oportet, aut plusquam oportet. 2. Intimiditas, quae est defectus in timendo quod, aut quando, aut quantum timere oportet. 3. Audacia, quae est excessus in audendo, seu aggrediendo quod, quando, ubi non oportet, aut plusquam oportet. Unde vides, quod timor, et audacia non sumuntur hic praecise, ut sunt passiones, sed prout important defectum, aut excessum harum passionum, proindeque sunt peccata opposita fortitudini, quandoque mortalia, quandoque venialia.

Articulus II.

De partibus Fortitudinis.

Petes. 1. Quot, et quae sint partes fortitudinis? R. Cum fortitudo non habeat partes subjectivas, quia non dividitur in plures virtutes specie distinctas, quatuor sunt ejus partes, quae sub diversa ratione sunt integrales simul, et potentiales, nimirum magnanimitas, magnificentia, patientia, et perseverantia. Pauca de singulis dicemus.

§. I. *De magnanimitate.*

Magnanimitas est virtus inclinans *ad* magna in omni virtutum genere opera, magno honore digna. Dicitur *virtutum* nihil enim vere magnum est in rebus humanis praeter virtutem. Differt autem ab aliis virtutibus, quia ubi hae inclinant ad magnum in suo genere sub ratione peculiaris honestatis; magnanimitas inclinat ad magna, in quantum habent rationem cujusdam excellentiae, seu quia sunt ardua, et magna, atque conformia magno, et generoso animo, ma-

gnis, et superioribus principiis instructo, magnis gratiae auxiliis adjuto, magnis praemiis illecto. Hinc actus ejus primarius, adeoque finis, et objectum formale est tendere ad magna magno honore digna, non propter honorem, sed propter excellentiam, ratione cujus sunt honore digna, actus vero secundarius est moderari appetitum, et usum honorum.

Petes 2. Quae sunt praecipue proprietates magnanimitatis? R. Inter alias sequentes praecipue recensentur. 1. Modice honoribus etiam magnis, et a bonis viris oblatis delectari, a vulgo, et ob res parvas oblatos contemnere. 2. In prosperis, et adversis moderatum se praebere. 3. Neminem, aut vix quemquam rogare. 4. Libenter alteri operam praebere. 5. Cum magnatibus praestare se magnum (nimirum non eis adulando), cum mediocribus moderatum. 6. Non se locis, aut functionibus honorationibus ingerere. 7. Aperte odisse, et aperte amare, quae sunt amore, vel odio digna, quia timentis est sententiam occultare. 8., Non facile admirari, nihil enim ei in rebus humanis magnum est. 9. Non meminisse injuriarum. 10. Non cupide loqui de hominibus, nec esse aliorum adulator, nec maledicus 11. In rebus, quae necessario perferendae sunt, non esse queribundus, aut supplex.

Petes 3. Quot et quae sint vitia opposita magnanimitati? R. esse tria, quae opponuntur per excessum; scilicet *Praesumptio*, quae respicit opus, *Ambitio* honorem, *Inanis gloria* famam, et opinionem; unum per defectum, scilicet *Pusillanimitas*. Itaque *Praesumptio* est, qua quis aggreditur, vel aggredi contendit id, quod superat vires illius, intellige vires, quas vel in seipso, vel in aliis paratas habet; unde non sumus praesumptuosi, dum aggredimur opera virtutum, aut eis nos voto adstringimus sub confidentia divini auxilii, quod Deus petenti non denegat. Hinc praesumptio procedit ex errore culpabili de suis viribus, vel secundum suam quantitatem, ut qui sine sufficienti capacitate suscipiunt officia Judicis, Advocati, Pastoris etc; vel usurpant potestatem, quam non habent, vel majorem quam habent, qui propria auctoritate sine praevio Scripturarum, et SS. Patrum studio, Scripturam sacram interpretaretur etc. Vel procedit ex errore culpabili circa genus rei, ex qua se dignificat, se magnum, vel magis dignum aestimans, ex quo non est magnus, nec dignus, puta propter divitias, vel aliqua bona fortunae. Peccatum praesumptionis est mortale, quando provenit ex errore culpabili circa fidem, aut sit cum damno notabili proprio, vel alieno; item in his, qui sine causa rationabili occasionibus proximis peccandi se ingerunt de suis viribus praefidentes.

Ambitio est appetitus inordinatus honoris: honor autem importat reverentiam alicui exhibitam in testimonium excellentiae ejus. Tripliciter autem honor appetitur inordinate. 1. Cum quis quaerit honorem de excellentia, quam non habet, ut qui vult honorari ut doctus cum sit ignarus; vel habet, sed est quid vituperabile potius quam excellens, ut qui vult honorari de peccato; vel saltem non est tam honorabile, ut qui vult multum honorari propter divitias. 2. Quando quis sibi honorem capit non referendo in Deum. 3. Quando in honore appetitus quiescit, non referens illum ad utilitatem aliorum. Illud enim, in quo homo excellit datur ei a Deo, ut ex illo aliis prosit, et in tantum debet homini placere testimonium suae excellentiae, seu honor, qui ab aliis exhibetur, in quantum ex hoc paratur sibi via, ut aliis prosit. Ambitio secundum se est peccatum veniale tantum, fit autem mortale. 1. Siquis in honore ponat ultimum finem. 2. Si honorem quaerat ex peccato mortali, aut propter peccatum mortale, aut propter eum sit paratus peccare mortaliter. 3. Si quaerat eum gravi alterius damno, vel injuria.

Inanis gloria sumitur hic pro ipso appetitu inanis gloriae, unde non est peccatum, sed objectum peccati. Gloria autem definitur communiter post S. Am-

bros. *Clara cum laude notitia de bono alicujus*, seu etiam cum Tullio *Frequens de aliquo fama cum laude.* Gloria, itaque importat notitiam, et laudem, unde et famam, quae in opinione, et laude consistit. Potest dici vana tripliciter, 1. Ex parte rei, de qua quis gloriam quaerit, vel quia non est, vel quia mala est, vel saltem tanta gloria, quantam quaerit, non est digna. 2. ex parte ejus a quo quis gloriam quaerit, qui discernere non valet, an id, quod laudat, sit gloria dignum. 3. Ex parte quaerentis gloriam, si non referat ad debitum finem puta honorem Dei, vel salutem proximi. Hinc non est gloria vana quam quis quaerit, ut Deus honorificetur, vel ut homines proficiant ex bono, quod in alio cognoscunt, vel ut ipse homo per testimonium laudis alienae studeat in bonis perseverare, et ad meliora proficere. Et hoc sensu laudabile est habere curam de bono nomine, et providere bona coram Deo, et hominibus, non autem in hominum laudibus inaniter delectari.

Inanis gloria secundum se est tantum peccatum veniale, fit autem mortale dupliciter. 1. ratione materiae, ut si quis glorietur de aliquo falso contra Deum, aut fidem ut de Rege Tyri Ezech. 28. dicitur *Elevatum est cor tuum, et dixisti: Deus ego sum*: vel de donis Dei, quasi a Deo non accepisset juxta illud 1. Cor. 4., vel de aliquo peccato mortali. 2. Fit mortale ex parte gloriantis, si habeat gloriam pro fine ultimo, vel ordinet gloriam ad finem mortaliter malum, vel eam quaerat cum gravi damno Proximi. Est tamen inanis gloria vitium capitale, cum sit multorum vitiorum principium, et causa, et septem inanis gloriae filiae a S. Gregorio assignantur, scilicet *Jactantia, Presumptio novitatum, Hpocrysis, Pertinacia, Discordia, Contentio, et Inobedientia.*

Pusillanimitas est qua quis refugit aggredi, vel facere aliquid quasi nimis magnum, et superans ejus vires: intellige etiam hic vires, quas habet, aut praesto habere potest. Pusillanimitas non est mortalis, nisi retrahat ab eo, ad quod sub peccato mortali teneris.

§ II. *De caeteris virtutibus fortitudini annexis.*

Ad *magnificentiam* pertinet facere aliquid magnum, ut ex ipso nomine patet; *facere* autem proprie sumitur pro operari aliquid in exteriori materia, ut facere domum, quod proprie dicitur factibile. Hinc magni sumptus, copiosa pecunia, et copiosae pecuniae amor, ne sumptus magni impediantur sunt materia, circa quam versatur magnificentia. Et per hoc differt a magnanimitate, quae intendit magnum in omni materia, magnificentia vero solum in opere factibili. Cum vero ea, quae conveniunt rebus divinis, vel communibus excedant ea, quae ad propriam Personam pertinent, hinc sequitur inter opera magna, ad quae magnificentia tendit, primum locum obtinere ea, quae spectant cultum divinum, ut Altaria, Templa, Vasa sacra etc. His proxime accedunt Monasteria, Hospitalia etc. Secundum aedificia saecularia ad bonum publicum. Tertium, quae pertinent ad usum proprium.

Magnificentiae opponitur 1. per defectum *Parvificentia*, quae est defectus a proportione, quae debet esse secundum rationem inter sumptus, et opus. Non est plusquam venialis, nisi retrahat ab opere magno, quod secundum legem Dei, ut ex testamento, aut voto, fieri debet. 2. *Banausia*, latine consumptio, seu inepta operositas, qua quis excedit debitam proportionem expensarum ad opus, et opponitur magnificentiae per excessum.

Patientia definitur ab August. l. de *Patient.* c. 2. *qua mala aequo animo toleramus, ne animo iniquo bona deseramus, per quae ad meliora perveniamus*; et a S. Thom. *qua quis laudabiliter se habet in patiendo quae praesentialiter nocent, ut scilicet non inordinate ex eis tristetur.* Patientiae affinis est *Longanimitas*, qua quis tendit in aliquod bonum post longinquum tempus obtinendum, unde ab ea differt,

quod hujus objectum sit bonum, patientiae vero objectum est malum. Adverte tamen quod dum aliquis dura toleret propter ea, quae vitiose diligit, non est patientia, sed durities, nec omnis, qui patitur, participat virtutem patientiae, sed qui laudabiliter patitur.

Ad obtinendam patientiam, quae valde necessaria est viro christiano juvat considerare. 1. Patientiam Dei tolerantis peccatores 2. Patientiam Christi morientis pro nobis. 3. Patientiam Sanctorum 4. Fructus patientiae in utraque vita; satisfactionem pro peccatis in praesenti, gloriam in futura. 5. Redemptionem a poenis inferni, et purgatorii. 6. Mala impatientiae, qua amittitur meritum, non minuitur, sed potius augetur malum, et ipsa est malum crucians magis quam ipsum malum, unde causatur, et ad plura peccata impellit. Hujus virtutis primus gradus est tolerare sine murmuratione; secundus sine lamentatione, et querimonia apud alios. Tertius cum gaudio. Patientiae opponitur per excessum *Impatientia*, cum quis nimium ex malo tristatur, aut ex tristitia, seu dolore a bono recedit. Per defectum opponitur *Insensibilitas*, cum quis nullis malis, sive propriis, sive alienis ullo modo tangitur, quod sapit brutam stoliditatem, et inhumanam duritiem.

Perseverantia hic sumitur non pro magno dono perseverantiae finalis, sed pro continuatione operis virtuosi, qualecumque sit usque ad finem, quem ratio praescribit. Annectitur fortitudini, cui ut principali adjungitur omnis virtus, cujus laus consistit in sustinendo firmiter aliquid minus difficile. Virtus autem perseverantiae proprie facit persistere in bono contra difficultatem, quae provenit ex ipsa diuturnitate actus, unde differt a virtute Constantiae, quae magis affinis est patientiae, et sub ea comprehenditur, quae facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quae provenit ex quibuscumque aliis exterioribus impedimentis.

Duo vitia perseverantiae opponuntur 1. *Mollities* per defectum, quae non hic sumitur prout est species luxuriae, et est, cum quis in difficultatibus, quae in continuatione boni operis occurrun, facile ab eo recedit contra dictamen rationis 2. *Pertinacia* per excessum, cum quis in incoepto opere perseverat plusquam oportet secundum dictamen rationis.

TRACTATUS

DE TEMPERANTIA ET VIRTUTIBUS ILLI ANNEXIS.

D. Thom. a. Q. 141. ad Q. 170.

DISSERTATIO I.

DE TEMPERANTIA, VITIIS IPSI OPPOSITIS ET EJUS PARTIBUS IN GENERE.

D. Th. a Q. 141. ad Q. 145.

Articulus I.

Quid sit Temperantia? quae ejus regula? quae Vitia opposita?

Temperantia, ut ex ipso nomine patet, significat quamdam temperiem, id est, moderationem. Dupliciter sumitur. 1. Communiter et late, prout importat moderationem rationis in quacumque materia morali, et sic est communis omni virtuti. 2. Specialiter, prout importat moderationem in materia aliqua, quae maxime allicit appetitum, et haec est antonomastice temperantia, de qua hic agitur. Unde

Dico 1. Temperantia recte definitur; *Virtus moderans appetitum circa delectationes tactus in usu venereorum et alimentorum*; quia hujusmodi delectationes sunt vehementiores et difficilius patiuntur moderationem: tanto enim aliquae delectationes sunt vehementiores, quanto consequuntur operationes magis naturales, delectatio enim consequitur operationem connaturalem: atqui delectationes ciborum, et potuum, et venereorum, consequuntur operationes maxime naturales: ergo. Prob. min. Operationes animalibus maxime naturales sunt eae, quibus conservatur natura individui per cibum, et potum, et natura speciei per conjunctionem maris et foeminae: ergo.

Porro cum sint quaedam alia sensibilia, quae concurrunt, ut sit magis delectabilis tactus in venereis, et in alimentis, ut v. g. pulchritudo aut ornatus foeminae in venereis, sapor, aut odor in alimentis; ideo, quamvis temperantia primario et principaliter versetur circa delectationes tactus, secundario tamen et minus principaliter versatur etiam circa delectationes aliorum sensuum ad magis delectabilem usum rerum necessariarum, quae pertinent ad tactum in venereis, et alimentis: ejusdem enim virtutis est moderari finem et ea, quae sunt ad finem. Et quia gustus est propinquior tactui, imo juxta Philosophum tactus quidam, ideo temperantia est secundario magis circa gustum, quam circa alios sensus.

Dico 2. Regula temperantiae sumenda est secundum necessitatem praesentis vitae, quia finis est regula eorum, quae sunt ad finem: atqui delectabilia secundum tactum, et alios sensus, circa quae versatur temperantia, ordinantur ad aliquam hujus vitae necessitatem tamquam ad finem: ergo. Sub necessitate vero intellige etiam commoditatem, et convenientiam respective ad circumstantias. Et

quia alius est finis temperantiae, prout versatur circa venerea, et alius prout versatur circa cibum et potum (sunt enim diversae necessitates), ita etiam est diversa regula. Regula temperantiae, prout versatur circa venerea, est ab eis omnino abstinere extra matrimonium; in matrimonio autem iis dumtaxat uti causa generandae prolis (intellige petendo debitum) ut latius dicetur de matrimonio; quia hic est finis usus venereorum. Regula vero temperantiae, prout versatur circa cibum et potum, pariter sumitur ex fine, propter quem haec sumuntur; et est bona corporis valetudo, atque idonea mentis ad suas functiones dispositio, seu ut dicit Aug. l. de Moribus Eccl. c. 12. *Vitae et officiorum necessitas*; ideoque nec plus nec alio modo sumi debent, quam ad hunc finem, nisi forte id foret necessarium ad finem majoris momenti, v. g. ad satisfaciendum pro peccatis. Regulariter ergo qui plus aut minus comedit vel bibit, vel saepius, vel alio modo, vel alias res, quam congruit valetudini et mentis functionibus, non servat temperantiae regulam; sicut nec qui solius voluptatis causa comedit aut bibit, quia istud motivum non est per se honestum, sed brutis commune, nec cibus est ex natura institutus propter voluptatem, sed voluptas propter cibum.

Dico 3. Temperantiae opponuntur duo vitia: unum per defectum, et est insensibilitas seu stupor: aliud per excessum, et est intemperantia. Insensibilitas est, cum quis ita aversatur delectationes sensuum, maxime tactus, et gustus, ut nolit eis uti, ubi, quando, quomodo, aut quantum recta ratio dictat esse illis utendum. Intemperantia e contra est, cum quis delectationes sensuum appetit, ubi, quando, quomodo recta ratio dictat non esse appetendas, aut plusquam dictat esse appetendas. Colligitur ex tota quaest. 142. Insensibilitas est vitium rarum inter homines, frequentissimum autem intemperantia, et maxime probrosum ac turpe. 1. Quia maxime repugnat excellentiae hominis, quatenus eum quasi servum subjicit delectationibus, quae sunt ipsi et brutis communes. 2. Quia in eo nihil apparet de lumine rationis, nihil ingenii, nihil industriae aut generositatis, nihil quod etiam secundum quid hominem deceat, sed brutalis tantum et caecus, extincto quasi lumine rationis, ad pastum et venerem impetus.

Articulus II.

De partibus Temperantiae in genere.

Dico. Temperantiae, sicut cujusvis alterius virtutis cardinalis sunt partes integrales, subjectivae, et potentiales. Duae sunt partes integrales temperantiae, scilicet verecundia et honestas: integrum enim temperantiae officium in duobus consistit, in fuga turpitudinis, ad quam juvat verecundia, et in amore decoris, ad quem juvat honestas. Verecundia enim est timor opprobrii, et consequenter actus turpis, ex quo causatur opprobrium; quia tamen est etiam verecundia de probro praesente, aut praeterito, timor autem est tantum de futuro, posset dici quod verecundia sit quaedam animi perturbatio de probro, quae si sit de futuro, erit timor, si de praesenti aut praeterito, erit dolor. Honestas autem potest sumi dupliciter. 1. Generaliter pro conformitate actus cum judicio rectae rationis, et sic convenit omni virtuti, ut patet ex praecedentibus. 2. Specialiter, pro eo, quod opponitur maxime turpi, et sic est pars integralis temperantiae, quia ad temperantiam pertinet repellere id, quod est turpissimum et indecentissimum, scilicet brutales voluptates.

Partes subjectivae alicujus virtutis diversificantur secundum diversitatem objecti seu materiae. Porro temperantia versatur circa delectationes tactus, quae dividuntur in duo genera: nam quaedam ordinantur ad nutrimentum, et in his quantum ad cibum, est abstinentia, quantum ad potum inebriantem, est sobrie-

tas : quaedam vero ordinantur ad vim generativam, et in his quantum ad delectationem principalem coitus, est castitas, quantum ad delectationes circumstantes, quae sunt in osculis, tactibus, amplexibus, etc. est pudicitia.

Cum autem pertineat ad temperantiam moderari delectationes tactus, quas difficillimum est moderari, quaecumque virtus, quae moderationem quamdam operatur in aliqua minus principali materia, et refraenat appetitum in aliquod delectabile inordinate tendentem, potest poni pars temperantiae, sicut virtus ei adjuncta. Et secundum hoc sunt quinque partes potentiales temperantiae, scilicet *Continentia*, *Humilitas*, *Mansuetudo*, *Modestia*, *et Moderatio*.

DISSERTATIO II.

De Jejunio.

D. Th. Q. 147.

Articulus I.

Quid et quotuplex sit Jejunium ? Cujus virtutis actus ? Et an sit de praecepto ?

Quaestionem de jejunio ecclesiastico aggressurus in capite notare velim semel pro semper ex Cajetano hic a. 7. §. *ad evidentiam*, quod quia haec materia est juris positivi humani, ut infra dicam, sicut consensu utentium firmatur, ita contraria consuetudine aut dispensatione, seu relaxatione infirmatur et tollitur, et ita accidit, ut, quod prius erat jus, non sit amplius de juris necessitate, et quod prius nefas erat, licitum postmodum sit. Ita Eminentiss. Non est itaque, quod miremur plures varietates circa legem jejunii a temporibus Apostolorum irrepsisse, neque uniformiter in omnibus Ecclesiis observari. Unde Auctor hic art. 8. ad 3. loquens de abstinentia ab ovis et lacticiniis dicit : *In jejuniis diversae consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum inter quos conversatur.* 2. Jejunii nomen sumptum est a *jejuno*, quod est quoddam intestinum animalis semper vacuum, unde significat abstinentiam a cibo et potu. Varie accipitur.

1. Sumitur generaliter pro abstinentia ab omni cibo, et potu in stomachum transmisso, sive ab omni eo, quod sumitur per modum cibi et potus, ut est etiam medicamentum, et sic sumptum dicitur jejunium *jejunii*, seu jejunium naturale : tale requiritur a media nocte ad sumptionem Eucharistiae, de quo in materia de Eucharistia. 2. Sumitur pro abstinentia cibi et potus secundum regulas communes temperantiae in ordine ad proprium finem, qui est bona corporis ac mentis dispositio ad suas functiones. Hoc jejunium vocatur morale et philosophicum. 3. Sumitur pro abstinentia cibi, et potus majori quidem, quam exigit communiter temperantia secundum proprios fines, sed quam tamen exigit secundum alios fines, ad quos ab aliis virtutibus ordinatur, puta ad satisfactionem pro peccatis, ad refraenationem luxuriae, etc. Jejunium hoc 3. modo sumptum vel est arbitrarium, cujus varia exempla habemus in vitis Patrum, et etiamnum in religiosa piorum praxi : vel est lege statutum, scilicet vel lege particulari alicujus Communitatis, aut Religionis, vel lege communi totius Ecclesiae, quale est jejunium, quod dicitur communiter ecclesiasticum, de quo potissimum hic est quaestio.

Dico 1. Jejunium morale est actus virtutis abstinentiae saltem acquisitae. Quia virtus abstinentiae, ut dixi, est virtus moderans delectationes ciborum se-

cundum dictamen rationis: atqui jejunium morale nihil est aliud, quam abstinentia ciborum moderata secundum dictamen rationis : ergo.

Dico. 2. Jejunium sumptum pro abstinentia rigidiori, quam communiter exigat temperantia secundum proprios fines sive sit arbitrarium, sive praeceptum, est etiam actus virtutis abstinentiae. Pr. 1. Pars. Ex hoc aliquis actus est virtuosus, quod versetur circa objectum bonum cum relatione ad finem honestum : atqui hoc convenit jejunio, de quo in conclusione : ergo. Prob. min. Hoc jejunium versatur circa delectationes ciborum reprimendas, et assumitur principaliter ad tria 1. Ad carnis concupiscentias reprimendas. 2. Ad hoc, ut mens liberius elevetur ad divina contemplanda. 3. Ad satisfaciendum pro peccatis : ergo. Prob. secunda pars. Omnis actus virtutis, qui est circa aliquam materiam, ad illam virtutem pertinet, quae medium in illa materia constituit, quia eadem est materia actus et habitus : atqui jejunium attenditur in cibis, in quibus medium constituit abstinentia : ergo jejunium est actus abstinentiae elicitus quidem ab illa, imperatus autem ab aliis virtutibus ad quarum fines ordinatur, puta castitate, poenitentia, etc. ut dictum est in priori probatione.

Obj. cum Lutheranis et Calvinistis. Omnis actus virtutis est Deo acceptus : Atqui jejunium non est Deo acceptum juxta illud Jsai. 58. *Quare jejunavimus, et non aspexisti*? Insuper Apostolus 1. Tim. 4. cit. *Corporalis exercitatio ad modicum prodest.* Atqui per corporalem exercitationem plures intellexerunt jejunium, unde Ambros. in hunc locum dicit : *Jejunare enim, et abstinere a cibis non multum prodest.* Ergo. R. Ad 1. dist. maj. Omnis actus virtutis nulla prava circumstantia vitiatus est Deo acceptus C. prava circumstantia vitiatus. N. Tale erat jejunium, de quo est sermo; Unde conquaerentibus Israelitis = *Quare jejunavimus et non aspexisti*? respondet Dominus : *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* In quae verba S. Hieronymus lib. 2. cont. Jovin. c. 11. *Non igitur*, inquit, *jejunium reprobavit, sed quale vellet ostendit.* Et sic respondendum est eis, quae proferuntur et Jerem. 14. et Zach. 7. Ad 2. resp. 1. Apostolum per corporalem exercitationem intelligere studium corroborandi corporis more Athletarum; familiare enim est Apostolo sumere similitudinem ab Athletis, ut 1. Cor. 9. v. 14. ad Galat. 5. 7. ad Philip. 3. 14. ad Timot. 2. 5. et hic. Unde cum dicit *Exerce te ad pietatem, nam corporalis exercitatio ad modicum utilis est, pietas autem ad omnia utilis* : sensus est : exerce te more boni athletae ad certamen virtutis: hoc enim vere utile est in hac, et altera vita qui autem exercent se ad corporale certamen, parum lucrantur in hac vita, nihil in altera. Quae afferantur ex Ambrosio non sunt Ambrosius inquit hic Sylvius, sed alicujus haeretici. Longe aliter enim sentit de jejunio S. Ambrosii, qui 1. de Eccles. et Jejun. c. 3. dicit = *Jejunium refectio animae . . . vita est Angelorum, culpae mors . . . remedium salutis, radix gratiae . . . hoc ad Deum gradu citius pervenitur.* R. 2. Dato quosdam veteres Orthodoxos per corporalem exercitationem intellexisse jejunium, eorum sensus non est ; quod jejunium parum prosit „ sed quod sit minus utile quam pietas, quae ad omnia utilis est.

Dico 3. Jejunium in commune jure naturali praeceptum est : quoad determinationem vero temporis et modi, jure ecclesiastico. Prob. prima pars. Unusquisque tenetur ex naturali ratione uti remedio, quo indiget: atqui jejunium in communi est remedium ad deletionem culpae praeteritae et cohibitionem futurae, ac ad elevationem mentis ad Deum, qui sunt fines necessarii : ergo jure naturae tenetur unusquisque jejunium adhibere, in quantum est sibi necessarium ad praedicta. Probatur secunda pars. Sicut ad saeculares Principes pertinet praecepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his, quae pertinent ad utilitatem communem in temporalibus rebus ita a fortiori ad Praelatos ecclesiasticos, pertinet ea statutis praecipere, quae ad utilitatem communem fidelium pertinent:

atqui Ecclesia statuto determinavit modum jejunii, ut constat ex generali consuetudine ab ejus incunabilis pro lege ubique recepta : ergo. Hic autem modus tria complectitur. Primum , abstinentiam a certis cibis , nimirum a carnibus. Secundum , unam tantum refectionem. Tertium , tempus hujus refectionis. De quibus dicemus distinctis articulis. Nunc

Dico 4. Lex ecclesiastica jejunii secundum se obligat sub mortali. Probatur. Leges obligant pro quantitate materiae sub mortali vel veniali , nisi contrarium constet de intentione legislatoris : atqui jejunium utpote opus virtutis et homini ad salutem necessarium aut valde utile , est ex suo genere materia gravis : ergo.

Hinc jure damnata est ab Alexandro VII. haec propositio num. 23. *Frangens jejunium Ecclesiae , ad quod tenetur , non peccat mortaliter , nisi ex contemptu , vel inobedientia hoc faciat , puta quia non vult se subjicere praecepto.*

Obj. cum Hacreticis. Obligatio jejunii pertinet ad servitutem legis Mosaicae , a qua Christus nos liberavit. Ergo jejunare est judaizare. R. Nos non observare nostra jejunia vi veteris legis , sed vi legis Ecclesiae , nec sub iisdem caeremoniis, et ex iisdem causis. Et est sane argumentum risu dignum : Ecclesia non potest praecipere jejunia, vel alia opera bona , quia synagoga prius praecepit.

Obj. 2. Disciplina Ecclesiae circa jejunia est eadem cum disciplina Montanistarum , cum sint fixa in certis diebus , in abstinentia a certis cibis ex lege stata et inviolabili. Ergo est rejicienda. R. N. Ant. Ecclesia catholica observabat stata sua jejunia sicut nunc , tempore quo Montanistarum jejunia damnavit , cum illa sint ex traditione Apostolorum. Disparitatem autem inter utraque jejunia assignat S. Hieron. Ep. 54. ad Marcellam. *Nos* , inquit , *unam quadragesimam secundum traditionem Apostolorum toto anno , tempore nobis congruo jejunamus. Illi tres in anno faciunt quadragesimas , quasi tres passi sint Salvatores. Non quod et per totum annum , excepta Pentecoste, jejunare non liceat , sed quod aliud sit necessitate , aliud voluntate munus offerre.*

Articulus II.

De una vel multiplici refectione in die jejunii.

§ I. *Utrum requiratur ad jejunium , quod homo semel tantum comedat ?*

Dico. Ad jejunium requiritur , quod semel tantum comedatur in die , excepta coenula , de qua infra. Pr. 1. ex consuetudine generali totius Ecclesiae , quae ab ejus incunabulis viguit ; cum enim tunc fideles nonnisi ad vesperam refectionem sumerent , constat eos nonnisi unam sumpsisse. Prob. 2. Ecclesia instituit jejunium ad concupiscentiam refraenandam , ita tamen , quod salvetur natura : atqui ad utrumque sufficere videtur unica comestio , per quam scilicet homo et naturae satisfacit, et tamen concupiscentiae aliquid detrahit , diminuendo comestionum vices : ergo.

Si quaeras , ubinam extet hoc Ecclesiae praeceptum ? R. reperiri in ipsa institutione jejunii ab Apostolis non scripto facta , sed verbo et exemplo. In jejunio , inquit Cajetanus , communiter intelligitur unica refectio , quia Ecclesia indicendo jejunium secuta est exemplum Patrum veteris Testamenti , qui jejunantes tantum semel reficiebantur : unde etiam per unicam refectionem distinguuntur jejunantes a non jejunantibus ; ideo non dicimur jejunare feriis sextis et Sabbatho, neque diebus Dominicis in Quadragesima , licet a carnibus abstineamus , quia nimirum possumus pluries refici.

§ II. *Utrum quis toties peccet contra legem jejunii, quoties comedit ultra unam refectionem, an solum secunda refectione.*

Dico. Probabilius videtur peccari contra legem jejunii non solum secunda refectione, sed etiam sequentibus tot, quot sumuntur, excepta collatione. Prob. Praeceptum ecclesiasticum de unica refectione, licet verbotenus videatur affirmativum, est tamem re et sensu negativum: hujus enim propositionis, *Sumes unam tantum refectionem*, sensus est, non sumes plures refectiones: sicut cum Ecclesia praecipit Sacerdotibus, *Celebrabitis tantum semel in die*, sensus est, non celebrabitis pluries in die: atqui praecepta negativa obligant semper pro semper, ita ut non solum per primum aut secundum actum ipsis oppositum violentur, sed per quoscumque sequentes. Sic. v. g. quia Ecclesia prohibet ingressum monasterii Monialium, toties quis peccat contra illud, quoties ingreditur, sic in praesenti materia, quia Ecclesia prohibet esum carnium in die jejunii, toties legem transgrederis, quoties carnes comedis juxta ipsos Adversarios: ergo similiter. Confirmatur. Ex hoc, quod Ecclesia praecipiat aut permittat, ut Sacerdos semel in die tantum celebret, aut fidelis communicet, sequitur prohiberi non solum secundam celebrationem aut communionem, sed etiam tertiam, quartam, quintam, etc. Ergo similiter in nostro casu.

Dices. Jejunium, postquam secunda refectione violatum est, non potest amplius observari, quia fractum est, neque fieri potest, ut non sit fractum: atqui nemo tenetur ad impossibile: ergo. Ita Angelus. R. 1. retorsione argumenti. Jejunium, postquam prima comestione carnium est violatum, non potest amplius observari, quia fractum est, neque fieri potest, ut non sit fractum: atqui nemo tenetur ad impossibile: ergo nec ad observantiam talis jejunii. Negant adversarii hanc consequentiam: quo ergo jure eam negant, eodem jure nego consequentiam praecedentis argumenti. Unde R. 2. Dist. maj. Non potest amplius observari integre, C. maj. quoad aliquid. N. maj. Potest enim adhuc observari quoad tertiam, quartam, etc. refectiones, quae non minus prohibentur quam secunda. Qui autem non potest totam legem observare, tenetur observare partem, quam potest.

Inst. Sicuti praeciperetur non frangere vas aliquod, postquam semel fregisset non peccaret amplius idem in ulteriores partes frangendo: ergo similiter. R. D. ant. Si vas semel fractum sit omnino inutile, C. si sit adhuc utile, N. Jejunium autem semel fractum potest adhuc utiliter observari quoad aliquid. Insto in eo, qui semel comedit carnes, potest adhuc et debet ab ulterioribus comestionibus abstinere juxta adversarios. Insuper non valet consequentia a physicis ad moralia.

Petes 1. Quomodo jejunare debeat, qui mane vel culpabiliter, vel inculpabiliter sumpsit jentaculum? R. Si mane plenam refectionem sumpserit omisso prandio, debet ipsi sufficere collatio vespertina. Si leve tantum jentaculum sumpserit aequivalens collationi, potest vesperi coenare, aut si subsit quaedam ratio, v. g. quod debeat adesse Communitati prandenti, prandere, omissa tamen collatione, quia debet salvari unica refectio, in quantum potest; sic autem salvatur in utroque casu. Hinc inferes eum qui mane culpabiliter jentavit, si postea plusquam unam refectionem sumat eo modo, quo diximus, duplex peccatum committere in confessione aperiendum, unum ratione anticipati temporis, aliud ratione multiplicis refectionis.

Petes 2. Utrum qui aliquid leve pluries comedit in die jejunii, peccet mortaliter? R. affirmative, dum pervenit ad quantitatem notabilem, quia effectus singularum comestionum manet et ita corroborat naturam, tollitque jejunii difficultatem, ac si simul fierent: paritas est de fustis minutis. Unde damnata est ab Alexandro VII. haec propositio numero 29. *In die jejunii qui saepius quid mo-*

dicum comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. Si autem singulis diebus semel aut bis aliquid leve comederet, non ideo in fine Quadragesimae peccaret mortaliter, quia diversorum dierum sunt diversa praecepta, unicuiquae enim diei est suum praeceptum affixum.

Petes 3. Quae quantitas censeatur notabilis et ad peccatum mortale sufficiens? R. mihi videri quantitatem notabilem peccato mortali sufficientem, quae aequivalet vel levi jentaculo, vel collationi, vel tertiae parti refectionis.

§ III. *Utrum liceat dividere refectionem in die jejunii?*

Dico. Qui sine causa legitima sic dividit refectionem, ut non remaneat moraliter una, frangit jejunium. Patet ex dictis: quia lex jejunii permittit tantum unam refectionem. Dixi. 1. *Sine causa legitima*; quia sicut causa legitima excusat ab integro jejunio, a fortiori ab unitate refectionis, quae est tantum pars jejunii: minor enim causa requiritur ad eximendum a parte legis, quam a tota lege. Dixi 2. *Sic ut non remaneat moraliter una refectio*: pro quo attendendum est et ad intentionem jejunantis, et ad spatium temporis, quod inter inchoatam, et resumptam refectionem intercedit.

Ex 1. capite qui sufficienter, licet non abunde refectus, furgit a mensa cum animo finiendi, et postea iterum eidem vel alteri mensae accumbit, quamvis intra tempus communiter concessum ad refectionem, quod est duarum horarum circiter, frangit jejunium, quia in hoc casu prior refectiore, et animo finita est, adeoque repetitio non censetur respectu hujus hominis continuatio prioris, nec una moraliter cum illa, sed plures. Ita Navar. Valent. Laym. Sylvius, et est communis contra Lessium. Hanc tamen violationem quidam non reputant nisi venialem, quibus assentior, modo sit breve intervallum, puta semiquadrantis circiter, quia tunc videtur materia levis, secus si sit notabile intervallum juxta sequentia.

Ex 2. capite qui sive sufficienter, sive insufficienter refectus, sive cum animo sive sine animo repetendi mensam abrumpit sine causa legitima refectionem, et post notabile tempus puta unius horae, etiam sistendo intra tempus legitimum refectionis, repetit mensam ibidem vel alibi, peccat mortaliter vel contra substantiam jejunii, si jam fuerit sufficienter refectus, vel contra modum unicae refectionis ab Ecclesia praescriptum, si non fuerit sufficienter refectus, quia ob notabile spatium intermedium non censetur moraliter una refectio, sed duplex. Si autem sit brevior mora, puta unius quadrantis et secundum aliquos semihorae, videtur materia levis adeoque peccatum veniale, maxime si non fuerit prius sufficienter refectus et adfuerit animus continuandi postea. Si autem sit brevissima mora, nullum erit peccatum, quia parum in moralibus pro nihilo reputatur, et non desinit ideo reputari moraliter una refectio. Haec omnia satis communiter admittuntur, nisi quod alii longiorem moram, alii breviorem assignent.

Ex dictis colliges 1. eos, qui inter fercula confabulantur, litteras legunt etc. modo refectionem non protrahant ultra duas horas, non peccare contra legem jejunii. 2. Qui praevidens diu differendam esse refectionem, aliquid praesumit intra horam legitimam propter debilitatem praesentem, aut superventuram alioquin infirmitatem, non peccare; si vero faciat absque causa peccare mortaliter, aut venialiter pro quantitate materiae, et interpolationis. Ex consuetudine communiter recepta etiam apud timoratos, et religiosos videntur excusari Lectores, et Ministri mensae, qui aliquid sumunt ante prandium hora tamen legitima, et statim post prandium aliorum absolvunt suam refectionem.

§ IV. *De Coenula seu Collatione.*

Quidquid sit de origine collationis, nunc saltem constat esse licitam, non solum ne potus noceat, aut somnus impediatur, sed etiam ad aliquam nutritionem ex indulgentia matris Ecclesiae hanc relaxationem in sua lege tolerantis. Id admittunt Theologi; et confirmat praxis omnium etiam timoratorum. Sed circa quantitatem ciborum sumendorum in hac coenula tanta est sententiarum varietas, ut vix duos sibi consentientes reperias, et fere tot sint sententiae, quot capita. In tanta opinionum varietate accipe sequentia. Circa qualitatem rectius docere mihi videtur, qui dicunt standum esse probatae consuetudini regionis, in qua quis vivit, quia, cum collatio ortum habeat a consuetudine, etiam consuetudine modus ejus regi debet. In his partibus videtur non multum attendi ad qualitatem, modo sint cibi esuriales, et servetur quantitas. Circa quantitatem existimo duo esse attendenda, juxta quae regi debet quantitas collationis. Primum est consuetudo cujusvis regionis inter timoratos recepta: non est una in omnibus; sic in frigidioribus regionibus plus concedi solet, quam in calidioribus. In his partibus satis communiter assumitur pro coenula, quod aequivalet mediocri jentaculo, aut quartae tertiaeve parti refectionis ordinariae.

2. Inspicienda est conditio personae jejunantis; plus enim concedi debet seni, seu debili, quam adolescenti, aut robusto; plus voraci, quam famae carenti. Idque ratio suadere videtur; sicut enim juxta S. Th. *Quantitas cibi non oportuit eadem omnibus taxari* in refectione *propter diversas hominum complexiones*, ex *quibus contingit, quod unus majori, alter minori cibo indiget*: ita nec oportuit eadem omnibus taxari in refectiuncula, qua permittitur etiam ad indigentiam naturae aliqualiter sublevandam. Dicimus itaque, quod ex primo capite quisque potest sumere in collatione tantum, quantum sumi communiter solet in sua patria, eodem semper principio, quod collatio a consuetudine vim habeat. Ex secundo capite potest plus sumere, etiam quam sumi soleat communiter, qui plus indiget.

Petes 1. Quantus excessus requiratur in collatione ad peccatum mortale? R. meo sensu talem requiri, qui seorsim sumptus sufficeret ad alteram collationem, sicut dixi supra talem quantitatem sufficere ad fractionem mortalem jejunii.

Petes 2. Utrum liceat sumere collationem meridie, prandio in vesperam dilato? R. Non licere sine causa, quia est contra consuetudinem Ecclesiae. Haec tamen transmutatio non est nisi venialis, quia non est violatio jejunii quoad substantiam, sed quantum ad circumstantiam non multum gravem, cum difficilius sit sustinere famem sumpta collatione ad vesperam, quam suscepto prandio. Occurrente autem aliqua causa rationabili, quae non debet esse multum gravis, verbi grat. itineris, studii, lectionis, aut concionis habendae, alicujus negotii peragendi, amici adventuri etc. nulla est culpa. Ita communiter.

§ V. *Quae sit mens S. Thomae circa potum in die jejunii.*

S. Thomas 1. hic art. 6. sibi proponit secundo loco hoc argumentum: *Sicut homo nutritur cibo, ita et potu . . . . Sed non est prohibitum, quin bibamus pluries diversis horis diei: Ergo etiam non debet esse prohibitum jejunantibus, quin pluries comedant.* Cui argumento respondet ad secundum his verbis decretoriis: *Jejunium Ecclesiae non solvitur, nisi per ea, quae Ecclesia interdicere intendit instituendo jejunium: non autem intendit Ecclesia interdicere sumptionem* alias *abstinentiam potus, qui magis sumitur ad alterationem sedandam et digestionem ciborum assumptorum, quam ad nutritionem, licet aliquo modo nutriat: et ideo licet pluries jejunantibus bibere.* Ibidem immediate subjungit:

Si autem quis immoderate potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione assumat. Subsumo : atqui qui cibum immoderate sumit in una comestione, non frangit jejunium, sed peccat dumtaxat contra temperantiam.

2. In 4. Dist. 15. q. 3. a. 4. quaestiunc. 1. o. sic discurrit : *Jejunium dupliciter solvitur; uno modo quantum ad meritum, ita quod homo vel non meretur, vel minus meretur; et de hac solutione jejunii non intendimus ad praesens .... Alio modo solvitur jejunium, secundum quod est ab Ecclesia institutum .... et de hac solutione jejunii nunc quaerimus. Ad hoc autem praecipue valet considerare intentiones statuentis. Intendit autem Ecclesia certum modum statuere manducandi, ut scilicet semel in die jejunans manducet : et ideo si aliquorum sumptio secundum quae manducatio solet compleri iteretur, jejunium praedicto modo acceptum solvitur. Si autem aliqua sumantur, quae ad manducandum de se non sunt ordinata, sed ad alium usum, qui usus communiter manducatio non vocatur, talis cibi vel potus sumptio, praeter manducationem unam ante vel post, non facit esse binam manducationem, et ideo talis sumptio jejunium non frangit.* Subsumo: atqui potus proprie dictus non est de se ordinatus ad manducandum, sed ad potandum, et ejus usus communiter manducatio non vocatur. Ibidem ad primum : *Quamvis aliquis potus aliquo modo nutriat, tamen de se non ordinatur ad nutriendum, sed magis ad bonam dispositionem eorum, quae nutriunt, ut scilicet per membra deducantur et in stomacho non comburantur : unde sumptio potus manducatio non dicitur, et ideo qui potat extra horam unicae refectionis, non dicitur manducare, et propter hoc nec statutum Ecclesiae frangit, nisi in fraudem legis aliquid facit.*

Haec intellige 1. de potu proprie dicto, qui nimirum, ut dicit S. Doctor, ex sua natura et principaliter ordinatur ad refrigerationem et digestionem, licet aliquo modo nutriat, ut sunt vinum, cerevisia, sicera, aqua et alii similes liquores. Unde lac, mel, jusculum, et similia non censentur potus, quia licet non dicantur manducari, neque proprie potari, sed sorberi, potius tamen secundum se ordinantur ad nutritionem quam ad refrigerationem et digestionem, et sic sunt magis cibus quam potus, et ideo frangunt jejunium. Quantum ad *Thè* et *Caffe*, quamvis aliquo modo nutriant, ratione jusculi herbarum, aut fabarum, et sacchari, cum tamen secundum se sumantur principaliter ad refrigerationem et digestionem, videntur mihi habere rationem potus, nec solvere jejunium, nisi forte multum lactis et sacchari immisceatur, et sumantur in magna quantitate.

Intellige 2. de potu secundum se, quia per accidens potus potest solvere jejunium duplici modo. 1. Ratione consuetudinis : si enim in aliqua provincia vel dioecesi vigeat consuetudo pro lege communiter accepta abstinendi a potu extra horam refectionis, servanda est, sicut enim consuetudo potest praescribere contra legem ita etiam potest vim legis obtinere. *In jejuniis* inquit S. Doct. hic art. 8. ad 3. *diversae consuetudines existunt apud diversos, quas quisque observare debet secundum morem eorum, inter quos conversatur.* 2. Potus per accidens frangit jejunium, quando sumitur in fraudem jejunii, *quia*, inquit S. Doctor supra citat. *violat legem qui in fraudem legis aliquid facit.* At quando quis censetur bibere in fraudem legis, non est una omnium sententia. Quidam id fieri putant, quando quis bibit immoderate, aut ex sola voluptate sine ulla necessitate.

At, ut videtur, non sic S. Th. *Si quis*, inquit hic a. 6. ad 2. *immoderate potu utatur, potest peccare et meritum jejunii perdere, sicut etiam si immoderate cibum in una comestione sumat.* Sed qui sumit immoderate et ex sola voluptate cibum in una comestione, non ideo censetur agere in fraudem jejunii, nec peccare contra legem jejunii, sed contra temperantiam tantum : videtur ergo, quod sumere potum in fraudem sit juxta S. Th. illum sumere *per modum cibi*, ut dicit

a. 6° ad 3. Hoc autem sumitur *per modum cibi*, quod assumitur ad sedandam famem et ad nutriendum, ad id enim ordinatur cibus: qui igitur eo animo sumit potum aut electuaria, agit in fraudem legis, et ideo peccat vel mortaliter, si sumat in magna quantitate, vel venialiter, si in parva.

Ex his colliges hoc famosum, et ubique decantatum adagium, LIQUIDUM NON FRANGIT JEJUNIUM, ex duplici capite esse falsum, nec a S. Thoma umquam traditum, quin ab ejus mente prorsus alienum. 1. Quia licet omnis potus sit liquidum, non tamen omne liquidum est potus, ut patet de lacte, jusculo, et aliis, ut dixi supra, solus autem potus proprie dictus juxta S. Thom. non frangit jejunium. 2. Quia juxta eumdem S. Doctorem potus etiam proprie dictus potest per accidens frangere jejunium, si nempe sumatur in fraudem jejunii per modum cibi et etiam, ut dixi, ratione consuetudinis. Caeterum meminerit Lector, hic agi non de mea, sed de S. Th. sententia, quam si quis nimiae laxitatis arguat, non me, sed S. Doctorem censura ferit.

ARTICULUS III.

De hora solvendi Jejunii.

Prioribus Ecclesiae saeculis hora solvendi jejunii communis extra Quadragesimam erat nona, hoc est tertia pomeridiana. Intra Quadragesimam protendebatur ad Vesperam. Saeculo 13. mos obtinuit, ut omnia jejunia indistincte solverentur hora nona seu tertia pomeridiana. Hujus moris testis est Sanctus Thoma hic a. 7. o.

Dico 1. Nunc hora solvendi jejunii est circa meridiem. Ita passim obtinuit consuetudo, vidente et annuente matre Ecclesia, hominum infirmitati indulgente. Paucis post annis a D. Thoma, consuetudinem hanc obtinuisse testatur Durandus ejusdem saeculi Scriptor in 4. Dist. 15. a. 3. q. 9. his verbis: *Comedentes in Quadragesima et quibuscumque aliis jejuniis, circa horam sextam* (id est duodecimam) *non peccant; quia tam Papa, quam Cardinales, Praelati, et Religiosi sic observant.* Hanc mutationem horae nonae in sextam esse rationabilem probant Cajetanus hic et Bellarmin. lib. 2. de bonis operibus cap. 2. Quia quando homines solebant sumere refectionem circa meridiem, hora conveniens solvendi jejunii erat tertia pomeridiana. Haec enim dilatio trium horarum erat congrua carnis mortificatio, ut dictum est: ergo cum nunc soleant homines refici sive jentando sive prandendo circa nonam matutinam, hora conveniens solvendi jejunii est circa meridiem: ibi enim ut ante intervenit dilatio trium horarum. Antiquae tamen consuetudinis voluit Ecclesia manere quaedam vestigia: unde in Quadragesima ante refectionem cantantur Vesperae, in aliis jejuniis cantatur Nona.

Dixi *Circa meridiem*: non enim Ecclesia intendit arctare ad subtilem temporis inspectionem, quasi opporteret accipere Astrolabium ad cognoscendam comestionis horam, sed sufficit, si circa illam horam, quam Ecclesia determinat, jejunans sumat cibum. Unde usus invaluit tam apud Regulares, quam saeculares, ut possit comedi ad medium duodecimae, imo in his partibus saltem apud saeculares, hora undecima.

Dico 2. Qui absque legitima causa notabiliter anticipat horam refectionis in die jejunii, peccat mortaliter. Est sententia probabilior, et tutior Cajet. Navar. Silvestri, Paludani, Sylvii, Marchantii, et aliorum contra Lessium, Layman, Toletum, et alios. Ratio est, quia transgreditur praeceptum in re notabili: haec enim conditio jejunii notabiliter facit ad carnis mortificationem, quae est finis praecepti; dicitur autem materia notabilis, quae notabiliter contrariatur fini legis.

Dixi, *Absque causa legitima*: quia sicut causa legitima excusat a tota lege, potest a fortiori excusare a parte. Causa autem legitima est, quando quis non

potest sine gravi incommodo sumere refectionem hora solita, qualis est iter inchoandum, concio habenda, aliquod grave negotium tractandum circa meridiem et similia. Multi addunt urbanitatem erga hospitem, qui discessum differre non potest; sed non satis video, quale gravamen communiter resultaret, si haec urbanitas omitteretur legis ergo servandae.

Petes, quae censeatur anticipatio notabilis? Respondet hic doctissimus Sylvius anticipationem mediae horae esse certo levem, anticipationem duarum horarum esse certo notabilem, anticipationem unius horae esse probabiliter notabilem. Hoc ultimum mihi videtur durum. Caeterum notari velim, majorem vel minorem causam requiri pro majori vel minori anticipatione, et eo majus vel minus esse peccatum, quo plus, vel minus causa accedit ad sufficientiam, vel ab ea recedit. Unde non puto eum peccare, qui urbanitatis causa comederet cum amico proficiscenti medio undecimae in his partibus, quia dato quod non sit sufficiens causa ad notabilem anticipationem, ut dixi, est tamen sufficiens ad levem.

Articulus IV.

De abstinentia a Carnibus, Ovis, et Lacticiniis.

Lutherani et Calvinistae contendunt nullos cibos posse Christianis prohiberi, voluntque ad jejunium dumtaxat pertinere abstinentiam a lautitiis. Contra quos

Dico 1. Ecclesia jure potest interdicere jejunantibus esum carnium Pr. 1. ex variis Scripturae locis: *Qui Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus et Publicanus. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit me spernit* etc. ergo. Confirmatur. Apostoli in Concilio congregati interdixerunt Christianis usum quorumdam ciborum, scilicet sanguinis et suffocati, ut lex vetus suavius abrogaretur: ergo Apostolorum successores possunt etiam fidelibus certorum ciborum usum interdicere ad alium aliquem bonum finem, ut est refraenatio carnis etc.

Prob. 2. lumine naturali. Constat medicum jure posse infirmo praecipere abstinentiam a carnibus ad vitam corporalem salvandam: ergo id etiam jure potest Ecclesia erga jejunantes sibi subditos ad vitam spiritualem salvandam. Patet consequentia, quia non minus, imo magis competit Ecclesiae regimen animarum, quam medico regimen corporum.

Dico 2. Abstinentia a carnibus pars ecclesiastici jejunii semper fuit. Prob. 1. ex S. Joanne Chrysost. hom. 1. in Genes. habita initio Quadragesimae, ubi sic ait: *Hae verae feriae sunt, ubi . . . . omnis hujus vitae apparatus abigitur: ubi clamor et tumultus et coquorum discursus et pecudum mactationes e medio tolluntur.* Et hom. 2. *Nusquam hodie tumultus, vel clamor, vel carnium concisiones, vel coquorum discursus, sed omnia illa abierunt.* 2. Ex S. Aug. serm. 64. de tempore, qui est primus in Dom. primam Quadr. *Qui* inquit, *abstinemus nos a carnibus, quibus uti aliis diebus licet, fugiamus peccata, quae omnino nunquam licent.* 3. Concilium Toletanum. VIII. an. 653. Can. 9. eum, qui sine necessitate manducavit carnes tempore Quadragesimae, jubet abstinere ipsius anni tempore ab omni carnium usu, *quia sacris diebus abstinentiae oblitus est disciplinam.*

Dico 3. Convenienter ab Ecclesia interdicitur jejunantibus esus carnium, ovorum, et lacticiniorum. Hanc legem de facto esse ab Ecclesia latam probant, et quae modo diximus de secunda conclusione, et communis fidelium sensus ac praxis. Unde merito damnata est ab Alexandro VII. haec propositio: *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget.* Hanc vero legem esse convenienter latam

Probatur. Ecclesia illos cibos convenienter jejunantibus interdicit, quae et in comedendo maxime habent delectationem, et hominem maxime ad venerea pro-

vocant; atqui hujusmodi sunt carnes animalium in terra quiescentium et respirantium, et quae ex eis procedunt, sicut lacticinia ex gressilibus, et ova ex avibus: ergo. Major patet, quia, ut saepe dictum est, jejunium est ab Ecclesia institutum maxime ad reprimendas carnis concupiscentias, quae sunt circa cibos et venerea. Pr. minor. Carnes animalium terrestrium, et quae ex eis procedunt, magis conformantur humano corpori, et ideo plus delectant, et magis conferunt ad humani corporis nutrimentum, et sic ex eorum comestione plus superfluit, ut vertatur in materiam seminis, cujus multiplicatio est maximum incentivum libidinis: ergo.

Est tamen quaedam differentia; cum enim carnes primario et principaliter interdicantur, secundario et minus principaliter ova et lacticinia, quatenus sunt exorta ex animalibus carnes habentibus, ideo in omnibus jejuniis carnes prohibentur: in jejunio autem Quadragesimae, quod est solemnius, quia observatur ad imitationem Christi et per ipsum disponimur ad redemptionis nostrae mysteria celebranda, praeter carnes prohibentur ova et lacticinia, quae non prohibentur in aliis jejuniis. Haec intellige de jure communi: ex usu enim in multis provinciis permittuntur lacticinia in Quadragesima; et e contra, teste Navarro in Manual. cap. 21. n. 15. prohibentur ova, et lacticinia in aliis jejuniis.

Quapropter circa horum observantiam unusquisque debet vivere secundum morem eorum, inter quos conversatur: unde Hieronymus epistol. ad Luci. de jejuniis loquens dicit: *Unaquaeque provincia abundet in suo sensu, et praecepta majorum, leges apostolicas arbitretur.* Et Augustinus epist. 86. *In his rebus, de quibus nihil certi statuit Scriptura sacra, mos populi Dei, vel instituta majorum pro lege tenenda sunt.*

Obj. cum Haereticis. Scriptura S. damnat legem de abstinentia carnium. Ergo. Pr. Ant. 1. Matth. 15., *Non quod intrat per os coinquinat hominem.* Et Luc. 10. Christus vult Apostolos manducare quae illis apponuntur. 2. Apost. 1. Cor. 10. *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, et plenitudo ejus; siquis vocat Vos infidelium, et vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam.* 3. Idem Apostolus 1. Timoth. 4. damnat eos, qui novissimis diebus venturi sunt prohibentes nubere, et praecipientes abstinere a cibis, quos Deus creavit *Quia*, inquit, *omnis creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur.* Ideoque ad Tit. 1. 15. addit *Omnia munda mundis.* 4. Ad Coloss. 2. ait *Nemo vos judicet in cibo, aut potu .... Si ergo mortui estis cum Christo, ab elementis hujus mundi, quid adhuc tamquam viventes in hoc mundo decernitis? Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis. Quae sunt omnia in interitum ipso usu secundum praecepta, et doctrinas hominum, quae sunt rationem quidem habentia sapientiae in superstitione, et humilitate* Et 1. Cor. 8. *Esca Vos non commendat Deo; Neque enim si manducaverimus abundabimus, neque si non manducaverimus deficiemus* Et ideo addit Rom. 14, *Qui non manducat manducantem non spernat.*

R. N. Ant. Ad 1. Prob. fateor id, quod intrat per os, non coinquinare hominem de natura sua, sed ex inobedientia, vel intemperantia utentis: sicut fructus in Paradiso terrestri coinquinavit Adamum. Cum Christus vult Apostolos manducare, quae illis apponerentur, sensus est juxta Ambrosium Theophylactum, et alios, quod debeant esse contenti cibis etiam vilibus et ingratis, nec quaerere lautos. Voluit fortasse ipsos edere cibos etiam venenatos, si oblati fuissent? Ad 2. Apostolus ibi loquitur de esu idolothytorum, sive carnium immolatarum, quae publice vendebantur, et in mensis privatis apponebantur; docet itaque fideles, non debere anxie quaerere, quae carnes sint, cum nullus cibus sit ex se immundus, nec immolatitiae reum faciunt comedentem, qui nulla idoli religione, et sine offensione fratrum illas manducat. Ad 3. Apostolus praedicit futuros quosdam,

qui praecipierent abstinentiam a certis cibis tamquam per se malis, ut Ebionitae, Encratitae, Marcionitae, et Manichaei. Dicit *in novissimis diebus*, per quos intelliguntur tempora subsequentia secundum modum loquendi Scripturae, quae totum tempus, quod est a Christo ad finem mundi solet vocare novissimos dies, horam novissimam, fines saeculorum. Ad 4. Apostolus non agit illic de ciborum delectu, quem carnis castigandae causa fideles observant ex lege Ecclesiae, sed de legalibus caeremoniis legis Mosaicae, vi cujus cibi alii erant mundi, alii immundi, quibus docet fideles non amplius adstringi. Ita S. Hieron. in Ep. ad Aglasiam q. 10. Si dicas Apostolum loqui de doctrinis Hominum, dicitur eam vocare doctrinam hominum, quia ei erant admixta instituta Pharisaica, nec est inverisimile Pharisaeos inter alias traditiones suas etiam quaedam genera potus interdixisse praeter prohibitum a lege, ut qui reperiebatur in vasis immundis, aut quae carerent operculo, aut in quae morticinium cecidisset: Num. 19. et Levit 11.

Obj. 2. cum Kemnitio. Catholici in prohibitione carnium haerent in luto antiquorum haereticorum. Ergo. Pr. Ant. 1. ex benedictionibus supra cibos adhibitis, quibus indicant se credere eos esse immundos. 2. Refugiunt carnes eo quod carnis concupiscentias excitent, quod erat fundamentum veterum haereticorum. Ergo. R. ex Kemnitii argumentatione sequi. 1. Nos credere immundos secundum se etiam panem, et aquam, cum ab Ecclesia benedicantur. 2. Paucos etiam extra jejunium posse vesci carnibus, quia pauci sunt, qui curant eas benedici. 3. Nos etiam in jejuniis carnes benedictione purgatas posse libere vesci, quae sunt insulsa, et absurda. Benedictiones igitur, et exorcismos quandoque adhibemus etiam circa varias alias creaturas, non quod non liceat eis uti nisi benedicantur, sed quia Diabolus, Deo permittente, saepe eis utitur in nostram perniciem, ideoque eas signo crucis munimus, Deumque precamur, ut non sinat res illos a Diabolo converti nobis in malum. Ad 2. Prob. resp. Neque puto haereticos inficiari esum carnium esse libidinis incentivum, cum id Patres passim agnoscant, probet ratio, testetur experientia, sed non ideo plusquam ipsi eas dicimus secundum se immundas, sicut nec vinum nec legumina, quae etiam sunt libidinis incentiva. Abusus ergo utentium immoderate carnibus, non earum natura damnatur. Quod autem assumunt haeretici moderni hoc ipsum esse fundamentum veterum haereticorum probat esse eos peregrinos in doctrina Patrum; testatur Aug. l. de haeres. c. 46. Manichaeos non comedere carnes animalium, quia dum occiduntur, fugit ab eis anima, et remanet corpus a malo principio factum. „ Non vescuntur *in-* „ *quit*, carnibus, tamquam de mortuis, vel occisis fugerit divina substantia tan- „ tumque, ac tale inde remanserit, quod jam dignum non sit in electorum ventre „ purgari „ *et infra* „ nam et vinum non bibunt, dicentes fel esse Principum te- „ nebrarum „ *S. Epiphanius de Encratitis dicit* „ Animata abominantes, inter- „ dicunt non continentiae gratia, neque honestae vitae, sed ob timorem et ima- „ ginationem, ut non condemnentur ab animatorum esu „

Petes 1. Utrum praeceptum abstinendi a carnibus, ovis, et lacticiniis secundum se obliget sub mortali? R. affirmative. Quantum ad carnes certum est ex communi fidelium sensu, et quia, ut supra dixi, lex jejunii obligat sub mortali, abstinentia autem a carnibus est pars essentialis jejunii ecclesiastici. Quantum ad ova et lacticinia in Quadragesima, est etiam sententia communis contra paucos; fundatur pariter in communi sensu fidelium, et insuper in cap. *Denique* Dist. 4. ubi S. Augustino Anglorum Episcopo quaerenti, utrum illicitum esset manducare ova et lacticinia in Quadragesima, respondit S. Gregorius sic: *Par est autem, ut, quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quae sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, et ovis.*

Petes 2. Utrum quis toties peccet, quoties in die jejunii carnes comedit? R. affirm. quia preceptum non comedendi carnes est negativum. Ita communiter

Petes 3. Utrum qui die jejunii non habet alium cibum nisi carnes, possit eas comedere? R. affirm. quia necessitas evidens ipsum excusat: si autem habeat panem cum carnibus, debet meo judicio abstinere a carnibus, nisi per plures dies deberet solo pane vesci cum gravi et insolita difficultate, aut notabili detrimento sanitatis, utpote aliis cibis assuetus.

[Benedictus XIV. in materia jejunii plura resolvit, quae antea in controversiam vocabantur. Const. *In suprema* 22. Aug. 1741. declaravit dispensatos in abstinentia a carnibus, sive fuerit multitudo, sive singulares personae, non dispensari in abstinentia a pluribus refectionibus; sed unicam comestionem esse servandam, in qua interdictae epulae non apponantur. Quae autem sint epulae licitae, quaeque interdictae declaravit in responsione ad 4. quaestionem Archiepiscopi Compostellani. *Epulas licitas pro iis, quibus permissum est carnes comedere, esse carnes ipsas, epulas interdictas esse pisces, adeoque utrumque simul adhiberi non posse. Piscibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur facultas adhibendi ova et lacticinia.* Quod autem qui ex dispensatione in diebus jejunii comedunt carnes, possint simul uti ovis, et lacticiniis non videtur posse negari. Clemens enim XIII. Const. *Appetente* 1759. declarans sui praedecessoris mentem ait: *Propterea tantummodo ad unicam comestionem posse carnem, vel quae ex carne trahunt originem adhibere.* In Can. autem *Denique* dist. 4. legitur: *Quae trahunt originem sementinam a carne, ut sunt ova et lacticinia.* Quae tamen omnia prohibita sunt in vespertina refectiuncula, in qua tantum licet *uti eo cibo, et ea potione, quibus utuntur homines jejunantes, rectae, et meticulosae conscientiae.* Idem Benedictus in cit. resp. ad 2.

An vero qui vel propter aetatem, vel propter laborem, vel alia legitima causa ad jejunium non tenentur, possint pluries in die uti cibis per indultum permissis? R. affirmative. Ita pro iis, qui ob laborem non tenentur, respondit S. Poenitentiaria die 16. Febr. 1819. „ Sacra Poenitentiaria mature, et diligen- „ ter expensa proposita quaestione de mandato Sanctitatis Suae respondet: Fideles, „ qui ob laborem jejunare non tenentur, licite posse in quadragesima, cum „ indultum concessum est, omnibus diebus indulto comprehensis, vesci carnibus „ et lacticiniis per idem indultum permissis, quoties per diem edunt „ Quae responsio licet exprimat tantum eos qui propter laborem non tenentur, de quibus solis proposita erat quaestio, videtur propter identitatem rationis extendenda ad omnes, qui ex quacumque legitima causa ad jejunium non tenentur. Hi enim omnes cum ad solam, et unicam comestionem non teneantur; nihil in eis remanet de obligatione jejunii, quam abstinentia a cibis vetitis, quae tamen tollitur per indultum, atque ideo S. Poenitentiaria etiam pro laborantibus clausulam apposuit *diebus indulto comprehensis.* Quod confirmatur ex praxi timoratorum, qui diebus dominicis in quadragesima occurrentibus, in quibus urget tantum obligatio a cibis vetitis, sine scrupulo pluries in die comedunt cibos per indultum concessos.]

Articulus V.

Utrum violaturis jejunium liceat ministrare cibos prohibitos aut coenam.

Quaestio est de petentibus cibos prohibitos, aut coenam; non petentes enim aut imparatos ad id invitare procul dubio non licet.

Dico 1. Non licet absque justa et rationabili causa violaturis jejunium ministrare cibos vetitos, aut coenam. Pr. 1. Ex lege charitatis, et praecepto Dei, qui *Unicuique mandavit de proximo suo*, Eccles. 7. tenemur impedire et offensam Dei et malum

proximi quando absque nostro aut alterius nocumento possumus: ergo. Prob. 2. Qui absque legitima causa praebet alteri occasionem seu materiam peccandi, censetur moraliter velle ipsius peccatum et ipsi positive cooperari, cum tunc nihil rationabile adferre possit, propter quod id faciat: ergo.

Dico 2. Ex justa et rationabili causa licet ministrare cibos vetitos, aut coenam violaturis jejunium. Pr. Ministrare carnes aut coenam est actio secundum se indifferens et ex natura sua ordinata ad refectionem corporis, qua petens potest adhuc bene vel male uti; quod autem ordinetur ad peccatum, est ex malitia petentis; atqui nulla lege tenemur cum nocumento abstinere ab actione secundum se indifferente propter malitiam alterius, sed possumus nobis consulere permittendo seu negligendo ejus malitiam, quam, ut suppono, aliunde detestamur: ergo. Conf. Facere rem secundum se indifferentem et non malam, quae sit alteri occasio, aut materia peccandi, non est per se malum, cum omnia omnibus possint esse occasio et materia peccandi; sed tunc solum est malum, quando quis eam facit nulla rationabili causa motus, quia tunc, ut dixi supra, censetur moraliter velle peccatum et ipsi cooperari positive, cum nihil rationabile adferre possit, propter quod hanc faciat: ergo ubi est rationabilis causa illam faciendi, non est malum. Unde S. Th. docet licere accipere mutuum sub usura, *Propter aliquod bonum, quod est subventio propriae necessitatis vel alterius. Q. 13. de malo a 4. ad 19.* et alibi. *Quod licite possumus uti malitia alterius, vel etiam materia, qua abuteretur, non subtrahere, sed praebere pro aliquo incommodo vitando.*

Hinc inferes 1. licite apponi coenam violaturis jejunium, si ex denegatione merito timeantur graves irae, rixae, blasphemiae, grave damnum, sive grave lucrum cessans, quod respective ad ministrantem reputetur grave damnum: ut quod hospes deferatur ad magistratus puniendus in locis haereticorum: quod hospitium omnino aut notabiliter deseratur. Non vero si leve damnum, aut leve lucrum cessans timeatur, puta quod displiceat hospitibus, quod ab iis, aut aliquibus tantum hospitium deseratur. Idem dic de propinantibus vinum aut cerevisiam se inebriaturis etc. Ubi adverte tanto gravius fore peccatum in ministrante, quanto levior erit causa ministrandi: tanto minus, quanto gravior erit causa, ita ut futurum sit veniale dumtaxat, si causa non multum recedat a legitima. Hinc viderint, quot peccatis se implicent hi caupones, qui ex mera avaritia, et majoris lucri cupiditate omnibus indiscriminatim cibos vetitos, coenam, potum ministrant, et quod pejus est, violaturos jejunium aut se inebriaturos incitant, urgent ad comedendum aut bibendum; quod nullo unquam casu licet, quia hoc est directe concurrere ad peccatum.

Inferes 2. quod si sit dubium, an hospites habeant jus coenandi, debeant hac de re interrogari, si decore fieri possit; si minus propter eorum reverentiam, possunt praesumi posse, quia nemo debet reputari malus, nisi probetur, et dubia sunt in meliorem partem interpretanda.

Inferes 3. tibi a jejunio exempto non licere urbanitatis causa invitare ad coenam tecum eum, quem scis jejunio teneri, quamvis paratum domi suae coenare. Ita Lessius, Loth, Asor. et alii contra Navarr. Ratio est, quia si sola urbanitas non sit causa sufficiens, ut licite praebeas occasionem aut materiam peccandi, a fortiori ut invites ad id, quod sine peccato hic et nunc fieri non potest, quod, ut jam dixi, nullo unquam casu licitum est: coena autem quamvis secundum se sit indifferens, tamen hic et nunc non potest sumi sine peccato.

Articulus VI.

Utrum omnes ad Jejunia ecclesiastica teneantur?

Dico 1. Omnes Christiani vigesimum primum aetatis annum completum adepti tenentur ad jejunia ecclesiastica, nisi in eis fuerit aliquod speciale impedimentum. Hae ultimae particulae adduntur propter causas excusantes a jejunio, de quibus articulo sequenti. Probatur. Rationes instituendi jejunii sunt omnibus communes: ergo omnes obligantur. Probatur antecedens: rationes instituendi jejunii sunt carnis castigatio, ut ipsa spiritui subjiciatur, aut in subjectione jam adepta permaneat, elevatio mentis ad Deum, placatio irae divinae, satisfactio pro peccatis praeteritis, cautio futurorum, boni privati aut publici impetratio: atqui hae rationes omnes aut saltem pleraeque et praecipuae sunt omnibus communes: et dato quod in aliquo particulari deficerent nihilominus lege teneretur, quia cessante fine legis inadaequatae tantum non ideo cessat lex; ergo.

Dices Luc. 5. Christus dicit *Numquid potestis Filios sponsi dum cum illis est Sponsus, facere jejunare? Venient autem dies cum ablatus fuerit sponsus, tunc jejunabunt illis diebus*: Atqui Sponsus Christus est cum justis, eos inhabitans. Ergo R. cum S. Th. et communius. Christus se *Sponsum* vocat; Discipulos suos vocat *Filios Sponsi*, qui dicuntur pronubi, et amici dati Sponso honoris gratia V. Judic. 14. Sensus ergo verborum Christi est. Sicut non congruit pronubis jejunare dum durant tempora nuptialia; ita nec congruit Discipulis meis jejuniis frequentibus addici, sicut vos Pharisaei voluntarie addicimini, quamdiu sum cum illis. Venient dies, cum auferetur ab eis sponsus, scilicet per mortem, et Ascensionem meam et tunc jejunabunt, sicut reipsa factum indicant acta Apostolorum. V. S. Th. hic. a. 4. ad 5. ubi alias expositiones affert. Dixi 1. in conclusione, *Omnes Christiani* ideoque non solum Catholici, sed etiam Haeretici lege ecclesiastica jejunii adstringuntur, quia, cum per Baptismum fiant Ecclesiae subditi, ejus legibus tenentur: secus Infideles et Pagani, quia defectu Baptismi non sunt Ecclesiae subditi. Dixi vigesimum primum *aetatis annum completum adepti.* Pro quo

Dico 2. Nemo ante vigesimum primum aetatis annum completum tenetur integre vi legis ecclesiasticae ad jejunia ecclesiastica. Ita mentem Ecclesiae interpretatur consuetudo a Divo Thoma asserta, et Doctorum ac piorum praxi prope generali firmata. Sic etiam post S. Th. docent S. Antonin. Palud. Sylvester, Cajet. Rosell. Navarr. Sylv. Less. Pontas, et innumeri alii contra paucos. Ratio etiam adstipulatur, quia in pueris ante assignatam aetatem est evidens ratio non jejunandi tum propter debilitatem naturae, ex qua provenit, quod indigeant frequenti cibo et non simul assumpto, tum etiam quia indigent multo nutrimento propter necessitatem augmenti, quod fit de residuo alimenti: ergo quamdiu sunt in statu augmenti, quod est, ut in pluribus, ad finem tertii septennii non tenentur ad jejunia ecclesiastica. Conveniens tamen est, ut etiam hoc tempore se ad jejunandum exerceant plus vel minus secundum modum suae aetatis, quod est consilii, inquit hic Cajetanus, et non praecepti: gratis itaque Doctor Daelman hic astruit obligationem sub veniali.

Dixi, *integre*; quia certum est omnes, ubi adepti sunt usum rationis, quod in pluribus accidit in fine primi septennii, teneri ad partem jejunii, quae est abstinentia a carnibus: tum quia id fert generalis consuetudo, quae est optima legum interpres; tum quia carnes non sunt ipsis necessariae ad debitum naturae augmentum, sed sufficiunt alii cibi et plures refectiones. Et de hoc imperfecto jejunio intelligenda sunt jura, si quae sint, quae pueros doli capaces astringant jejunio. Ante vero usum rationis neque a carnibus abstinere tenentur, sicuti nec

amentes, quia leges Ecclesiae non afficiunt nisi ratione utentes: unde possunt etiam ab aliis carnes edendae ipsis porrigi, ut jam dixi alibi, modo absit scandalum.

Dices. Non est determinata aetas ad finiendam obligationem jejunii: ergo nec ad inchoandam.

Pro solutione hujus argumenti

Dico 3. Non est determinata aetas ad finiendam obligationem jejunii, sicut ad inchoandam. Unde male quidam assignant sexagesimum annum pro termino finiendae hujus obligationis. Ratio conclusionis, et disparitatis est, quia nullibi apparet, quod Ecclesia assignaverit hunc sexagesimum annum aut alium pro termino finiendae hujus obligationis, sicut constat ex consuetudine et communi consensu Doctorum, ut jam saepe dixi, determinasse vigesimum primum annum ad inchoandam hanc obligationem.

Altera disparitas, aut potius ratio hujus diversae dispositionis Ecclesiae est, quia status augmenti, et roboris communiter et ut in pluribus habetur certa aetate, non autem senectus; alii enim senescunt anno 40. alii 50. alii 60. alii 70. tantum et ultra, ita ut quandoque videantur septuagenarii, aut sexagenarii vegetiores, quam quinquagenarii, aut quadragenarii; et ideo non potuit assignari certa aetas ad finiendam obligationem jejunii, sicut ad inchoandam. Quapropter obligationis finiendae aut continuandae regula repeti debet ex debilitate, seu infirmitate senio causata. Non diffiteor tamen, quin circa sexagesimum annum satis frequenter talis sit infirmitas, quae excuset, si non a toto, saltem a parte jejunii.

Petes. 1. Utrum religiosi exempti teneantur ad jejunia ab Episcopo indicta? R. Negative, nisi forte vi consuetudinis, quae vigeat in Provincia, aut ratione scandali. V. Bened. XIV. de Syn. Dioec. l. 13. c. 4.

Petes 2. An Peregrini teneantur jejunio sui territorii, vel loci in quo sunt? R. Teneri jejunio loci in quo sunt. Pr. 1. ex vulgato Ambrosii responso ad Augustinum *Cum Romam venio Sabbatho jejuno, cum Mediolani sum, non jejuno* 2. Id exigit uniformitas in regimine, et exacta legis observantia. 3. Sic obtinuit consuetudo. Hinc jam praesumitur, hanc esse legislatoris mentem.

Ex hoc inferes 1. discedentem a loco, ubi non est jejunium, posse mane refectionem sumere; et adveniens ad locum jejunii circa meridiem posse iterum prandere, et sero collationem sumere. Si sero tantum adveniat, non potest nisi collationem sumere. E contra discedens a loco jejunii non potest mane sumere jentaculum, sed adveniens ad locum, ubi non est jejunium, se gerat ut alii non jejunantes. Inferes 2. Invitatum ab amico ad prandium, ubi non est jejunium posse comedere carnes, quas domi suae propter jejunium comedere non potuisset, nisi illuc eat in fraudem jejunii. Inferes 3. eum qui jejunavit tota quadragesima in loco, ubi viget correctio Gregoriana, si transeat ad locum, ubi vetus Kalendarium servatur, in quo tempus quadragesimae non est completum, teneri ad prosequendum jejunium. Idem dic de jejuniis, quae praemittuntur alicui festo particulari, unde fieri potest, ut aliquis per accidens teneatur bis in eodem anno jejunare pro eodem Sancto, et duplicem quadragesimam agere.

Articulus VII.

De causis excusantibus a jejunio

Causa excusans a jejunio generaliter loquendo una est, nempe impotentia moralis, qua quis non potest sine gravi suo vel alterius incommodo jejunare. Ad hanc revocantur omnes aliae causae assignari solitae, ut infirmitas, labor, peregrinatio, paupertas, pietas, etc. Unde

Dico infirmitas praesens vel imminens in tantum excusat a jejunio in quan-

tum est, aut saltem creditur juxta experti et timorati Medici, aut eo deficiente, alterius viri prudentis et probi judicium vel incurrenda, vel aggravanda, vel non sananda, si servetur jejunium. Est communis et certa, quia jejunium est ab Ecclesia institutum ad mortificationem quidem naturae non vero ad ejus destructionem.

Hinc inferes 1. Infirmos excusari a jejunio tantum, quantum exigit ratio infirmitatis, ita ut aliquis possit manducare carnes, nec tamen sumere plures refectiones, vel e contra, et quibusdam sufficit invertere solum ordinem refectionum. Is vero cui ex vere probabilibus iudiciis imminet morbus, eximitur a jejunio pro quanto necesse est ad illum avertendum; similiter qui ex morbo convaluit pro quanto necesse est ad reparandas vires. 2. Mulieres praegnantes, aut lactantes eximi a toto jejunio quoad abstinentiam a pluribus refectionibus, quia abundantiorem cibum exigit foetus, quem gestant, aut lactant, imo peccarent, si jejunium saltem in rigore observare vellent ob nocumentum imminens proli, aut foetui, propter quod possent eximi etiam ab abstinentia a carnibus, si in eas immoderata passione ferrentur.

Dico 2. Secundum jus antiquum labor non necessarius etiamsi gravis, non eximit a jejunio, quia dimittendum est id, quod non est necessitatis, ut servetur id, quod est necessitatis. Labor autem gravis necessarius ad bonum, sive proprium, sive alienum eximit a jejunio, quia non videtur fuisse intentio Ecclesiae statuentis jejunia, ut per hoc impediret alias pias, et magis necessarias causas. Ita, inquam, secundum jus antiquum S. Thomas, et cum eo omnes fere antiqui et multi moderni.

Verum, inquit Sylvester Verb. *Jejunium n.* 24. *Eugenius IV. anno* 1440. *circa hoc fecit magnam modificationem, indulgens quod artifices laboriosa opera exercentes, et rustici, sive sint divites, sive pauperes, non teneantur ad jejunium sub praecepta, ut refert Rosella, et alias a viris doctis audivi.* Hucusque laudatus Sylvester. Eamdem Eugenii IV. declarationem refert Basseus V. *jejunium* 2. num. 7. his verbis: *Opifices suas artes exercentes, aut coloni colendis, serendisque agris, aut aliis ejusmodi rebus operam dantes, sive sint divites, sive pauperes, ad jejunia sub peccato mortali non tenentur, et a Confessariis absolvi possunt, consulendo illis, ut in eleemosynis, aliisque piis operibus occupentur.* Idem referunt ex laudatis operibus Loth, Henno, et alii; divitibus autem non est necessarius labor. Quapropter

Dico 3. Secundum jus novum, in hac Eugenii IV. declaratione fundatum, omnis labor honestus cum Jejunio incompossibilis, etsi non necessarius, modo non sit in fraudem jejunii susceptus, eximit a jejunio. Hanc sane Summi Pontificis declarationem a tot viris fide dignis relatam eo facilius arbitror esse veram, quod videam esse in praxi etiam apud timoratos: neque enim poenitentes, neque Confessarii discutere solent, an labor, qui adfertur ut causa excusans a jejunio, fuerit necessarius, nec ne; sed an fuerit gravis et jejunio incompatibilis.

Ex his conclusionibus inferes agricolas, fabros, fossores, typographos praelo insudantes, (non tamen componentes), et alias artes valde laboriosas exercentes eximi a jejunio. E contra non eximi sartores, barbitonsores, acupingentes, cantores, musicos, mercatores, medicos, chirurgos, pharmacopolas, ancillas, famulos, levia, et communia ministeria obeuntes, notarios, scribas, magistratus, quorum labor bene potest cum jejunio compati juxta propos. ab Alex. VII. damn.; quae ordine est 30. Quoad sutores vero, textores, aurifices, et sculptores, et similes, quorum dubius est labor, cum Sylvio existimamus prudentiae Confessarii esse remittendos, qui ad laborem, et personarum complexionem respiciat. Idem censeo de Judicibus Consiliariis, advocatis, lectoribus, scriptoribus, scholasticis, Confessariis, et Praedicatoribus. Si enim mediocriter studio incumbant, non exi-

muntur a jejunio, si vero acrius, pro quantitate studii, et personae conditionem eximuntur. Sic qui a mane ad vesperam confessiones exciperet, qui tota Quadragesima quotidie concionem haberet cum magno studio, et labore, vel quia est ingratae memoriae, vel quia conciones recenter cusas pro prima vice recitat; qui diu noctuque ad componendum, aut docendum libros evolvit, totaliter a jejunio exemptum, non secus ac cementarium arbitror; sicut enim labore corporali spiritus vitales exhauriuntur, ita labore spirituali spiritus animales, qui non sunt minus ad vitam necessarii.

Dixi 1. in conclusione, *Labor honestus*; quia defatigatio ex labore inhonesto, et illicito non eximit a jejunio, cum praesumi non possit Ecclesiam relaxare legem suam in favorem peccantium; secus tamen si ex labore illicito sequeretur, aut immineret infirmitas, tunc enim currit lex naturalis conservandi vitam. Distinguendum est itaque hic inter infirmitatem, et solam defatigationem, quae non est infirmitas, sed solum majorem difficultatem parit jejunandi, quam sane tenetur ferre, et suae iniquitati imputari debet peccator: unde merito Academia Lovaniensis damnavit hanc propositionem: *Defessus ex quocumque labore licito vel illicito*, v. g. (pudet referre) *cum foeminis commixtione, liberatur a lege jejunii.*

Dixi 2 *Modo labor non sit in fraudem legis susceptus*: quia, ut communiter dicitur, et fert regula juris, *Fraus et dolus nemini patrocinantur*; nec, ut ante jam dixi, praesumi debet Ecclesiam velle suam legem relaxare in gratiam eorum, qui quaerunt illam fraudare, et ventri indulgere. Hinc qui suscipit iter aut laborem, praecise ut eximatur a jejunio, alias ascensurus equum, aut currum, aut navim, qui venatur alias non venaturus, etc. vere non eximitur, nisi, ut modo dixi, ex nimia defatigatione sequatur, aut immineat morbus.

Petes 1. Quoad iter, quantum et quale requiratur et sufficiat ad eximendum a jejunio? R. Quidam requirunt quatuor leucas, quidam quinque, quidam sex, alii plus, alii minus. Item quidam eximunt solum itinerantes pedibus, alii etiam itinerantes equo aut curru. Sed haec si generaliter statuantur, arbitraria sunt; quamvis enim satis communiter loquendo quatuor, aut quinque leucae videantur requiri et sufficere, in hac saltem patria montibus frequenti; potest tamen contingere, quod attenta itinerantis complexione, aeris intemperie, majori viarum asperitate, itineris diuturnitate, plus defatigent duae aut tres leucae, quam quatuor, quinque, sex, aut septem. Similiter quamvis incedentes equo aut curru regulariter non multum defatigentur, nec ideo communiter eximantur a jejunio, potest tamen contrarium contingere: sic si diu incedas equo molesto, cursu praecipiti, flante vento valido, aut tota die curru non pensili super pavimento aspero, et in locis praeruptis, plus sane defatigaberis, quam si pedester quinque aut sex leucas conficeres. Non potest ergo certa regula statui generaliter pro omnibus ex longitudine viae, neque ex modo itinerandi pedibus scilicet, vel aequo, aut curru; sed haec repeti debet ex sua lassitudine et debilitate naturae restaurationem postulantis causata per itinerationem, qualiscumque sit.

Sed quae et quanta lassitudo requiratur, non magis facile dixerim. Quidam statuunt hanc regulam; *Quandocumque iter ita alterat hominem, ut ea, in quibus ordinarie occupatur non possit nisi cum magna difficultate exequi, solvit itinerantem a lege jejunii.* Hanc regulam in pluribus valere non diffiteor, at valere generaliter pro omnibus non arbitror: opera enim, quibus occupantur homines, alia sunt facillima alia difficillima; facillima quis posset absque magna difficultate exequi, etiamsi graviter lassus ex itinere; difficillima non posset etiamsi leviter lassus. v. gr. Malleator in ustrinam non admodum lassus ex itinere non posset absque magna difficultate exequi opus suum, cui homo quietus et integer vix sufficit; e contra puella graviter defatigata ex itinere posset adhuc absque magna difficultate nere aut suere.

Hac ergo regula admissa ut in pluribus utili, generalem absolute statui posse non credo, sed unusquisque suarum virium et debilitatis conscius, memor insuper Ecclesiam urgere observantiam legum suarum cum aliqua difficultate, non tamen cum summa aut gravi, sit coram Deo sincerus arbiter sui. Quod si non possit, credat viro prudenti et probo, maxime Confessario, si copia adsit.

Petes 2. quid agendum cum illis, qui neque infirmi neque laborantes Confessario respondent *non possum jejunare*, et nihil aliud? R. Talibus non esse fidem facile adhibendam; saepe enim dicunt se non posse quia nolunt, numquam experti quid revera possint. Quod si reipsa difficultatem singularem patiantur, haec vel provenit ex eorum culpa, puta quod numquam jejunare voluerint, et sibi imputent, ut dictum est de defatigatis ex labore illicito, vel provenit sine culpa, ut ex naturali voracitate, vel ex non usu ex causa legitima ut in iis, qui in continuo labore antea fuerunt occupati, et in mulieribus, quae nuptae ante 21. annum semper fuerunt aut praegnantes, aut lactantes; hi secundum prudentiam Confessarii paulatim assuescant, et ideo ex parte saltem jejunent.

Petes 3. Utrum agricolae, fabriferrarii, et similes qui laboriosa opera exercent, propter quae eximuntur a jejunio, teneantur jejunare eo die, quo haec opera intermittunt, puta die festo incidente in Quadragesima? R. per se loquendo non videri exemptos, quia in eo die non laborant, et si praecedenti die laboraverint, aut sequenti sint laboraturi, ita et plene corpus refecerunt aut reficient. Plerumque tamen contingit eos excusari. 1. Si ex praecedenti labore sunt multum attenuati et per jejunium impares forent labori sequentis diei. 2. Quia hujus conditionis homines plerumque parce vivunt, et vita eorum potest censeri quasi continuum jejunium, ita ut independenter ab opere laborioso vix tenerentur lege jejunii. Adde, quod, cum non sint jejunio assuefacti, longe majorem quam alii jejunandi difficultatem patiantur: unde prudentiae Confessarii remittendum est, ut attentis omnibus judicet, num excusentur, vel non. Ita ferme clariss. Pontas V. *Jeune* Cas. 9.

Dico 4. Paupertas non semper excusat a jejunio, quia non semper adfert impotentiam moralem jejunandi: tunc autem excusat, quando pauperes simul habere non possunt tantum hora comestionis, quod ad victum totius diei sufficiat, sicut frequenter egenis contingit, qui frustatim eleemosynas quaerunt, vel etiam quando ex praecedenti inedia tantum debilitati sunt, ut jejunium ferre non possint.

Petes, utrum, quando ostiatim mendicantes aut alii habent sufficienter panem ad refectionem et nihil aliud, teneantur jejunare? R. cum Pontas V. *Jeune* Cas. 5. non teneri, quia solus panis semel sumptus non sufficit ad plenam refectionem, qualis requiritur ad onus jejunii sustentandum; seu ut dicit S. Thomas *ad victum totius diei*. Unde P. Henno male profert hic S. Thom. quasi huic responsioni contrarium. Insuper non ignorabat S. Doctor ostiatim mendicantes posse saepe habere panem sufficientem ad refectionem: et tamen resolutive dicit hic ad 4. *A jejuniis excusari videntur illi, qui frustatim eleemosynas mendicant, quia non possunt simul habere quod eis ad victum sufficiat.*

Dico 5. Pietas in tantum excusat a jejunio, in quantum importat laborem incompatibilem cum jejunio. Patet, quia pietas ex se non debilitat corpus, sed labor concomitans. Sic excusantur peregrinantes ad loca pia, inservientes diu, noctuque aegrotis, Confessarii, Concionatores, ut supra dixi, pro quantitate laboris. Quoad vero peregrinantes ex sola devotione, vel vacantes operibus charitatis, non ex officio, nec jussi, sed sponte, aut etiam intuitu mercedis, an excusentur a jejunio, controvertitur inter Theologos.

Specialiter notanda circa praecedentes causas excusantes a jejunio

Nota 1. causas assignatas excusare a jejunio ex rationabili epiikia, et benigna interpretatione mentis Ecclesiae, quae in his circumstantiis fideles suos obligare non intendit; adeo ut si causa excusans sit evidens, nulla sit opus dispensatione; si dubia, recurrendum est ad Praelatum, qui nomine Ecclesiae dispenset, et sua auctoritate suppleat, quod deest sufficientiae causae; non enim Praelatus solum declarat sufficientiam causae, sicut facit Medicus aut Doctor, sed vere dispensat, et sua dispensatione causam sufficientem reddit. Porro Praelatus pollens auctoritate dispensandi in jejuniis Ecclesiae jure ordinario est Summus Pontifex in tota Ecclesia; jure delegato ex usu Episcopus in sua dioecesi, Parochus in sua parochia, saltem ubi non est Episcopus; Superior regularis in sua provincia, Localis in suo conventu.

[Nota 2. Bened. XIV. in cit. Const. *In Suprema* decernere dispensationem a jejunio quadragesimae, aliorumque anni temporum, et dierum, quibus carnium ovium, et lacticiniorum usus est prohibitus nemini concedendam esse sine legitima causa, et consilio utriusque medici; Et in Encycl. *Prodiit ad Ordinarios* Ditionis Eccles. §. 10. declarat juxta communiorem, et magis rationi consentaneam opinionem non esse in Ordinarii potestate dispensare in sua Dioecesi ut jejunium pro vigilia S. Matthiae anticipetur, si incidat in postremum baccanaliorum diem.]

Nota 3. quod alibi jam dixi. Cum quis non jejunat aut quantitatem excedit in collatione, putans bona fide se habere justam et sufficientem causam, quae tamen reipsa non est sufficiens, non peccat saltem mortaliter, quia praecepta moralia, inquit Cajetanus, moraliter sunt interpretanda in exeeutione, et iste non agit formaliter contra praeceptum, nisi forte agat ex ignorantia ita crassa, ut dolo aequiparetur. Adde quod Ecclesia non intendat injicere laqueum animabus. Ita Cajetanus in Sum. V. *Jejunium* Cap. 3. n. 6. 7. et 8. et alii plures.

DISSERTATIO III.

De gula, et ebrietate. D. Th. QQ. 148. 149. et 150.

Articulus I.

De Gula.

Nota. Gula ex primaria significatione significat illum gutturis meatum, per quem alimenta trajiciuntur in stomachum; et quia superior ejus extremitas non secus ac lingua percipit saporem et inde natam delectationem, hinc fit, quod a Theologis ii, qui quaerunt hanc delectationem magis quam corporis sanitatem dicantur gulosi, et eorum vitium gula. Itaque gula generaliter sumpta est appetitus inordinatus cibi et potus. Dividitur in duas species: in gulam stricte sumptam, quae etiam dicitur crapula et commessatio; et in ebrietatem. Gula stricte sumpta est appetitus inordinatus cibi et potus qua delectabilis praecise; sicque ut patet est vitium oppositum abstinentiae. Ebrietas est appetitus inordinatus solius potus inebriantis, et opponitur sobrietati. De gula stricte sumpta hic agimus.

Dico 1. Gula est peccatum. Patet ex ejus definitione; est enim, ut dictum est, appetitus, seu usus delectationis in cibo et potu inordinatus, id est modum a certa ratione praescriptum excedens, ideoque peccatum. Modus autem recta ratione praescriptus in hac materia est, quod ita sumatur alimentum, uta

sit utile vitae et sanitati servandae; qui ergo hunc modum excedit propter delectationem, quam appetit, aut percipit in alimento, peccati gulae reus est. Non itaque peccati gulae statim culpandus est, qui cibum delectabilem delectabiliter sumit, nisi sis adeo insipiens, inquit Cajetanus in Summa V. *Gula* n. 1., ut putes omnem voluntariam delectationem sensibilem esse peccatum: etenim propter infirmitatem humanam Auctor naturae annexit alimentis non secus ac actui matrimoniali delectationem, ut in eis sumendis non essemus difficiles, et sumpta facilius retinerentur, ac digererentur, sicque melius vitae, et sanitati conservandae concurrerent, unde illud August. l. 4. contra Jul. *Non solum cibo, sed etiam cibi sapore indiget infirmitas corporis nostri, non propter exsaturandam libidinem, sed propter tuendam salutem.*

Tunc ergo solum est gulae peccatum, quando, ut dixi, haec delectatio inordinate, seu contra rectae rationis dictamen quaeritur aut percipitur; quod fit quinque modis, de quibus infra; et etiam si principaliter haec delectatio quaeratur in cibo et potu, ita ut comedas et bibas praecise propter delectationem, tunc est inversio ordinis, cum alimentum non sit a natura institutum ad delectationem, sed mediante delectatione ad sanitatem, et vitam: et insuper quia finis humanarum actionum est bonum honestum, non delectabile, hoc enim est proprium brutorum. Unde merito damnata est ab Innocentio XI. haec propositio, *Comedere et bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini.* Item et falsum principium, quo eam fulciebant ejus patroni, hoc nempe: *Quia appetitus naturalis potest licite suis actibus frui.* Debuissent dicere *Uti* et non *Frui*, fruitio enim est de fine, usus de mediis.

Dico 3. peccatum gulae est quandoque mortale, quandoque veniale. Pr. Vel appetitus ille cibi, et potus sic est inordinatus, ut tollat ordinem rationis quantum ad ipsum finem, quod contingit, quando delectationi gulae sic adhaeret homo, ut sit paratus transgredi praecepta obligantia sub mortali, ut hujusmodi delectationes assequatur; vel tollit tantum ordinem rationis quantum ad media, quae sunt ad finem, quod contingit, quando quis concupiscit quidem inordinate delectationes cibi et potus, non sic tamen, quod propter hoc vellet facere aliquid contra legem obligantem sub mortali: atqui si primum, est mortale; si secundum, est veniale: et de hoc ultimo intelligendus est S. August. cum dicit serm. 4. in die animarum: *Quoties aliquis in cibo aut potu plus accipit quam necesse sit, ad minuta peccata pertinere noverit.*

Hinc inferes eos peccare mortaliter, qui ut gulae satisfaciant, non solvunt debita, graviter nocent sanitati, aut se reddunt impotentes ad sua munia obeunda hic et nunc urgentia. Item qui praevident inde orituram libidinem cum periculo consensus. Item qui ideo parati sunt furari, violare legem jejunii, aut aliam quamcumque obligantem sub mortali: vere Epicuraei, *Quorum Deus venter est*, ut ait Apostolus ad Philip. 3. Ex solo vomitu praecise non potest certo colligi intemperantiam fuisse mortalem, cum quandoque proveniat ex qualitate cibi, aut ex indispositione sumentis.

Dico 3. Quinque modis peccatur peccato gulae, hoc versu comprehensis: *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose.* Prob. Appetitus alimenti potest esse inordinatus duplici modo. 1. Quoad ipsum alimentum. 2. Quoad ejus sumptionem. Si primo modo, vel est inordinatus circa ipsam substantiam alimenti, quaerendo scilicet pretiosiora, et hoc dicitur *laute*; vel quantum ad qualitatem, quaerendo cibos nimis accurate praeparatos, et hoc dicitur *studiose*; vel quantum ad quantitatem excedendo in comedendo, et hoc est *nimis*. Si secundo modo sit inordinatus, nempe quantum ad sumptionem, vel quia praevenit tempus comedendi, quod est *praepropere*, vel quia non servat modum debitum, voraciter nimirum et ardentius quam par est comedendo, quod est *ardenter*: ergo,

Cave tamen, ne statim ac semper peccati gulae arguas, qui cibos laute aut accurate praeparatos manducant: id enim quandoque exigit vel sanitatis, vel hospitis, vel festi ratio; aut sic offeruntur, vel alii desunt; sed tunc solum quando id quaeritur ut sit contra dictamen rectae rationis

Dico 4. Gula est vitium capitale; quia vitium capitale dicitur, ex quo oriuntur alia vitia: ex gula vero oriuntur, *hebetudo mentis*, *inepta laetitia*, *multiloquium*, *scurrilitas*, *et immunditia*.

Articulus II.

De Ebrietate.

Quid sit Ebrietas, et quale peccatum?

Nota. Ebrietas dupliciter accipi potest. Uno modo, prout significat ipsum defectum rationis qui accidit ex multo vino potato (*Per vinum* hic intellige omnem potum inebriantem), et secundum hoc ebrietas non nominat culpam, sed defectum poenalem consequentem ex culpa. Alio modo ebrietas nominat actum, quo quis in hunc defectum incidit, qui actus potest causare ebrietatem dupliciter, uno modo ex nimia vini fortitudine praeter opinionem bibentis, et sic etiam ebrietas potest accidere sine peccato; praecipue si non ex negligentia hominis contingat; et sic creditur Noe inebriatus esse Genes. 9., alio modo ex inordinata concupiscentia, et usu vini, et sic ebrietas ponitur esse peccatum. Itaque ebrietas, ut est peccatum, definiri potest ex S. Thoma: *Voluntarius excessus in potu inebriante usque ad defectum usus rationis.*

Dicitur 1. *Voluntarius*: dum quis scilicet attenta vini quantitate aut qualitate, propriaque conditione praevidet se inde privandum usu rationis, aut dubitans non curat inquirere, quia tunc defectus usus rationis inde sequens est voluntarius indirecte seu in causa: unde τὸ *Voluntarius* afficit non solum actum potandi, sed etiam ipsum defectum rationis inde sequentem, in quantum praevisus fuit aut potuit ac debuit praevideri secuturus ex tali potatione: a fortiori si esset directe volitus in se, ut si quis biberet expresse, ut privaretur usu rationis, quod raro accidit.

Dicitur 2. *In potu inebriante*; quia in hoc distinguitur ebrietas a gula strite sumpta seu comessatione, quod haec sit excessus in cibo et potu non inebriante, et opponitur abstinentiae: ebrietas autem in potu actu inebriante, et opponitur sobrietati strictae sumptae, quae definitur *virtus moderans affectum*, *et usum potus inebriantis*. Ex quo sequitur ex una parte, quod excessus in potu non inebriativo, ut lacte, vel etiam inebriativo, sed non de facto inebriante, seu non pertingente usque ad *defectum rationis* (hae enim particulae additae sunt pro majori explicatione prioris particulae *inebriante*) non sit proprie ebrietas, sed gula seu comessatio et crapula, ut dicam infra. Ex altera parte sequitur, quod, qui aliunde quam ex potu, puta ex odore lupuli, aut fuffitu tabaci privaretur usu rationis, non esset proprie ebrius, licet posset peccare, si id ipsi voluntarium esset.

Quidam addunt definitioni, *Voluptatis causa*: verum licet sic ordinarie fiat, id tamen absolute necessarium non videtur, arbitramurque eum, qui repugnante potu ex complacentia pro amico aut metu mortis biberet usque ad privationem usus rationis, fore proprie ebrium, sicut puella foret proprie fornicaria, quae metu mortis consentiret fornicationi.

Dico: Ebrietas plene voluntaria, etiamsi semel admissa, est secundum se peccatum. Pr. 1. ex Scriptura. Apostolus ad Galat. 5. recenset ebrietatem inter peccata, quae a Regno Dei excludunt; et Rom. 13. inter opera tenebrarum. Pr. 2.

Graviter repugnat rectae rationi, quod homo sciens et volens se privet usu rationis, et potestate propinqua ad illum: atqui haec praestat ebrietas plene voluntaria: ergo. Probatur maj. Inter alia hominis bona praestantissimum est usus rationis, quo nempe a brutis distinguitur, bonum virtutis exercet, et peccata declinat: ergo. Conf. Ebrietas exponit ebrium periculo plura et gravia mala perpetrandi; quod si forte non sequantur, sunt tamen nata sequi ex illa: ergo.

Dices 1. S. Aug. Serm. 151. de Sanctis, aut potius S. Caesarius hom. 8. alias S. Augustino adscripta, et inter ejus sermones relata, dicit ebrietatem esse peccatum mortale, *si assidua sit.* Et S. Thomas. q. 2. de malo a. 8. ad 3. et q. 7. art. 4. ad 1. docet semel inebriari esse peccatum veniale, assidue autem inebriari esse peccatum mortale: ergo. R. ad S. August. seu Caesarium, assiduam ebrietatem ab eo dici peccatum mortale non propter solam iterationem, sed quia non potest esse, quod homo assidue inebrietur, quin sciens et volens ebrietatem incurrat, dum multoties experitur fortitudinem vini et suam habilitatem ad ebrietatem; cum e contra qui semel tantum inebriatur, possit ignorare et vini fortitudinem et suam infirmitatem, et sic ab omni peccato excusari. Ad D. Thomam, quidquid hac in re senserit junior, certo certius est, eum nobiscum hic sentire, cum ex ipso et conclusionem et ejus probationes et praecedentem responsionem habeamus: neque solum hic, sed etiam in cap. 13. ad Rom. Lect. 3. in cap. 5. primae ad Corinth. et 1. 2. qu. 88. art. 5. ad 1. eamdem tenet sententiam.

Dices 2. Qui se privat usu rationis per somnum, non peccat: ergo nec qui per potum. R. N. consequentiam. Disparitas est 1. quod somnus privet tantum actuali usu rationis non propinqua potestate ad illum, sic ut dormiens possit ad illum redire quando voluerit; potest enim ante somnum disponere, ut tali hora, qua voluerit, excitetur, et excitatus statim est idoneus ad sua munia: e contra ebrietas non tollit tantum usum rationis, sed etiam potestatem propinquam ad illum, nec potest ebrius illum pro nutu recuperare, sed necessitatur in ejus privatione remanere, quamdiu durat effectus immoderatae passionis, ita ut etiamsi vigilans sit ineptus ad sua munia. Altera disparitas est, quod privatio usus rationis per somnum inducatur naturaliter, mediante quiete sensuum ad reparandas naturae vires; per ebrietatem autem inducitur violenter ex causa illicita, vigilantibus sensibus ipsis.

Appendix.

Petes 1. Utrum, ut ebrietas sit peccatum mortale, requiratur totalis privatio usus rationis. R. negative, nisi velis neminem esse mortaliter ebrium, quin fiat brutum aut truncus, sed sufficere existimo notabilem rationis perturbationem, qua fit, ut homo vix aut ne vix remaneat aptus suis actionibus communibus saltem et facilibus dirigendis, quia tanta perturbatio videtur graviter repugnare rectae rationi.

Petes 2. Quibus indiciis possit dignosci, an homo ita sit ebrius, ut peccet mortaliter? Ante omnia debet Confessarius diligenter perpendere, an ebrietas sit plene voluntaria saltem indirecte; si enim quis nesciat potum esse immoderatum et inebriare potentem, potest esse ebrietas sine peccato; si percipiat potum esse immoderatum, non tamen aestimet esse inebriare potentem, ebrietas poterit esse cum peccato veniali: si proveniat ebrietas ex nimio calore, nimia loquacitate, aliave indispositione non praevisa, poterit esse sine peccato, aut cum peccato veniali pro quantitate negligentiae in praevidendo. Sed supposito, quod ebrietas sit plene voluntaria, in quantum eam homo praevidit, aut debuit ac potuit humano modo praevidere:

R. ad quaestionem. 1. ridiculum plane esse, quod quidam dicunt eum non esse mortaliter ebrium, qui potest adhuc equum vel currum praetereuntem decli-

nare, ne laedatur, domum redire, lectum repetere, id enim et canes faciunt. 2. Quamvis linguae balbuties, gressus titubatio, rerum circumstantiarum apparens gyratio satis saepe indicent ebrietatem mortalem, non sunt tamen certa ejus indicia, cum quandoque contingant remanente fere integro usu rationis. Idem dic de vomitu, qui quandoque ex nimio potu vere inebriante procedit, quandoque absque ebrietate ex vitiosa potus qualitate aut ex indispositione sumentis. 3. Certiora ebrietatis mortalis indicia sunt: 1. Si quis faciat ea, quae sui compos nunquam facit, ut si vir aliunde modestus et probus blasphemet, turpia dicat aut faciat, liberos verberet, et similia. 2. Si rerum principalium, quas gessit, sequenti die non recordetur; hae enim facile retinentur, secus res minutae, quae vix advertenter fiunt. 3. Ut jam dixi, si suis actionibus communibus et facilibus dirigendis vix aut ne vix sufficiat.

Petes 3. Utrum hi, qui excedunt in potu inebriativo, absque tamen defectu rationis: quia vel a natura vel assuetudine facti sunt potentes ad bibendum, vel quia norunt aliquo pharmaco impedire, ne deficiat ratio; peccent peccato ebrietatis propriae dictae? R. eos certo peccare, non tamen peccato ebrietatis proprie dictae, sed peccato gulae, quandoque venialiter, quandoque mortaliter pro ratione excessus. Pr. 1. pars ex D. Thom., qui hic art. 1. dicit: *Ebrietas nominat actum, quo quis in defectum* (rationis) *incidit.* Ergo ubi non est defectus rationis, non est ebrietas. Confirmatur: is est sensus communis hominum, qui non reputant aliquem ebrium, quantumvis potaverit, si defectum rationis non patiatur.

Dices. Privatio usus rationis per se nata est sequi ex illa potatione: atqui ut supra dictum est, in moralibus attenditur id, quod est per se, et non id quod est per accidens: ergo R. D. Maj. Privatio usus rationis per se nata est sequi ex illa potatione perseitate logica, seu ex natura rei. N. majorem; quia potationes non sunt inebriativae, nisi respective ad potantes; quod enim est nimium uni quandoque non satis alteri, et quod est inebriativum unius, non est inebriativum alterius. Perseitate morali, seu ordinarie, et ut in pluribus, C. majorem. Unde respectu illorum, qui ex intentione et electione liberi arbitrii possunt impedire, et de facto impediunt, ne ex illa potatione sequatur privatio rationis, non est dicenda per se inebriativa, nec illi dicendi sunt ebrii proprie: sic a pari qui sumeret venenum ordinarie et ut in pluribus occisivum, sed cujus vim vel ex robusta complexione, vel aliquo pharmaco certo sciret et intenderet elidendam, non esset ideo homicida sui.

Secunda pars propositionis patet: si enim ut diximus supra, possit esse mortalis excessus in cibo absque ebrietate, quando nempe est enormis, quidni in potu? Hucque videntur spectare maledictiones latae in Scripturis. Isa. 5. *Vae qui potentes estis ad bibendum, et viri fortes ad miscendam ebrietatem*, id est liquores inebriantes. Ex Prov. 23. *Cui vae? Nonne his, qui commorantur in vino et student calicibus epotandis*: ubi autem Scriptura comminatur *Vae*, solet reputari peccatum mortale. Porro quantus debeat esse excessus, ut censeatur enormis proindeque mortalis? Difficile posset hic determinari: id enim pendet non solum ex diuturnitate potationis, sed etiam ex quantitate et qualitate liquoris, ex capacitate aut incapacitate potantis, aliisque circumstantiis: unde excessus, qui censeretur enormis respectu unius, posset non esse enormis respectu alterius. Item posset esse enormis in quantitate unius liquoris, et non alterius.

Petes utrum uxor teneatur reddere debitum marito petenti in ebrietate? R. non teneri ex justitia, quia illa petitio non est actus humanus magis quam somniantis; potest tamen contingere quod teneatur reddere ex charitate, si advertat in marito periculum vel pollutionis vel adulterii.

Articulus III.

Utrum liceat se vel alium inebriare causa mortis vitandae, seu sanitatis recuperandae?

Dico 1. Probabilius est non licere se vel alium inebriare, neque causa vitandae mortis ab alio intentatae, quod communiter admittitur, neque causa sanitatis recuperandae, quod controvertitur. Quantum ad primam partem est expressa auctoritas S. Augustini, aut potius S. Caesarii serm. 295. in Appendice S. August. *Etiamsi*, inquit, *ad hoc veniretur, ut diceretur, aut bibas, aut morieris, melius erat, ut tibi caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.*

Probatur utraque pars ratione. Quod est ex se et intrinsece malum, nullo fine cohonestari potest aut licere, alias non foret intrinsece malum: atqui, ut patet ex dictis, privatio voluntaria usus rationis per nimiam potationem est ex se et intrinsece mala; ergo. Confirmatur. Vera et propria ebrietas est secundum omnes peccatum mortale; atqui in casu nostro est vera, et propria ebrietas: ergo. Probatur minor ex S. Thoma hic articul. 2. o. *Quando*, inquit, *aliquis bene advertit potum esse immoderatum et inebriantem, et tamen magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere, talis dicitur ebrius, et sic ebrietas est peccatum mortale*: atqui is, de quo in casu, bene advertit potum esse immoderatum et inebriantem, et magis vult ebrietatem incurrere, quam a potu abstinere: ergo. Neque dicas ad proprie dictam ebrietatem requiri, quod potus sumatur causa voluptatis, id enim S. Thomas non requirit, nec revera requiri ostendimus in definitione ebrietatis.

Obj. 1. Potus in casu non est immoderatus: ergo. Probatur antecedens: regula sumendi potum est bona corporis valetudo et praesentis vitae necessitas, ut dicit S. Thomas hic ad 3. et patet ex dictis de temperantia: atqui potus inebrians supponitur in casu necessarius vitae aut valetudini: ergo. R. D. ant. Potus in casu non est immoderatus respectu sanitatis recuperandae praecise, transeat antecedens; Non est immoderatus respective ad bonum rationis servandum. N. Ant. Unde ad probationem dicendum, quod regula potus sumendi aut cibi sit quidem necessitas praesentis vitae, non tamen quomodocumque, sed convenienter ad bonum rationis; virtutes enim morales ordinantur ad bonum rationis servandum.

Obj. 2. Licet matri praegnanti sumere medicinam directe tendentem ad sanandum morbum licet inde timeatur ejectio foetus inanimati: ergo similiter licet sumere potum directe tendentem ad sanitatem, quamvis inde sequatur privatio usus rationis. R. N. consequentiam, Disparitas est, quod in secundo casu potus directe tendat ad ebrietatem, cum sumatur ut inebriativus; in primo autem casu medicina non tendit directe ad ejectionem foetus, quia non sumitur ut ejectiva, nec ut ejectura illum, alioquin nec licita foret.

Dico 2. Non est licitum alterum inebriare aut inducere ad ebrietatem jussu vel suasione propter quodcumque malum vitandum, sive mortem, sive defloration em, sive proditionem civitatis aut patriae. Sequitur ex praecedenti, quia sicut inebriare seipsum est intrinsece malum, ita et inebriare alterum; non sunt autem facienda mala, ut eveniant bona, ad Rom. 3. Confirmatur; non esset licitum inducere aliquem ad fornicandum propter assignatos fines, etiamsi aliis mediis obtineri non possent: ergo neque ad se inebriandum, cum ebrietas non sit minus intrinsece mala quam fornicatio.

Sed nunquid saltem licitum foret cooperari ad hoc, ut proditor, aut alius graviter peccaturus se inebriet praeter intentionem v. gr. provocando ipsum ad

potum generosum, cujus vim ignorat, aut clam infundendo in potu aliquid inebrians? Affirmat Layman cum pluribus recentioribus, quia talis isto potu non peccabit. R. nihilominus id mihi non magis licitum videri, quam si impelleres puerum, amentem, aut ebrium ad impudica, vel blasphemias, aut similia jure naturae mala: quemadmodum enim haec tibi imputarentur ut causae morali, ita et hujus ebrietas. Horum ratio est, quia, quae per se et intrincese sunt mala et turpia ideoque jure naturae prohibita, a quocumque fiant, semper sunt mala et turpia, nec a peccato formali excusantur nisi defectu voluntarii: hoc ipso autem, quod ad ea impellis aut inducis, sunt tibi voluntaria; unde quod aliis est materiale tantum, fit tibi formale.

Petes 1. Quid censendum sit de amico, qui ex urbanitate, et amicitia urget amicum ad potum, unde tandem inebriatur? R. Sicut ille, qui inebriatur, excusatur a peccato, si ignoret fortitudinem vini, ita et ille, qui invitat aliquem ad bibendum excusatur a peccato, si ignoret talem esse conditionem bibentis, ut ex hoc potu inebrietur: sed si ignorantia desit, neuter a peccato excusatur, vel mortali, si uterque praeviderit aut praevidere potuerit inde secuturam ebrietatem, vel veniali, si fuerit venialis tantum negligentia in praevidendo. Hinc

Inferes 1. provocantes se ad haustus aequales non raro peccare mortaliter, quia inde non raro sequitur ebrietas, quam possunt et debent praevidere. 2. gloriantes, quod alios inebriaverint, secundum se peccare mortaliter; quia gloriari seu se jactare de peccato mortali, peccatum mortale est. 3. ministrantes potum iis, quos praevident se inebriaturos, peccare mortaliter, nisi excusentur ratione notabilis damni ex denegatione secuturi; ut dixi latius de jejunio. Require ibi.

Petes 2. Utrum ebrietas excuset a peccato mala, quae ex ea fiunt? R. 1. Ebrietas involuntaria excusat a peccato mala, quae ex ea fiunt, quia non sunt voluntaria neque in se, neque in causa. Unde sequitur, quod, si ebrietas sit tantum venialis ob defectum sufficientis advertentiae et voluntarii, peccatum inde sequens, v. gr. blasphemia sit etiam tantum venialis, quia cum sit tantum voluntaria in causa, non est magis culpabilis quam ipsa causa.

R. 2. Si ebrietas fuerit plene voluntaria et culpabilis non excusat a peccato mala, quae praevisa sunt, aut debuerunt ac potuerunt humano modo praevideri ex ea secutura, quia tunc sunt sufficienter voluntaria in causa. Excusat autem si nec praevisa sunt, nec potuerunt humano modo praevideri ex ea secutura, quia tunc non sunt voluntaria neque in se neque in causa: quamvis enim causa sit voluntaria, non est tamen voluntaria ut causa effectus, qui non potuit rationabiliter in ea cognosci.

Hinc inferes 1. ei, qui in ebrietate solet blasphemare, rixari, impudica loqui etc. haec ultra peccatum ebrietatis imputari ad culpam, et in confessione distinguenda, imo et horum est reus etiamsi aliquando de facto non sequantur, et est in confessione explicandum, quod causam ex se posuerit. 2 Ei, qui in ebrietate solet dormire, et pacifice se gerere, si semel accidat, quod blasphemet, rixetur etc. non imputari ad culpam. De eo vero, qui pro prima vice se inebriat respective ad effectus sequentes, non potest dici esse ipsi omnino involuntarios, quia fuit illi causa timendi, ne ratione privatus plura non facienda faceret; neque tamen omnino voluntarios, quia non potuit eos certo praevidere, unde censeo peccata inde commissa non omnino excusari, minui tamen, an eo usque ut de mortalibus fiant venialia? dicat me doctior, et audacior. 3. Eos, qui per ebrietatem sibi causant morbos, gravem capitis dolorem etc. ad plures dies, peccare etiam mortaliter contra charitatem propriam, eisque imputari omissiones Missae de praecepto, jejunii, recitationis Breviarii, quas potuerunt praevidere sequuturas ex morbo; imo valde probabiliter teneri ad restitutionem pro rata omissionis Officii.

DISSERTATIO IV.

De Castitate, et Luxuria

Articulus I.

De Castitate, Pudicitia, et Virginitate

S. Th. Q. 151. *et* 152.

Castitas dicitur a castigando ; et quamvis omnes concupiscentiae indigeant castigari a ratione, quia tamen concupiscentia delectabilium in venereis est vehementior, ideo circa hanc antonomastice dicitur castitas. Definitur autem *virtus moderativa delectationum in venereis juxta dictamen rationis.* Unde sequitur 1. quod sit vera virtus, cum ratio virtutis in hoc consistat, quod sit aliquid secundum rationem modificatum. 2. quod sit virtus specialis distincta ab abstinentia, quia delectationes venereorum sunt diversae rationis a delectationibus esculentiorum, quas moderatur abstinentia. Ex his colliges materiam proximam castitatis esse motus interiores circa venerem, materiam remotam actus externos. Ejus autem officium esse, actus tum internos, quam externos vel comprimere, vel secundum normam rationis componere.

Triplex distinguitur castitas 1. Conjugalis quae abstinet a voluptatibus carnis illicitis, et utitur licitis in matrimonio. 2. Vidualis quae post solutum matrimonium abstinet ab illicitis, et licitis in matrimonio. 3. Virginalis, quae numquam has voluptates experta ab omnibus tam licitis, quam illicitis abstinet in perpetuum. Prima est in praecepto ; secunda, et tertia in consilio.

Pudicitia quamvis saepe confundatur cum castitate, stricte loquendo non est castitas, sed specialis ejus circumstantia. Dicitur enim a pudore, in quo verecundia significatur, unde est proprie circa illa, de quibus homines maxime verecundantur, qualia sunt venerea; verecundatur autem homo non solum de ipso concubitu, sed etiam de quibusdam ejus signis, ut sunt aspectus impudici, oscula etc. ; et quia haec solent magis deprehendi ; ideo pudicitia magis respicit hujusmodi exteriora signa, unde pudicitia pertinet ad castitatem, ut ejus circumstantia specialis.

Virginitas dicitur a virore. Sumitur dupliciter. 1. Naturaliter pro integritate carnis 2. Moraliter, et hoc iterum dupliciter 1. pro quodam statu castitatis, qui duo importat 1. quod Persona non sit voluntarie polluta 2. quod sit in proposito sic se servandi, nisi matrimonio jungatur, ut puellae nubiles dicuntur virgines. 2. pro speciali virtute a castitate distincta, de qua hic agimus, et definitur juxta August. l. de Virg. c. 13. *In carne corruptibili incorruptionis perpetuae meditatio*, hoc est propositum ; vel communiter : *Firma voluntas perpetuo abstinendi ab omnibus delectationibus venereis.* De hac contra Lutherum, et ejus sequaces

Dico 1. Virginitas pia moraliter sumpta pro voluntate perpetuo abstinendi ab omni delectatione venerea, non est illicita. Pr. ex Script. 1. Cor. 7. *De virginibus autem praeceptum Domini non habeo, consilium autem do* : Nihil autem illicitum cadit sub consilio. Et postea ; *Solutus es ab uxore, noli quaerere uxorem* : Praemiserat ante : *Volo*, hoc est opto, *omnes vos esse sicut meipsum*, scilicet coelibem. Et iterum : *Dico non nuptis, et viduis, bonum est illis, si sic permaneant, sicut et Ego*. Item patet ex c. 19. Matth., ubi Christus approbat eos *qui se castraverunt* hoc est venereis illecebris renunciarunt, *propter regnum*

Coelorum. Adstipulatur ratio. Pia enim virginitas abstinet ab omni delectatione venerea propter bonum animae, et ut liberius vacet contemplationi rerum divinarum. Atqui hoc est secundum rectam rationem, quae exigit, ut his, quae sunt ad finem utamur secundum mensuram, quae congruit fini; bona autem corporis sunt propter bona animae tamquam propter finem, inter quae bona vitae contemplativae sunt potiora juxta illud Luc. 10. *Mariam optimam partem elegit.* Ergo. Conf. exemplo Christi, B. Virginis, et plurium Sanctorum, qui semper manserunt Virgines.

Hinc sequitur virginitatem, quae disponit hominem secundum rectam rationem esse virtutem. Et cum se servare immunem ab experimento venereae delectationis habeat specialem rationem boni, et quamdam excellentiam laudis supra hoc, quod est se conservare immunem ab inordinatione venereae delectationis, quod respicit castitas communis, sequitur virginitatem esse virtutem specialem, a castitate communi distinctam. Siquae contra hoc corollarium objiciantur, facile solventur habita prae oculis distinctione materialis, quod in virginitate est ipsa abstinentia a delectatione venerea, et formalis, quod est propositum a tali delectatione perpetuo abstinendi.

Obj. contra conclus. Virginitas contrariatur praecepto legis. Ergo est illicita. Prob. Ant. Sicut est praeceptum ad individui conservationem, quod legitur Genes. 2. *De omni ligno, quod est in Paradiso comede*, contra quod, qui abstineret ab omni cibo peccaret, utpote faciens contra bonum individui, ita qui abstinet ab actu generationis, utpote faciens contra bonum speciei, peccat contra praeceptum, quod pro speciei conservatione ponitur Gen. 1. *Crescite, et multiplicamini, et replete terram.* Ergo. Responderi potest haec verba Genes. *Crescite* etc. non esse praecipientis, sed benedicentis, et foecunditatem conferentis. Sed dato esse praeceptum naturale de conservanda specie N. paritatem. Nam praeceptum de comestione datum est singulis, et necesse est, ut ab unoquoque impleatur, quia aliter individuum conservari non potest; at praeceptum de conservanda specie respicit totam multitudinem, ad quod non tenetur quilibet de tota multitudine; quia *multa sunt multitudini necessaria* (ait S. Th. hic) *ad quae implenda unus non sufficit, sed implentur a multitudine dum unus hoc, alius illud facit.* Hinc ad corporalem hominum multiplicationem sufficit, si quidam carnali generationi operam dent, ad spiritualem vero hominum profectum, et ad totius humani generis pulchritudinem, convenit ut saltem quidam ab illa abstineant, ut divinorum contemplationi vacent. Tandem etsi supponatur hoc praeceptum esse datum singulis, cum sit affirmativum, non obligat ad semper, sed tantum in casu necessitatis, quae nunc pluribus generationi vacantibus, nulla est.

Inst. Saltem si omnes vellent manere virgines, mundus periret. Ergo virginitas est illicita. R. N. Cons. 1. quia non est absurdum, quod mundus pereat, cum sit periturus, etsi omnes nuberent. 2. Quia in hoc casu posset censeri completus numerus electorum, et finem mundi adesse. 3. Caeterum *Noli timere*, (inquiebat Hieron. Joviniano) *ne omnes virgines fiant, difficilis res est virginitas, et ideo rara quia difficilis.*

Obj. 2. Cum Lutheranis: nemo potest scire an continentiae donum habeat; dicit enim Apost. 1. Cor. 7. *Qui non se continent, nubant.* Ergo. R. N. Cons. Ut enim quis proponat, imo et voveat servare perpetuo castitatem non est necesse, ut certo sciat, se illius donum habere, sed sufficit quod sciat, se id posse divina gratia adjutus. Ad ea, quae objiciuntur ex SS. Hieron., et August. qui videntur agnoscere fuisse legem apud Judaeos de Matrimonio ineundo, respondetur eos usurpasse legem improprie pro consuetudine. Id eruitur 1. quia Hieronymus l. 1. cont. Jovin., et Epist. 118. agnoscit Josue, Eliam, Elisaeum, et Jeremiam permansisse virgines. 2. Quia August. l. de Virginit. c. 4.

expendens votum Deiparae contrarium dumtaxat vocat moribus Judaeorum : *Hoc* (inquit) *Israelitarum mores adhuc recusabant.* 3. Quia nemo nescit, utrumque S. Doctorem virginitatem summis laudibus extulisse. Caeterum dato fuisse in antiqua lege praeceptum de matrimonio, saltem nunc certo constat ex Christo, Matre ejus, SS. Joanne Baptista, et Evangelista, et infinitis prope aliis Sanctis, atque ex Apost. supra citato hoc praeceptum abolitum fuisse in nova lege.

Dico 2. Virginitas (sub qua hic intelligitur coelibatus) est excellentior, et melior matrimonio. Hanc conclusionem negavit olim Jovinianus contendens non plus esse meriti servare castitatem, quam uti matrimonio. Contra cujus errorem scripsit S. Hieronymus, et quem Concilio coacto damnavit Siricius Papa apud Ambr. Epist. 80., et 81. Recentes Haeretici antiquis pejores scripserunt, virginitatem esse superstitionem impiam, si assumatur in cultum, et obsequium Dei, et licet assumpta ad hujus vitae utilitatem, et majorem Evangelici ministerii facilitatem, non sit mala, stultum tamen esse, se ad illam adstringere, nisi quis certus sit, se habere donum continentiae. Ita Luther. in Epital., et Calvin. l. 4. Inst. c. 13. §§. 17., 18., et 19., quos anathemati subjecit Conc. Triden. sess. 24. Can. 10. his verbis : *Siquis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel coelibatus, et non esse melius, ac beatius manere in virginitate, aut coelibatu, quam jungi matrimonio anathema sit.* Unde conclusio pertinet ad fidem, ad quam praeterea probandam concurrunt ea, quae in antecedenti conclusione dicta sunt praesertim auctoritas, ratio, et exemplum Apostoli 1. Cor. 7. v. 25. et seqq.

Dices 1. Bonum commune est potius privato. Sed conjugium ordinatur ad bonum commune, virginitas ad privatum tantum. Ergo. R. 1. dist. maj. Bonum commune est potius privato ejusdem ordinis C. superioris ordinis N. Maj. Conjugium ordinatur ad bonum commune corporale, virginitas ad bonum privatum spirituale, ideoque superioris ordinis. R. 2. N. min. Virginitas enim ordinatur etiam ad bonum publicum Ecclesiae, quia Virgines sunt in statu perfectius vacandi Deo, et ipsum precandi pro se, et pro aliis ; quia frequentia earum bona opera tam vi charitatis, quam earum intentionis fiunt communia membris ejusdem corporis ; quia decor, qui in eis splendet, exornat Ecclesiam, cujus sunt illustrior portio.

Dices 2. Matrimonium est sacramentum conferens gratiam, non virginitas. Ergo. R. N. Cons. 1. Quia non instituitur hic comparatio inter matrimonium ut sacramentum, et virginitatem, sed inter statum matrimonii, et statum virginitatis. 2. Quia gratia Sacramenti compensatur per copiosiorem gratiam, quam consequuntur Virgines offerendo Deo suam virginitatem, divinisque devotius, et frequentius vacando.

Articulus II.

Utrum Luxuria sit peccatum et quale?

Luxuria definiri potest : *Appetitus inordinatus delectationis venereae.* Delectatio venerea autem est, quae consurgit ex commotione vel alteratione partis inferioris ob motum spirituum generationi servientium, qualis percipitur in ipsa pollutione aut copula. Dicitur venerea, quia naturaliter ordinatur ad promovendam generationem, cui Deam Venerem praesidem faciebat insaniens et impia Gentilitas.

Dico 1. Luxuria est ex genere suo peccatum mortale. Pr. ex Apost. ad Galat. 5. ubi inter opera, quae excludunt a regno Dei, enumerat luxuriam. Pr. 2. ratione. De ratione luxuriae est, ut ordinem et modum rationis excedat circa venerea : atqui talis excessus est ex genere suo mortalis : ergo. Probatur minor:

quanto aliquid est magis necessarium, tanto magis oportet, ut circa illud rationis ordo servetur, et per consequens graviter vitiosum est, si ordo rationis praetermittatur: atqui usus venereorum est valde necessarius ad bonum commune, quod est conservatio generis humani, sicut cibus necessarius est ad conservationem individui: ergo excessus circa venerea praeter id, quod requirit ordo rationis, est mortalis utpote in re gravi.

Dico. 2. Luxuria est peccatum capitale. Prob. Illud est vitium capitale, quod habet finem multum appetibilem, cujus appetitu homo procedat ad multa peccata perpetranda: atqui finis luxuriae est maxime appetibilis, nempe delectatio venereorum, quae est maxima: ergo.

Dico 3. Convenienter assignantur a Divo Gregorio octo filiae interiores luxuriae, nempe caecitas mentis, inconsideratio, praecipitatio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, et horror futuri. Et ab Isidoro quatuor exteriores, scilicet turpiloquia, scurrilia, ludicra, et stultiloquia.

Articulus III.

Utrum in peccato Luxuriae detur levitas materiae?

Nota hic distinguendum esse inter materiam sensualitatis, et materiam luxuriae, seu veneream. Materia sensualitatis est delectatio orta ex proportione objecti sensibilis ad sensum, visibilis nempe ad visum, audibilis ad auditum, gustabilis ad gustum, tangibilis ad tactum, etc. ut tangere rem molłem, levem etc. audire vocem sonoram, videre pulchrum objectum, gustare cibum sapidum, etc. Materia venerea est, ut dixi, delectatio orta ex commotione spirituum generationi deservientium.

De delectatione sensualitatis, quae etiam dicitur organica, non videtur difficultas: certum namque videtur admittendam esse in ea levitatem materiae, eamque propter se quaesitam non excedere culpam venialem, quia ut dixi de gula, est tantum inordinatio rei secundum se indifferentis: unde sicut qui audit vocem sonoram, qui gustat cibum sapidum praecise propter delectationem organicam, seu sensualem inde exortam, non peccat nisi venialiter, ita non peccat nisi venialiter, qui aspicit pulchram mulierem, aut tangit ejus manum seu faciem praecise propter delectationem mere organicam seu sensualem, consistentem, ut jam dixi, in quadam proportione et conformitate rei visae vel tactae cum organo visus vel tactus; ita quod non sit aliud quam delectatio de re pulchra, quae videtur, aut de re blanda, molli, tenera, quae tangitur absque alia cujuscumque rei turpis delectatione. Caeterum quia a delectatione sensuali ad veneream, maxime in sensu tactus aut visus, facilis est progressus, consultum est omnibus castitatem amantibus, his delectationibus organicis non immorari.

Quaestio itaque restat de commotione seu delectatione venerea, utrum plene voluntaria, seu volita, quaecumque sit etiam levis, semper sit peccatum mortale: potest autem esse volita, vel directe in se, vel indirecte in causa tantum. His positis

Dico 1. In re venerea directe in se volita et intenta non datur parvitas materiae excusans a peccato mortali. Est communis contra Caramuelem et admodum paucos alios: plures enim, qui videntur sentire oppositum, intelligendi sunt de re venerea indirecte tantum volita ad sensum sequentis conclusionis. Pr. conclusio ex periculo ulterioris et turpioris consensus, qui inseparabiliter annectitur consensui directo in levem delectationem; cum enim natura ex sua corruptione sit maxime fragilis in hac materia: atque tota proclivis in has delectationes, et insuper haec indocilis passio semel voluntarie admissa mentem excaecet, et tan-

ta vi voluntatem rapiat, ut illi figere terminos sit difficillimum, ne dicam impossibile; vix aut ne vix fieri potest, quod quis directe consentiat delectationi carnali in se, quin sit periculum proximum in aliquid ulterius et turpius consentiendi; atqui id, quod ex se foret veniale, fit mortale ratione periculi proximi incidendi in mortale: ergo

Confirmatur ex damnatione hujus propositionis ab Alexandro VII. *Est probabilis opinio, quae dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem et sensibilem, quae ex osculo oritur, secluso periculo ulterioris consensus, et pollutionis*: atqui si in re venerea directe in se volita daretur levitas materiae, tale foret osculum habitum ob delectationem carnalem, quae ex illo oritur; ergo. Unde sententia nostrae opposita non videtur posse nunc amplius sustineri. Porro adverte illam propositionem peccare, non quia dicit tale osculum esse veniale, si secludatur periculum, sed quia, inquit Steyartius, ad tegendam turpitudinem suam supponit id, quod est impossibile, aut certe metaphisicae raritatis, nimirum posse in tali casu secludi periculum ulterioris consensus.

Dico 2. In re venerea indirecte tantum volita in causa datur parvitas materiae excusans a mortali, ita quod qui voluntarie ponit actum, ex quo sive per accidens, sive per se sequitur levis commotio, modo in se displiceat, nec adsit periculum consensus in illam, peccet venialiter dumtaxat. Pr. 1. In re venerea directe in se volita non datur levitas materiae ob periculum proximum consensus ulterioris; atqui ubi non est consensus in ipsam rem levem veneream in se, sed tantum in sua causa, non est periculum proximum ulterioris consensus, ut testatur quotidiana experientia: ergo.

Probatur 2. In aliis peccatis datur levitas materiae, v. g. in ebrietate, gula, furto etc. ergo a fortiori in hoc peccato admodum naturali, familiari, facillimo, et frequentissimo, ubi abest periculum gravioris peccati, ut in casu conclusionis. Nec sane proferri potest ulla ratio sufficiens disparitatis. Scio hanc proferri, quod omnis commotio carnalis etsi levis sit inchoata pollutio, quia juxta Galenum et medicos, ut fertur, omnis carnalis commotio nihil aliud est, quam motus humoris spermatici per spiritus generationi servientes incalescentis et e lumbis per certas arterias ad membrum genitale descendentis, quod est inchoata pollutio.

Verum nimis probat istud assumptum, ut patebit ex confirmatione sequenti. Insuper ipsum nego: quamvis enim levis commotio carnalis sit quaedam decisio humoris spermatici, est tamen levis decisio, et longe adhuc distans a completa pollutione, nec magis debet dici inchoata pollutio, quam jurgium dicitur inchoatum homicidium, aut haustus immoderatus dicitur inchoata ebrietas. Quod si morose contendas dicendam esse inchoatam pollutionem, dicam inchoatam leviter et remote, sicut pari jure dicam haustum immoderatum esse inchoatam ebrietatem leviter et remote, et utrobique culpam venialem.

Repones; ista levis commotio est saltem dispositio ad pollutionem, utpote ad quam ex natura sua tendit: ergo. R. D. Ant. Est dispositio proxima, N. est dispositio remota, sicut rixa ad homicidium, haustus immoderatus ad ebrietatem, C. et N. conseq. Non est enim damnandus peccati mortalis, qui vult indirecte tantum et in causa dispositionem remotam ad peccatum mortale, alioquin omnes occasiones remotae peccandi forent peccata mortalia, quod nemo dixit.

Confirmatur conclusio ab inconvenienti. Si homo teneretur sub peccato mortali vitare omnem actionem, ex qua sequitur ordinarie levis commotio venerea, sequitur, quod oporteret damnare ut plurimum peccati mortalis conversationes non necessarias virorum cum mulieribus, juvenum maxime cum puellis, colloquia familiaria, varias recreationes honestas secundum se, in quibus facillime inter-

currunt aspectus blandi, verba demulcentia, tactus, oscula, amplexus in partibus honestis ex amicitia, joco, levitate, utpote ex quibus plerumque oriuntur leves motus venerei: atqui haec, quamvis sint fugienda, pauci sunt tamen, siqui sint, qui ea damnant peccati mortalis, ubi abest periculum consensus in ipsam venerem, nec ea est praxis Confessariorum in tribunali: ergo. Confer, quae dicemus infra de osculis, tactibus, et similibus impudicitiis.

DISSERTATIO V.

De Specibus Luxuriae

Div. Thom. Q. 157.

Septem numerantur species luxuriae, scilicet fornicatio simplex, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, et peccatum contra naturam.

Articulus I.

De Fornicatione.

Fornicatio simplex est *Concubitus soluti cum soluta corrupta*: Dicitur *Soluti cum soluta*: id est personarum, quae sunt liberae non solum a vinculo matrimonii, sed etiam a mutua cognatione, vel affinitate in gradibus prohibitis, a voto continentiae, ab Ordine sacro, et violentia. Dicitur *Corrupta*, quia si sit virgo, erit stuprum et non simplex fornicatio, ut dicetur infra.

Suppono tamquam certum de fide contra Nicolaitas, Gnosticos, et hujus temporis Anabaptistas, fornicationem esse peccatum mortale. Constat ex Apost. qui Rom. 1. fornicationem annumerat iis peccatis, *Quae qui faciunt digni sunt morte.* 1. Cor. 6. dicit: *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, etc. regnum Dei possidebunt.* Ad Gal. 5. *Manifesta sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, etc. qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Similiter ad Ephes. 5. et ad Hebr. 13. et Apoc. 21. At error fuit quorumdam Catholicorum fornicationem non esse intrinsece malam, sed solum esse malam, quia lege positiva est prohibita: contra quos

Dico. Fornicatio simplex est intrinsece mala mortaliter, proindeque non solum est mala, quia prohibita, sed prohibita, quia mala. Prob. 1. ex condemnatione hujus propositionis ab Innocentio XI. *Tam clarum videtur fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, et solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.* Est vigesima prima. Prob. 2. Si fornicatio non esset intrinsece mala, sed sola lege positiva prohibita, sequeretur, quod gentes, quae hanc legem positivam ignorarent, fornicando non peccarent; atqui falsum consequens et Apostolo contrarium: ergo; Prob. min. ex Apost. loco citato ad Cor. ubi postquam dixit; *Neque fornicarii*, neque alii, quos ibi enumerat, *regnum Dei possidebunt*; subjungit alloquendo Corinthios: *Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sed justificati estis in nomine Domini nostri Jesu Christi et in Spiritu Dei nostri.* Fuerant ergo Corinthii per fornicationem, dum adhuc in gentilitate detinebantur, sordidi, immundi, injusti. Item Apostol. loc. cit. ad Ephes. 3. ubi postquam dixit: *Quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus non habet haereditatem in regno Christi, et Dei*, subjungit; *Nemo vos seducat inanibus verbis; propter hoc enim venit ira Dei in filios diffidentiae*, hoc est incredulitatis, adeoque gentes non imbutas praeceptis Scripturarum: ergo.

Ante probationem a ratione, suppono 1. tamquam certum seminationem humanam ordinari naturaliter non solum ad generationem, sed etiam ad nutritionem, educationem et instructionem prolis. Id patet ex natura seminis, et prolis necessitate secundum corpus, et secundum animam. Frustra enim esset generatio, nisi debita nutritio sequeretur, quia generatum non remaneret debita nutritione subtracta: et in specie humana proles non solum indiget nutritione, quantum ad corpus ut in aliis animalibus, sed etiam instructione quantum ad animam. Nam alia animalia habent naturaliter suas providentias, quibus sibi providere possunt; homo autem ratione vivit, quem per longi temporis experimentum ad prudentiam pervenire oportet: unde necesse est, ut filii a parentibus quasi jam expertis instruantur, nec hujusmodi instructionis sunt capaces mox geniti, sed post longum tempus, et praecipue cum ad annos discretionis pervenerint.

Suppono 2. quod in animalibus, in quibus sola foemina non sufficit ad educationem prolis, a naturae auctore inditum sit ut mas et foemina post coitum commaneant quousque necessarium est ad prolis educationem et instructionem; ut patet in quibusdam avibus, quarum pulli indigent foveri, et cibo aliunde quaesito nutriri, ad quae cum non sufficiat sola foemella, a natura inditum est mari in talibus, ut commaneat foemellae ad educationem foetus. Manifestum est autem, quod ad educationem hominis non solum requiratur cura matris, a qua nutritur ad tempus, sed multo magis cura patris, a quo est instruendus, defendendus, corrigendus, et in bonis tam interioribus quam exterioribus promovendus, proindeque necessum est, ut in specie humana sit naturale vinculum seu societas maris ad determinatam foeminam, non ad breve tempus, sed diu et per totam vitam; sic enim secundum se exigit debita prolis educatio. Hanc autem societatem matrimonium vocamus.

Ex his principiis sponte fluit ratio a priori conclusionis, haec scilicet. Fornicatio simplex est concubitus secundum se privatus ordine naturali ad suum finem, scilicet educationem prolis, proindeque secundum se importat inordinationem, quae vergit in grave nocumentum non solum ejus, qui ex tali concubitu nasciturus est, sed etiam boni communis et societatis humanae, in quam plurima et pessima mala irruunt ex mala educatione membrorum: ergo secundum se est peccatum mortale. Prob. anteced. Debita educatio prolis in specie humana exigit inter marem et foeminam diuturnam societatem post coitum, ut patet ex dictis: atqui fornicarius concubitus secundum se neque supponit, neque importat hanc diuturnam societatem maris et foeminae, quin potius contrarium importat: est enim soluti cum soluta, hoc est eorum, qui nullo inter se vinculo sunt devincti, ex quo fit, quod, quantum est ex natura actus fornicarii, pars post coitum possit pro libitu deserere compartem, prolem non agnoscere, nullam ejus curam gerere, quod sane frequentissime accidit, et consequenter pessima prolis educatio: ergo.

Nec obstat, si dicas fornicatores posse inter se pacisci et jurare de cohabitatione, quamdiu necessaria erit ad prolis educationem, aut aliter providere. R. enim id esse per accidens actui fornicario, per se autem illi convenire, ut partes non teneantur post coitum commanere, cum per ipsum nullo vinculo ad hoc arctentur in quantum fornicatores sunt, nec prohibeatur quis, quantum est ex ipsa ratione actus fornicarii, ad quamcumque aliam accedere, et ideo quantum est ex se, est actus privatus naturali et debito ordine ad educationem prolis. Quod ergo fornicator post coitum diu commaneat mulieri et eam juvet ad prolis educationem, facit quidem, quod fornicatio actu non noceat proli et bono communi; sed non tollit, quin sit secundum se nociva et deordinata a fine generationis; imo id ipsum aperte ostendit ipsa provisio ordinata ad educationem prolis fornicariae; nam si non esset deordinatus et per se nocivus iste concubitus, non oporteret e-

jusmodi provisiones adinvenire, ut proles sine nocumento evadat, sicut non providetur concubitui matrimoniali, quia non est secundum se nocens proli. Porro in actibus humanis bonitas aut malitia specifica attenditur secundum id, quod illis convenit per se, non autem secundum id, quod illis convenit per accidens. Itaque differentia, inter *per se et per accidens*, inquit hic Cajetanus, monstrat fornicationem esse peccatum mortale, et solvit omnes difficultates.

Repones. Si quis projiciat lapidem illuc, ubi quis facile laedi potest, sed adhibita diligentia provideat, ne ullus laedatur, non peccat jaciendo: similiter si quis sumat venenum mortiferum, sed cujus vim antidoto elidat, non peccat, nec est sui homicida; ergo similiter fornicarius, si provideat, ne nocumentum accidat proli. R. N. cons. Disparitas est, quod actui fornicario per se conveniat privatio naturalis ordinis ad debitam educationem prolis, at jactui lapidis non convenit per se laedere, et propterea si auferatur ly *improvide*, quod quia accidens est, potest auferri, tollitur culpa, sed a fornicatione non potest tolli illa privatio, quae per se inest. Idem dic de sumptione veneni, quae non est secundum se illicita, nisi in quantum est occisiva seu tendens ad occisionem, saepe enim venenum per antidotum fit sanativum medicamen.

Petes 1. Utrum copula cum alterius sponsa de futuro sit simplex fornicatio, an adulterium? R. non esse proprie adulterium, quia adulterium, ut dicam infra, est alieni tori violatio. Neque etiam esse simplicem fornicationem, quia non est soluti cum plene soluta, si quidem sponsa de futuro sit obligata tradere suum corpus illi soli, cui per sponsalia promisit; sed reduci ad adulterium, sicut imperfectum ad perfectum sui generis, quatenus nempe fit injuria sponso, cujus violatur jus, si non in re, saltem ad rem: ideoque est circumstantia explicanda in confessione; idque verum est, sive agatur de sponso, sive de sponsa, par est enim in utroque jus quantum ad mutuam obligationem corporis tradendi. Neque obstat, si dicas sponsos per sponsalia non promittere abstinere a concubitu alieno. R. id promittere, si non explicite, saltem implicite, quatenus promittunt mutuam traditionem corporum in eo statu, in quo reperiuntur. Idque sic esse patet ex eo, quod secundum communem sensum censeatur gravis injuria irrogata sponso, si ejus sponsa ab alio cognoscatur, aut sponsae, si ejus sponsus aliam cognoscat.

Petes 2. Utrum liceat abrumpere copulam fornicariam? R. 1. Qui ex displicentia et odio peccati copulam fornicariam abrumpit etiam cum seminatione extra vas, bene facit et ad id tenetur, quia nullum est instans, in quo quis non teneatur cessare a peccato actuali. Perditio autem seminis inde secuta est per accidens et praeter intentionem, subestque legitima causa eam permittendi. Confirmatur: ita excitatus ad copulam, ut nisi eam peragat sit seminaturus extra vas, tenetur eam non peragere: ergo qui eam inchoavit, abrumpere. R. 2. Qui in affectu peccati perseverans inchoatam copulam abrumpit cum seminatione extra vas metu infamiae, aut ex aliquo simili motivo humano peccat duplici peccato, scilicet fornicationis inchoatae, et pollutionis. R. 3. Qui iisdem motivis inchoatam copulam abrumpit absque seminatione, novo peccato non inficitur, non videtur tamen sufficere, si accuset tactum impudicum, sed debet explicare se penetrasse vas, quia est inchoata fornicatio.

Petes 3. Utrum vir, qui foeminam inducit ad fornicandum, teneatur hanc scandali circumstantiam exprimere in confessione? R. Si paratam aut facile consentientem induxit quamvis sit scandali reus, non tamen tenetur exprimere in confessione, quia ex communiter accidentibus praesumitur, et Confessarius facile intelligit virum petiisse: ita Layman cum aliis. Secus propter oppositam rationem, si alias nolentem et invitam precibus, promissis, blanditiis, muneribus etc. induxit.

Meminerint insuper Confessarii inquirere a fornicatoribus, an proles ex fornicatione nata sit, an nascitura, an natam non exposuerint, aut neglexerint; an

prolis conceptionem impedire, seu abortum procurare non tentaverint: an antequam ad copulam pervenerint, saepe eam non desideraverint, aut de ea delectati fuerint: ad haec enim peccata interna plures poenitentes maxime rudes, et rustici non attendunt, qui solos actus externos peccata reputant.

Appendix

De Concubinatu et Meritricio.

Petes 1. Utrum concubinatus et meretricium distinguantur specie a simplici fornicatione? R. Negative; sed sunt diversi gradus ejusdem speciei. Meretricium dicitur, cum quis accedendi ad eam, quae est publice exposita: concubinatus, cum habet consuetudinem accedendi ad aliquam determinatam, sive eam domi habeat, sive non. Concubitus vero cum ea, quae neque est publica, neque consuetudinaria, retinet nomen simplicis fornicationis, sed ubique est soluti cum soluta, ut supponitur, ideoque intra eamdem speciem fornicationis.

Petes 2. An concubinarius sit absolvendus, antequam ejecerit concubinam? Satis convenit inter Auctores regulariter non esse absolvendum, si semel, aut bis fidem fregerit: sed an si prima vice confiteatur? Quidam absolvendum censent, contra quos. R. Cum aliis verius videri non esse regulariter absolvendum etiam prima vice. Ratio est, quia Confessarius habet legitimam causam suspicandi defectum sinceri propositi, si non ex priori infidelitate, quam nondum admisit, saltem ex hoc, quod communiter accidit in similibus: vix enim unum reperies, qui id sincere promittat; quod patet ex hoc, quod vix sit unus, qui semel absolutus fidem promissi teneat, et concubinam ejiciat: ex quo verisimiliter colligitur non sincere promisisse. Imo dato, quod sincere hic et nunc promittat, et quod ex eo capite possit Confessarius eum absolvere ut Judex, non potest tamen ut medicus, quia ut medicus tenetur poenitenti remedia necessaria praescribere contra relapsum: unicum autem remedium in hoc casu contra relapsum est, ut prius ejiciat concubinam; quia si antea absolvatur, verisimilius non ejiciet, ut communiter accidit, sicque remanebit in occasione proxima peccati.

Dixi in conclusione, *regulariter*: quia sunt casus, in quibus id liceat prima vice. 1. Si ex certis et singularibus indiciis probabilius sit Confessario poenitentem sincere promittere et fidem promissi servaturum, quod licet, ut dixi, rarum sit, potest tamen contingere. 2. Si poenitens concubinarius non sit sui juris, nec possit concubinam ejicere, ut filiusfamilias respectu ancillae. 3. In periculo mortis in quo casu non solum liceret prima vice, sed toties quoties, quia in extremis extrema sunt tentanda. 4. Si ex denegatione absolutionis sequeretur gravis infamia aut grave scandalum, ut si Pastor deberet in die festo omittere sacrum parochiale, modo aliunde appareat sincere poenitens.

Petes 3. Utrum concubinarius nolens expellere concubinam aut ab ejus consortio desistere, possit in aliquo casu absolvi: quod generalius quaeri solet, utrum liceat permanere in periculo proximo peccandi, et talem in aliquo casu absolvere? R. 1. Si concubinarius sit notorius, nullus est casus, in quo ipsi liceat manere cum concubina, aut eam frequentare, quia tunc non jam est periculum solum peccati, sed peccatum formaliter, nempe scandalum; non licet autem nec ad instans permanere in peccato formali. Ex quo etiam inferunt plures Theologi, quod licet concubinarius resipuerit, aut forte nunquam talis fuerit, si tamen sit aut remaneat fama de concubinatu, teneatur mulierem, quae habetur ejus concubina, deserere propter scandalum, donec veritas legitimae conversationis appareat.

R. 2. Sive sit notorius concubinatus, sive secretus, censeo non posse con-

cubinarium retinere concubinam in casibus, qui vulgo proponuntur. Et 1. certum est non posse, quamvis concubina sit ipsi valde utilis, et alia famula difficile inveniretur, ut patet ex condemnatione sequentis propositionis per Alexandrum VII. *Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si haec nimis utilis esset ad oblectamentum vulgo* Regale, *dum deficiente illa nimis aegre ageret vitam, et aliae epulae tedio magno afficerent concubinarium, et alia famula nimis difficile inveniretur.*

R. 2. Regulariter non potest retinere propter periculum infamiae aut alterius damni temporalis, quod incurreret ex ejectione concubinae, quia recta ratio principiis fidei instructa videtur exigere, ut homo qualecumque damnum in bonis temporalibus patiatur potius, quam animam certo et proximo damnationis aeternae periculo exponat. Et quantum ad infamiam, specialis insuper est ratio. Vel enim concubinarius est notus ut talis, vel non: si primum, nulla ex ejectione concubinae sequeretur infamia, sed laus e contra; si secundum non magis inde sequetur infamia, quam ex ejectione alterius domestici, nec desunt praetextus, quibus tegatur vera ejectionis ratio.

Dixi, *Regulariter*: et ideo R. 3. Si revera imminente gravissimo damno, aut scandalo ex ejectione concubinae posset attenta dispositione poenitentis et aliis circumstantiis concipi fundata credulitas, ut loquitur Navarrus, *in Manu.* c. 3. n. 15. quod opitulante Deo remanens in periculo non peccabit: non do quidem securitatem, sed nec auderem damnare poenitentem, neque Confessarium, qui eum absolveret, maxime quod in hac hypothesi videatur minui periculum, et non esse amplius proximum.

Articulus III.

De Stupro.

Multi recentiores requirunt ad rationem stupri, prout est distincta species luxuriae, quod concubitus sit violentus, ita quod, si virgo consenserit non sit proprie stuprum neque species distincta a fornicatione: unde stuprum definiunt, quod sit *violenta virginis defloratio.* Ast S. Thomas Gratianum et Magistrum sententiarum secutus, et cum eo antiquiores Theologi docent ad rationem stupri, quatenus est distincta species luxuriae, sufficere congressum cum virgine, sive adsit violentia, sive non: unde definiunt stuprum, *illicita virginis defloratio.* Porro per τὸ *Virginis* in utraque sententia non intelligitur illa, quae virtutem virginitatis sic servavit, ut nullo peccato luxuriae fuerit maculata; sed illa, quae virginitatis signaculum integrum retinet, quamvis aliunde delectationibus venereis aut mollitie sit polluta. Igitur virginitas hic supponit non pro virtute, sed pro statu integritatis. Signaculum autem virginale quidam reponunt in quadam membrana seu pellicula, quae hymen dicitur et virili coitu lacerata aboletur: alii autem et praesertim recentiores volunt nihil aliud esse, quam compressionem seu complicationem orificii vasis foeminei, quae congressu viri dilatatur, sicque vas aperitur. Idque verius videtur, quod juxta Medicos et Anatomicos modernos praedicta pellicula non reperiatur in omnibus virginibus maxime junioribus.

Dico 1. Stuprum virginis invitae, seu violenta virginis defloratio superaddit simplici fornicationi malitiam mortalem specie distinctam non solum ratione violentiae, qua cogitur ad fornicandum, qualis potest esse respectu corruptae; sed etiam ratione integritatis naturalis, quae ab invita violenter rapitur, quia haec integritas violenter ablata est sufficientis momenti ad constituendum peccatum mortale in violatore. Per violentiam autem hic non intelligitur violentia physica, qualis requiritur ad raptum, sed moralis, qualis est fraus, metus, item impor-

tunae preces, et blanditae, quae juxta judicium prudentum in hac praesertim materia violentia moraliter reputantur, quales sunt eae, quas comitantur magna promissa, oscula, tactus, veneris incentiva, ac uno verbo eae omnes, quibus ingenua mulier facile resistere non potest.

Dico 2. Stuprum virginis ultro consentientis est etiam vera species luxuriae a fornicatione distincta. Pr. Ubi circa materiam alicujus vitii occurrit aliqua specialis defformitas, ibi debet poni determinata species illius vitii: atqui in stupro virginis etiam ultro consentientis est specialis defformitas circa materiam luxuriae 1. ex parte puellae, quae ex hoc, quod corrumpatur, nulla pactione conjugali praecedente, impeditur a legitimo matrimonio et ponitur in via meretricandi, a qua retrahebatur, ne signaculum virginitatis amitteret; 2. ex parte patris, qui de ejus custodia sollicitudinem gerit: ergo. Unde si contingeret, quod parentes consentirent, remaneret nihilominus stuprum, quia remanerent rationes ex parte virginis: aliunde parentes in id consentire non possunt.

Ex hac conclusione colliges 1. puellas, quae se tangendo libidinose digitis aut instrumento claustrum virginale reserant, committere stuprum. Colliges 2. masculum primo fornicantem non committere stuprum. Est communis contra paucos. 1. Quia non amittit signaculum virginale, ex cujus amissione impediatur a legitimo matrimonio, et ponatur in via meretricandi, nec aliquid aliud, quod paternae custodiae a natura sit demandatum: nam masculi post pubertatis annos absque custodia communiter discurrunt, non sic puellae; quod autem communiter fit in naturalibus, signum est sic natum esse fieri, inquit Philosophus 2. physic. Ast, inquies, perdit masculus virginitatem Deo, Angelis, et hominibus amabilissimam, singulare animae et corporis ornamentum. Esto: sed perdit, quod suum est, et nemini facit injuriam, cessante autem injuria nihil ex hac amissione remanet, quod specialem aliquam deformitatem importet, sicut contingit in puella. Colliges 3. cum Asorio, Bonac. et aliis, quos citat et sequitur hic Sylvius, pollutionem in virgine aut consensum in pollutionem sine respectu ad copulam non pertinere ad stuprum, sed solum ad mollitiem.

Dico 3. Probabilius videtur stuprum virginis ultro consentientis non superaddere fornicationi simplici malitiam mortalem, quae sit necessario in confessione explicanda, sed venialem dumtaxat. Neque ideo putes nos a D. Th. dissentire. Statuit quidem S. Doctor et nos cum ipso stuprum virginis consentientis esse vere stuprum, et speciem distinctam luxuriae; at non dicit esse mortalis malitiae: non enim omnis circumstantia mutans speciem semper addit mortalem, quod forte fallit minus intelligentes, si quidem sint plures peccatorum species, quae secundum se non sunt mortales, v. g. ira, avaritia, gula, prodigalitas, vana gloria, etc. item eae, quae sunt secundum se mortales, saepe fiunt veniales ex levitate materiae.

Probatur itaque conclusio 1. a priori. Rationes, propter quas ponimus cum D. Th. stuprum virginis consentientis constituere speciem distinctam luxuriae, sive considerentur ex parte puellae, sive ex parte parentum, non videntur adeo graves, ut afferant malitiam mortalem: ergo. Pr. Ant. ex parte puellae. Non est tanti momenti, 1. quod impediatur a legitimo matrimonio, tum quia non tenetur illud inire, et potest velle ab illo abstinere, tum quia non impeditur per stuprum, nisi in quantum innotescit, quod raro accidit, et quando accidit, est per accidens stupro. 2. Neque quod ponatur in via meretricandi, quia quae secunda et tertia vice fornicatur, magis ponitur in via meretricandi quam quae prima vice. Per actus enim repetitos sensim amittuntur fama et pudor, ac generatur habitus: imo quae cum diversis fornicatur, non solum ponitur in via meretricandi sed de facto meretricatur, et tamen neque in primo casu secundae et tertiae fornicationis, neque in secundo casu fornicationis cum diversis est per se malitia superaddita simplici fornicationi. Ergo.

Si dicas per primam amitti signaculum virginale, cujus amittendi metu retrahebatur a fornicatione, ut dicit S. Th. quod non accidit in casibus allatis. Equidem fateor aliquam ibi esse specialem deformitatem, et ideo dicimus tale stuprum esse speciem distinctam luxuriae, sed non putamus mortalem; alias quo magis progrederetur in via meretricandi, eo major admittenda foret malitia mortalis, quod tamen est falsum, ut patet ex dictis.

Ex parte parentum. Non minus jure naturae, imo magis demandata est parentibus cura et custodia filiarum corruptarum utpote magis periclitantium, quam virginum. Atqui quod puella corrupta fornicetur citra consensum parentum, non est circumstantia mortalis: ergo nec quod virgo, etc. Horum fundamentalis ratio est, quod tam virgo quam corrupta habeant proprietatem et dominium sui corporis quantum ad hunc usum, non minus quam pedum ad ambulandum, oculorum ad videndum: ita quod valide et absque injustitia quamvis non semper licite, possint de illo disponere quod patet ex eo, quod invitis parentibus possint valide nubere. Confirmatur: masculus habet dominium sui corporis, quantum ad hunc usum, ita quod nulli faciat injustitiam, si eo abutatur: ergo et puella. Jus autem, quo parentes habent in corpus filiae quoad hunc usum, est jus improprie dictum scilicet custodiae et oeconomiae. Unde fieret illis quidem gravis injuria, si vi aut fraude contra illud ageretur; at dum illa, quae habet dominium et proprietatem, in hujus boni amissionem consentit, non nisi levis injuria custodi infertur.

Nec refert, si dicas parentes non a puella sed a natura constitutos esse custodes: fateor quidem ita esse, alias non levis, sed nulla fieret ipsis injuria; ut patet in oeconomis et custodibus, quibus nulla fit injuria, quando dominus, qui eos constituit, in direptionem bonorum suorum consentit. Verum est ergo hinc sequi aliquam injuriam fieri parentibus, sed non admodum gravem, ut patet in fornicatione corruptarum, quarum custodia pariter non ab ipsis, sed etiam a natura sibi demandata est.

Probatur 2. a posteriori ex communi praxi et inconvenientibus. Si stuprum virginis ultro consentientis superadderet simplici fornicationi malitiam mortalem, sequitur quod puella se accusans de delectationibus aut desideriis in ordine ad copulam, teneretur etiam explicare, an sit virgo vel non; similiter vir an puella, quam concupivit, sit virgo vel non; et si id taceant, debeat inquirere Confessarius: atqui hoc contra praxim communem tam poenitentium, quam Confessariorum, idque foret utrisque onus intolerabile. Quae enim puella in pari casu somniavit unquam explicare, sitne virgo vel non, quis pariter vir id cogitavit inquirere aut exprimere, et si id sciscitari ab eis tentet Confessarius, ingenuas puellas praesertim moniales pudore maximo suffundet et elingues efficiet; a viris autem responsum habebit se id nescire, neque de eo cogitasse, et demum ab utrisque nimiae et suspectae curiositatis arguetur.

Articulus II.

De Raptu.

Raptus potest dupliciter considerari 1. ut est species luxuriae, 2. ut est impedimentum matrimonii: quae duo auctores plerumque non satis distinguunt. De raptu, ut est species luxuriae, hic est dicendi locus; quatenus est impedimentum matrimonii, spectat tractatum de matrimonio: quia tamen quaedam habent communia, et unum per aliud innotescit, hic de utroque dicam. Unde sit

§. I. *De Raptu, ut est species Luxuriae.*

Dico. Raptus, ut est species luxuriae; est *vis illata cuicumque personae, aut ejus parentibus causa explendae libidinis.* Scio communiter definiri, quod sit *abductio violenta cujuscumque personae causa explendae libidinis.* Prior tamen definitio videtur conformior S. Thom. et rationi. 1. S. Th. hic a. 7. o. dicit: *Qualitercumque violentia adsit* (proindeque absque abductione), *salvatur ratio raptus*, et alia similia.

2. Non est de ratione raptus, ut sic, quod res rapta abducatur de loco in locum, sed solum quod violenter auferatur a domino vel custode praesente et reluctante, etiamsi non abducatur, sed ibidem consumetur, vel vi detineatur, ita quod sola violentia sit essentialis raptui, et ipsum a furto distinguat: sic v. g. qui panem vel vinum ab aliquo praesente et renitente vi auferret et ibidem consumeret, esset verus raptor, et non tantum fur: ergo.

Explicatur definitio. Dicitur *vis illata* seu violentia, per quod intelligitur solum vis aut violentia physice et proprie dicta, seu etiam metus, qui censeatur gravis, saltem respective ad personam, puta metus reverentialis respectu puellae, non vero fraus aut preces importunae, quia ille non dicitur proprie raptor, qui dolo aut precibus importunis alienum extorquet, sed qui vi aperta, aut saltem metu gravi injuste incusso.

Dicitur 2. *Cuicumque personae*; quia hic non agitur ut in stupro de sola virgine, sed sive sit virgo, sive corrupta, sive soluta, sive conjugata, sive mas, sive foemina: uno verbo, quaecumque sit persona est materia raptus, qui est eo gravior, quo persona rapta graviores inducit qualitates, ita quod si sit conjugata, sit raptus et adulterium; si Deo sacra, raptus et sacrilegium; si ejusdem sexus, raptus et sodomia: et sic de caeteris.

Dicitur 3. *Vel ejus parentibus*: quia ad rationem raptus, ut est species luxuriae, non est necesse, quod violentia semper fiat personae raptae; sufficit, quod fiat parentibus seu tutoribus, aut custodibus ab iis constitutis, sub quorum cura existit persona rapta, quia tunc habetur violentia; qualitercumque autem adsit violentia, salvatur ratio raptus, ut est species luxuriae: sive ergo rapta raptori consentiat, reluctantibus parentibus, sive consentiant parentes reluctante rapta, est raptus.

Sed quid, si rapta et abducta consentiat nescientibus parentibus? R. non esse proprie raptum, quia nulla est violentia, in quo consistit essentialiter ratio raptus. Dicitur a quibusdam *Raptus seductionis*, sed melius ab aliis dicitur *Fuga*, quae tamen reduci potest ad raptum, quia licet fiat sine violentia, non fit tamen sine injuria parentum.

Dicitur 4. *Causa explendae libidinis*: quia si sit ex alio motivo, puta ut persona rapta fiat servus aut ancilla, aut venundetur, non erit species luxuriae, sed alia species raptus, qui dicitur plagium. Quamvis autem raptus, de quo hic, habeat suum complementum per expletionem libidinis, erit tamen verus raptus ex sola intentione copula non secuta.

Ex dictis colliges 1. eum, qui copulatur foeminae dormienti absque praevio ejus consensu, non esse proprie et in rigore raptorem, quia non est ibi proprie dicta violentia; est tamen reductive raptor, quia cum supponatur invita mulier per fraudem, quae ibi intervenit, censetur ipsi fieri aliqualis violentia; saltem est injustitia explicanda in confessione. Idem cense de eo, qui sine vi copulam extorqueret a puella ante usum rationis, seu ab ea, quae hujus peccati foret ignara. Colliges 2. eum esse vere raptorem, qui sive voluntarie abductam postea renitentem violenter cognoscit, sive violenter abductam postea cognoscit consentientem, quia utrobique est violentia in ordine ad libidinem explendam.

Petes quomodo se gerere debeat Mulier vi oppressa, ut non peccet coram Deo ? R. Debet 1 : non consentire delectationi, sed ei positive dissentire. 2. Resistere oppressori toto nisu, pugnis, alapis, etiam clamando, si sit spes subsidii impetrandi, in quantum utiliter potest, et rationabiliter debet, alioquin eo ipso, quod non impedit quantum potest, et debet, censetur consentire. An vero clamare debeat cum periculo vitae, et famae ? R. si speret se Deo opitulante non consensuram interius, quod difficile fateor, non puto teneri, modo tamen exterius, quantum potest resistat opprimenti.

§. II. *De Raptu, ut est impedimentum Matrimonii.*

Circa hunc raptum ita statuit Concilium Trid. Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 6. *Decernit sancta Synodus inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat : et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium, et favorem praebentes sint ipso jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces : et si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur praeterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.*

Quaestio est itaque, de quo raptu intelligendum sit Tridentinum, an de omni ? Id melius erui non potest, quam ex motivo seu fine, quem habuit Concilium in condendo illo decreto. Porro motivum, seu finis Concilii fuit consulere libertati matrimonii, ut patet ex toto contextu decreti, et omnes fere concedunt. Unde

Dico. Raptus inducens impedimentum matrimonii et alias poenas praesenti decreto latas, est omnis et sola abductio violenta mulieris invitae causa ineundi cum illa matrimonii. Patebit ex explicatione terminorum. Dicitur 1. *Abductio* : et hoc videtur indicare Concilium, dum dicit : *Quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit*, et, *si rapta a raptore separata et in loco tuto et libero constituta*, etc. sicque communiter intelligunt Auctores. Si tamen liceat meum proferre judicium, existimo verba Concilii posse etiam sano sensu intelligi de violentia illata absque abductione de loco in locum : et nullus dubitat, quin sit raptus dirimens matrimonium, si quis v. gr. puellam peregrinantem, aut extra domum paternam existentem vi detineret in loco, ubi illi occurrisset causa contrahendi cum illa matrimonii, etiamsi, dum cessante vi, sponte consentiret, nisi posita extra potestatem detinentis. Huic enim violentae detentioni congruunt verba Concilii naturali sensu intellecta : ut enim prius dixi, ille cum omni proprietate dicitur *rapere* seu *raptor*, qui rem domini praesentis et inviti violenter surripit, quamvis illam de loco in locum non transferat, sed ibidem consumat aut destruat. Nisi forte dicas hanc violentam detentionem in nostro casu esse virtualem abductionem, quatenus praesupponit mulierem de loco in locum esse abductam, aut saltem a sua libertate abductam in potestatem alienam. Quod non abnuo. Dicitur 2. *Violenta* : et haec violentia debet intelligi, ut §. praecedenti, de violentia physice sumpta, aut etiam de metu gravi injuste incusso : puella enim, quae gravi et injusto metu perterrita raptorem sequitur, censetur violenter abducta.

Haec autem violentia debet inferri personae abductae, unde addidi *Personae invitae*, nec sufficit quod inferatur parentibus aut tutoribus, si persona abductioni consentiat, per quod primo differt hic raptus a raptu, ut est species luxuriae. Et ratio est, quia, ut dixi, per hoc impedimentum Concilium voluit

consulere libertati matrimonii, et obviare gravissimis inconvenientibus, quae ex matrimoniis coactis nata sunt sequi, ut patet ex eo, quod decernat mulierem, cui vis a raptore illata fuit, non posse ab eo duci in uxorem, antequam ab ejus potestate erepta suae libertati sit restituta; quae causa cessat in ea, quae suae abductioni consentit, quantumvis restiterint ejus parentes.

Dices: concilium Trid. decernit absque ulla limitatione raptum dirimere matrimonium: atqui raptus, quo consentiente puella fit parentibus violentia, est vere et proprie raptus secundum jus et D. Thomam: ergo. Ita Franciscus Henno: R. D. maj. Concilium decernit absque ulla limitatione explicita, transeat; implicita, N. Hoc ipso enim, quo agit de raptu in ordine ad matrimonii libertatem, satis judicat se loqui de raptu, qui hanc libertatem laedit, qualis est solus raptus in raptam et non in parentes ejus: sunt enim duae species raptus, quas utrumque Jus Canonicum et Civile agnoscit, C. *de Raptoribus* 36. q, 3. cap. *Cum causam de Raptor.* et L. *Raptores* Cod. *de Episc. et Cleri.* Et sane, si verum foret assumptum Patris Henno, sequeretur, quod Concilium sub decreto comprehenderet 1. raptum masculi a foemina, quod ipse diserte negat 2. raptum causa libidinis tantum, quod infra negabimus: 3. raptum in ordine ad servitutem aut venditionem raptae, quod omnes negant: hi enim omnes raptus sunt vere, et proprie raptus.

Dicitur 3. *Mulieris*: et in hoc iterum distinguitur a raptu, ut est species luxuriae, qui versatur indifferenter circa masculum aut foeminam: iste vero non nisi mulieris, qualiscumque tamen sit, sive virginis, sive corruptae, sive meretricis, sive solutae, sive conjugatae. Ratio petitur ex ipso decreto; nam Concilium expresse loquitur de raptore et rapta, non de raptrice et rapto, et cum sit quid poenale et odiosum, non debet extendi ultra terminos legis.

Dicitur 4. *Causa matrimonii cum rapta ineundi.* Et per hoc iterum distinguitur a raptu, ut est species luxuriae, qui fit causa explendae libidinis. Ita communius. Ratio petitur semper ex motivo legis, quod est consulere libertati matrimonii: atqui raptus, qui non fit causa matrimonii, sed solius libidinis explendae, non nocet libertati matrimonii, nec in illud influit magis quam raptus, qui fieret causa servitutis aut venditionis: ergo.

Dices cum Francisco Henno. Concilium subjicit poenis decreti Clericos raptores: atqui hi non rapiunt causa contrahendi matrimonii, sed solius libidinis explendae: ergo. R. 1. N. majorem. Non enim ibi Concilium loquitur de Clericis raptoribus, sed fautoribus raptorum, quos ideo excommunicationi et degradationi subjicit: ut patet ex contextu. R. 2. data majore, N. minorem: et 1. Clerici minorum Ordinum possunt rapere causa matrimonii contrahendi. 2. Etiam Clerici majorum ordinum possunt rapere causa matrimonii, si non jure, saltem facto, sicut ipsi conjugati.

Consectarium.

Ex dictis praesertim circa particulam *Violenta* confutatam habes singularem opinionem Honorati Tournely, qui contendit raptum, quem vocat seductionis et quem nos dicimus fugam, quando nempe puella blanditiis, et voluptatis illecebris, aut quocumque alio motivo seducta consentiens, raptorem sequitur, sive scientibus sive nescientibus parentibus, esse verum raptum et incurrere poenas Tridentini, esseque impedimentum matrimonii: quia, ut diximus, non est ibi violentia, quae noceat libertati matrimonii, quam servare intendit Concilium.

Dices: Si raptus, de quo Concilium Trid., solummodo sit ille, qui cum violentia fit non consentiente, sed renitente puella, non novum constituit impe-

dimentum distinctum a violentia, quae cum libertatem tollat, jure naturali irritat conjugalem contractum: atqui tamen certum est voluisse Concilium inducere impedimentum raptus distinctum ab eo quod dicitur vis vel violentia: ergo. R. N. maj. Posito enim, quod solus raptus violentiae in puellam sit impedimentum matrimonii, nihilominus stat aperta differentia inter istud impedimentum et impedimentum, quod dicitur vis seu violentia, in hoc, quod licet impedimentum raptus ortum habeat a violentia, illa tamen penitus cessante et puella libere consentiente remanet nihilominus impedimentum, quamdiu remanet puella sub raptoris potestate: sic enim diserte decernit Concilium, partim, ut jam dixi, in poenam raptoris et ut a rapiendo deterreatur, partim ad majorem cautelam, ampliorem deliberationem raptae, certioremque assertionem suae libertatis. Haec autem locum non habent in impedimento, quod dicitur *vis*, hac enim cessante cessat impedimentum.

Articulus IV.

De Adulterio.

Adulterium communiter definitur: *Alieni tori violatio.*

Dico 1. Adulterium est species luxuriae ab aliis distincta. Patet, quia ultra deformitatem fornicationis, quam habet totam ex hoc, quod quis accedit ad non suam: habet insuper aliam specialem deformitatem ex hoc, quod accedit ad alienam. Sic enim peccat contra fidem datam in sacramentali contractu matrimonii, in quo corpus suum ad usum conjugalem soli conjugi promisit et tradidit, et contra justitiam violando jus corporis sui acquisitum conjugi, juxta illud Apostoli 1. Cor. 7. *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir: similiter autem et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Huic autem infidelitati et injustitiae cooperatur pars coadulterans.

Dico 2. Adulterium est grave peccatum mortale. Sequitur ex dictis. Insuper patet ex sexto praecepto Decalogi: Non moechaberis. Ex 1. Cor. 7. *Neque fornicarii, neque adulteri . . . regnum Dei possidebunt.* Ex variis aliis Scripturae locis. Lev. 2 Deuter. 22. 27. Tob. 32. Prov. 6. Ecclesiastici 33. ubi hujus criminis gravitas exaggeratur.

Tres sunt gradus in adulterio. Primus est conjugati cum soluta. Secundus conjugatae cum soluto. Tertius conjugati cum conjugata, quorum est diversa gravitas. Secundus est gravior primo: quia magis repugnat unam mulierem commisceri pluribus viris, quam unum virum pluribus mulieribus. 1. Quia ex commixtione unius mulieris cum plurimis viris plerumque impeditur generatio, quod si non impediatur, incertum est, cujus sit proles. 2. Fit singularis injuria marito, dum ei aliena proles supponitur, et filiis legitimis, dum extraneus in partem haereditatis immittitur, aut saltem his periculis se subjicit adultera, quae omnia non consequuntur ex adulterio conjugati cum soluta: unde in antiqua lege, quamvis aliquando fuerit permissum viro uti pluribus foeminis, numquam tamen foeminae uti pluribus viris: et ideo conditio mulieris in hoc casu explicanda est in confessione. Tertius autem gradus est omnium gravissimus, quia ultra praedicta continet duplicem numero infidelitatem, et duplicem injustitiam necessario explicandam in confessione.

Petes, utrum, si compars cedat juri suo, aut etiam vir fiat leno uxoris suae, remaneat adulterium? R. affirmative: est certa et communis. Sed tamen statim occurrit axioma juris, *scienti et volenti non fit injuria*: si autem tollis injuriam ab adulterio, non remanet adulterium. R. per tale adulterium fieri injuriam non ipso viro consentienti; sed statui et juri conjugali, cui cedere non possunt con-

juges, quodque ideo cum maneat integrum, non obstante eorum cessione, violatur per adulterium: sicut quemadmodum jam alibi dixi, si Clericus cedat juri et privilegio sui status et inde trahatur ad tribunal saeculare, non fit illi injuria, sed statui clericali: nec ideo minus peccat Judex saecularis.

Ad quid stuprator, raptor, adulter et adultera teneantur, diximus dum de restitutione.

Articulus V.

De Incestu.

Incestus est *Concubitus cum consanguinea vel affine intra gradus prohibitos.* Sub concubitu tamquam sub actu principali intellige oscula, tactus, aspectus, et alias impudicitias cum consanguinea vel affine, quae ex se ad concubitum ordinantur, et ideo pertinent ad incestum, sicuti cum conjugata ad adulterium, cum soluta ad fornicationem. Gradus prohibiti sunt in consanguinitate et affinitate orta ex matrimonio sive rato, sive consummato, usque ad quartum inclusive. In affinitate orta ex copula illicita usque ad secundum inclusive, . Ex Trident. sess. 24. cap. 24. de Reform. matrim.

Dico 1. Incestus est determinata species luxuriae. Probatur. Ibi necesse est inveniri determinatam speciem luxuriae, ubi invenitur specialis repugnantia usui debito venereorum: atqui in usu consanguineorum vel affinium intra gradus prohibitos invenitur specialis et multiplex repugnantia usui debito venereorum: ergo. Pr. minor: quia homo in eis praesertim, quae spectant actum generandi, naturaliter debet quamdam honorificentiam, et reverentiam parentibus ut sui ortus principio, et consequenter consanguineis et affinibus, in quibus parentes, hoc est ortus sui principium intuetur; ita quod apud antiquos, teste Valer. Max. lib. 2. tit. 1. c. 9. non erat fas filium simul cum patre balneari, ne scilicet se invicem nudos conspicerent, atqui in actibus venereis est quaedam turpitudo honorificentiae et reverentiae contraria, unde de his homines verecundantur: ergo. 2. Quia personas sanguine junctas necesse est simul ad invicem conversari: unde si non arcerentur a commixtione venerea, nimia opportunitas daretur venereae commixtionis, et sic animi hominum nimis emollirentur per luxuriam: ergo. 2. Quia per commixtionem consanguineorum et affinium impeditur multiplicatio amicorum; dum enim homo uxorem extraneam accipit, junguntur sibi quadam speciali amicitia omnes consanguinei uxoris, ac si essent consanguinei sui, quia vir et uxor fiunt una caro: ergo.

Dico 2. Omnes incestus carnales sunt ejusdem speciei. Pr. Hoc ipso, quo per copulam carnalem consummatam fit viri et mulieris uno caro, consanguinei unius sunt consanguinei alterius, ita quod affinitas nihil sit aliud quam consanguinitas carnis suae, proindeque utriusque violatio importat deformitatem ejusdem rationis, scilicet violationem et dehonorationem consanguinitatis carnis suae: ergo. Nec obstat, quod diversimode caro sit sua per generationem et commixtionem; id enim, inquit Cajetanus, spectat differentiam inter personas coeuntes, non differentiam carnis ad sibi conjunctos, quia utrobique est consanguinitas.

Confirmatur. Affinitas est propter consanguinitatem tamquam propter finem, ad hoc enim est directe et proxime, ut honoretur consanguinitas carnis sibi commixtae et unius factae: atqui ordinatum ad finem ex fine specificatur: ergo ejusdem rationis est dehonorare affinitatem et consanguinitatem. Haec, inquit laudatus Cajetanus, indicant verba litterae subtiliter perspecta. Porro si consanguinitatis et affinitatis violatio sit ejusdem rationis, a fortiori violatio diversorum graduum vel consanguinitatis vel affinitatis inter se.

Caeterum quamvis omnes incestus carnales sint ejusdem speciei, alii tamen aliis sunt graviores. Sic gravior est incestus cum consanguinea quam cum affine: gravior in primo quam in secundo gradu, sive consanguinitatis, sive affinitatis; et sic de caeteris. Item gravior et gravissimus est in linea recta sive consanguinitatis, sive affinitatis, quam in linea collaterali, puta cum matre, quam cum sorore: unde juxta communiorem sententiam de circumstantiis notabiliter aggravantibus accusandis, non sufficit dicere in confessione, commisi incestum; sed debet exprimi, an cum consanguinea vel affine, an in primo vel secundo gradu lineae rectae vel collateralis, quia hae circumstantiae videntur notabiliter aggravare. De remotioribus autem gradibus lineae collateralis censeo cum Ledesma, de la Cruz, Sporer, et pluribus aliis non debere esse sollicitum poenitentem, quia id non videtur notabiliter aggravare.

Dixi in conclusione, *Incestus carnales*: quia certum est incestus legales, aut spirituales, ratione nempe cognationis vel legalis, vel spiritualis, specie differre tum ab incestibus proprie dictis, tum inter se; quia cognatio tam legalis, quae fundatur in adoptione, quam spiritualis, quae oritur ex Baptismo et Confirmatione, distinguuntur specie inter se, et a cognatione carnali, quae oritur ex copula, suntque ad instar illius. Etenim quia filius adoptivus transit in potestatem adoptantis et accipit ab ipso alimenta et haereditatem sicut filius naturalis, et quia filius spiritualis accipit esse spirituale a baptizante aut confirmante, sicut filius naturalis accipit esse naturale a patre; Ecclesia his similibus mota est, ut inter illos statueret quamdam speciem cognationis dirimentem matrimonium.

Adoptio *Est personae extraneae in filium aut filiam assumptio legitima.* Persona extranea dicitur, quae non est ex descendentibus adoptantis, sive sit alioquin ejus consanguinea, sive non. Verum quia adoptio vix nunc est in usu, caetera eam spectantia omittimus.

Cognationis spiritualis, quae oritur ex Sacramento Baptismi et Confirmationis est duplex modus: scilicet *Paternitas*, inter baptizantem, et patrinos ex una parte, et baptizatum ex altera: et *Compaternitas* inter eosdem baptizantem, et patrinos ex una parte, et patrem, ac matrem baptizati ex altera: idem dic de Confirmatione. Olim erat etiam *Fraternitas* inter baptizatum, et baptizantis, ac patrinorum filios, sed jure novo tridentini Sess. 24. *de Ref. Matrim.* cap. 2. cessavit. Qui igitur peccat cum cognata spirituali, committit incestum a praecedentibus distinctum specie, et explicandum in confessione eo magis quod addat specialem malitiam sacrilegii propter irreverentiam irrogatam Sacramento. Utrum vero explicandum sit, an cognatio sit ex Baptismo, an ex Confirmatione; item an sit paternitas aut compaternitas? Videtur quod non, quia in omnibus est eadem specie deformitas, non notabiliter gravior aut levior. Ita Sylvius hic quoad primam partem, Sporer quoad utramque.

Petes. Utrum actus sodomitici inter consanguineos aut consanguineas, vel affines, induant malitiam incestus? R. Si fiat in gradibus jure naturae prohibitis, qui secundum alios est tantum primus in linea recta, secundum alios primus et secundus; certum est inducere malitiam incestus, probabile autem, si fiant in gradibus solo jure positivo prohibitis, quia in quolibet gradu laeditur reverentia consanguineis vel affinibus jure naturali vel positivo debita.

Articulus VI.

Utrum ex Sacramento Poenitentiae oriatur cognatio spiritualis, sic ut Confessarius peccans cum sua poenitente committat incestum, aut saltem hoc titulo addat circumstantiam explicandam in Confessione?

Dico 1. Ex Sacramento Poenitentiae non oritur cognatio spiritualis, qualis oritur ex Baptismo, et Confirmatione dissolvens matrimonium, adeoque Confessarius peccans cum sua poenitente non committit incestum. Probatur. Certum est talem cognationem ex Sacramento Poenitentiae non oriri jure naturae seu ex natura rei, quod enim alter alterum absolvat a peccatis, ex natura rei non fit, quod sint cognati seu propinqui. Neque oritur ex Sacramento Poenitentiae talis cognatio jure positivo, quia, si quae fuerint jura antiqua, quae quibusdam videntur talem cognationem statuisse (quod forte non est verum), saltem certo sunt abrogata per Bonifacium VIII. cap. *Quamvis*, de cognatione spir. tit. 3. lib. 4. in 6. ubi dicitur: *Ex datione vero aliorum Sacramentorum* (praeter scilicet Baptismum, et Confirmationem) *cognatio spiritualis nequaquam oritur, quae matrimonium impediat aut dissolvat.*

Dico 2. Jure antiquo ecclesiastico, ratione Sacramenti poenitentiae contrahebatur inter Confessarium et poenitentem quoddam foedus simile cognationi spirituali, non quidem dirimens matrimonium; sed tale, ut tantum peccaret Confessarius poenitentem carnaliter cognoscens et iisdem subjaceret poenis, ac si esset sua spiritualis filia. Pr. Symmachus Papa Cap. *Omnes.*, causa 30. qu. 2. dicit: *Omnes, quos in poenitentia suscipimus, ita nostri sunt spirituales filii; ut et ipsi, quos vel nobis suscipientibus, vel trinae mersionis vocabulo mergentibus, sacri baptismatis unda regeneravit. Sylvester quoque docens admonet unumquemque Sacerdotem, ut nullus causa fornicationis ad suam poenitentialem accedat, quia scriptum est. Omnes, quos in poenitentia accipimus, ita filii nostri sunt ut in baptismate suscepti. Quapropter hoc scelus si quis perpetraverit, non solum dignitatis honorem amittat, verum etiam usque ad exitum vitae jugi poenitentiae se subdat.*

Dico 3. Haec jura antiqua de quodam foedere inter Confessarium et poenitentem videntur abrogata; ita quod peccatum Confessarii simplicis cum sua poenitente absque ullo respectu ad Sacramentum, licet ex hoc capite habeat forte aliquam deformitatem, non tamen videatur talis ac tanta, quae debeat necessario exprimi in confessione. Probatur prima pars ex usu et praxi contraria. In foro exteriori, ubi agitur de poenis infligendis, inauditum est, quod Sacerdote causa fornicationis accusato, inquiratur an peccaverit cum ea, quam audivit in confessione, et si hoc innotescat, non ideo gradu dejicitur, aut aliis poenis per haec jura statutis plectitur; nisi forte abusus fuisset Sacramento ad peccandum, ut dicam modo, quod sane est manifestum indicium haec jura non amplius vigere.

Porro his antiquis juribus sublatis cessat omnis cognatio spiritualis aut foedus illi simile inter Confessarium, et poenitentem, cessante autem omni cognatione seu foedere abstergitur a peccato Confessarii cum poenitente non solum ratio incestus sive proprie dicti, sive similitudinarii, sed etiam ratio sacrilegii, quod oriebatur ex prohibitione facta in reverentiam Sacramenti et Religionis: non enim ex natura rei peccatum Confessarii cum poenitente est magis sacrilegium, quam peccatum Sacerdotis cum ea, cui aliud Sacramentum, puta Eucharistiae, vel extremae Unctionis, ministravit: unde etiam peccatum cum filia spirituali Baptismi non esset incestus sacrilegus, nisi causa Religionis ab Ecclesia prohiberetur. Et hinc

Probatur secunda pars conclusionis. Si enim a peccato Confessarii cum poe-

nitente removeas rationem incestus etiam similitudinarii et sacrilegii, non video, quid ex illo capite supersit tale ac tantum, quod debeat necessario explicari in confessione; et eo magis, quod ipsi auctores, qui nobiscum agnoscunt hoc peccatum non esse neque incestum neque sacrilegium, et tamen ponunt esse circumstantiam notabiliter aggravantem, non explicent, in quo sita sit ista notabilis aggravatio.

Dixi 1. Peccatum Confessarii simplicis, quia si Confessarius esset Pastor, foret circumstantia necessario explicanda in confessione, quia tunc Pastor peccaret contra officium, cum ex officio teneatur etiam extra confessionem suas oves a peccato arcere et bonis moribus imbuere. Dixi 2. Absque omni respectu ad Sacramentum. Pro quo

Dico 4. Confessarius occasione vel praetextu confessionis impudica agens cum poenitente, aut ad impudica aliave peccata sollicitans, sive tunc sive postea perpetranda, gravissimum sacrilegii peccatum committit propter gravissimam irreverentiam, quam infert Sacramento, eo ejusve occasione aut praetextu abutens ad peccatum. Ita communiter. Contra hos Confessarios sacrilegos, inhonesta sic perpetrantes aut ad inhonesta sic sollicitantes, Gregorius XV. Bulla *Universi Dominici* confirmans Bullam Pii IV. decernit poenitentes teneri eos denuntiare Ordinariis locorum, seu inquisitoribus, mandatque Confessariis, ut moneant tales poenitentes de ista obligatione. Huc spectant duae propositiones damnatae ab Alexandro VII. Prima: *Confessarius, qui in sacramentali confessione tribuit poenitenti chartam postea legendam, in qua ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione ac proinde non est denuntiandus.* Secunda: *Modus evadendi obligationem denuntiandae sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denuntiandi.*

Tandem Benedictus XIV. Bulla, quae incipit *Sacramentum Poenitentiae*, data Kalendis Junii 1741. sui pontificatus primo, confirmat et innovat Bullam Gregorii XV. crimen autem falsae denuntiationis sic sibi reservat, ut a nullo Sacerdote, quovis privilegio, auctoritate, et dignitate munito absolvi possit, nisi in fine vitae et mortis articulo: declaratque has suas praesentes litteras Romae solito more publicatas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent. [In hac praeterea constitutione Benedicti statuitur 1. Poenitentes a Confessario sollicitatos teneri eum denunciare Inquisitoribus vel Ordinariis locorum sive sollicitationi consenserint sive non 2. Non esse a Confessariis impertiendam sacramentalem absolutionem poenitentibus, quos noverint ab alio sollicitatos, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perduxerint, aut saltem se cum primum poterunt delinquentem delaturos promittant. 3. Ut Inquisitores, et Ordinarii diligenter inquirant, et procedant contra Sacerdotes tam saeculares, quam regulares, etiam exemptos, et Sedi Apostolicae immediate subjectos, et pro qualitate criminum per condignas poenas severe in eos animadvertant 4. Reos hujus criminis, habendos esse Confessarios, qui aliquem poenitentem, quaecunque Persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante, vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali, sive in alio loco ad audiendas confessiones, destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta, et turpia sollicitare, vel provocare sive verbis, sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint. Haec summatim dicta sunt, compendio enim studentes praetermittimus ea plurima, quae ad hujus materiae elucidationem dici possent, quaeque videri poterunt apud Gi-

rald. in Expos. Juris Pont. pag. 603., ubi refert Pontificum Constitutiones, Decreta S. universalis Inquisitionis hac de re edita, et insuper regulas ad cognoscendum qui denunciandi sint, quas ob causas, quando, et qua ratione denunciare oporteat. Illuc recurre]

Articulus VII.

De Sacrilegio carnali.

De sacrilegio in communi egimus in tractatu de Religione diss. 4. ubi require plura huc spectantia. Hic quaeritur tantum de sacrilegio in materia venerea. Definitur, *Violatio rei sacrae per actum venereum.* Dicitur species luxuriae, quia dum actus unius virtutis vel vitii ordinatur ad finem alterius, assumit speciem illius, sicut furtum, quod propter adulterium committitur, transit in speciem adulterii: ergo violatio rei sacrae, quae committitur propter luxuriam, transit in speciem luxuriae, sicque est luxuria sacrilega. Pro quo vide Cajet. in hunc articulum. Per *Rem sacram* in definitione intelligitur persona sacra locus sacer, et quaecumque res sacra alia a persona vel loco. Quapropter triplex est species sacrilegii carnalis, sicut et sacrilegii in communi, ut dixi loco citato de Religione, scilicet personae, loci, et rei, tantoque gravius, quanto sacratior est persona, locus, vel res, et quanto gravior profanatio, ut dixi loco citato.

Quantum ad Personam sacram.

Persona sacra hic dicitur, quae est Deo dicata ad servandam castitatem per votum, sive sit solemne per professionem religiosam, sive solemnizatum per susceptionem Ordinis, sive simplex. Itaque committitur sacrilegium ex hac parte. 1. quando persona sacra luxuria contaminatur, sive interne per delectationes morosas, aut consensum in actum luxuriae, sive externe per actus impudicos tam in se, quam in aliam personam, etsi non sacram. 2. Quando persona non sacra concupiscit personam sacram, aut cum ea impudice agit; quamvis enim non sit sacra, violat tamen affectu vel actu personam sacram; quod si tantum a persona sacra patiatur impudica, cooperatur saltem ejus sacrilegio. 3. Quando utraque persona complex est sacra: et tunc est duplex sacrilegium, sicut in adulterio, quando utraque pars est conjugata, est duplex adulterium: et hoc est explicandum in confessione, utpote multiplicans numerum peccatorum.

Petes, utrum sufficiat poenitenti dicere se peccasse contra votum castitatis, aut se peccasse cum persona voto castitatis obstricta non explicando qualitatem voti, an sit solemne, vel simplex. R. sufficere, si tantum voto simplici obstringatur, quia sic totam peccati malitiam exprimit. Idem censeo, si sit sacris initiatus, quia votum, quod emittitur in susceptione Ordinis sacri, est etiam votum simplex. Si vero agatur de Religioso, non sufficit saltem secundum communiorem sententiam de accusandis circumstantiis notabiliter aggravantibus, quia cum votum sollemne addat promissioni voti simplicis traditionem, ut ibidem docui ex D. Thoma, obligatio voti solemnis est multo strictior obligatione voti simplicis, si tamen specie non differant, et ideo ejus transgressio vel est specie distincta, vel saltem notabiliter gravior transgressione voti simplicis: debet ergo in tali casu explicari conditio voti solemnis. Ita communiter Thomistae contra plures alios. Et puto id sufficere, nec requiri, quod poenitens explicet se ulterius esse Sacerdotem, aut Episcopum, aut se alias teneri voto simplici. Ita docet De la Cruz in 2. praeceptum a 2. n. 15 Coninch de Sacram. disp. 5.

dub. 4. n. 18. et alii. Quia supposito quod obligatio Sacerdotis ad servandam castitatem sit ex voto, ut tenet probabilior opinio cum D. Thoma, haec obligatio est ejusdem rationis cum obligatione voti solemnis, imo quid minus eminenter contentum in majori: etenim votum solemne importat totam obligationem voti sacerdotalis, aut alterius voti simplicis, et aliquid plus, ut patet ex dictis: ergo inutile videtur utramque explicare, quando major exprimitur. A fortiori non tenetur poenitens explicare in confessione se pluries idem votum iterasse, quia secunda promissio ejusdem rei non induit novam obligationem in promittente nec novum jus tribuit promissario sed confertur idem quod prima promissione repetito titulo.

Quantum ad locum sacrum.

Nomine loci sacri jam dixi loco citato de Religione intelligi locum auctoritate publica deputatum cultui divino, seu sacris officiis, quales sunt Ecclesiae et coemeteria; et utraque, si non secundum jus, saltem secundum praxim communem consecrata aut benedicta. Vide loco citato de Religione. Igitur sacrilegium carnale committitur per copulam carnalem, aut quamcumque voluntariam seminis humani effusionem in loco sacro. Cap. *Ecclesia*, Dist. 68. et eodem cap. *de Consecr.* Dist. 1. Dico *Seminis humani*, non seminis bruti, neque humoris medii inter semen, et urinam. Non est autem necesse, quod effundatur in pavimentum Ecclesiae, sed sufficit, quod effundatur in vas naturale, seu in alium locum.

Petes 1. Utrum seminis effusio debeat esse notoria, ut sit sacrilega, et locus sacer censeatur pollutus? R. probabilius negative cum Lessio, Loth, et aliis contra Tolet., Asor. Coninch, et alios, quos citat et sequitur Bas. Pontius libro decimo c. 10. n. 15. Ratio est, quia Ecclesia non solum prohibet talem actum fieri publice, sed absolute fieri in reverentiam loci sacri, quem per immunitatem a tali spurcitia vult honorari, licet ad vitandos scrupulos et molestias non jubeat abstineri a tali loco, nec necessariam velit esse conciliationem, nisi factum sit notorium.

Petes 2. Utrum etiam colloquia, aspectus, oscula, tactus impudici in loco sacro sint sacrilegia? R. negative cum Sylvio hic, Coninch disput. 7. de poenitentia, n, 2. Sanchez et aliis, quos citat et sequitur Bonac. Ratio est, quia id solum, quo Ecclesia polluitur, habet rationem sacrilegii; atqui sola seminis effusio jure positivo prohibetur ut polluens locum sacrum, non vero alia impudica: ergo. Hinc qui in templo existens concupiscit mulierem, non est sacrilegus, nisi forte intendat ibidem explere libidinem, quod rarum est, quia, hac intentione seclusa, censetur id velle secundum morem communem exequi alibi, loco et tempore opportuno.

[Haec sententia non est ita certa. Non desunt enim, qui affirmant, quod loqui de turpibus, et obscoenis, sollicitare ad turpia, quamvis extra Ecclesiam perpetranda; et multo magis tactum aliquem turpem, et uno verbo turpes, et inhonestas actiones exteriores facere in Ecclesia, sive manu, sive ore, sive nutibus, sive facto tali, ut siquis videat, advertat illam actionem esse turpem, probabilius sit sacrilegium ob gravem irreverentiam loco sacro irrogatam]

Petes 3. Utrum copula conjugalis possit licite et absque sacrilegio exerceri in loco sacro? Quidam indistincte affirmant: alii in periculo dumtaxat incontinentiae propriae, vel conjugis permittunt. R. probabilius videri, nec etiam in periculo incontinentiae licitum esse exercere copulam conjugalem in loco sacro, quia nulla est in tali casu necessitas, ob quam Ecclesia censeatur legem suam relaxare: huic enim incontinentiae periculo occurrere possunt conjuges oratio-

ne, jejunio, et aliis mediis, sicut facerent, si diu ab invicem abesse cogerentur, aut alter diuturno morbo detineretur. Et hinc patet disparitas ab effusione licita sanguinis in defensionem, quia est ibi vera necessitas, cum supponatur non posse aliter vitari mortem; in tali autem necessitate leges ecclesiasticae non obligant.

Quantum ad res sacras.

Committitur sacrilegium carnale, quando circa eas aut earum interventu aguntur impudica, ut si in linteamina, aut vasa sacra semen effundatur, si cereus benedictus, aut, quod est horribile, sacra Eucharistia ad philtrum amatorium adhiberetur.

Petes, utrum sit sacrilegium exercere copulam sive conjugalem, sive fornicariam cum Reliquiis aut similibus rebus sacris ad collum aut alibi appensis? Respondetur communiter negative, nisi id fiat in contemptum hujus rei sacrae, aut adhibeantur ad ipsum actum venereum, quia alias concomitanter tantum et materialiter se habent ad copulam, nec moraliter censetur gravem injuriam illis inferri.

Articulus VIII.

De Peccato contra naturam,

Peccatum stricte contra naturam, de quo hic agitur, est, quod repugnat ordini et modo, quem natura instituit in actu venereo ad generationem, ad quam solam est a natura ordinatus.

Dico 1. Sunt quatuor species peccati contra naturam. Probatur. Actus venereus, ut ex eo possit concipi proles ejusdem speciei, quatuor requirit. 1. Concubitum duorum. 2. Eamdem in utroque naturam specificam. 3. Diversitatem sexuum. 4. Modum connaturalem concumbendi. Ergo sunt quatuor species peccati contra naturam. Prima, si absque omni concubitu causa delectationis venereae pollutio procuretur, quod dicitur immunditia, ab aliquibus mollities. Secunda, si fiat per concubitum cum re diversae speciei, v. g. cum bestia aut daemone, quod vocatur bestialitas. Tertia, si fiat per concubitum ad indebitum sexum, hoc est ad eumdem, puta masculi ad masculum, vel foeminae ad foeminam, quod dicitur sodomiticum vitium. Quarta, si servato sexu debito non servetur modus naturalis concumbendi, unde impediatur generatio, quod potest fieri dupliciter. 1. Defectu instrumenti naturalis, ut si vir coeat in vase praeposterо. 2. Defectu situs naturalis, ut si mulier supergrediatur virum, aut vir eam cognoscat averse in vase tamen naturali. Hic autem modus non est contra naturam, nisi in quantum per ipsum impediretur generatio: alioquin erit potius praeter quam contra naturam; estque tantum peccatum veniale in conjugatis et quandoque nullum, si nempe aliqua ratio exigat ita fieri.

Dico 2. Inter peccata luxuriae peccatum contra naturam est gravissimum in genere luxuriae: quia transgreditur id, quod est secundum naturam determinatum circa usum venereum: caetera vero transgrediuntur tantum id, quod est determinatum per rationem. Haec tamen ratione circumstantiae adjunctae possunt esse graviora in alio genere: sic adulterium ratione injustitiae est gravius pollutione.

Dico 3. Inter peccata contra naturam gravissimum est bestialitas, quia non servatur debita species. Post hoc est sodomia, quia ibi non servatur debitus sexus. Deinde est indebitus modus concumbendi; magis autem si non sit debitum vas, quam si sit inordinatio secundum aliqua pertinentia ad modum concubitus. (Intellige tamen hoc ultimum, quatenus per eum impeditur generatio). Tandem

infimum locum tenet pollutio, quae consistit in sola omissione concubitus ad alterum: gravitas enim in peccato magis attenditur ex abusu alicujus rei, quam ex omissione debiti usus. Ex dictis inferes merito damnatam fuisse ab Alexandro VII. hanc propositionem numero vigesimam quartam: *Mollities, sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimae, ideoque sufficit in confessione dicere se procurasse pollutionem.* Quidquid sit enim de specie physica, certum est ea in esse moris, seu quatenus rationi repugnant, specie et plus quam specie differre, nt patet ex eorum notione data.

Articulus IX.

De Bestialitate, et Sodomia.

Quantum ad bestialitatem, in primis hujus sceleris atrocitatem probant poenae in illud latae. Lev. 20. jubetur, ut bestia et bestialitatem committens simul interficiantur; apud Christianos flammis addicuntur. Quando concubitus fit cum daemone, praeter malitiam bestialitatis habet etiam malitiam superstitionis, quatenus includit societatem cum daemone Dei et nostri hoste infensissimo, quod ideo debet explicari in confessione. Item attendendum, sub qua forma appareat daemon: si sub forma bruti, nihil addit: si sub forma humana, vel sub forma viri ad virum, vel mulieris ad mulierem, et sic contrahit secundum affectum malitiam sodomiae; si sub forma alterius conjugis diversi sexus, malitiam adulterii; si sub forma monialis, malitiam sacrilegii, et sic de caeteris. Et haec sunt in confessione explicanda.

Petes 1. Utrum in confessione debeat explicari, utrum daemon fuerit incubus aut succubus? R. negative, haec enim circumstantia non est mutans speciem, neque multum aggravans; non enim peccatum viri incumbentis est diversae speciei a peccato mulieris succubae, nec multum gravius.

Petes 2. Utrum sit necesse explicare speciem bestiae? R. negative, quia id non mutat speciem in genere moris, nec multum aggravat. Ita Sylvius, Chapeauville, Bonac., et alii.

Petes 3. Utrum si non sit seminatio intra vas, bestialitas sit casus reservatus, ubi reservatur? R. negative, quia cum reservatio sit odiosa, non cadit nisi supra actum consummatum, ut iterum dicam de sodomia.

Quantum ad sodomiam, est, ut jam dixi ex Auctore, *concubitus ad indebitum sexum*: ubi vide S. Thomam totam malitiam sodomiae repetere a sexu indebito, nullatenus a vase indebito sexus debiti, ut quidam ipsi perperam tribuunt, indeque volunt, id ultimum esse sodomiam saltem imperfectam; cum e contra S. Doctor hoc ultimum expresse reponat in altera specie, nimirum modi innaturalis concumbendi. Hoc autem peccatum esse execrandum patet 1. ex ejus notione, quod ita sit contra naturam, ut ipsamet bruta illud regulariter abhorreant. 2. Ex igne, quem Deus pluit super Sodomam, et Gomorrham. 3. Ex poenis in illud statutis: Jure Civili lib. 9. tit. 7. plectitur poena ignis.

Petes 1. Utrum sodomita seminans extra vas, sive tentaverit illud penetrare, aut etiam penetraverit et se retraxerit, sive non, incurrat poenas latas, et reservationem, ubi sodomia est reservata? R. negative. Ita communiter; quia cum poena et reservatio sint odiosa, non intelliguntur afficere, nisi peccatum consummatum; consummatur autem sodomia per seminationem intra vas.

Petes 2. Utrum Sodomita debeat explicare in confessione, an fuerit agens, aut patiens? R. Mihi probabile est quod non. Ita Loth et alii, quos citat: quia haec circumstantia non mutat speciem, nec videtur notabiliter aggravare, sicut in fornicatione peccatum masculi agentis non est alterius speciei, nec multo gra-

vius peccato foeminae patientis. Si vero actus sodomiticus exerceatur inter consanguineos, affines, conjugatos, voto obstrictos, videtur contrahere malitiam incestus, adulterii, sacrilegii, etc.

Articulus X.

De pollutione.

Dico 1. Pollutio sive mollities est *voluntaria emissio seminis humani extra omnem concubitum.* Explicatur. Dicitur 1. *Voluntaria* quia hic agitur de pollutione, ut est peccatum, non est autem peccatum, nisi sit voluntarium; quapropter quaecumque pollutio sive in somnio, sive in vigilia, quae non est voluntaria neque directe in se, neque indirecte in sua causa, non imputatur ad peccatum. Dicitur 2. *Extra concubitum*, et non extra vas tantum, ut quidam ponunt, quia in foeminis saepius accidit pollutio per solam decisionem seminis in vase genitali, absque ullo effluxu exteriori, licet etiam quandoque extra emittatur: hanc autem decisionem seu resolutionem sensibiliter percipiunt mulieres, et in ea magna voluptate afficiuntur, qua completa satiantur et quiescunt: idque sit pollutionis foemineae indicium Confessariis. Dicitur 3. *Extra omnem concubitum*, quia si fiat in concubitu naturali, erit fornicatio; si in concubitu innaturali ex parte instrumenti, scilicet in vase posteriori, et juxta quosdam in ore erit altera species luxuriae, quam cum S. Thoma dixi modum innaturalem concumbendi. Dicitur 4. *Seminis humani*; ut distinguatur a fluxu seu distillatione alicujus humoris medii inter urinam et verum semen, qui a vero semine multis conditionibus differt. 1. Quod sit minus mordax et magis aquosus 2. Quod habeat diversum meatum et quandoque misceatur cum urina. 3. Quod guttatim in minori quantitate absque impetu et jaculatione decidat. De illo humore, juxta Cajetanum tom. 1. Opusc. Tract. 22. q. unica, Layman lib. 3. sect. 4. n. 18. et alios communiter, cum sit ineptus generationi, non est magis curandum quam de sudore, quando fluit absque carnis commotione, quae tamen etiam non raro intervenit.

Dico 2. Pollutio dividitur 1. in *simplicem*, quae praeter malitiam pollutionis nullam aliam habet adjunctam, ut si omnino liber proprii corporis tactu aut aspectu se polluat, sistens in sola propria delectatione; et *qualificatam*, quae praeter malitiam pollutionis habet aliam adjunctam, vel ex parte objecti cogitati, ut si quis se polluendo cogitet de consanguinea, uxorata etc. vel ex parte personae pollutae vel polluentis, ut si Religiosus, uxoratus, etc. se aut alium polluat vel ab alio polluatur.

Ex parte vero modi se vel alium polluendi aut instrumenti ad hoc adhibiti non videtur regulariter superaddi malitiam specie distinctam, nec eamdem notabiliter aggravari, ut si quis sive intra manus, sive inter ubera aut femora mulieris se polluat, item sive aspectu, sive osculo, sive tactu quocumque corporis proprii, vel alieni, vel rei turpis, sive intensa imaginatione venereorum, se vel alium polluat; haec omnia materialiter et per accidens se habent ad pollutionem, nec sunt mala nisi per ordinem ad illam, ideoque nec speciem mutant, nec eamdem notabiliter aggravant, nec in confessione necessario sunt explicanda, modo explicentur qualitates personarum, dicendo, Me pollui cum tali vel tali, aut talem vel talem pollui, aut a tali vel tali pollutus sum.

2. Dividitur pollutio in voluntariam directe in se, et voluntariam indirecte in causa. Unde

Dico 3. Pollutio directe in se voluntaria est jure naturae mortaliter mala, sic ut nullo fine possit unquam cohonestari. Est communis et certa. Probatur ratione

a priori. Iste actus est contra primarium finem, ad quem semen est a natura, seu naturae auctore destinatum, qui est conceptio prolis et generis humani propagatio : ergo est intrinsece et jure naturae illicitus, sic, ut nullo fine sive tentationis sedandae, sive morbi sanandi, sive mortis vitandae etiam in Principe possit unquam cohonestari, quia naturae rerum sunt immutabiles. Hinc Poeta Gentilis solo lumine naturali instructus ad quemdam Ponticum hujus criminis servum ait: *Quod perdis, Pontice, digitis, homo est.*

Probatur a posteriori. Si ullo unquam casu liceret sibi vel alteri procurare pollutionem, cum in ea homines maxima voluptate afficiantur, facile ea licentia abuterentur et eam ad infinitos prope casus extenderent, sicque ea voluptate contenti matrimonium et legitimum generandi modum cum maximo speciei humanae detrimento negligerent ; in hoc ergo sicut et in pluribus aliis non est attendendum praecise ad damnum actuale, quod sequitur, sed ad damnum, quod sequeretur, aut sequi natum esset, si semel liceret, quod quidam vocant malitiam extrinsecam.

Jure itaque Innocentius XI. proscripsit hanc propositionem : *Mollities jure naturae prohibita non est ; unde si Deus eam non interdixisset, saepe esset bona et aliquando obligatoria sub mortali.* Est. 49.

Articulus XI.

De Pollutione voluntaria indirecte in causa. Utrum et quando sit peccatum ?

Dico 1. Quando actio, ex qua praevidetur secutura pollutio, est secundum se licita et simul est necessaria aut utilis, non est illicitum eam ponere propter praevisam inde pollutionem, nec ipsa pollutio est culpabilis, modo absit consensus, aut periculum proximum consensus in illam. Est D. Thomae, qui metitur malitiam aut inculpabilitatem pollutionis nocturnae in causa ; ita quod si causa non sit mala, nec pollutio est mala ; si venialis aut mortalis, pollutio est venialis vel mortalis. Sive autem pollutio eveniat nocte dormiendo, sive in vigilia, modo non intendatur, perinde est, ut probat Cajetanus tom. 1. opusc. tract. 22. q. unica.

Probatur. Nemo tenetur omittere actionem secundum se licitam, necessariam, vel utilem ad bonum effectum propter aliquod leve malum ex ea praeter intentionem secuturum, maxime si sequatur per accidens ; neque ex tali actione posita potest hoc malum censeri agenti indirecte voluntarium in causa, quia juxta unanimem Theologorum sententiam ad voluntarium in causa requiritur obligatio amovendi causam : atqui sic est in casu conclusionis. Et 1. Ut supponitur, actio est secundum se licita, necessaria, aut utilis. 2. Pollutio inde secuta praeter intentionem est leve malum, exiguum aut pene nullum incommodum affert sive individuo agenti, sive humanae speciei, ut per se patet ; non enim ex tali pollutione praeter intentionem accidente natum est sequi inconveniens, quod articulo superiori probavimus natum esse sequi ex pollutione directe in se volita. 3. Sequitur per accidens ex causa posita ; haec enim utpote necessaria aut utilis habet effectum alium et bonum, et ipsa pollutio habet aliam causam in agente, nimirum propensionem et miseriam naturae per peccatum corruptae, quae maxime in eam influit ; cui etiam saepe adjungitur singulare temperamentum : ergo.

At forte dices, aspectus et tactus partium secretiorum alterius sexus, quales exercet v. g. Chirurgus morbi sanandi causa, videntur per se influere in pollutionem. R. hos equidem actus secundum se assumptos, et non ut media ad ho-

nestum finem, per se influere in pollutionem, secus apprehensos ut media necessaria ad sanitatem; quia non movent nisi ut apprehensi a phantasia, apprehensi autem a phantasia ut media necessaria ad curandum morbum non habent vim concitandi libidinem. Quod si cum ea apprehensione simul subrepat alia, ut rei delectabilis, eaque moveat, hoc est per accidens ex miseria naturae et praeter intentionem agentis, non ex natura objecti sub ratione medii ad sanitatem considerati. Ita Lessius. Sed et dato hos actus etiam ut media necessaria apprehensos per se influere in pollutionem, stat nihilominus conclusio, quia horum est etiam alter effectus bonus aeque immediatus, nimirum sanatio morbi, et hic effectus aequivalet, imo longe praevalet pollutioni praeter intentionem secuturae: quando autem unius causae est duplex effectus aeque immediatus, unus bonus, alter malus, et bonus aequivalet malo, nihil prohibet bonum intendi et malum permitti, ut probavi ex D. Th. dum de Homicid. et Restit. § *de participante*

Hinc colliges studere rebus venereis, causa docendi, aut discendi, confessiones, praesertim foeminarum, excipere, cum eis honeste et utiliter conversari, eas secundum morem patriae amplecti, quando sine gravi offensione intermitti non potest, equo incedere, certo et commodo situ cubare, cibo aut potu calido sed salutari moderate uti, mederi in partibus secretioribus alterius sexus, proprias a sordibus mundare, servire infirmis, aut in balneis, haec inquam et plura alia similia esse licita, quantumvis ex eis praevideatur secutura pollutio, et eam ipsam etiam pollutionem esse a culpa immunem.

Dixi 1. in conclusione, *Quando actio de se licita, est etiam simul necessaria aut utilis*: quia si in his et similibus nulla esset utilitas, essent peccata venialia vel mortalia ratione pollutionis secuturae, prout in eam parum vel multum influerent. Sic incedere equo, cum aeque commode possis curru, certo situ cubare, cum possis aliis aeque sanis, est peccatum veniale ab his non abstinere propter praevisam inde pollutionem; quia, licet, ut dixi, pollutio, quae non est per se intenta aut procurata, sed ex necessitate materiae atque naturae impulsu provenit, non sit gravis inordinatio, est tamen aliqua inordinatio mentem perturbans et ad malum incitans, sic ut causa etiam per accidens illi praeberi non debeat, sed vitari, si commode possit: alioquin censetur voluntaria saltem imperfecte, ut modo dicam. Dixi 2. *Modo absit consensus aut periculum consensus in ipsam pollutionem*, et hoc sit dictum semel pro semper, quia, ut patet ex art. praeced. consentire directe pollutioni in se est semper mortale, et consequenter hujus consensus periculo proximo se exponere: hoc autem periculum quisque advertere potest ex propria experientia, aut ex praesenti voluntatis dispositione.

Dico 2. Quando actio, ex qua praevidetur secutura pollutio, est peccatum veniale sive in genere luxuriae, sive in alio, leviter et remote tantum influens in pollutionem, ipsa pollutio inde secuta est tantum veniale peccatum, nec per consequens est obligatio abstinendi ab illa actione nisi sub veniali. Est ut praecedens S. Thomae juxta principium positum de metienda culpa pollutionis ex causa: item et aliorum ibidem laudatorum. Prob. 1. In tantum pollutio est peccaminosa, in quantum est voluntaria: atqui in casu est tantum voluntaria imperfecte et secundum quid: ergo est tantum peccaminosa imperfecte et secundum quid, hoc est venialiter. Probatur minor: in casu est tantum voluntaria in causa et ratione causae, atqui continetur tantum imperfecte et secundum quid in causa, sive causa est tantum imperfecte et secundum quid illius causa, utpote leviter tantum et remote influens in illam: ergo.

Probatur 2. Ideo peccat agens in casu posito ratione pollutionis secuturae, quia non amovet causam illius: atqui non tenetur sub mortali eam amovere: ergo. Probat. minor. Non tenetur 1. ratione causae secundum se, quia secundum se est

tantum venialis; neque ratione pollutionis secuturae, quia pollutio non intenta in se, sed ex conditione materiae et impulsu naturae principaliter proveniens non est grave malum neque agenti, neque speciei, ut dictum est, alioquin non posset permitti propter levem utilitatem, quod tamen omnes concedunt, ut prima conclusione dictum est; sicut v. g. homicidium non potest permitti propter levem utilitatem, quia est grave malum: ergo. Quod autem pollutio in hoc casu sit saltem venialiter mala, patet, quia est aliqualiter voluntaria in causa, et in se habet aliquam inordinationem, ut dictum est supra post primam conclusionem.

Hinc colliges locutiones, lectiones, cantiones turpium vanas, et inutiles, item aspectus, tactus, amplexus, oscula, quae venialia sunt in materia luxuriae sive ex imperfectione actus, sive ex parvitate materiae, si fiant ex levitate, curiositate, joco, et alio motivo non libidinoso, etsi ex his praevideatur secutura pollutio, esse tantum venialia tum ex se, tum ut sunt causa pollutionis, quia leviter tantum et remote influunt in illam, ipsamque pollutionem consequenter esse tantum venialiter malam. Intellige semper, modo absit periculum consensus in illam. Idem dic a fortiori de causis venialibus et remote influentibus in alio genere, ut de nimio aut calidiori cibo et potu et similibus.

Dico 3. Quando actio, ex qua perfecte praevidetur secutura pollutio, est secundum se mortaliter mala, et simul notabiliter et proxime influens in pollutionem, ita ut ex ea nata sit sequi pollutio, tenemur sub peccato mortali abstinere ab illa actione non solum ratione sui, sed etiam ratione pollutionis secuturae, quae alioquin erit mortaliter mala; quia ejusdem moris est velle effectum, et ejus causam propinquam, nisi, ut dixi in prima conclusione, subsit gravis et justa ratio illam causam ponendi, quod esse non potest, ubi causa est secundum se mortaliter mala.

Hinc colliges diuturnas et intentas cogitationes, seu delectationes impudicas, aspectus, tactus, amplexus, oscula, turpiloquia, quae sunt peccata mortalia in genere luxuriae, sive ex objecto secundum se obscoeno, sive ex affectu libidinoso, si ex illis praevideatur pollutio secutura, licet non intendatur, esse regulariter peccata mortalia non solum in se, sed etiam ut causa pollutionis; ita ut pollutio secuta debeat explicari in confessione, utpote voluntaria et mala mortaliter, quia haec graviter et proxime influunt in pollutionem.

Nota bene: quae hucusque dixi de causis pollutionis, a fortiori dicenda sunt de causis delectationis, seu commotionis carnalis, quae est quid minus pollutione, et via tantum ac dispositio ad illam. Unde 1. ponere causam honestam, necessariam, vel utilem, ex qua praevidetur secutura commotio carnalis absque periculo consensus in illam, nullum est peccatum. Et nota minorem adhuc requiri utilitatem quam ad pollutionem, quia ut dixi, est quid minus in genere mali, quam pollutio. 2. Ponere causam venialem leviter et remote influentem in commotionem carnalem notabilem est peccatum veniale. Dico *Commotionem notabilem*, quia ponere causam per se proxime influentem in commotionem levem secluso periculo consensus in illam est tantum peccatum veniale ratione illius commotionis, quia, ut jam dixi initio hujus dissertationis, datur parvitas materiae in hac re volita tantum in causa. 3. Ponere causam proxime et notabiliter influentem in gravem commotionem absque urgente necessitate, est peccatum mortale ratione istius commotionis.

Petes 1. Quid censendum de pollutione nocturna? R. Ejus malitiam perpendendam esse ex suis causis, sicut diximus de pollutione indirecte tantum in causa volita, quae accidit in vigilia: est enim eadem utriusque ratio. Igitur pollutio nocturna est vel non est peccatum pro conditione causae, in qua fuit praevisa, aut potuit ac debuit praevideri. Si causa non sit culpabilis, nec ipsa erit culpabilis; si causa sit culpabilis venialiter, leviter et remote influens in illam,

erit venialis ; si causa sit mortalis graviter et proxime influens in illam , erit mortalis , juxta ea omnia quae dixi superius.

Petes 2. Quid censendum de pollutione inchoata in somno et continuata in vigilia ? R. qui plene expergefactus complacet pollutioni in somno completae , vel actu fluenti per delectationem , peccat mortaliter , quia complacet rei mortaliter malae ; ista tamen complacentia non facit pollutionem praeteritam esse peccatum , quia ipsius causa non est , sed ipsa in se est peccatum. Si sit tantum semi-expergefactus , aut ex subreptione sit talis complacentia , peccat venialiter. Tandem si placeat ut naturae exoneratio , vel alleviatio , peccatum non creditur. Nec tenetur ejus fluxum actualem cohibere , quia ex quo in dormiendo excitatus est motus carnis , non subjacet ulterius voluntati vigilantis , et quamvis subjaceret , cohiberi non potest absque notabili gravamine corporis et periculo infirmitatum : quapropter potest illum permittere tamquam effectum causae naturalis , quae amplius impediri non potest. Praeter Auctorem ita censent Gerson , Sa , Sanchez apud Sporer , et alii plures. Idem dicendum videtur de quacumque pollutione involuntaria sive in somno , sive in vigilia eveniat , cum sit utriusque ratio eadem quantum ad hoc , ut jam dixi ex Cajetano.

Petes 3. Utrum liceat gaudere secundum rationem de pollutione mere naturali et involuntaria sive in somno , sive in vigilia , aut eam etiam desiderare affectu simplici ob bonum finem ? R. 1. Si pollutio mere naturalis et involuntaria *placeat ut naturae exoneratio aut alleviatio , peccatum non creditur.* Ita in terminis S. Thom. in 4. d. 9. q. 1. a. 4. quaest. 1. ad 5. et post ipsum S. Antoninus , Sylvester , Cajet. Navarrus , et plures alii. Prob. ratione. Pollutio mere naturalis et ex omni parte involuntaria nullo jure prohibetur neque naturali neque positivo , quia non est actus humanus , sed effectus mere naturalis et indifferens ut sternutatio aut sudor , ut fatentur ipsi adversarii , proindeque non est in se peccatum nequidem materialiter sicut foret homicidium , aut adulterium in ebrietate perpetratum ; finis autem , propter quem de eo habetur gaudium , puta alleviatio naturae , aut tentationis cessatio , est bonus ; ergo ex nullo capite illicitum est de ea gaudere secundum rationem ; tale enim est gaudium , quale est objectum et motivum.

R. 2. Pollutionem naturalem et involuntariam affectu simplici , et inefficaci desiderare propter bonum finem , non videtur etiam peccatum. Sequitur ex praecedenti ; quia si licitum sit gaudere de facto , licitum est desiderare ut fiat, gaudium enim nascitur ex desiderio obtento, ipsumque supponit , unde sunt ejusdem moris. Confirmatur. Objectum talis desiderii non est , ut dixi , malum nequidem materialiter ; finis propter quem desideratur , est bonus ; ergo ex nullo capite est malum.

Quapropter cum dicitur pollutionem in se volitam et intentam esse semper peccatum mortale , intelligendum est de volitione efficaci , aut de pollutione in se et propter se , seu propter delectationem et non propter bonum finem volita. Argumenta contraria require in priori nostro opere. Caeterum quamvis haec speculative spectando videantur nobis probabiliora , in praxi tamen sufficiat menti castae de effectu pollutionis gaudere ea omissa.

Articulus XII.

De delectatione morosa in materia venerea

Quamvis delectatio morosa vagetur per omnia peccatorum genera , et de illa agat S. Doctor 1. 2. q. 74. quia tamen est frequentior in materia venerea ideo sit.

§. I. *Utrum delectatio morosa in materia venerea sit semper peccatum mortale?.*

Delectatio morosa idem est ac voluntaria ; non enim dicitur morosa a mora temporis, cum uno instanti possit perfici peccatum morosae delectationis per voluntatis consensum, sed dicitur morosa a mora rationis, quatenus ratio eam plene advertens vel ei consentit, vel non repellit prout potest et debet, sicque circa eam immoratur, eo sensu, quo quis officio suo non fungens dicitur esse in mora. Quaestio est igitur, utrum simplex delectatio voluntaria tam de apprehensione seu cognitione rei venereae, quam de ipsa re venerea apprehensa aut cognita, seclusa voluntate operis exequendi, sit peccatum mortale ? Voluntatem enim ipsius operis esse mortaliter malam nullus dubitat.

Dico 1. Delectatio voluntaria de cogitatione aut cognitione rei venereae non est de genere peccati mortalis, sed quandoque est peccatum veniale, quandoque nullum. Ratio est, quia delectatio de cogitatione seu cognitione, v. g. fornicationis, sequitur inclinationem affectus in cogitationem ipsam : atqui cogitatio seu cognitio ipsa fornicationis secundum se non est peccatum mortale, cum sit in Deo ; sed quandoque veniale tantum, puta cum aliquis inutiliter cogitat de fornicatione ; quandoque autem sine peccato, puta cum aliquis utiliter cogitat de ea, sicut cum vult de ea praedicare vel disputare : ergo.

Dico 2. Delectatio morosa sive consensus directus, et plene deliberatus in delectationem ipsius rei venereae realiter, aut per apprehensionem praesentis est semper peccatum mortale. Ratio est, quia qui delectatur voluntarie de re mortaliter mala, illam amat et illi voluntarie afficitur, nullus enim delectatur nisi de eo quod amat, aut est conforme ejus appetitui : atqui quod aliquis voluntarie afficiatur circa ea, quae secundum se sunt peccata mortalia, qualia sunt omnes actus venerei, est peccatum mortale : ergo.

Nota. quando vero dubitatur, an delectatio fuerit de cogitatione ipsa, vel de re cogitata : si cogitatio cum delectatione frequenter absque necessitate aut utilitate se ingerat, signum est delectationem esse de re cogitata, quia hujusmodi frequentia cogitationis absque necessitate vel utilitate videtur oriri ex prava inclinatione affectus ad res ipsas : si autem talis cogitatio non sit importuna, sed sequatur judicium et moderamen rationis, signum est, quod delectatio est tantum de ipsa cogitatione. Cave tamen, facilis est descensus in hac materia a delectatione cogitationis ad delectationem rei cogitatae, praesertim si sit inutilis et vana cogitatio, unde qui huic diu immoratur, periculo se exponit.

Dixi 1. *Consensus directus*, quia consensus in causam potest esse peccatum veniale tantum et quandoque nullum, ut satis fuse dixi de pollutione voluntaria indirecte. Vide ibi. Dixi 2. *Consensus plene deliberatus*, ad quem requiritur plena advertentia ; si enim sit semiplena, aut imperfectus consensus, erit peccatum veniale ; si nulla advertentia, non erit peccatum, etsi diuturnus sit motus : si autem adsit quidem plena advertentia, sed denegetur consensus, quin imo resistatur, non tantum non erit peccatum, sed meritum, etsi per horas perseveret tentatio.

Porro dato, quod in aliis peccatis externis non requiratur semper advertentia ad malitiam actus, hic tamen videtur omnino requiri, quia hi motus interni facillime, frequentissime, et quasi insensibiliter irrepunt, nec sui malitiam ita aperte ac prompte menti ingerunt, sicut actus externi ; unde si praesentias quidem et advertas te carnaliter delectari, sed non advertas delectationem esse inordinatam et malam, non erit peccatum saltem mortale. Ita S. Thom. 1. 2. q. 74. cit. a. 6. o. Ratio, inquit, *deficit in directione passionum . . . . quando non reprimit illicitum passionis motum : sicut cum aliquis postquam delibera-*

vit, quod motus passionis insurgens est inordinatus, nihilominus circa ipsum moratur, et ipsum, non expellit. Si tamen fuerit negligentia in advertendo, sicut et in praeveniendo istos motus, poterit esse peccatum pro qualitate negligentiae, plerumque veniale.

Quod si dubitatur, an fuerit consensus in delectationem, aut an fuerit plene deliberatus; hujus dubii practici et frequentissimi resolvendi causa, assignantur communiter a Theologis sequentes regulae. Prima: si dubitans sit timoratae conscientiae, aut si nunquam vel raro exteriori actu peccat in hac materia, praesumitur non consensisse, saltem plene; si enim sic consensisset, non dubitaret, sed talis cognosceret, cum sit timoratae conscientiae: adde in similibus delectationes communiter esse tantum in appetitu sensitivo. A contrario si dubitans sit liberioris conscientiae, aut actu exteriori non infrequenter labatur, praesumitur consensisse; si enim non consensisset, id certo cognosceret, nec dubitaret, cum sit liberioris conscientiae. 2. Si instantanee et obiter haeserit delectationi dubitans de consensu, potest praesumere non adfuisse saltem plenum, licet enim transitoria delectatio possit esse mortalis, hoc tamen verum est dumtaxat, dum constat de consensu, qui saepius non adest, dum quis instantaneae delectationi adhaeret, et statim repellit.

Dixi 5. *Rei*, et non modi tantum, quia delectari de modo subtili, novo, ingenioso, quo actio turpis est perpetrata, malum non est, cum iste modus non sit malus, et ab actione turpi disparatus, possitque licite reperiri et adhiberi in alia actione non turpi. Idem statuere possumus de delectatione rei, quae non est intrinsece mala, sed solum quia prohibita; quia in simplici delectatione seclusa voluntate operis potest res illa secundum se considerari abstracta a prohibitione, quae est ipsi accidentaria; secundum se autem non est mala, adeoque de illa sic delectari non est malum, sed tunc solum, si esset delectatio de illa, quia prohibita. Unde communiter docent Theologi Carthusianum non peccare saltem mortaliter, si delectetur de esu carnium cogitato.

§. II. *Utrum sit peccatum et quantum, si quis post plenam advertentiam rationis non reprimat naturales motus concupiscentiae, sed negative se habeat, neque consentiendo, neque dissentiendo?*

Circa hanc quaestionem est duplex sententia. Prima affirmat esse peccatum mortale se habere negative ad hos motus seu delectationes carnales post plenam advertentiam. Altera sententia negat esse peccatum mortale. Utramque sententiam ut probabilem speculative proposui in priori nostro opere: at quantum ad praxim dixi, et nunc

Dico. Se habere negative circa motus carnales naturaliter exortos, est regulariter peccatum mortale; si non praecise ratione istorum motuum, saltem ratione periculi consensus iis annexi, quia cum hi motus vehementer animum alliciant, et ea sit quasi naturalis conditio hominis, ut appetitu sensitivo delectante in aliquo simul etiam voluntas delectetur, nisi ipsa voluntas positive resistat, aut saltem actum displicentiae, seu, ut dicam, nolleitatis eliciat, imminet periculum illis consentiendi, et contrarium praetendere praesumptio est. Imo puto rarissimum in praxi, quod quis omnino se negative habeat, et quod non consentiat, qui non dissentit: quis enim credat motus illos voluntati illius non placere, qui, cum eos plene advertit, sinit absque rationabili causa eos partes suas agere, appetitum inferiorem delectabiliter commoveri, et phantasiam has obscoenitates volvere et revolvere?

Dixi: *Nisi saltem actum displicentiae, seu nolleitatis, aut improbationis eliciat*, quia sic se gerere non est negative se habere, et quamvis talis actus

non sit semper efficax ad reprimendos, et depellendos istos motus, est tamen efficax ad tollendum, seu impediendum consensum voluntatis, cui formaliter, et directe opponitur. Hic actus displicentiae potest brevissimo tempore elici, et longo virtualiter durare, sic ut non sit opus illum toties iterare.

Posito autem semel hoc actu displicentiae, quo periculum consensus abstergitur, si propter aliquam rationabilem causam aliquis non possit commode resistere positive his motibus, vel quia aliis rebus utiliter occupatur, puta studio, vel confessionibus audiendis, vel quia timet, ne ex nimio resistendi conatu magis inardescat concupiscentia, et motus exasperentur, secundum omnes non tenetur positive resistere. Quod si possit facile resistere, et eos motus extinguere, sed ex negligentia, otiositate, aut alio simili motivo non mortaliter malo omittat resistere, supposito semper actu displicentiae, peccare tantum venialiter mihi omnino probabile est; certum vero, si aliquam resistentiam adhibeat, etsi non omnem, quam potest et debet; neque necesse est, quod perseverante pertinaciter tentatione continuo contra nitatur, sed identidem et per intervalla. Quod si adhibito rationabili conatu nihil proficiat, potest negligere et contemnere secluso semper periculo consensus per actum displicentiae, quem convenit in diuturna pugna aliquoties renovari.

Optimus autem modus fugandi, atque vincendi hunc importunum hostem est divertere cogitationem ad alia objecta non mala, praesertim quae maxime afficiunt, et animum intentum requirunt: nec satis capio, quid intendat recentior Theologus, cum dicit, hoc remedium *Non sufficere, ut homo dicatur resistere.* Estne, quaeso, efficacius medium ad tollendum seu impediendum effectum, quam amovere ejus causam? causa autem in praesenti est cogitatio turpium; cum ergo tentatus cogitationem a turpibus amovet eo animo, ut tentatio cesset, optima resistentia est, nec meliorem scio.

§. III. *Utrum Delectatio morosa contrahat omnes malitias objecti, circa quod versatur?*

Certum est 1. quod delectatio morosa conjuncta voluntati, aut desiderio operis perficiendi contrahat omnes malitias sui objecti, ut siquis delectetur de copula cum conjugata consanguinea, eamque velit aut desideret, reus est non solum fornicationis, sed incestus et adulterii; ratio est, quia voluntas seu desiderium fertur in opus ut a parte rei exercendum, opus autem exercetur cum omnibus suis circumstantiis. Certum est 2. delectationem morosam etiam sine voluntate operis faciendi tot contrahere malitias, quot apprehendit in objecto, circa quod versatur: ut si sit de muliere ut consanguinea, et voto adstricta, contrahit malitiam incestus et sacrilegii; si sit de persona ejusdem sexus, malitiam sodomiae; si de bruto, malitiam bestialitatis, etc. quia actus humani, qualis est ipsa delectatio voluntaria, speciem habent ab objecto suo formali.

Difficultas est ergo hic, utrum delectatio morosa sine desiderio operis faciendi tot malitias contrahat, quot habet objectum, si ab illis praescindat, seu eas non apprehendat, quamvis aliunde noverit inesse: ut siquis delectetur de copula cum muliere, quam quidem novit conjugatam et consanguineam, non tamen quatenus est conjugata, aut consanguinea, sed praecise quatenus est mulier sibi conveniens, ut regulariter fit; difficultas est, inquam, utrum talis sit reus non solum fornicationis, aut mollitiei, sed etiam adulterii et incestus. Plures affirmant, plures negant, et utrimque probabiliter. Speculative, prout proposui in priori opere, sententia negans aliquo usque visa est nobis probabilior; ea potissimum ratione quod delectatio sequatur naturam sui objecti: objectum autem ejus in casu non est actus exterior in re ponendus cum omnibus suis cir-

cumstantiis, sed ut in imaginatione praecisus a suis circumstantiis, idque confirmatur exemplo Carthusiani, qui vi voti tenetur abstinere a carnibus, et tamen secundum omnes absque peccato saltem mortali delectatur de esu carnium secundum se: verum quantum ad praxim dixi pariter et iterum

Dico. Regulariter in praxi non esse recedendum a sententia affirmante: quia qui hujusmodi delectationibus dediti sunt, regulariter desiderant opus, a quo non abstinent, nisi vel defectu opportunitatis, vel metu infamiae, aut poenae temporalis, vel ex alio simili motivo humano. Hinc inferes regulariter interrogandos esse poenitentes de qualitatibus objecti venerei, circa quod morose delectati sint, nec sufficere, si simpliciter dicant se delectatos fuisse in materia venerea, aut circa aliquam mulierem, sed explicare debent, an mulier sit conjugata, aut consanguinea, aut monialis, etc.

§. IV. *Resolvuntur quaedam difficultates circa eamdem materiam.*

Petes 1. Utrum peccet sponsa vel vidua de copula carnali futura aut praeterita oblectans? R. Si sponsa de futuro delectetur secundum rationem, et non carnaliter de copula ut futura, et legitima, non peccat saltem mortaliter. Si vero delectetur carnaliter de copula futura quidem, sibi tamen per imaginationem praesente, peccat mortaliter. Idem dic de vidua respectu copulae praeteritae. Ratio est, quia in primo casu delectatio est de copula, quatenus erit, aut fuit licita. In secundo de copula ut praesenti, quae est illicita. Possunt ergo sponsus et sponsa gaudere, quod suo tempore exercebunt legitime actum conjugalem, sive illud gaudium sit propter sanitatem recuperandam, sive propter meliorem conditionem temporalem, sive etiam propter voluptatem intra fines matrimonii percipiendam. Similiter viduus et vidua, quod exercuerint, seclusa tamen pro tunc omni commotione voluntaria.

Petes 2. Quid censendum de delectatione morosa inter conjuges ab invicem absentes? R. Probabilius videtur delectationem veneream de copula in conjuge absente esse peccatum mortale. Ita Sylvester, Navarrus, et alii contra Cajetanum, Med., Less. et plures alios. Probatur Delectatio venerea ea est, quae habetur cum carnis commotione: atqui haec carnis commotio in conjuge absente non ordinatur ex natura sua ad copulam, sed ad pollutionem, eo quod, ut dicam infra de tactibus, nihil censeatur conjugale et ordinatum ad copulam, nisi fiat inter conjuges; unde sicut tactus aut aspectus impudici solitarii in conjuge absente sunt peccata mortalia, idem prorsus videtur dicendum de illa commotione delectante.

Dices. Delectatio de copula etiam in conjuge absente est de actu et objecto licito: ergo est licita. R. D. ant. Est de actu licito cum commotione illicita. Transeat, cum commotione licita, N. Si ergo non ratione delectationis praecise non sit illicitum in casu posito delectari, saltem ratione commotionis annexae tendentis ex se ad pollutionem, et non ad copulam in conjuge absente.

Petes 3. Utrum qui vellet fornicari, aut morose delectari, tangi, vel tangere impudice, si liceret, sit reus lethalis luxuriae? R. negative: quia ut suppono, non vult actu fornicari, neque actu delectatur, sed vellet tantum, delectaretur tantum, si liceret. Hoc autem nihil aliud exprimit, quam cogitationem de voluntate seu delectatione, non quae sit, sed quae esset de fornicatione, si purificaretur a sua malitia, a qua cum non possit purificari, ideo non vult de facto, neque de facto delectatur de ea: cum autem talis voluntas in hac hypothesi non foret mala, cogitatio de illa non est etiam mala, nec proinde malus est voluntatis consensus in illam cogitationem. At si sic cogitando aut loquendo actu velit fornicari, aut actu delectetur de fornicatione, certum est, quod peccet mortaliter, quia obje-

ctum talis volitionis aut delectationis actualis est fornicatio intrinsecè mala non obstante posita conditione, quae nihil de facto mutat in re.

Idem cense, si sic cogitando aut loquendo cupiat de facto fornicationem esse licitam, quia hoc est velle inversionem ordinis et legis naturalis, quod est quid gravius, quam velle de facto fornicari, sicut est gravius velle Regem a suo principatu dejicere, quam ejus praeceptum transgredi. Idem dic de omnibus, quae sunt intrinsece mala. At si agatur de re mala, quia prohibita, contrarium est dicendum: ut siquis v. g. cupiat non esse prohibitum matrimonium in tertio et quarto gradu consanguinitatis, ut possit nubere consanguineae: non enim videtur grave malum velle affectu inefficaci non esse talem legem, sicut nemo damnat peccati mortalis eum, qui fame urgente cupit non esse tali die jejunium.

Ex dictis inferes 1. eum, qui dicit, si non essem Religiosus, inirem matrimonium; si haec mulier non esset conjugata, vellem eam habere uxorem, seclusa actuali delectatione, non peccare mortaliter, quia istae conditiones abstergunt malitiam objecti sub his conditionate voliti. Imo nec peccaret mortaliter, qui actu vellet non esse Religiosum, aut talem mulierem non esse conjugatam, quia non est juris naturae, quod sit Religiosus, neque quod mulier sit conjugata. Dicam tamen cum Cajetano V. *Peccatum*, similia desideria *fatuas esse ac diabolicas tentationes*, et peccata saltem venialia, sive propter otiositatem et vanitatem, sive propter periculum actualis delectationis venereae.

Inferes 2. e contra eum, qui dicit: Fornicarer, si non essem Religiosus, si non timerem infamiam, si non esset infernus; peccare mortaliter, si haec efferat optative, et revera sit talis ejus praesens voluntas fornicandi posita ista conditione, quia quamvis poneretur, non abstergeret malitiam fornicationis. Secus si sic loquatur enuntiative ita, quod significet non actualem voluntatem, sed tantum propensionem naturalem voluntatis ad fornicandum: nisi obstaret talis conditio: quasi diceret: talis est fragilitas mea, ut si me non deterreret sublimitas status mei, tentationi succumberem: tunc non est peccatum, sed propriae infirmitatis confessio.

Quae hucusque diximus de delectatione morosa et desideriis conditionatis in materia luxuriae, pariter militant pro omnibus aliis peccatorum materiis, nisi quod sit majus periculum et frequentior lapsus in materia venerea quam in aliis.

Articulus XIII.

De Impudicitia Tactus, Osculi, Amplexus, Aspectus, Turpiloquii, etc.

Nota 1. oscula, tactus, aspectus, etc. posse considerari tripliciter. 1. Per se et secundum speciem. 3. Ratione causae motivae seu finis extrinseci, qui dicitur etiam operantis. 3. Ratione affectus, seu finis intrinseci, qui dicitur etiam finis operis. Finis autem extrinsecus seu operantis potest esse vel honestus et licitus, ut urbanitas, et amicitia, etc. vel venialiter malus, ut curiositas, vel mortaliter malus, ut delectatio. Attamen

Nota 2. non omnem delectationem esse mortaliter malam: potest enim hic distingui triplex delectatio. Una honesta et amicabilis, quae exurgit v. g. ex occursu seu praesentia amici et testificatione ejus aut nostrae amicitiae. Altera sensualis seu organica, quae oritur ex conformitate sensus ad sensibile, v. gr. visus ad visibile, tactus ad tangibile, auditus ad audibile, etc. Tertia venerea, quae est cum commotione carnis circa genitalia et spirituum generationi deservientium, ut supra diximus. Tandem oscula, tactus, aspectus ex parte objecti alia dicuntur honesta, quae fiunt in partibus corporis honestis; alia inhonesta, quae fiunt in pudendis aut vicinis partibus.

Dico 1. Oscula, amplexus, tactus, aspectus, etc. quaecumque etiam in partibus inhonestis facta, per se et secundum suam speciem non sunt peccata; quia quod est secundum se peccatum, nunquam potest esse licitum, haec autem possunt licite fieri, ut omnes concedunt, et dicam modo : ergo. Ita communiter cum Auctore.

Dico 2. Oscula, amplexus, tactus, aspectus, etc. quantumvis levia, et in partibus honestis, si fiant ex, seu cum affectu delectationis venereae, sunt peccata mortalia. Ita communiter cum Auctore. Ratio est, quia ut dictum est supra de delectatione morosa, non solum consensus in actum mortalem, sed in delectationem actus mortalis est peccatum mortale : atqui hic habetur consensus in delectationem actus mortalis : ergo. Probatur minor : vel illa delectatio, cum qua, aut propter quam fiunt hi actus, est de ipsa copula aut pollutione repraesentata, et sic certo est delectatio peccati mortalis : vel est de ipsa commotione venerea, quae ex illis actibus oritur, et sic est etiam delectatio peccati mortalis, quia haec commotio est ejusdem rationis et moris cum ea, quae est in copula vel pollutione, ad quam per se tendit contra ordinem naturae, cum a natura sit ordinata ad solam generationem in actu conjugali : ergo. Nec obstat, quod forte commotio sit levis, quia, ut dixi supra, non datur levitas materiae in re venerea directe in se volita.

Hinc inferes eos graviter hallucinari, qui cum praefatos actus leves exercent sub praetextu urbanitatis aut amicitiae, putant se a peccato immunes, si delectationi carnali inde exurgenti afficiuntur. Peccat certo mortaliter, si non ratione istorum actuum praecise, saltem propter consensum in delectationem veneream ipsos comitantem. His duabus conclusionibus generalibus praemissis tamquam praeambulis, ad particularia descendo. Unde

Dico 3. Oscula, amplexus, tactus, aspectus in partibus honestis facta causa urbanitatis, amicitiae, pacis, reconciliationis, et similibus, secluso consensu in delectationem, si inde exurgat, aut consensus periculo, sunt licita. Ita communiter cum Auctore. Patet non solum ex usu generis humani et moribus primorum Christianorum, qui solebant etsi diversi sexus se osculo salutare juxta illud 1. ad Thessal. 5. *Salutate fratres in osculo sancto,* sed etiam ratione: quia tales actus non sunt ex se turpes, turpitudo nulla intenditur aut admittitur ut suppono, finis insuper est honestus et legitimus, scilicet testificatio unionis animorum, amicitiae, benevolentiae, etc. Ergo.

Unde etiam est licita delectatio honesta et amicabilis ex his amicitiae signis proveniens; sicut enim licitum est delectari de amicitia, benevolentia, pace, ita et de ejus signo, testificatione, et usu : quia ubi actio aliqua est licita, licita est etiam delectatio ipsi annexa. Ita Sylvius hic, Loth, et alii. In his tamen servanda est decentia status : non autem decet ecclesiasticos maxime religiosos his signis testari suam amicitiam erga personas alterius sexus.

Dico 4. Praefata oscula, tactus, aspectus, etc. in partibus honestis ob solam delectationem sensualem seu organicam facta, non sunt peccata saltem mortalia, sunt tamen periculosa. Probatur. Ea sola oscula, tactus, aspectus sunt libidinosa et consequenter peccata mortalia, quae fiunt propter delectationem peccati mortalis : atqui ea, de quibus agitur, non fiunt propter delectationem peccati mortalis; ergo. Major communiter admittitur cum Auctore, et ratio evincit: consensus enim in delectationem sequitur naturam delectationis, et ideo si delectatio non sit de peccato mortali, nec erit mortalis consensus in illam. Minor etiam patet : non enim hic agitur de delectatione sive fornicationis sive commotionis carnalis, sive aliorum actuum venereorum, sed solum de delectatione orta ex convenientia sensus ad suum objectum, ut auditus ad vocem sonoram, visus ad pulchram imaginem, tactus ad rem mollem, teneram, etc. quam natura ope-

rationibus sensuum annexuit, et quam nemo unquam dixit esse secundum se mortaliter malam, quin nec venialiter, sed indifferentem; quam si quis referat ad bonum finem, erit bona; si propter se quaeratur, erit venialiter mala; quia operatio non est a natura instituta propter delectationem, sed delectatio propter operationem, ut alibi jam dixi: ergo.

Dixi, *Tamen periculosa*: quia facile confunditur delectatio sensualis cum venerea, et facilis est ab illa ad istam progressus propter sympathiam et affinitatem utriusque: quapropter si tactus et oscula praesertim ob delectationem sensualem morose fiant, aut pluries eodem momento repetantur, non facile excusarem a mortali, quia sic facta videntur non leviter influere in commotionem et delectationem vicinam, nempe veneream.

Dico 5. Praefata oscula, amplexus, tactus, aspectus in partibus honestis facta ex levitate, joco, curiositate, et alia simili causa, non excedunt peccatum veniale. Ratio est, quia hujusmodi actus non sunt secundum se mali: alias, ut dictum est, nunquam licerent, sed sunt mali tantum ex causa: ergo non sunt mali plus quam causa: atqui causa vel levitatis, vel joci, vel curiositatis, aut similis non est mortaliter mala: ergo.

Dico 6. Oscula et tactus alieni corporis diversi sexus in partibus genitalibus aut vicinis, sive immediate, sive mediante solo indusio facta, etiamsi ex levitate, joco, curiositate, aut simili causa, seclusa urgente necessitate sunt regulariter peccata mortalia. Idem dic de tactibus immediatis ejusdem sexus, et de aspectibus etiam immediatis diversi sexus, quia haec omnia graviter influunt in copulam aut pollutionem, seu saltem in gravem commotionem carnalem.

Dixi 1. *Regulariter*, quia sunt quidam casus, qui possunt excusari a peccato mortali: sic a pluribus excusantur impuberes ejusdem sexus se impudice tangentes ex levitate aut joco, quia tales actus inter hujusmodi ut plurimum adhuc veneris inexpertes non videntur multum influere in commotionem carnis. Idem propter eamdem rationem dic de ancillis aut nutricibus, quae infantes lavando, exuendo, induendo, et alias, eorum pudenda ex levitate aut curiositate tangunt. Dixi 2. *Alieni corporis*, quia tactus et a fortiori aspectus proprii corporis, aut etiam aspectus alieni ejusdem sexus non ita movent ad libidinem.

Dixi 3. *Seclusa urgente necessitate*, ut est necessitas medendi in partibus secretioribus, aut inserviendi aegrotis, vel in balneis (quamvis longe satius foret ad haec ultima officia assumere personas ejusdem sexus); quia hi tactus aut aspectus apprehensi ut media sanitatis aut necessitatis non ita phantasiam et carnem commovent; quod si ex alia subrepente apprehensione delectabili graviter commoveant, hoc est per accidens ex miseria naturae et praeter intentionem agentis, cui, cum habeat justam causam illos actus ponendi, non imputatur effectus secutus. Insuper dato etiam, quod hi actus per se influant in commotionem, habent nihilominus alium effectum bonum aeque immediatum, qui potest intendi, malo permisso, ut dixi art. 11. de pollutione: vide. Intellige semper, modo absit periculum consensus in ipsam delectationem veneream inde ortam.

Petes 1. Quid dicendum de tangente genitalia pecorum? R. eos, qui citra necessitatem tangunt genitalia pecorum grandiorum, licet ex joco, levitate, aut curiositate etiam absque affectu libidinoso, committere peccatum mortale, quod spectat ad bestialitatem, quia tales actus notabiliter commovent venerem. Dixi *citra necessitatem*, quia si necessitas adsit, puta ad medendum, aut ad eos copulandos, secluso affectu libidinoso, culpa vacat. Dixi etiam *pecorum grandiorum*, quia minorum animalium, ut catulorum, felium, etc. genitalia tangere ex levitate, joco, curiositate, non videtur graviter commotivum naturae, ideoque non esse mortale.

Petes 2. Quid de aspiciente imagines seu statuas exhibentes personas in par-

tibus pudendis nudas? R. Aspicere obiter ex levitate aut curiositate imagines vel statuas exhibentes personas grandiores in partibus pudendis nudas non excedere probabilius peccatum veniale; quia artificialia minus movent quam naturalia. Dixi, *Exhibentes personas grandiores*, quia de infantibus videtur certum: sicut enim aspectus infantis nudi nihil aut parum movet, a fortiori aspectus ejus figurae; et sic absque scrupulo passim exponuntur etiam in templis. Conficientes autem has statuas seu imagines obscoenas personarum grandiorum, item eas exponentes aspectui peccant mortaliter propter scandalum.

Petes 3. Quid de assistentibus comoediis? R. Adesse ex levitate vel curiositate comoediis exhibentibus turpia gestibus aut factis, probabilius est peccatum mortale, quia id videtur grave veneris incentivum. Certo autem peccant mortaliter, qui eas exhibent, aut qui eas permittunt, dum possunt et debent impedire; quales sunt Principes, Magistratus, etc.

Quantum ad Turpiloquia.

Dico, turpia loqui, audire, scribere, legere, canere ex, seu cum affectu libidinoso, aut ad eum in audientibus et legentibus excitandum, esse mortale peccatum. Ex necessitate aut utilitate, puta ob doctrinam, ob veritatem historiae, superiorum informationem, morum correctionem et similes justas causas nullum est peccatum. Ex curiositate, vanitate, levitate, recreationis propriae vel alienae causa, secluso, ut ante, scandalo aut periculo consensus in venerem, peccatum veniale. Ratio est, quia verba aut scripturae praesertim sic accepta longe minus movent ad libidinem, quam tactus aut aspectus. Hinc intellige etiam litteras amatorias. Ratione autem scandali lethalis peccati rei sunt, qui componunt, scribunt, vendunt comoedias lascivas, narrationes amatorias, vulgo *Romans*, et similia scripta turpia, ex quorum lectione tot in dies animae pereunt.

Articulus XIV.

De Impudicitia inter Conjuges.

Varie possunt peccare conjuges circa finem et usum actus conjugalis; de quo in tractatu de Matrimonio. Hic quaero breviter de eorum impudicitia in tactibus, aspectibus, etc. Unde

Dico 1. Quaecumque oscula, tactus, amplexus, aspectus, turpiloquia libidinosa inter conjuges praesentes citra periculum pollutionis, et intra terminos honestatis naturalis sunt licita, si fiant in ordine, et ex intentione copulae; sunt autem peccata dumtaxat venialia, si in eis sistatur, nec ordinentur ad copulam. Patet prima pars; quia quibus est licitum principale, licitum est accessorium et medium ordinatum ad illud: atqui oscula, tactus, aspectus, etc. sunt accessoria ad copulam et media ordinata ad illam, et haec est licita conjugibus: ergo. Quidam etiam non improbabiliter excusant ab omni culpa, si fiant ad fovendum mutuum amorem, qui est matrimonio valde necessarius.

Secunda pars, quod sint peccata, si sola libidine sine ordine ad copulam fiant; quia tunc frustrantur ab agente suo fine naturali et debito.

Tertia pars, quod sint tantum peccata venialia, est communis contra paucos et probatur 1. Illa voluptas venerea non quaeritur extra matrimonium, sed in actu suapte natura ordinato ad copulam licitam, adeoque nihil ipsi deest, ut sit bonus, nisi circumstantia finis debiti ex parte operantis; atqui ex tali defectu non efficitur culpa plusquam venialis: ergo. Probatur minor: ex communi regula morali excessus seu inordinatus usus rei alias licitae non est nisi venia-

lis culpa, ut patet in ipso actu conjugali, qui cum debeat exerceri propter generationem, exercetur propter voluptatem. Pr. 2. Matrimonium facit, ut copula habita propter solam voluptatem sit tantum venialis: ergo pariter facit, ut quae natura sua ordinantur ad copulam, non sint pejora.

Dices. Ultra copulam non plus licet conjugatis, quam solutis, cum finis matrimonii sit generatio, ad quam sola copula conducit. R. D. antecedens: ultra copulam solitarie sumptam, N. ultra copulam et ea, quae ad ipsam de se ordinantur et disponunt, ut sunt praefata, C. Cui enim licet principale, ut dixi, licet accessorium.

Repones. Supponitur in conclusione ea fieri sine ordine ad copulam: ergo. R. D. ant. sine ordine ex parte operantis, C. sine ordine ex parte operis. N. Illa enim per se independenter ab operante dicunt hunc ordinem.

Dixi 1. Intra terminos honestatis naturalis: quia tota illa indulgentia non est data conjugibus, nisi quatenus praedicta secundum naturam et rectam rationem ordinantur ad naturalem et humanum concubitum, unde magis vel minus peccant, quo magis vel minus hos limites transgrediuntur. Tunc autem solum censentur conjuges graviter transgredi hos limites, quando attentant aut admittunt aliquid quod multi vocant sodomiticum, hoc est circa vas innaturale, vel agunt cum periculo pollutionis. Extra hos duos casus quantumvis actus sint turpes, non videntur excedere peccatum veniale.

Idemque videtur dicendum, quamvis copula foret conjugibus impedita ab extrinseco, scilicet propter impotentiam supervenientem matrimonio, aut propter periculum abortus in uxore partui vicina, aut propter Ecclesiae prohibitionem, v. g. in marito, qui cognovit sororem uxoris suae; quia in duobus prioribus casibus praefati actus etiam tunc ordinantur ex natura sua ad copulam per se licitam, et tantum illicitam per accidens, a qua circumstantia extrinseca non vitiantur, dum ad copulam illicitam nec ex natura rei, nec ex intentione conjugum, ut suppono, ordinantur: in tertio autem casu, cum talis Ecclesiae lex sit poenalis prohibens tantum copulam, non debet extendi ultra copulam, sed potius restringi. Dixi 2. Inter conjuges: unde

Dico 2. Tactus et aspectus libidinosi proprii corporis in uno conjuge, saltem altera parte absente, sunt peccata mortalia. Est communis contra paucos. Probatur. Actus illi in homine solitario per se et ex natura sua ordinantur ad pollutionem et non ad copulam, quia nihil censetur ordinari ad copulam, nisi inter conjuges fiat: ergo. Confirmatur. Conjux non habet potestatem in corpus proprium ad usum venereorum, nisi per accidens, scilicet ut hic et nunc possit copulari cum conjuge: ergo extra casum et finem copulandi cum conjuge, tales actus sunt illiciti.

Dixi, *saltem altera parte absente*: quia quidam volunt, quod etiam praesente comparte tales actus aut aspectus solitarii in uno conjuge sint mortales. Sed distinguendum puto: vel conjux habet animum copulandi saltem casu, quo sit excitatus, vel non habet. Si primum, non videntur mortales, quia tunc propter circumstantias et contiguitatem videntur inchoative et in potentia proxima conjugales et ad copulam referri, quae enim fiunt ex incontinenti, moraliter simul fieri censentur. Si secundum non videntur actus conjugales, sed actus solitarii unius hominis per se ordinati ad pollutionem, adeoque peccata mortalia.

De delectatione morosa in conjugibus absentibus dixi articulo praecedente.

FINIS SECUNDAE SECUNDAE PARTIS.

INDEX

DISSERTATIONUM, ARTICULORUM, PARAGRAPHORUM, PETITIONUM CONSECTARIORUM, ETC. QUAE IN HAC SECUNDA SECUNDAE PARTIS CONTINENTUR.

TRACTATUS DE FIDE

DISSERTATIO I. *De objecto fidei* 765
Art. I. Quodnam sit objectum fidei? *ibid.*
Art. II. In quod fit ultima resolutio fidei nostrae? 797
Petes utrum revelationes privatae pertineant ad fidem? . . . 800
Art. III. Utrum fidei possit subesse falsum? 801
Art. IV. De obscuritate in objecto fidei et evidentia in attestante . 802
Petes 1. Utrum objectum fidei sit necessario obscurum et inevidens? *ibid.*
Petes 2. Quomodo obscuritas se habeat ad objectum fidei? . . *ibid.*
Petes 3. Utrum saltem evidentia in attestante sit compossibilis cum fide.? 803
Art. V. Utrum mysteria fidei sint evidenter credibilia? . . . *ibid.*
Petes 1. Quo lumine habeatur cognitio credibilitatis, an supernaturali, an naturali? 805
Petes 2. Utrum, ut aliquis credat, debeat esse necessario ipsi evidens mysteria fidei esse credibilia? *ibid.*
DISSERTATIO II. *De motivis credibilitatis Religionis Christianae adversus Incredulos, vulgo Deistas.* 806
Art. I. Vaticinia Prophetarum de Religione Christiana et ejus Auctore. *ibid.*
Art. II. Miracula Christi et Apostolorum, item promissiones Christi adimpletae in confirmationem Religionis Christianae 811
§ I. Quaedam quaestiones circa miracula breviter resolvuntur . . . *ibid.*
Petes 1. Quid sit miraculum? . . *ibid.*
Petes 2. Utrum omnia, quae videntur, aut dicuntur miracula, sint vere, et proprie dicta miracula? *ibid.*
Petes 3. Quomodo dignosci potest aliquod miraculum esse factum virtute divina et non virtute naturae nobis ignota, ideoque esse verum miraculum? 812
Petes 4. Unde dignosci possit factum miraculosum, quod narratur, non esse suppositum et fabulosum? *ibid.*
§ II. Facta sunt vera miracula in confirmationem Religionis Christianae. 813
Primum. Libri novi Testamenti non sunt supposititi . . . . *ibid.*
Secundum. Facta, quae narrant sunt vera . . . . . *ibid.*
Tertium. Ista facta sunt vera miracula 814
§ III. Prophetiae et promissiones. Christi adimpletae 817
Art. III. Modus mirabilis et plane divinus, quo Christiana Religio fuit fundata et propagata . . . 818
Art. IV. De articulis, et symbolis fidei 820

Petes 1. Utrum articuli fidei secundum successionem temporis creverint? *ibid.*
Petes 2. Quot sint symbola in Ecclesia? 821
Petes 3. An Symbolum Apostolorum sit ab Apostolis editum? . . *ibid.*
Petes 4. An Symbolum, quod dicitur S. Athanasii, sit genuinum ejus opus? 822
DISSERTATIO III. *De actu interno et externo fidei* . . . *ibid.*
Art. I. Utrum sit de necessitate salutis credere aliquid supra rationem naturalem, et quid? . . *ibid.*
Art. II. Caeterae difficultates circa actum fidei internum expenduntur 825
Petes 1. Quae sint credenda necessitate praecepti? . . . *ibid.*
Petes 2. Quandonam obliget praeceptum fidei? . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum ad assensum fidei requiratur motio voluntatis? . . 826
Art. III. De actu fidei externo . . *ibid.*
Petes quandonam in praxi quis censeatur facto simulare aut profiteri exterius falsam religionem? *ibid.*
DISSERTATIO IV. *De habitu et subjecto fidei* 829
Art I. De habitu fidei . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum fides recte definiatur ab Apostolo Heb. 11. *Sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium*? . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum fides sit certior omnibus cognitionibus naturalibus? *ibid.*
Petes 3. Utrum fides sit discursiva? 830
Art. II. De habentibus fidem . . *ibid.*
Petes. Quot sint effectus fidei? . 832
Art. III. De intollerantia verae Religionis. . . . . *ibid.*
DISSERTATIO V. *De vitiis fidei oppositis* 834
Art. I. De infidelitate in communi · *ibid.*
Petes 1. Utrum infidelitas sit peccatum? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum omnia infideljum opera sint peccata? 835
Petes 3. Quot sint species infidelitatis? *ibid.*
Petes 4. Quae species infidelitatis sit gravius peccatum? . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum sit licitum disputare de fide cum infidelibus? . . 836
Petes 6. Utrum infideles cogendi sint ad fidem? 837
Petes 7. Utrum ritus infidelium sint tollerandi? . . . . *ibid.*
Art. II. De Haeresi 838
§ I. Quid, et quotuplex sit haeresis? *ibid.*
Petes 1. Utrum negans conclusionem theologicam sit haereticus? . 839
Petes 2. Utrum dubius in fide sit haereticus? . . . . . *ibid.*
§ II. De poenis haereticorum . . 840
Petes. Quis possit absolvere ab haeresi? 842
§ III. De libris haereticorum, et aliis prohibitis. . . . . *ibid.*
Petes. Quinam concedere debeat facultatem legendi libros prohibitos? 845
§ IV. Utrum Haeretici sint denunciandi? *ibid.*
Petes 1. An denunciationi saltem praemittenda sit monitio privata? . 849
Petes 2. An ab obligatione denunciandi aliqua exceptio admittenda sit? 850
Petes 3. An cesset dicta obligatio si haereticus sit mortuus? . . 851
Petes 4. An saltem liberet ab obligatione denunciandi periculum gravis damni in vita, bonis, et honore? . . . . . *ibid.*
Art. III. De Apostasia . . . *ibid.*
Art. IV. De Blasphemia . . . 852
Petes, cui virtuti opponatur blasphemia? 854

TRACTATUS DE SPE

DISSERTATIO UNICA . . . 855
Art. I. De spe secundum se, et de ejus objecto? . . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum spes christiana informis sit virtus? . . . *ibid.*
Petes 2. Quodnam sit objectum *formale quod* spei? . . . *ibid.*
Petes 3. Quodnam sit objectum *formale quo* spei? . . . 856
Petes 4. Utrum sperare alteri salutem sit actus spei? . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum liceat sperare in homine? *ibid.*
Art. II. In quibus sit spes? . . 857
Petes 1. Utrum spes viatorum habeat consuetudinem? . . . *ibid.*
Petes 2. Quae sint vitia opposita spei theologicae? 858
Petes 3. Utrum homo, cui facta esset revelatio suae damnationis, posset adhuc, et deberet sperare? *ibid.*
Petes 4. Utrum peccare sub spe veniae augeat peccatum, vel minuat? 859

TRACTATUS DE CHARITATE

DISSERTATIO I. *De Charitate secundum se* 860
Art. Unicus Complectens omnia, quae spectant charitatem secundum se. *ibid.*
Petes 1. Utrum charitas sit proprie dicta amicitia cum Deo? . *ibid.*
Petes 2. Quodnam sit objectum charitatis? 861
Petes 3. Utrum eadem specie charitatis diligatur Deus, et proximus? *ibid.*
Petes 4. Quomodo charitas se habeat ad alias virtutes? . . 862
DISSERTATIO II. *De subjecto, causa, augmento, et amissione charitatis* 863
Art. Unicus . . . . . *ibid.*
Petes 1. Quodnam sit subjectum charitatis? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quae sit causa efficiens charitatis? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum charitas possit augeri? *ibid.*
Petes 4. Quomodo charitas augeatur? *ibid.*
Petes 5. Utrum charitas in hac via possit esse perfecta? . . 864
Petes 6. Utrum quolibet actu charitatis etiam remisso augeatur charitas? . . . . . *ibid.*
Petes 7. Quandonam conferatur augmentum gratiae, et charitatis actibus remissis debitum? . *ibid.*
Petes 8. Utrum charitas possit amitti? 866
Petes 9. Utrum per unum peccatum mortale amittatur charitas? . 867
DISSERTATIO III. *De charitate erga proximum* . . . . . *ibid.*
Art. I. Utrum homo debeat ex charitate diligere seipsum, corpus suum, et peccatores? 868
Art. II. Utrum inimici sint ex charitate diligendi, eisque exhibenda signa, et opera charitatis? . *ibid.*
Petes, utrum offensus teneatur omnia condonare, seu remittere inimico reconciliationem petenti? . 870
DISSERTATIO IV. *De ordine, et praecipuo actu charitatis, qui est dilectio* 871
Art. I. Utrum Deus sit magis diligendus ex charitate, quam proximus? . . . . . *ibid.*
Art. II. Utrum homo debeat ex charitate magis se diligere, quam proximum? 872
Petes, Utrum homo possit exponere propriam vitam corporalem pro vita corporali proximi? . . 874
Art. III. Quis sit ordo servandus in dilectione proximorum? . . . *ibid.*
Art. IV. An, et quo sensu liceat diligere Deum, et illi servire propter retributionem? . . . 876
Art. V. De praecepto charitatis . . 877
Petes 1. Utrum detur speciale praeceptum diligendi Deum actu interno? *ibid.*
Petes 2. Quandonam obliget praeceptum charitatis? . . . 878
DISSERTATIO V. *De Eleemosyna*, *ibid.*
Art. I. Utrum dare eleemosynam sit in praecepto, et quando? . . 879
Art. II. Variae quaestiones circa eleemosynam breviter resolvuntur . 882
Petes 1. Utrum quis satisfaciat praecepto eleemosynae, pauperi mutuando, commodando, vel vendendo credito? . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum possit fieri eleemosyna de illicite acquisitis? . . 883
Petes 3. Quis possit facere eleemosynam . . . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum Clerici strictius, quam laici teneantur ad eleemosynam? *ibid.*
Petes 5. Utrum fictus pauper peccet, petendo, et accipiendo eleemosynas, teneaturque illas restituere? *ibid.*
Petes 6. Utrum qui praeficitur distributioni eleemosynarum, possit sibi retinere partem, si sit vere pauper? . . . . *ibid.*
Petes 7. Utrum Magistratus possint impedire, ne in suis locis pauperes extranei mendicent? . 884
Petes 8. Utrum sit facienda eleemosyna voluntarie pauperibus, qui, si vellent, non egerent? . . *ibid.*
DISSERTATIO VI. *De correptione fraterna* . . . . . *ibid.*
Art. I. Utrum correptio fraterna sit in praecepto, et quae conditiones requirantur ut obliget? . . *ibid.*
Materia sufficiens 885
Notitia peccati . . . . . *ibid.*
Spes emendationis . . . . *ibid.*

Necessitas correptionis . . . 886
Petes 1. Utrum praeceptum correptionis fraternae obliget cum damno corripientis? . . . . *ibid.*
Petes 2. Quinam teneantur ex praecepto facere correptionem fraternam? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum peccator teneatur se emendare, ut alium corripiat? . 887
Art. II. De ordine correptionis fraternae . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO VII. *De vitiis charitati oppositis* 889
Art. I. De odio Dei, et proximi, de Acedia, Invidia, Discordia, Contentione, et Schismate . . . *ibid.*
Odium Dei . . . . . *ibid.*
Odium proximi. 890
Acedia . . . . . *ibid.*
Invidia . . . . . *ibid.*
Discordia 891
Contentio . . . . . *ibid.*
Schisma . . . . . *ibid.*
Art. II. De bello . . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum bellum sit licitum? . 892
Petes 2. Utrum in dubio de justitia belli sit licitum bellare? . . . 893
Petes 3. Utrum possit dari bellum justum ex utraque parte? . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum in bello justo liceat occidere innocentem? . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum bona in bello capta fiant occupantis? 894
Petes 6. Quae sint obligationes, et peccata bellantium? . . . *ibid.*
Petes 7. Utrum Clericis sit licitum bellare? 895
Petes 8. Utrum liceat uti insidiis in bello? . . . . . *ibid.*
Petes 9. Utrum pacta pacis inita metu belli injusti sint servanda? . . *ibid.*
Petes 10. Utrum repraesaliae sint licitae? . . . . . *ibid.*
Art. III. De duello 896
Petes 1. Quid sit duellum? . . *ibid.*
Petes 2. Utrum duellum sit licitum? . 897
Petes 3. Quae sint poenae duellantium? 898
Petes 4. Quis possit absolvere a duello? *ibid.*
Art. IV. De Scandalo. 899
Petes 1. Quid sit scandalum? . . *ibid.*
Petes 2. Quotuplex sit scandalum? *ibid.*
Petes 3. Utrum scandalum activum sit peccatum? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum scandalum activum sit speciale peccatum? 900
Petes 5. Utrum bona tam spiritualia, quam temporalia sint dimittenda pro vitando scandalo passivo? *ibid.*
Petes 6. An sit semper peccatum scandali petere ab aliquo id, quod non est facturus sine peccato? . 901

TRACTATUS DE PRUDENTIA

DISSERTATIO UNICA 902
Art. I. Quid sit prudentia, qui sint ejus actus, et ejus partes? . *ibid.*
Petes 1. Utrum prudentia sit in solis justis, an etiam in peccatoribus? 903
Petes 2. Quae, et quot sint partes prudentiae? . . . . . *ibid.*
Art. II. De vitiis oppositis prudentiae? 904
Petes, Quae, et quot sint vitia opposita prudentiae, ... *ibid.*

TRACTATUS DE JURE, ET JUSTITIA

DISSERTATIO I. *De, jure et Dominio* 906
Art. I. Quid, et quotuplex sit jus? *ibid.*
Petes, utrum *jus gentium* sit idem cum jure naturali? 907
Art. II. Quid et quotuplex sit dominium? Quid usus fructus, et usus? *ibid.*
Art. III. Utrum usus in rebus unico actu consumptibilibus distinguatur a dominio? 908
Art. IV. De possessione 909
Petes 1. Quid sit possessio? . . . *ibid.*
Petes 2. Quotuplex sit possessio? . 910
Petes 3. Utrum amissa possessione, semper amittatur dominium? . *ibid.*
Petes 4. Quae sint privilegia possessionis? . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO II. *De subjecto, et objecto Dominii* 911
Art. I. De subjecto, et objecto dominii in genere . . . . . *ibid.*
Art. II. De dominio uxorum, et filio-

rum familias 912
§ I. De dominio uxorum . . . *ibid.*
§ II. De dominio filiorum familias . 913
Petes 1. Cujus generis sint lucra, quae filius familias facit in domo paterna? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quot modis filius liberetur a patria potestate? 914
Art. III. De dominio Clericorum . *ibid.*
Petes 1. An Clerici divites gaudere possint ecclesiasticis beneficiis? . 918
Petes 2. Quae censeatur congrua Clerici sustentatio? . . . . . *ibid.*
Petes 3. An in solo casu paupertatis liceat Clericis subvenire Consanguineis ex bonis Ecclesiasticis? . 919
Art. IV. De dominio temporali Romani Pontificis . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO III. *De modis acquirendi dominium* 921
Art. I. De modis acquirendi dominia rerum, quae nullius sunt . *ibid.*
§ I. De occupatione animalium. . *ibid.*
§ II. Utrum, et quomodo peccet, qui contra justam prohibitionem venatur aut piscatur, et an teneatur ad restitutionem? . . . 922
§ III. De lignatione, et pastione . 923
§ IV. De Thesauris . . . . . *ibid.*
§ V. De rebus derelictis, amissis, et vacantibus 924
§ VI. De acquisitione dominii per alluvionem, accessionem, confusionem, et commixtionem . . . 925
Art. II. De modo acquirendi dominia rerum, quae sunt alicujus, nimirum de praescriptione . . . 926
Vera possessio . . . . . *ibid.*
Titulus praesumptus . . . . . *ibid.*
Bona fides . . . . . *ibid.*
Petes, utrum dubitans, sitne res sua, vel aliena, sit possessor bonae fidei, possitque praescribere? . 927
Tempus legitimum . . . . . *ibid.*
Petes 1. An, et quanto tempore praescribat, qui rem bona fide accepit a possessore malae fidei? . 928
Petes 2. Quae non possunt praescribi? 929
Art. III. Utrum praescriptio valeat in foro conscientiae? . . . . *ibid.*
DISSERTATIO IV. *De justitia* . 930
Art. I. De definitione, Objecto, et Subjecto justitiae . . . . *ibid.*
Art. II. De divisione justitiae . . 932
Petes Utrum inter patrem et filium non emancipatum, inter dominum et mancipium, inter virum et uxorem sit justitia proprie dicta? . 932
DISSERTATIO V. *De actu justitiae ut sic, nempe de judicio* . . *ibid.*
Art. I. Utrum judicium sit licitum? *ibid.*
Petes, utrum judex existens in peccato mortali peccet alios judicando? 933
Art. II De suspicione, et judicio temerario. . . . . *ibid.*
Notanda pro praxi 935
Circa primum . . . . . *ibid.*
Circa secundum 936
Circa tertium . . . . . *ibid.*
Art. III. Utrum dubia de malo proximi sint in meliorem partem interpretanda? . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO VI. *De actu justitiae commutativae, nempe de Restitutione* 937
Art. I. De quidditate et necessitate restitutionis . . . . . *ibid.*
Art. II. Ex quotuplici titulo nascatur obligatio restituendi? . . . 939
Art. III. Utrum incurratur obligatio restituendi ratione damni illati absque culpa theologica . . 940
Art. IV. Utrum culpa theologica venialis inducat obligationem restituendi, et qualem? 941
Petes, an culpa exterior venialis cum interna intentione mortali nocendi graviter, inducat obligationem restituendi sub mortali sequuto gravi damno? 942
Art. V. Utrum, et quando culpa juridica inducat obligationem restituendi ratione contractus, et quasi contractus, seu officii? . *ibid.*
Petes, Utrum qui rem vel conductam vel commodatam, vel depositam remittit per nuntium, teneatur ad restitutionem seu solutionem, si res culpa nuntii pereat? *ibid.*
Art. VI. Quid, et quantum sit restituendum a possessore bonae fidei ratione rei acceptae? 943
Art. VII. Utrum qui bona fide emit rem furtivam, ubi novit esse furtivam, teneatur eam reddere vero domino? 945
Petes, Utrum si quis rem furtivam bona fide emit, et eadem bona fide durante alteri vendidit, res illa debeat adhuc reddi domino? 946

Art. VIII. De restitutione facienda a possessore malae fidei . . . 947
Petes 1. Quid, et quantum restituere teneatur possessor malae fidei. *ibid.*
Petes 2. Utrum malae fidei possessor teneatur praestare valorem rei, si apud ipsum pereat, certo peritura apud dominum? . . . . *ibid.*
Petes 3. Ad quid teneatur possessor malae fidei ratione melioration is, et deteriorationis? . . . 948
Petes 4. Utrum possessor malae fidei possit deducere expensas in re conservanda, vel melioranda factas? 949
Petes 5. Utrum, et quid sit restituendum a possessore dubiae fidei? 950
Petes 6. Utrum aliquid debeat restituere, qui dubitat an aliquem injuste damnificaverit? . *ibid.*
Art. IX. Utrum ille, qui impedit aliquem a consecutione boni alicujus, teneatur ad restitutionem? 951
Art. X. De restitutione facienda ab his, qui injustae damnificationi cooperantur 953
§ I. Expenduntur quaedam difficultates circa cooperantes in communi. . . . . *ibid.*
§ II. Expenduntur singuli modi. . 954
Jubens . . . . . *ibid.*
Consulens . . . . . *ibid.*
Consentiens 956
Palpo . . . . . *ibid.*
Recursus . . . . . *ibid.*
Participans 957
Petes, utrum quando plures immediate concurrunt ad damnum, teneantur ad restitutionem totius in solidum? 958
Mutus, non Obstans, non Manifestans 959
Petes, utrum testis, qui a judice legitime interrogatus tacet, et recusat ferre testimonium, teneatur de damno, quod ex ejus silentio sequitur? 960
Quaeritur utrum Confessarius, qui ex ignorantia, aut negligentia graviter culpabili non injungit poenitenti restitutionem, ad quam tenetur, fiat ipse obnoxius restitutioni? . . . . . *ibid.*
§ III. Quo ordine cooperatores damni teneantur restituere? . . *ibid.*
Art. XI. Cui sit facienda restitutio? 963
§ I. Cui bona certa sint restituenda . *ibid.*
§ II. Cui bona incerta sint restituenda? *ibid.*
Art. XII. Quando sit facienda restitutio? 964
Petes 1. Quomodo illud *statim* sit intelligendum? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum qui alienum injuste detinet, continuo, et singulis momentis peccet? 965
Petes 3. utrum sit unum tantum peccatum continuatum, an sint plura numero distincta? . . . *ibid.*
Art. XIII. Quo loco, cujus expensis et periculo restitutio fieri debeat? . . . . . *ibid.*
Art. XIV. Cui ex pluribus creditoribus prius sit restituendum? . . 966
Petes 1. Utrum debita ex delicto, et ex contractu oneroso, sint prius restituenda, quam debita ex contractu gratuito? 967
Petes 2. Utrum sit aliquis ordo inter debita ex contractu oneroso ex una parte, et debita ex delicto ex altera? 968
Petes 3. Utrum debita certa sint prius restituenda, quam debita incerta? *ibid.*
Petes 4. Utrum creditor recipiens totum creditum a debitore, qui ex hoc fit impotens ad aliis aequalibus creditoribus satisfaciendum, peccet contra justitiam, et teneatur ad restitutionem? . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum qui inter creditores non privilegiatos, nec hypotecarios, primus petit, sit praeferendus? . . . . . *ibid.*
Art. XV. De causis excusantibus a restitutione . . . . . *ibid.*
Prima causa excusans a restitutione . *ibid.*
Aliae causae excusantes a restitutione 969
DISSERTATIO VII. *De vitio opposito justitiae distributivae: quod est acceptio personarum* . . . 970
Art. I. Quid sit acceptio personarum? *ibid.*
Art. II. De acceptione personarum in distributione spiritualium . . . 971
Petes 1. Utrum qui ad beneficia, seu officia ecclesiastica promovet indignum, seu minus dignum, praetermisso digniore, teneatur ad aliquam restitutionem? . . . 972
Petes 2. Utrum hucusque dicta in praesenti articulo extendenda sint ad officia saecularia? 973

Petes 3. Quae sint qualitates ad beneficia rite obtinenda necessariae? *ibid.*
Petes 4. Utrum liceat plura simul beneficia possidere? . . . . *ibid.*
Art. III. De tributis 974
Petes 1. Quae conditiones requirantur, ut tributa licite imponantur? . *ibid.*
Petes 2. Utrum sit licitum defraudare tributa? 975
Petes 3. Utrum tributa, de quorum justitia dubitatur, solvi debeant in conscientia? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum qui merces emit ab eo, quem scit injuste defraudasse vectigalia, teneatur illa solvere? . 976
Petes 5. Utrum Clerici sint exempti a tributis? 977
Petes 6. Quo jure Clerici sint immunes? 978
DISSERTATIO VIII. *De vitiis oppositis justitiae commutativae, et primo de homicidio, mutilatione, et restitutione inde debita.* 979
Art. I. Plures quaestiones de homicidio resolvuntur . . . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum sit licitum occidere malefactores? . . . . , *ibid.*
Petes 2. Qua auctoritate liceat occidere malefactores? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum liceat occidere seipsum? *ibid.*
Petes 4. Utrum liceat in aliquo casu interficere innocentem? 979
Art. II. Utrum liceat defendere vitam suam cum occisione injusti invasoris? 980
Petes 1. Utrum conclusio nostra sit intelligenda generaliter de quocumque invaso contra quemcumque invasorem vitae? 983
Petes 2. Utrum invasus non solum licite possit, sed etiam utrum teneatur defendere vitam suam cum occisione invasoris? 984
Petes 3. Utrum possis pro defensione vitae proximi, quod potes pro defensione vitae propriae? . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum etiam ad id tenearis, dum potes? . . . . . *ibid.*
Art. III. Utrum liceat defendere temporalia cum occisione invasoris? *ibid.*
§ I. De defensione bonorum fortunae 985
§ II. De defensione pudicitiae . . . *ibid.*
§ III. De defensione honoris, et famae 986
Art. IV. De abortu 987
Petes, quando foetus animatur anima rationali? . . . . *ibid.*
Art. V. Utrum occidens casualiter hominem, incurrat homicidii reatum? 988
Petes 1. Utrum homicidium aliudve damnum per servum, aut animal causatum imputari debeat domino? 990
Petes 2. Utrum homicidium aliudve damnum causatum a filio, sic imputetur patri, ut pater de damno teneatur? . . . . *ibid.*
Art. VI. De mutilatione, verberatione, et incarceratione . . . . . *ibid.*
Petes, utrum liceat parentibus verberare filios in sacris constitutos absque eo, quod incurrant excommunicationem? 991
Art. VII. De obligatione restituendi ex homicidio, mutilatione, et laesione *ibid.*
§ I. De restitutione damni personalis . 992
§ II. De restitutione damni realis ex homicidio, et quibus fieri debeat? *ibid.*
Petes, utrum omnis homicida, vel injustus mutilator teneatur ad praefatas restitutiones? 994
APPENDIX I. *De obligatione restituendi ex homicidio spirituali, seu laesione in spiritualibus* . *ibid.*
§ I. De obligatione restituendi ex inductione ad peccatum . . . *ibid.*
§ II. De obligatione restituendi propter avocationem a religione . . . 995
APPENDIX II. *De obligatione restituendi ex stupro, et fornicatione* 996
Petes, si nata sit proles ex fornicatione, ad quid teneatur fornicator? 998
APPENDIX III. *De obligatione restituendi ex adulterio* . . . . *ibid.*
Petes 1. Quantum, et quibus restituet adulter, qui paratus est restituere nunc, ante quam pater putativus moriatur? 999
Petes 2. Si adulter dubitet, an proles sit ex suo adulterio, teneturne aliquid restituere? . . . . *ibid.*
Petes 3. quomodo restituet adultera? *ibid.*
Petes tandem, utrum proles teneatur credere matri asserenti se esse illegittimam? 1000
DISSERTATIO IX. *De furto, et rapina* . . . . . *ibid.*
Art I. Quid sit furtum? quid rapina? et quale peccatum? . . . . *ibid.*
Petes 1. Quid sit furtum? . . . *ibid.*

Petes 2. Quid sit rapina, et an distinguatur a furto? 1001
Petes 3. Utrum furtum sit ex genere suo peccatum mortale? . *ibid.*
Art. II. Quae quantitas requiratur ad furtum mortale? 1002
Art. III. De furtis minutis . . 1003
Petes 1. Utrum qui completa materia notabili per ultimum furtum, puta per nonum, aliud decimum etiam leve adjicit, peccet adhuc mortaliter hoc decimo furto? . *ibid.*
Petes 2. Utrum qui summam notabilem per minuta furta accepit, teneatur sub mortali totam restituere? 1004
Art. IV. De furtis Parentum, Filiorum, Conjugum et Domesticorum . *ibid.*
Petes, quid censendum de famulis, qui ovibus, bobus, etc. plus alimenti tribuunt, quam taxaverit Dominus? 1005
Art. V. Utrum liceat accipere alienum propter necessitatem? . . *ibid.*
Petes, utrum res ablata in extrema necessitate sit restituenda? . 1006
Art. VI. Utrum compensationes, seu recuperationes occultae sint licitae? 1007
Petes utrum famuli et famulae possint uti compensatione occulta, si necessitate coacti convenerint de minori stipendio? . . . 1008
DISSERTATIO X. *De injustitia judicis*. 1009
Art. I. De injustitia judicis per usurpationem judicii . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum quis possit judicare alterum sibi non subditum? . *ibid.*
Petes 2. Utrum judex excomunicatus ferendo sententiam peccet usurpatione judicii, et ejus sententia sit irrita? . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum judex, qui ob crimen ipso jure est privatus suo officio, ferendo sententiam peccet usurpatione judicii, et acta ejus sint irrita? . . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum acta judicis alteriusve, qui non habet, nisi titulum putativum, seu coloratum, sint valida? . . . . . *ibid.*
Art, II. Utrum judex possit condemnare, quem privata scientia novit innocentem, si juridice probetur nocens? 1010
Petes, utrum judex possit aliquem inauditum condemnare ex privata scientia? 1011
Art. III. Explicantur varii modi, quibus judex potest procedere adversus crimina 1012
Petes 1. Quot sint modi, quibus judex potest procedere adversus crimina? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quid requiratur, ut judex licite procedat adversus crimina? *ibid.*
Petes 3. Utrum quando crimen est publicum, et auctor ignoratur, possit judex inquirere, quis fecerit? 1013
Art. IV. Quid requiratur, ut judex possit reum juridice interrogare, subjicere torturae, et tandem condemnare? . . . . . *ibid.*
Petes, utrum sententia injusta valeat, et obliget? 1015
DISSERTATIO XI. *De injustitia accusatoris et testis* 1016
Art. I. De obligatione accusandi, et testificandi . . . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum sit obligatio accusandi? *ibid.*
Petes 2. Utrum accusationi, vel denunciationi juridicae praemitti debeat monitio fraterna? . . *ibid.*
Petes 3. Utrum homo teneatur testificari? 1017
Art. II. Utrum qui recusavit ferre testimonium, aut tulit falsum, teneatur ad restitutionem? . . *ibid.*
Art. III. Utrum requiratur, et sufficiat testimonium duorum? . 1018
DISSERTATIO XII. *De injustitia rei et advocati*. 1020
Art. I. Utrum reus a judice interrogatus teneatur sub mortali fateri veritatem, licet inde sit capite plectendus? . . . . . *ibid.*
Petes, utrum, postquam reus juridice interrogatus negavit veritatem, teneatur in nostra sententia retractare dictum, et fateri veritatem, si amplius non interrogetur? 1021
Art. II. Utrum accusato liceat se calumniose defendere, et damnato ad mortem vi resistere, aut fugere, si possit? 1022
Petes 1. Utrum aliis liceat reo consulere fugam, et carcerum effra-

ctionem, praebere instrumenta, et eum adjuvare vel in fuga, vel in effractione? 1023
Petes 2. Utrum liceat reo corrumpere custodes, ut possit evadere? . *ibid.*
Art. III. De advocato. 1024
Quaeritur 1. Utrum advocatus teneatur praestare gratis patrocinium causae pauperum? . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum advocatus peccet, si injustam causam defendat? . *ibid.*
Quaeritur 3. Utrum advocatus possit suscipere causam dubiam, aut minus probabilem? . . . *ibid.*
DISSERTATIO XIII. *De injuriis verborum, quae inferuntur extra judicium, et obligatione restituendi inde contracta?* . . . 1025
Art. I. De contumelia . . . *ibid.*
Petes 1. Quid sit fama, quid honor? *ibid.*
Petes 2. Quid sit contumelia? . . *ibid.*
Petes 3. Quantum peccatum sit contumelia? 1026
Petes 4. Utrum debeamus sustinere contumelias illatas? . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum ex contumelia nascatur obligatio restituendi honorem laesum? . . . . . *ibid.*
Petes 6. Quomodo restitutio, seu satisfactio pro contumelia illata debeat fieri? 1027
Art II. De detractione . . . *ibid.*
§ I. Quid, quotuplex sit detractio, et quantum peccatum? . . *ibid.*
§ II. Variae quaestiones circa praesentem materiam breviter resolvuntur? 1029
Petes 1. Utrum aliquando liceat revelare crimen occultum alterius? *ibid.*
Petes 2. Utrum absque ulla justa causa, sed ex mera loquacitate, aut animi levitate liceat revelare crimen alterius uni viro prudenti, apud quem perinde est, ac si non esset dictum, sit peccatum mortale? . . . 1030
Petes 3. Utrum infamatus de uno crimine, possit infamari de alio? 1031
Petes 4. Utrum narrare crimen alicujus non assertive, sed tamquam dictum ab aliis, sit peccatum mortale? . . . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum peccet peccato detractionis, qui narrando crimen occultum alicujus, narrat simul ejus poenitentiam? . . . *ibid.*
Petes 6. Utrum liceat detrahere defuncto? . . . . . *ibid.*
Petes 7. Qualiter peccet, qui crimen occultum narrat non nominata persona? . . . . . *ibid.*
§ III. Utrum diffamatum in uno loco, vel tempore, liceat diffamare in alio loco, vel tempore? . . 1032
§ IV. De audientibus detractionem . 1033
Art. III. De restitutione famae . . 1035
§ I. Utrum fama sit restituenda? . *ibid.*
Petes 1. Utrum qui injuste detrahit, sed materialiter tantum, et ex errore, teneatur ad restitutionem ex justitia, ubi errorem advertit? *ibid.*
Petes 2. Utrum haeredes diffamatoris defuncti teneantur loco ipsius ad restitutionem? . . . . *ibid.*
§ II. Quomodo fama sit restituenda? *ibid.*
§ III. Causae excusantes a restitutione famae 1037
Art. IV. De sussuratione, derisione, et maledictione . . . 1038
§ I. De sussuratione . . . *ibid.*
Petes 1. Quid sit sussuratio? . . *ibid.*
Petes 2. Quale peccatum sit sussuratio? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum sussuratio non sit etiam contra justitiam? . . *ibid.*
§ II. De derisione . . . . *ibid.*
Petes 1, Quid sit derisio? . . *ibid.*
Petes 2. Quale sit peccatum derisio inordinata? . . . . *ibid.*
§ III. De maledictione . . . 1039
APPENDIX *De revelatione secreti* 1040

TRACTATUS DE CONTRACTIBUS

DISSERTATIO I. *De contractibus in genere* 1042
Art. I. Quid et quotuplex sit contractus? . . . . . *ibid.*
Art. II. De consensu ad contractum requisito 1043
Art. III. Utrum error irritet contractum? 1044
Art. IV. Utrum metus irritet contractum? 1047

Art. V. Quinam possint valide contrahere? 1049
Circa Filios familias 1050
Circa Minorennes . . . . . *ibid.*
Circa Uxores 1051
Petes, quid sit restitutio in integrum? *ibid.*
Art. VI. Utrum contractus invalidus accessione juramenti valeat, et firmetur? 1052
Art. VII. De contractibus qualificatis . 1053
§. I. De contractu conditionali . *ibid.*
Petes; quid sit conditio turpis? . 1055
§. II. De caeteris contractibus qualificatis . . . . . *ibid.*
Art. VIII. Utrum contractus sub conditione futuri operis turpis purificata conditione, valeant et obligent? 1057
Art. IX. Utrum contractus pro re, vel actione aliunde debita sit validus? 1058
Petes. 1. Utrum contractus a jure prohibitus, seu cui deest solemnitas, vel conditio a jure requisita sit invalidus? 1059
Petes 2. quando lex prohibeat tantum, et quando prohibeat simul et irritet? . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO II. *De contractibus gratuitis, scilicet de promissione, et donatione* . . *ibid.*
Art. I. De promissione . . . . *ibid.*
§. I. Quid sit promissio? . . . *ibid.*
§. II. Quantum obliget promissio? . 1060
§. III. In quibus eventibus cesset obligatio promissionis? 1061
Art. II. de donatione 1063
§. I. Quid et quotuplex sit donatio? . *ibid.*
Petes, Utrum si donatio excedat beneficium acceptum, debeat censeri mere liberalis, et prohibita quoad excessum? . . . . *ibid.*
§. II. Quis donare potest et quantum? . 1064
Art. III. De ultimis voluntatibus . 1065
§. I. Explicantur variae species ultimae voluntatis, et alia quaedam huc spectantia . . . . *ibid.*
§. II. De variis divisionibus testamenti, et solemnitatibus ad illud requisitis 1067
Petes, an aliqua saltem solemnitas, et quae requiratur pro validitate testamenti ad causas pias? . . 1069
§. III. Utrum testamentum ad causas profanas, cui deest solemnitas jure civili vel consuetudine requisita, sit validum, saltem in foro conscientiae? . . . . . *ibid.*
Petes 1. Qui possint testari, aut aliter disponere causa mortis? . . . 1071
Petes 2. Utrum testamentum alterave ultima voluntas possit revocari? *ibid.*
§. IV. De haeredibus, et de executore testamenti . . . . . *ibid.*
Petes 1. Qui succedat ab intestato bonis et juribus religiosi, de quibus ante professionem non disposuerit? 1072
Petes 2. Utrum liceat parentibus uni proli plus relinquere quam aliis? *ibid.*
Petes 3. Quando executor testamenti debeat exequi voluntatem Testatoris? 1073
DISSERTATIO III. *De contractibus onerosis, et primo de venditione et emptione* . . . . *ibid.*
Art. I. Utrum liceat rem carius vendere aut vilius emere quam valeat? . . . . . *ibid.*
Art. II. Quis sit justus rerum valor, seu justum pretium? . . . 1074
Petes 1. Quid censendum de illis, qui mendaciis, et perjuriis efficiunt, ut vendant justo quidem pretio, sed summo, aut emant infimo? 1076
Petes 2. Quid censendum de illis, qui interrogati quanti velint suam mercem vendere, exigunt supra pretium supremum? . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum res, quae non habent pretium legitimum, aut vulgare, possint vendi, quanti dominus volet, aut poterit? . *ibid.*
Art. III. Utrum sint, et qui sint tituli, ratione quorum licet vendere supra, et emere infra pretium commune? 1077
§. I. Damnum emergens, et lucrum cessans . . . . . *ibid.*
Petes, an singularis affectus emptoris ad rem emendam, vel singularis ejus utilitas aut necessitas sit titulus legitimus eam vendendi pluris quam secundum se valeat? *ibid.* 1078
§. II. Dilata, et anticipata solutio.
§. III. Chirographa, seu debita postea solvenda . . . . . *ibid.*
Petes, Utrum si creditor occulte novit suum debitorem non esse solvendo, aut esse difficilis solutionis, possit iis, qui nesciunt,

vendere suum debitum secundum totum quod continet? . . 1079
§ IV. De subhastatione. . . . 1080
Petes, utrum vendens non possit saltem, rem suam retrahere, si videat in decursu licitationum eam esse infra justum pretium ordinarium vendendam? . . *ibid.*
Art. IV. Utrum venditio reddatur illicita propter defectum rei venditae? 1081
Art. V. Utrum venditor teneatur aperire defectum suae mercis? . 1083
Art. VI. Utrum venditor, qui novit pretium mercium brevi minuendum ob futuram earum copiam, teneatur id manifestare emptoribus, vel subtrahere de pretio? 1084
Art. VII. Quae res vendi possint? . 1085
Petes, utrum semper peccet, qui scienter emit rem alienam? . 1086
Art. VIII. Cui res vendita pereat, aut fructificet? 1087
Petes, cui debeatur res successive vendita duobus? 1088
Art. IX. De variis pactis contractui venditionis – emptionis adjectis? *ibid.*
Pactum retrovendendi, seu redimendi in futurum 1089
Contractus Mohatra. . . . *ibid.*
Pactum Legis commissoriae . . 1090
Pactum adjectionis in diem . . *ibid.*
Retractus. . . . . *ibid.*
Art. X. De Monopoliis . . . *ibid.*
Petes, utrum qui non sunt participes monopolii, possint vendere merces suas pretio aucto, et statuto per monopolas? . . . 1091
Art. XI. Quaedam quaestiunculae circa venditionem et emptionem breviter resolvuntur. . . 1092
Petes 1. Utrum is, cui commissum est aliquid vendere, aut emere certo pretio, possit sibi retinere id, quod est supra vel infra? . *ibid.*
Petes 2. Utrum proxeneta non possit sibi rem emere statuto pretio, atque eam ut suam vendere, et si vendat plus, illud plus sibi retinere? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum emens ex commissione possit sibi retinere ea, quae vendens solo ejus intuitu gratis donat? . . . . . *ibid.*
Art. XII. Utrum negotiatio sit licita. . 1093
Petes utrum istae leges graviter obligent? 1094
DISSERTATIO IV. *De mutuo et usura* 1095
Art. I. Quid sit mutuum? . . *ibid.*
Art. II. Quid et quotuplex sit usura? 1097
Art. III. An, et quo jure usura sit prohibita? 1098
Art. IV. Utrum pro mutuo illicitum sit expetere non solum pecuniam, sed aliquam aliam commoditatem? 1103
Consectaria praecedentis doctrinae . 1104
Art. V. An, et qui sint legitimi tituli accipiendi aliquid ultra sortem in mutuo? 1106
§ I. Absentia pecuniae, et obligatio non repetendi sortem intra certum tempus. . . . . *ibid.*
§ II. Damnum emergens. . . 1107
§ III. Lucrum cessans . . . 1108
§ IV. Periculum sortis . . . 1109
§ V. Poena conventionalis . . 1111
§ VI. Pactum Legis commissoriae . *ibid.*
Art. VI. De restitutione usurarum . *ibid.*
§ I. Utrum usurarius acquirat dominium usurarum, et quae teneatur restituere? . . . *ibid.*
§ II. Utrum usurarius mentalis teneatur ad restitutionem? . . 1113
Petes, An qui bona fide fecit contractum usurarium, possit re comperta lucrum retinere? . . *ibid.*
§ III. Utrum, et quomodo haeredes usurarii, aliique cooperatores teneantur restituere? . . . *ibid.*
Petes 1. An cooperatores usuris teneantur ad restitutionem? . 1114
Petes 2. Utrum Montes pietatis, et Lombardi sint immunes ab usura? 1115
Petes 3. Utrum liceat pecuniam mutuo accipere sub usura? . . *ibid.*
DISSERTATIO V. *De Censibus, Cambiis, et Contractu societatis?* . . . . . .
Art. I. De censibus . . . . *ibid.*
§ I. Quid et quotuplex sit census? . *ibid.*
§ II. Utrum census tam realis, quam personalis sit licitus? . . 1117
§ III. Variae quaestiones circa census resolvuntur. 1118
Quaeritur 1. Utrum census utrimque redimibilis sit licitus? . . *ibid.*
Quaeritur 2. Utrum licitum sit in em-

ptione census obligare censuarium ad redimendum, si velit, eadem moneta? . . . . *ibid.*
Quaeritur 3. Quid dicendum sit de quibusdam formulis frequenter usitatis? . . . . . *ibid.*
Quaeritur 4. Utrum census possit emi minori pretio, quam fuerit creatus? 1119
Quaeritur 5. Quae conditiones ad census requirantur spectato jure ecclesiastico? . . . . . *ibid.*
Art. II. De cambio . . . . . *ibid.*
Petes 1. Quid sit cambium? . . . *ibid.*
Petes. 2. Quotuplex sit cambium? . 1120
Petes 3. Utrum Cambium sit licitum? *ibid.*
Art. III. De Contractu Societatis . 1121
§ I. Quid, et quotuplex sit Contractus Societatis, et an sit licitus? *ibid.*
Petes 1. Quomodo iniri debeat societas ut servetur aequalitas? . . 1122
Petes 2. Cujus damno cedant impensae factae pro bono societatis? . *ibid.*
§ II. De contractu triplici . . . 1123
Utrum qui confert pecuniam in societatem, possit ab altero socio assecurari de sorte, et de certo lucro pro incerto? . . . . . *ibid.*
DISSERTATIO VI. *De caeteris contractibus* 1125
Art. I. De Locatione et conductione *ibid.*
§ I. Quid sit locatio et conductio? . *ibid.*
§ II. Utrum si conductor impediatur ab usu, vel fructu rei conductae, teneantur solvere pensionem? . 1127
Art. II. De Emphyteusi et feudo . 1128
Art. III. De commodato, Precario, et Deposito 1129
Art. IV. De Fidejussione, assecuratione, hypotheca, pignore, et transactione. 1130
Art. V. De Ludo, et sponsione. . . 1131
§ I. De Ludo . . . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum ludus generatim sumptus sit licitus? . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum ludus cum pacto lucri pro victore sit secundum se illicitus? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Quae sint conditiones requisitae ad ludum cum pacto? . . 1132
Petes 4. Utrum ludus cum pacto sit jure positivo prohibitus? . . 1133
Petes 5. Utrum istae leges graviter obligent? . . . . . *ibid.*
Petes 6. Utrum victor in ludo prohibito possit lucrum retinere, et victus teneatur solvere? . . . 1134
§ II. De Sponsione . . . . . *ibid.*
Petes 1 Utrum si unus sit certus de rei veritate possit spondere, et praemium sponsionis retinere, modo moneat alterum de sua certitudine? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum sponsio de re mala, aut ad malum inductiva sit licita, et valida? . . . . . *ibid.*

TRACTATUS DE RELIGIONE ET VITIIS OPPOSITIS

DISSERTATIO I. *De Religione secundum se, et ejus actibus interioribus, scilicet de Devotione, et Oratione.* 1135
Art. I. De Religione secundum se . *ibid.*
Petes 1. Quid sit religio? . . . . *ibid.*
Petes 2. An Religio sit virtus Theologica, vel moralis? . . . . . *ibid.*
Art. II. De actibus interioribus religionis, scilicet de devotione, et oratione. 1136
Petes 1. Quid sit devotio? . . . . *ibid.*
Petes 2. Quid sit oratio? . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum sit necesse hominibus orare? . . . . . *ibid.*
Art. III. Utrum solus Deus sit orandus, ubi de invocatione Sanctorum contra haereticos 1137
Petes 1. Utrum animae detentae in purgatorio possint a nobis invocari? 1141
Petes 2. Utrum saltem non orent pro necessitatibus nostris in genere? *ibid.*
Petes 3. Quibus competat orare, et pro quibus sit orandum? . . *ibid.*
Art. IV. Quae sint in oratione a Deo petenda? ubi de Oratione Dominica. . . . . *ibid.*
Petes, quot sint petitiones orationis dominicae? . . . . . *ibid.*
Art. V. De oratione vocali, ubi de horis canonicis 1142
§. I. Quos afficiat obligatio recitandi horas canonicas? . . . . *ibid.*
Titulus beneficii . . . . . *ibid.*
Consectaria 1143
Petes 1. Utrum rata omissionis eo-

dem modo accipienda sit pro Parrocho ac pro Canonico, seu beneficiato simplici? . . 1144
Petes 2. Utrum qui habet duplex beneficium ex dispensatione, teneatur ad duplex officium? 1145
Titulus Ordinis sacri . . . *ibid.*
Titulus professionis religiosae . *ibid.*
§ II. De Canonicorum obligatione ad chorum 1146
§ III. De forma recitandi officium 1148
Petes 1. Utrum adstrictus Brev. Rom., si illo careat, et si aliud habeat, teneatur recitare officium ex illo alio Breviario? . . *ibid.*
Petes 2. Utrum illi, quorum Ecclesia, vel Religio non acceptavit ad chorum Breviarium Rom., possint privatim illo uti? . *ibid.*
§ IV. De tempore, et ordine recitandi horas canonicas . . . 1149
Petes. quid censendum de recitatione matutini pridie? . . . *ibid.*
§ V. De integritate, et interruptione horarum 1150
Petes 1. Utrum sufficiat mente legere officium . . . . . *ibid.*
Petes 2. An qui non potest recitare totum officium, teneatur ad partem, quam potest? . . *ibid.*
Petes 3. Utrum qui non potest recitare solus totum officium, teneatur assumere socium? . 1151
§ VI. De intentione, et attentione requisitis ad horas canonicas? 1152
Intentio . . . . . *ibid.*
Attentio 1153
§ VII. De causis excusantibus a recitatione horarum . . . 1154
Petes 1. utrum qui non potest recitare horas, teneatur aliquid aliud orare, vel alium recitantem audire, vel alium substituere? 1155
Petes 2. utrum impeditus recitare officium statis horis, teneatur anticipare intra eamdem diem? *ibid.*
DISSERTATIO II. *De actibus exterioribus religionis* . . *ibid.*
Art. I. De adoratione . . . 1156
Art. II. De sacrificio, oblationibus, et primitiis 1157
Art. III. De decimis 1158
Petes 1. Utrum, et quo jure debeantur decimae? . . . . *ibid.*
Petes 2. Ex quibus debeantur decimae? 1159
DISSERTATIO III. *De voto* . . 1160
Art. I. Quid sit votum? . . . *ibid.*
Art. II. De materia voti . . . 1161
Quaeritur, utrum si materia, quae fuit apta voto, fiat deinceps inepta, maneat obligatio voti? 1162
Art. III. De obligatione voti . . 1163
§ I. Utrum, et quantum votum obliget? . . . . . *ibid.*
Petes, an votum dubium obliget? 1164
§ II. De tempore obligationis voti 1165
Petes. An qui non adimplet votum tempore determinato liberetur ab obligatione voti? . . . *ibid.*
§ III. Utrum obbligatio voti possit ad alios transire? 1166
Art. IV. Utrum expediat aliquid vovere? 1167
Art. V. De variis divisionibus voti, et praecipue de voto solemni, et conditionali 1169
Petes 1. Utrum votum conditionatum obliget, si conditio non impleatur determinate, sed in aequivalenti? 1171
Petes 2. Utrum vovens solum rem praestandam, non vero conditionem, peccet, si per eum stet, quominus conditio impleatur? . 1172
Art. VI. Qui possint vovere? . *ibid.*
Art. VII. Quot, et quibus modis relaxetur obligatio voti? . 1173
§ I. De simplici cessatione voti *ibid.*
§ II. De irritatione voti . . . 1174
Circa vota Religiosorum . . *ibid.*
Circa vota filiorumfamilias . 1185
Circa vota conjugum 1176
Petes 1. Utrum praeditus facultate vota irritandi, si vovendi licentiam dedit, aut votum emissum approbavit, possit hoc non obstante votum irritare . . *ibid.*
Petes 2. Utrum vota irritari possint sine causa? . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum vota semel irrita reviviscant, quando vovens a potestate irritantis manumissus est? 1177
Petes 4. Utrum Papa possit irritari vota omnium fidelium? *ibid.*
§ III. De dispensatione voti . *ibid*
Petes 1. Quaenam sint causae sufficientes ad licitam et validam dispensationem? 1179
Petes 2. Utrum vota in favorem tertii sint dispensabilia? . *ibid.*
Petes 3. An sit aliqua forma servan-

da in dispensatione? . *ibid.*
§ IV. De commutatione voti . 1180
Petes 1. Utrum Regulares possint commutare vota saecularium? . *ibid.*
Petes 2. Utrum votum emissum in favorem tertii possit commutari? 1181
Petes 3. Utrum si materia subrogata fiat impossibilis, aut inutilis, etiam ex culpa voventis, teneatur redire ad prius votum? 1182
Petes 4. Utrum potestas concessa in Jubilaeis commutandi vota extendatur ad vota emissa post concessionem Jubilaei? . . . *ibid.*
Petes 5. Utrum elapso tempore Jubilaei possint a communi Confessario commutari vota illius qui Jubilaeum lucratus est? . *ibid*
Petes 6. Utrum qui tempore Jubilaei obtinuit commutationem votorum cum intentione opera praescripta adimplendi, si tamen ea postmodum non impleat, teneatur redire ad prius votum? . *ibid.*
Art. VIII. Utrum in votis solemnibus Ecclesia, seu Summus pontifex possit dispensare? . . *ibid.*
DISSERTATIO IV. *De juramento, adjuratione, et assumptione divini nominis per laudem* . 1183
Art. I. Quid sit juramentum? *ibid.*
Art. II. Quotuplex sit juramentum? 1185
Petes 1. Cujus speciei sit juramentum, quo quis jurat aliquid a se independens? . . *ibid.*
Petes 2. Quid censendum de quibusdam sat frequentibus jurandi formulis? 1186
Art. III. Utrum jurare sive per Deum, sive per creaturas sit licitum, idque per se appetendum, et frequentandum? . . . 1187
Art. IV. Utrum convenienter ponantur tres comites juramenti videlicet justitia, judicium, et veritas? 1189
Judicium . . . . . *ibid.*
Justitia . . . . . *ibid.*
Petes, utrum qui uteretur juramento tamquam instrumento peccati sui, sive mortalis, sive venialis, peccaret mortaliter contra religionem? . . . . *ibid.*
Veritas 1190
Petes 1. Qualiter peccet jurans id, quod putat certo verum, sed temere? . . . . *ibid.*
Petes 2. Quinam possint jurare? *ibid.*
Art. V. De obligatione juramenti promissorii? . . . . *ibid.*
§ I. Utrum et quantum obliget juramentum promissorium? . 1191
§. II. De requisitis ex parte jurantis ad validitatem juramenti promissorii? 1192
Petes 1. Utrum aliquando sit licitum jurare sive assertorie, sive promissorie, sine animo jurandi? 1193
Petes 2. Quale sit peccatum jurare sine animo jurandi? . *ibid.*
§ III. De requisitis ex parte materiae ad validitatem juramenti promissorii? 1194
§ IV. Resolvuntur quaedam difficultates circa praecedentem materiam 1195
Petes 1. Quid censendum de parentum, et dominorum juramentis, quibus jurant se filios, aut servos tali, vel tali modo punituros? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quid censendum de juramentis mercatorum non vendendi minoris, seu non emendi pluris? . . . . *ibid.*
Petes 3. Quomodo obliget juramentum non amplius ludendi? . *ibid.*
Petes 4. Utrum obligatio juramenti transeat ad haeredes? . 1196
Petes 5. Utrum sit major obligatio voti, quam juramenti promissorii, in gratiam hominis facti? . . . . . *ibid.*
Art. VI. De interpretatione juramenti promissorii in dubio? *ibid.*
Art. VII. Quot, et quibus modis relaxetur obligatio juramenti? 1197
Petes, quomodo intelligitur fieri dispensationes et commutationes in juramentis? . . . 1198
Art. VIII. De adjuratione, et de assumptione divini nominis per laudem? . . . . *ibid.*
Petes 1. Quis possit adjurare daemones? 1199
Petes 2. Quibus signis dignoscatur hominem a daemone possideri? *ibid.*
Petes 3. Utrum cantus divinis laudibus convenienter adhibeatur? *ibid.*
Petes 4. Utrum usus Organorum sit

conveniens in officiis ecclesiasticis ? 1200
DISSERTATIO V. *De observatione diei dominicae, et festorum* *ibid.*
Art. I. Explicatur natura praecepti Sabbathi, diei Dominicae, et festorum . . . . *ibid.*
Petes, ubi habeatur hoc praeceptum ecclesiasticum ? . . . 1201
Art. II. Utrum opera quovis modo servilia prohibeantur diebus dominicis, et festis ? . . . *ibid.*
Art. III. Utrum praeter opera servilia quaedam alia prohibeantur diebus Dominicis, et festis ? 1203
Art. IV. Quae causae excusent a peccato operantes serviliter diebus dominicis, et festis ? . . . 1204
Art. V. De auditione Missae . 1205
Art. VI. De causis excusantibus ab auditione Missae . . . 1207
Petes 1. Utrum antequam praeceptum obliget, liceat absque justa causa ponere impedimentum observationi illius ? . *ibid.*
Petes 2. Utrum qui legitime excusatur a Missa, teneatur ad aliquem alium actum religionis indeterminate, saltem diebus Dominicis ? . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum status gratiae requiratur in audiente Missam ? *ibid.*
Petes 4. Utrum Missa sit necessario audienda in Ecclesia parrochiali ? 1208
Art. VII. Utrum ultra cessationem ab opere servili, et auditionem Missae, ad aliquid aliud teneantur fideles diebus Dominicis, et festis ? . . . . *ibid.*
DISSERTATIO VI. *De vitiis oppositis religioni, et primo de superstitione* . . . 1209
Art. I. Quid, et quotuplex sit superstitio ? . . . *ibid.*
Art. II. De idololatria . . . 1210
Petes 1. Quid sit idololatria ? . *ibid.*
Petes 2. Quotuplex sit idololatria ? *ibid.*
Petes 3. Quandonam incoepit idololatria ? . . . . . *ibid.*
Art. III. De divinatione . . 1211
Petes, utrum omnis divinatio sit peccatum mortale ? . . 1212
Art. IV. De vana observantia . 1213
Art. V. De magia 1214
§ I. Quid, et quotuplex, et quale peccatum sit magia ? quae ejus signa et remedia ? . . . *ibid.*
§ II. Utrum liceat tollere signa maleficii, eo fine, ut daemon cesset nocere ? . . . 1215
Petes 1. Utrum liceat non solum tollere signum maleficii, sed etiam aliud signum apponere quo prius vim suam amittat ? . . 1216
Petes 2. Utrum sit licitum petere dissolutionem maleficii a maleficio, qui potest illud tollere licite, et illicite ? . . *ibid.*
DISSERTATIO VII. *De mendacio, et perjurio* . . . 1217
Art. I. De mendacio . . . *ibid.*
Petes 1. Quid sit mendacium ? *ibid.*
Petes 2. Quotuplex sit mendacium ? 1218
Petes 3. Utrum omne mendacium sit peccatum ? . . . *ibid*
Petes 4. Quantum peccatum sit mendacium ? 1219
Art. II. De restrictionibus mentalibus, amphibologiis, seu aequivocis . . . . *ibid.*
Consectaria praecedentis doctrinae . 1223
Art. III. De perjurio . . 1225
Art. IV. De consuetudine jurandi, et pejerandi . . . 1227
Art. V. Utrum liceat exigere, seu recipere juramentum a pejeraturo, vel juraturo per falsos Deos ? 1228
DISSERTATIO VIII. *De Sacrilegio* 1229
ART. UNICUS. Quid, et quotuplex sit sacrilegium ? . . . *ibid.*
Petes 1. Quid requiratur, ut res censeatur sacra ? . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum omne sacrilegium sit peccatum mortale ? . . 1231
DISSERTATIO IX. *De Simonia* *ibid.*
Art. I. Quid, et quotuplex sit simonia. . . . . *ibid.*
Art. II. Utrum sit simonia dare temporale tamquam motivum obtinendi spirituale, et e contra, aut ex mera gratitudine ? . . 1233
Petes, Utrum liceat etiam dare sub spe obtinendi a donatario spirituale, et e contra titulo amicitiae, et gratitudinis ? . 1235
Art. III. Utrum sit simoniacum spiritualia dare non solum pro

munere a manu, sed etiam pro munere ab obsequio, et a lingua? 1236
Petes, utrum dare spirituale ad vitandum imminens damnum temporale sit simonia? . . . 1237
Art. IV. De simonia circa res spirituales in particulari . 1238
Consectaria praecedentis doctrinae . *ibid.*
Art. V. De simonia circa annexa spiritualibus 1242
§ I. De simonia circa annexa spiritualibus antecedenter *ibid.*
§ II. De simonia circa annexa spiritualia concomitanter . 1143
§ III. De simonia circa annexa spiritualibus consequenter, hoc est circa beneficia . . . . *ibid.*
Petes 1, An possit resignari, vel procurari alicui beneficium cum pacto, ut illud sibi, vel alteri in posterum resignet, aut pensio ex eo tibi, vel alteri solvatur? 1245
Petes 2. Utrum resignans beneficium possit exigere sumptus, quos fecit pro illius adeptione? . *ibid.*
Art. VI. Utrum, et cui simoniace accepta sint restituenda? . *ibid.*
Art. VII. De poenis simoniacorum 1247
APPENDIX *De caeteris virtutibus justitiae annexis, et vitiis oppositis* 1248
Petes 1. Quid sit pietas? . . *ibid.*
Petes 2. Utrum opus religionis sit praetermittendus ratione officii pietatis? 1249
Petes 3. Quid sit observantia? *ibid.*
Petes 4. Quid sit obedientia? *ibid.*
Petes 5. Utrum in omnibus sit obediendum? . . . . . *ibid.*
Petes 6. Quid sit gratitudo? . 1253
Petes 7. Utrum magis teneatur ad gratias Deo agendas innocens, quam poenitens? . . . *ibid.*

TRACTATUS DE STATU RELIGIOSO

DISSERTATIO I. 1254
Art. I. De his, in quibus principaliter consistit status religiosus?. . . . . *ibid.*
Petes 1. An votorum simplicium religiosi possint vere, ac proprie dici regulares? 1256
Petes 2. An in Ecclesia Dei sit aliqua vera, et propria religio in solis votis simplicibus instituta? 1257
Art. II. De voto paupertatis . 1258
Petes 1. Quae licentia superioris requiratur, et sufficiat? . 1260
Petes 2. Quanta materia requiratur ad peccatum mortale in transgressione voti paupertatis? *ibid.*
Petes 3. Utrum liceat Religiosis habere peculium? . . . . *ibid.*
Petes 4. Quid possint Praelati regularium circa administrationem bonorum communium monasterii? . . . . . *ibid.*
Art. III. De votis castitatis, et obedientiae? 1262
Art. IV. An, et quando peccet religiosus transgrediens regulam? 1263
Petes, utrum religiosus eodem genere peccati gravius peccet, quam saecularis? 1264
DISSERTATIO II. *De clausura religiosorum* . . . . *ibid.*
Art. Unicus 1265
§ I. De clausura religiosorum quoad egressum . . . . . *ibid.*
§ II. De clausura religiosorum quoad ingressum . . . . . *ibid.*
Petes 1. Ad quem pertineat designare terminos clausurae? . 1267
Petes 2. Utrum sepes possint esse termini, et limites clausurae? . . . . . *ibid.*
§ III. De clausura Monialium quoad egressum . . . . . *ibid.*
§ IV. De clausura Monialium quoad ingressum 1269
§ V. De prohibitione alloquendi Moniales, et de earum Confessariis 1271
DISSERTATIO III. *De iis, quae competunt Religiosis, et de Religionum distinctione* . 1273
Art. I. De actionibus, et privilegiis religiosorum . . . . *ibid.*
Petes 1. An religiosi per se, et seclusо praecepto regulae teneant-

tur laborare manibus? . *ibid.*
Petes 2. An licitum sit religiosis mendicare? 1274
Petes 3. An Regulares gaudeant aliquibus privilegiis, et quae ea sint? . . . . . *ibid.*
Art. II. De Religionum distinctione 1275
Petes 1. Utrum una tantum sit religio, an plures? . . . . *ibid.*
Petes 2. Ad quid potest institui religio? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Quae sit Religio excellentior? . . . . . *ibid.*
Petes 4. Utrum habere aliquid in communi minuat perfectionem religionis? 1276
Petes 5. Utrum perfectior sit Religio in societate viventium, quam agentium vitam solitariam? *ibid*
DISSERTATIO IV. *De religionis ingressu, novitiatu, et professione* . . . . . *idié.*
Art. I. De conditionibus recipiendorum in religione . *ibid.*
Petes 1. Qui possint admitti in religionem? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Quotuplicis generis sint impedimenta religionis suscipiendae? 1277
Art. II. De novitiatu 1278
Petes 1. Quid sit novitiatus, et quae conditiones ad illud peragendum requirantur? . . . *ibid.*
Petes 2. An novitii gaudeant aliquibus privilegiis? . . 1279
Petes 3. Utrum novitius, de cujus idoneitate dubitatur sit recipiendus? . . . . . *ibid.*
Art. III. De professione religiosa 1280
Petes 1. Quid, et quotuplex sit professio religiosa? . *ibid.*
Petes 2. Quot modis inducatur professio tacita? . . *ibid.*
Petes 3. Quinam sint effectus professionis validae? . . . *ibid.*
Petes 4. An liceat reclamare contra professionem invalidam? 1281

TRACTATUS DE FORTITUDINE ET VIRTUTIBUS ILLI ANNEXIS

DISSERTATIO UNICA . . 1282
Art. I. De fortitudine, et vitiis oppositis *ibid.*
Petes 1. Quid sit fortitudo? . . *ibid.*
Petes 2. Utrum martyrium sit actus maximae perfectionis? . . *ibid.*
Petes 3. Quae conditiones requirantur ad verum, et salutare martyrium? 1283
Petes 4. Utrum licitum sit se offerre martyrio 1284
Petes 5. Quot sint vitia opposita fortitudini? 1284
Art. II. De partibus fortitudinis *ibid.*
Petes 1. Quot, et quae sint partes fortitudinis? . . . . *ibid.*
§ I. De magnanimitate . . *ibid.*
Petes 2. Quae sint praecipuae proprietates magnanimitatis? , 1285
Petes 3. Quot, et quae sint vitia opposita magnanimitati? . *ibid.*
§ II. De caeteris virtutibus fortitudini annexis 1286

TRACTATUS DE TEMPERANTIA ET VIRTUTIBUS ILLI ANNEXIS

DISSERTATIO I. *De temperantia, vitiis ipsi oppositis, et ejus partibus in genere* . . . 1288
Art. I. Quid sit temperantia, quae ejus regula, quae vitia opposita? *ibid.*
Art. II. De partibus temperantiae in genere 1289
DISSERTATIO II. *De jejunio* . 1290
Art. I. Quid, et quotuplex sit jejunium? cujus virtutis actus? et an sit de praecepto? . . . *ibid.*
Art. II. De una, vel multiplici refectione in die jejunii . 1292
§ I. Utrum requiratur ad jejunium, quod homo semel tantum comedat? . . . . . *ibid.*
§ II. Utrum quis toties peccet contra legem jejunii, quoties comedit ultra unam refectionem, an solum secunda refectione? . 1293
Petes 1. Quomodo jejunare debeat, qui mane, vel culpabiliter, vel inculpabiliter sumpsit jentaculum? *ibid.*
Petes 2. Utrum qui aliquid leve pluries comedit in die jejunii, peccet mortaliter? . . . *ibid.*

Petes 3. Quae quantitas censeatur notabilis, et ad peccatum mortale sufficiens? . . . 1294
§ III. Utrum liceat dividere refectionem in die jejunii? . *ibid.*
§ IV. De coenula, seu collatione 1295
Petes 1. Quantus excessus requiratur in collatione ad peccatum mortale? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum liceat sumere collationem meridie, prandio in vesperam dilato? . . . . *ibid.*
§ V. Quae sit mens S. Thomae circa potum in die jejunii? . *ibid.*
Art. III. De hora solvendi jejunii 1297
Petes, quae censeatur anticipatio notabilis? 1298
Art. IV. De abstinentia a carnibus, ovis et lacticiniis? . . *ibid*
Petes 1. Utrum praeceptum abstinendi a carnibus, ovis, et lacticiniis, secundum se obliget sub mortali? 1300
Petes 2. Utrum quis toties peccet, quoties in die jejunii carnes comedit? 1301
Petes 3. Utrum qui die jejunii non habet alium cibum, nisi carnes, possit eas comedere? . *ibid.*
Petes 4. Utrum qui legitima aliqua causa ad jejunium non tenetur, possit pluries in die uti cibis per indultum concessis? . *ibid.*
Art. V. Utrum violaturis jejunium liceat ministrare cibos prohibitos, aut coenam? . . . *ibid.*
Art. VI. Utrum omnes ad jejunia ecclesiastica teneantur? . 1303
Petes 1. Utrum religiosi exempti teneantur ad jejunia ab Episcopo indicta? 1304
Petes 2. An peregrini teneantur jejunio sui territorii, vel loci, in quo sunt? . . . . *ibid.*
Art. VII. De causis excusantibus a jejunio . . . . *ibid.*
Petes 1. Quoad iter, quantum, et quale requiratur, et sufficiat ad eximendum a jejunio? . 1306
Petes 2. Quid agendum cum illis, qui neque infirmi, neque laborantes Confessario respondent *non possum jejunare*, et nihil aliud? 1307
Petes 3. Utrum agricolae, fabriferrarii, et similes, qui laboriosa opera exercent, teneantur jejunare eo die, quae haec opera intermittunt . . . . *ibid.*
Petes, utrum quando ostiatim medicantes, aut alii habent sufficienter panem ad refectionem, et nihil aliud teneantur jejunare? *ibid.*
Specialiter notanda circa praecedentes causas excusantes a jejunio 1308
DISSERTATIO III. *De gulâ et ebrietate* . . . . . *ibid.*
Art. I. De gula . . . . . *ibid.*
Art. II. De ebrietate 1310
APPENDIX. Petes 1. Utrum ut ebrietas sit peccatum mortale, requiratur totalis privatio usus rationis? 1311
Petes 2. Quibus indiciis possit dignosci, an homo ita sit ebrius, ut peccet mortaliter? . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum hi, qui excedunt in potu inebriativo, absque tamen defectu rationis peccent peccato ebrietatis proprie dictae? 1312
Petes, utrum uxor teneatur reddere debitum marito petenti in ebrietate . . . . . *ibid.*
Art. III. Utrum liceat se, vel alium inebriare causa mortis vitandae, seu sanitatis recuperandae? 1313
Petes 1. Quid censendum de amico, qui ex urbanitate urget amicum ad potum, unde tandem inebriatur? 1314
Petes 1. Utrum ebrietas excuset a peccato mala, quae ex ea fiunt? *ibid.*
DISSERTATIO IV. *De castitate, et luxuria* 1315
Art. I. De castitate, pudicitia, et virginitate . . . . *ibid.*
Art. II. Utrum luxuria sit peccatum, et quale? 1317
Art. III. Utrum in peccato luxuriae detur levitas materiae? . . 1318
DISSERTATIO V. *De speciebus luxuriae* 1320
Art. I. De fornicatione . . . *ibid.*
Petes 1. Utrum copula cum alterius sponsa de futuro sit simplex fornicatio, an adulterium? . 1322
Petes 2. Utrum liceat abrumpere copulam fornicariam? . . *ibid.*
Petes 3. Utrum vir, qui foeminam inducit ad fornicandum, teneatur hanc scandali circumstantiam exprimere in confessione? . *ibid.*

APPENDIX. *De concubinatu, et meretricio* 1323
Petes 1. Utrum concubinatus, et meretricium distinguantur specie a simplici fornicatione? . . *ibid.*
Petes 2. An concubinarius sit absolvendus antequam ejecerit concubinam? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum concubinarius nolens expellere concubinam, possit in aliquo casu absolvi? . . *ibid.*
Art. II. De stupro . . . 1324
Art. III. De raptu. . . . 1326
§ I. De raptu, ut est species luxuriae 1327
Petes, quomodo se gerere debeat mulier vi oppressa, ut non peccet coram Deo? 1328
§ II. De raptu, ut est impedimentum matrimonii . . . . *ibid.*
Consectarium 1329
Art. IV. De adulterio . . . 1330
Petes, utrum, si compars cedat juri suo, aut etiam vir fiat leno uxori suae, remaneat adulterium? *ibid.*
Art. V. De incestu 1331
Petes, utrum actus sodomitici inter consanguineos, aut consanguineas, vel affines inducant malitiam incestus? 1332
Art. VI. Utrum ex Sacramento poenitentiae oriatur cognatio spiritualis? 1333
Art. VII. De sacrilegio carnali . 1335
Quantum ad personam sacram. *ibid.*
Petes, utrum sufficiat poenitenti dicere se peccasse contra votum castitatis non explicando qualitatem voti, an sit solemne vel simplex?? . . . . . *ibid.*
Quantum ad locum sacrum . . 1336
Petes 1. Utrum seminis effusio debeat esse notoria, ut sit sacrilega, et locus sacer censeatur pollutus? *ibid.*
Petes 2. Utrum etiam colloquia, aspectus, oscula, tactus impudici in loco sacro sint sacrilegia? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum copula conjugalis possit licite, et absque sacrilegio exerceri in loco sacro? . *ibid.*
Quantum ad res sacras . . 1337
Petes, utrum sit sacrilegium exercere copulam cum Reliquiis, aut similibus rebus sacris ad collum, aut alibi appensis? . . *ibid.*
Art. VIII. De peccato contra naturam *ibid.*
Art. IX. De bestialitate, et sodomia 1338
Petes 1. Utrum in confessione debeat explicari, utrum daemon fuerit incubus aut succubus? . *ibid.*
Petes 2. Utrum sit necesse explicare speciem bestiae? . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum si non sit seminatio intra vas, bestialitas sit casus reservatus, ubi reservatur? *ibid.*
Quantum ad sodomiam . . *ibid.*
Petes 1. Utrum sodomita seminans extra vas, sive tentaverit illud penetrare, aut etiam penetraverit, et se retraxerit, sive non, incurrat poenas latas, et reservationem, ubi sodomia est reservata? . . . . . *ibid.*
Petes 2. Utrum sodomita debeat explicare in confessione, an fuerit agens an patiens? . *ibid.*
Art. X. De pollutione . . . 1339
Art. XI. De pollutione voluntaria indirecte in causa. An, et quando sit peccatum? 1340
Petes 1. Quid censendum de pollutione nocturna? . . . 1342
Petes 2. Quid censendum de pollutione inchoata in somno, et continuata in vigilia? . . 1343
Petes 3. Utrum liceat gaudere secundum rationem de pollutione mere naturali et involuntaria, sive in somno, sive in vigilia, aut eam etiam desiderare affectu simplici ad bonum finem? . *ibid.*
Art. XII. De delectatione morosa in materia venerea . . . *ibid.*
§ I. Utrum delectatio morosa in materia venerea sit semper peccatum mortale? 1344
§ II. Utrum sit peccatum, si quis post plenam advertentiam rationis, non reprimat naturales motus concupiscentiae, sed negative se habeat, neque consentiendo, neque dissentiendo? . 1345
§ III. Utrum delectatio morosa contrahat omnes malitias objecti, circa quod versatur? . 1346
§ IV. Resolvuntur quaedam difficultates circa eamdem materiam 1347
Petes 1. Utrum peccet sponsa vel vidua de copula carnali futura, aut praeterita oblectans? . . *ibid.*

Petes 2. Quid censendum de delectatione morosa inter conjuges ab invicem absentes? . . . *ibid.*
Petes 3. Utrum qui vellet fornicari aut morose delectari, tangi, vel tangere impudice si liceret, sit reus laethalis luxuriae? . *ibid.*
Art. XIII. De impudicitia tactus, osculi, amplexus, aspectus, turpiloquii etc. . . . 1348
Petes 1. Quid dicendum de tangente genitalia pecorum? . . . 1350
Petes 2. Quid de aspiciente imagines, seu statuas exhibentes personas in partibus pudendis nudas? . . . . . *ibid.*
Petes 3. Quid de assistentibus comoediis? 1351
Quantum ad turpiloquia . . *ibid.*
Art. XIV De impudicitia inter conjuges . . . . . *ibid*

Pag.	Lin.	ERRATA	CORRIGE
796	9	a Deo	in Deo
801	39	distinguantur in Deo,	distinguantur, in Deo
828	3	causae	casus
847	41	Act. 2	Ad 2.
893	17	quod justus possit	quod jussus possit
950	52	omnia in jura, dubia causa	omnia jura, in dubia causa
960	37	quocumque	quocum
1069	41	absint	adsint
1078	42	post annum	ut post annum
1092	32	sibi emere	sibi rem emere
ibid.	45	si quod	quod si
1096	6	rem numero	rem eamdem numero
1103	43	et mutui	lex mutui
1112	17	Si mutuatarius	Si mutuans
1114	17	cedit	non cedit
1147	50	anni 1648	anni 1748
1274	39	debent	habent
1293	30	Sicuti	Si cui
1329	11	judicat	indicat
1323	9	accedendi	accedit
1325	52	malitia	malitia mortalis

Prudens lector leviora emendabit.

NIHIL OBSTAT — Fr. Gavinus Secchi-Murro Ord. Servor. M. Censor Theolog.
IMPRIMATUR — Fr. D. Buttaoni O. P. S. P. A. M.
IMPRIMATUR — A. Piatti Archiepisc. Trapezunt. Vicesgerens.

208.9
B 497 * 29086
BILLUART, CAROLI RENATI, O.P.

AUTHOR Summa Summae S. Thomae
Tomus 3

TITLE De Fide, Spe, Caritate, ...
sec. secundae partis.

DATE LOANED | BORROWER'S NAME

STORAGE G.T.U. BASE

29086